PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMI(

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICO

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1216) PRO LATI
ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM P
ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM D
TER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OM
OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUC
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTI
BUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINA-
RUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNA-
TA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD
TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS,
STICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, L
GICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSER
DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUI
NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO,
IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ
SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM
SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO
GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NI
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARI
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTAN
SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM
IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE
PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR.

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
A TERTULIANO AD INNOCENTIUM III:

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS XLVII.

S. AURELII AUGUSTINI.

PARISIIS,
APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1877

BR
60
.M4
t.47

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

SÆCULA IV-V. ANNI 387-430.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA, EMENDATA ET AUCTIOR,

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS DECIMUS SEXTUS.

VENIT SEPARATIM: TOMUS 16,[illegible] FRANCIS; VENEUNT AUTEM 16 VOLUMINA, 86 FRANCIS.

PARISIIS,
APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1877

SÆCULA IV-V. ANNI 387-430.

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO XLVII CONTINENTUR.

S. AUGUSTINUS HIPPONENSIS EPISCOPUS.

	Col.
Notitia litteraria de vita, scriptis et editionibus S. Augustini, auctore Schœnemanno	9
Animadversiones in omnia S. Augustini opera, auctoribus Erasmo et Joan. Phereponio (Jean Leclerc)	239
Animadversiones in epistolas. D. Augustini, auctore Norisio	270
Præfationes Vlimmerii, Jac. Sirmundi, Ludov. Vivès, Norisii, Cl. Menardi in S. Augustinum .	377
Véritable clef des ouvrages de saint Augustin contre les Pélagiens, auctore P. Merlino	883
Opuscula: sermones et fragmenta nuper inventa, à Fontano, Maio Trombelli, etc.	1111
Index rerum.	

CLICHY. — IMPRIMERIE PAUL DUPONT, 12, RUE DU BAC-D'ASNIÈRES. (1178, 9-7.)

SUPPLEMENTUM

AD OPERA

S. AUR. AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI.

NOTITIA LITTERARIA

IN VITA, SCRIPTIS ET EDITIONIBUS OPERUM S. AUGUSTINI.

(Schœnemanni Biblioth. Lipsiæ. 1794.)

CAPUT PRIMUM.

Vita S. Augustini.

Natus est Tagastæ, obscuro Africæ oppido, in mediterranea Numidiæ parte, haud procul a Madauris et Hippone Regio sito, idibus Novembris anno CCCLIV, i. e. trecentesimo quinquagesimo quarto, parentibus honestis de Curialium, seu eorum qui munia publica procurabant in municipiis, numero, ut tradit Possidius. Pater erat Patricius, mediocri fortuna, sed liberali et propenso in omnes animo, simul tamen iracundus et ferox, ut ipsum pinxit Augustinus (*a*); fidem Christianam sub finem vitæ demum amplexus; mater Monica, clarissimum inter Christianos nomen, quæ liberos suos ab incunabulis statim religionis Christianæ sensu et amore imbuit. De infantia sua, prima educatione, et institutione deinde puerilis ætatis ipse plura retulit in Confessionibus, quam ad sequentia vitæ ejus acta illustranda opus erat et conducibile. Vividum fuit scilicet aut fervidum potius pueri et adolescentis ingenium, partim a sanguine parentis, partim cœli natura. Jam pater liberos suos, ut ex variis elucet, quæ memoriæ de eo Augustinus prodidit, medullitus amabat et in sinu gaudebat de quibuscumque aut ingenii aut corporis quas exsererent viribus; mater pia sane nec minus prudens, plurimum tamen indulsit appetitui filii, qui, si strenue litteras disceret, satis bene educari videbatur. Hinc semina ingentium vitiorum simul cum ætate maturescente succreverant, quæ si non ipsum penitus perdidissent, videbantur tamen a fide christiana abstrahere et plane reddere alienum. Postquam Madauris aliquamdiu Latinis imprimis litteris et oratoriæ artis elementis vacasset, nam Græcarum litterarum tum eum tædebat et postea nonnisi leviter eas attigit: Carthaginem missus est, ut eloquentiæ, qua sola tunc hominibus mediocri loco natis ad gloriam et opes aut in foro aut in academiis consequendas patebat via, studium excoleret; quem in finem, ut ipse narrat, pater gloriæ cupidus plus sumptuum, quam domesticæ paterentur facultates, ei suppeditabat. Ibi tum fiebat, ut, cum aliquantisper et urbis et commilitonum exemplis pellectus et suapte natura proclivis, nec angustias fortunarum sentiens, dissolutiori vitæ sese dedisset, annum vix decimum octavum natus *Adeodatum* filium ex concubina susciperet, quem puerum frugi et acris ingenii non semel in scriptis suis laudat et immatura morte in ipso adolescentiæ flore sibi ereptum doluit. Sed antequam ei hic puer natus esset, patre orbatus est, nec tamen magnam inde studiorum suorum jacturam fecit siquidem et mater quibuscumque posset modis necessaria ei prospexit, et Romaniani cujusdam, quem idcirco enixe prædicat, liberalitas effecit, ne ei quidquam non solum ad necessitatem, sed et jucunditatem vitæ deesset. Circa id tempus agebat vero ætatis annum undevigesimum, ad sapientiæ seu philosophiæ cognitionem se applicuit, incitatus subito libro Ciceronis, qui Hortensius erat inscriptus et ad sapientiam amplectendam hortabatur; quæ cogitatio sic totum eum cepit et ad tempus tenuit, ut sepositis extemplo oratoriis exercitationibus, omnes spes rationum suarum, quæ non cum illa conjungi posse, et ex ea quasi nasci viderentur, abjiceret et fastidiret; tamestsi deliberabundus adhuc velut inter anfractus et confragosa hæreret, qualis via sibi ingredienda esset. Ex una parte interiore quadam mentis agitatione, quam religionis aliquis sensus ex prima pueritiæ perceptione residuus tetigit et quasi afflavit, ad Christianam doctrinam ferebatur, ex altera parte variæ ac multiplices veterum Græcorum et Romanorum sapientium scholæ eum

(*a*) Conf. l. IX, n. 9 et 19.

363

invitabant. Sed cum semel inter hæc Scripturas sacras legere cœpisset, tantam subito eum cepit humilis earum et vilis, ut ipsi, Tullianam dignitatem spiranti, videbatur, dictionis tædium, ut non magis declinasse quam refugisse hanc semitam dici possit. Tradidit ergo se alteris, non tamen magistri alicujus institutioni confidens, sed suopte studio. Arripuit primum Aristotelis Categorias, quas a rhetore Carthaginensi magistro suo mirifice commendari audierat, easque solus non solum legit, sed percepit etiam, ut ex sermonibus cum iis, qui easdem in schola cum voce, tum figuris in pulvere depictis dicerant, institutis expertus est. Ab eo tempore pariter omnes liberalium artium libros per se ipsum legit, et intellexit quoscumque legere poterat, et quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum et de musicis et de numeris, sine magna difficultate et nullo hominum tradente. Per hanc ipsam de sapientia consequenda sollicitudinem incidit in Manichæos, quos postea, cum probe illos cognovisset, apte vocat homines *superbe delirantes, carnales et loquaces*. Nam cum nescio quam reconditam et abstrusam assectatoribus suis initiandis pollicerentur sapientiam : nugas et vana acumina venditabant, et sobrietatem castitatemque in ore gerentes vitam omni nequitiarum et turpitudinis genere commaculabant. Quæ quamquam Augustini perspicacem animum fugere non poterant, non impedire tamen potuerunt, quominus per novem integros annos, ingenti matris dolore, eos sequeretur. Quare quod ipsum in consortio eorum retinuit, nihil pene aliud fuisse videtur, quam spes jucunda, fore, ut superatis auditoris aliisque discentium docentiumque gradibus, ad mysteria tandem penetraret. Docuit interea temporis primum Tagastæ, quo ad tempus se contulerat, grammaticam, et postquam inde Carthaginem rediisset, ibi rhetoricam professus est. Scripsit tum quoque, anno ætatis vicesimo sexto aut septimo, primos libros suos *de Apto et Pulchro*, sed qui jam tum, cum Confessiones scriberet, interciderant. Inter hæc accidit, ut amici quidam ejus, qui Romam proficiscendi consilium ceperant, ipsi quoque, et honoris majoris et amplioris emolumenti in ea urbe, quæ litterarum studia præmiis uberrimis aleret et ubi juvenes magistrorum subsellia frequentantes morum modestia et studiorum quodam ordine longe a ferocia Carthaginensium abhorrerent, ostentatione, ut secum iter faceret persuaderent. Vix autem e matris amplexibus arte quadam se extorsit, et cum tandem Romam appulisset, gravi morbo, qui morti propinquum fecit, implicatus est, ex quo simul ac paulisper convaluisset, scholas aperit et discipulos longe quidem a Carthaginensium licentia alienos sensit; sed quod iidem pessime audirent ob turpitudinem, qua in fraudem magistri, cui mercedem deberent, quasi conspirarent, eumque, ubi aliquamdiu audiissent, desererent et ad alium transirent; et hæc sprevit. Posteaquam igitur Mediolanenses a præfecto urbis Symmacho petiissent, ut sibi rhetoricæ magistrum provideret, Augustinus hanc provinciam ambivit et dictione proposita probatus Mediolanum ab eo missus est anno circiter 384.

Hic vero locus fuit, unde totius vitæ ejus conversio et commutatio originem duxit. Nam cum Ambrosii urbis illius episcopi sermones, quos statis diebus ad populum habere solebat, nulla quidem ab initio alia de causa, quam ob eloquii suavitatem, frequentasset, sensim cum verbis res ipsæ animum ejus penetrarunt, et primum quidem Manichæorum dogmata, quæ diu quidem falsi convincere optabat, concusserunt; mox ubi ipse tandem omnibus ingenii animique viribus obniti cœpisset, funditus everterunt. Fuit sub recentem hanc de hæresi sua inveterata victoriam, cum mater ejus, quæ a prima filii in Italiam transfretatione consolari non potuisset, Mediolanum accederet; quam mirifica de novo rerum statu lætitia cepit. Sed etsi illam quidem hæresin exuisset et catholicæ fidei redditus videretur, incertus tamen, quem vitæ et studiorum cursum in posterum teneret, dubiorum aculeis et consiliorum celeri fluctuatione vexatus ac jactatus est. Animum modo huic, modo illi adjicit; quæ modo cœpisset, medio opere rursus dimisit et in aliis viam vix ingressus substitit. Erat vero nullus tum non solum in rebus suis, sed et in alienis casus tam fortuitus, quin nova aliqua sollicitudine animum ejus maceraret aut novo aliquo proposito accenderet. Non parum etiam aluit et auxit hanc animi concitationem et ex crebro sensuum impulsu et affectuum vehementia conflictuum Platonicorum lectio, cui plurimum tempus tribuebat. Addidit his Pauli epistolas, quarum obscurior sensus cum gravitate conjunctus facile intelligi potest, quantopere animum inter metus et terrores omnisque generis phantasmata suspensum percellere debuerit. His accedebant quotidianæ confabulationes cum Alypio et Nebridio familiaribus, quorum hic Carthagine Mediolanum nullam aliam ob causam se contulerat, quam ut ipsi adhærere posset, ille diu noctuque consilia de vitæ communione et perpetua invicem societate instituenda agitabat. Adde matris nullo non tempore quiescentem sollicitudinem, gemitus et preces, quas indefessa cum in templis, tum domi, pro filii salute ad Deum effunderet, et quæ Augustinum latere minime poterant, immo et ipsius cum eo conversationis partem plurimam efficiebant; itemque Ambrosii monita et cohortationes aut amicas reprehensiones : et intelliges, paucos futuros fuisse, quos tantæ animi perturbationes non fregissent et penitus oppressissent. Aliter tamen Augustino pro ingenii felicitate et ignea imaginationis ejus natura accidit. Nam cum ipse et Alypius a Pontitiano quodam, Afro genere, in palatio Valentiniani Mediolani militante, vitam S. Antonii enarrari audiisset, tantus ex ea auditione omnia mentis sensa et ideas superavit pectoris tumultus et exæstuans affectus, ut excluso omni rerum externarum impulsu, cœlum velut cogitatione

peteret, et numen ipsum quasi intercedere huic fremitui cogeret. Nam subito divinitus, ut ipsi videbatur, audita voce, omnis hic furor resedit et leniori-
bus de vitæ ratione conformanda deliberationibus locum fecit.

Primum igitur (accidit vero a. 386) omnibus terrestribus curis valedicere statuit, refugit consilium quod ipsi sederat novissimum, uxoris ducendæ, gloriæ item ex litteris capiendæ fastidium subiit, et insecutis mox vindemialibus feriis magisterio suo sese abdicavit; atque sic gravissimis muneris et cupiditatum vinculis exsolutus, in rus (villam *Cassiacum*) concessit, et in matris amicorumque congressionibus de quæstionibus utilibus nec raro subtilibus otium sanctum et Deo totum dicatum exegit. Varia, quæ ex illius cum amicis colloquiis per idem spatium enata et ab eo edita sunt opuscula, facile ex temporis quam singula in recensu præferunt nota cognosci possunt. Ex hoc recessu tandem Mediolanum rediit, ut sacrum baptismum per Ambrosium susciperet; quod contigit in Paschatis pervigilio, nocte ante 23 aprilem a. 387. Paulo post ipsi et amicis Alypio et Evodio, Tagastensi eodem, cum simul Deo servire unaque habitare proposuissent, eorumque omnium curam Monica, perinde ac si singulorum parens exstitisset, gereret, in Africam remeare ibique locum vitæ suæ instituto aptum quærere placuit. Cum eo erat Navigius frater et Adeodatus filius : sed cum ad Ostia Tiberina pervenisset, mater optima subito morbo correpta (paucis ut Benedictini supputant diebus ante idus Novembres a. 387) decessit. Dolorem ex ejus obitu sibi inflictum verissimis verbis expressit, dum *quasi dilaniatam sibi vitam, quæ una facta fuerit ex sua et illius* diceret (*a*). Jam vero hac tam dulci itineris comite orbatus, dilato ad tempus in Africam reditu, Romam divertitur. Ubi cum antea cum Manichæis familiarissime vixisset, iidemque interceptam discessu ejus consuetudinem revocare cuperent, ille vero refugeret iisque errores suos et pravitatem vitæ serio exprobraret, post varias ab initio velitationes, tandem in apertum illud adversus eos cunctos ac singulos bellum prorupit, quod sine ulla virium et animi relaxatione ad obitum usque acerrime voce et scriptis gessit. Scripsit itaque, Romæ constitutus, sine intercapedine libros, quorum fama mox omnem Africam est pervagata, *de Moribus Ecclesiæ catholicæ* et *de Moribus Manichæorum*, in quibus jactantiam eorum de falsa et fallaci sua continentia reprimere studuit; ibidemque opus de *Libero arbitrio* contra disputationes eorum de origine mali, quod illi ab immutabili quadam et Deo coæterna natura deducebant, ipse ex libero voluntatis arbitrio derivabat, inchoavit. Nondum autem in his libris (quorum primum tantum Romæ conscripsit, reliquos duos jam presbyter addidit) attigit quæstionem *de gratia Dei, qua suos electos sic prædestinasset, ut eorum, qui jam in eis uterentur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates*, quoniam id solum quæstionis erat, *unde malum* : non *unde redeatur ad pristinum vel ad majus perveniatur bonum* (*b*). At sæpe postea a Pelagianis ad hos ipsos libros, quasi eorum causam in iis egisset, provocatum est, nec parum ipsum sollicitum habuit in Retractationum libris, ut eorum quæ tunc disputasset, cum serioribus opinionibus suis nexum et quasi cognationem ostenderet. Roma digressus mense Augusto vel Septembre anni 388. Africam exeunte hieme appulit et per Carthaginem Tagastam petiit, ubi ruri, id est, agris paternis, qui hæreditario jure ipsi obtigerant (*c*), vivere constituit; ac transegit ibi fere triennium procul ab omnibus sæculi curis, meditationibus et exercitiis sacris vacans, ac nihil pene a monacho differens. Assumpserat vero ad idem vitæ institutum, quod ipsum, vel locum ubi degebant, *monasterium* appellat (*d*), amicos quosdam, quorum numerum augeri haud ægre patiebatur. Interim et scriptorum suorum, quæ identidem sat grandibus voluminibus emisit, et hujus speciosæ vitæ fama usquequaque adeo percrebuerat, ut et secessus ejus resonaret, et ipse ea loca, quibus episcopus deesset, accedere caveret, metuens, ne, si qui agnoscerent, invitus ad episcopatum traheretur. Tanto magis improvisum ei accidit, quod, cum amici cujusdam gratia, quem Deo se lucrari posse putabat, ut secum in monasterio esset, sub finem anni 391 Hipponem Regium, securus, quia episcopum locus haberet, adiisset, ibique Valerii interesset concionibus, subito ad monitum illius de ordinandi presbyteri necessitate, magno cum tumultu et clamore omnium raperetur et quantumvis repugnaret, crearetur presbyter. Ferunt tunc quosdam, cum lacrymas eum effundere vidissent, suspicatos, eas pœnitentiæ deberi, quod non continuo episcopus factus esset, studuisse consolari suggerendo, presbyterium quidem infra dignitatem ejus esse, proxime tamen ad episcopatum accedere. At alia et dignior ipsi erat lacrymarum causa, ut non semel in scriptis suis professus est. Quippe longe augustior et gravior ipsi quam vulgo plerisque eam ambientibus omnis hæc sacrorum officiorum provincia videbatur, et metuebat, ne tantum non in se præsidii haberet, quàm ad eam rite obeundam opus esset. Quapropter etiam id temporis, quod interesset ab ordinatione sua ad Paschatis festum a. 392, dari sibi ad præparandum optavit, et cum impetrasset,in solitudinem se recepit. Igitur muneris illius primordia ex hoc demum tempore juste repeti posse videntur. Prima autem ipsius cura fuit, ut Hippone quoque monasterium institueret, in quo vota ejus adjuvit Valerius, horto Ecclesiæ Hip-

(*a*) Confess., l. IX, c. 12, n. 30.
(*b*) Retract., l. I, cap. 9, § 2.
(*c*) Possidius in Vita Augustini, c. 3, narrat eum agros suos, simul ac Tagastam rediisset, vendidisse et pretium distribuisse pauperibus. Quod si vere ab illo proditum fuit, necesse est, eum vel in alienatis aut alienis plane degisse, aut saltem partem de suis retinuisse.
(*d*) Sermo 335, c. 1, n. 2.

ponensis ad hunc usum ei concesso. Aliam deinde et præclaram de Ecclesia bene merendi et simul nomen suum illustrandi occasionem nactus est per eumdem Valerium, eo quod ipsi coram se concionandi potestatem faceret. Quod quidem antehac a presbyteris fieri insolitum in Ecclesiis Latinis, mox ubi præivisset Valerius, Græcus natione scilicet et Latini sermonis usu tardior, plures per Africam episcopi imitati sunt. Nec vero desiit inter hæc et cætera muneris avocamenta scriptis insigniora fidei capita aut illustrare et apud suos corroborare, aut contra aliter ac prave sentientes astruere et defendere ; assiduum insuper ipsi cum amicis tam propinquis loco, quam remotissimis permultis, fuit commercium. Tanta vero fuit hujus presbyteri apud omnes etiam Africæ episcopos citra invidiam existimatio, ut summa dignitate inter eos viri, veluti Aurelius, consilia ejus lubenter admitterent, et cuncti adeo in concilio Hipponensi a. 393, sine exemplo coram ipsis *de fide et symbolo* sermonem facere eum juberent. Quibus omnibus de causis haudquaquam sane inanibus metuens Valerius, ne, sicubi episcopus deesset, ad Ecclesiam illam regendam subito evocaretur, petiit ab Aurelio Carthaginis episcopo totiusque Africæ primati, ut sibi liceret eum collegam et coepiscopum suum facere. Quod ubi impetrasset, mox clero et populo suo pluribusque episcopis præsentibus significavit et magno cum omnium consensu a Megalio episcopo Calamensi Numidiæ primati, cujus hæ partes erant, postulavit, ut episcopum ordinaret. Intercedebat quidem ejus ordinationi, criminis nescio cujus eum insimulans Megalius; sed ubi falsum illud esse, in hoc ipso litigio cognovisset, pœnituit eum calumniæ, nec diutius in ordinationem ejus consensum cohibuit. Sed et ipse Augustinus reluctabatur et non nisi prolatis variis, non Africanis modo, sed transmarinis exemplis, quæ ab Ecclesiæ consuetudine non abhorrere probarent, ut vivente adhuc episcopo alius eidem Ecclesiæ præficeretur, vinci potuit. Apte hoc loco ad ingenium hominis declarandum de recusatione ejus excidit Benedictinis : *Non minor erat ejus modestia et religio, quam tot illustrium virorum, qui ætate illa, ut episcopum susciperent, sicuti scribit* (*a*), *tenebantur inviti, perducebantur, includebantur, custodiebantur, patiebantur tanta quæ nolebant, donec eis adesset voluntas suscipiendi operis boni.* Contigit ordinatio ejus exeunte anno 395 aut sub initium sequentis. In hanc vero tam insignem dignitatem ipse tantum de suo transfudit honorem atque claritudinem, ut nullum eo illustriorem episcopum Ecclesia Latina noverit. Nam etsi jam ante susceptum episcopatum summa esset presbyteri celebritas, nec ipsos episcopos puderet ejus consilia et vota exsequi, nulla tamen erat auctoritas ejus legibus ecclesiasticis confirmata, circumscriptaque agendi licentia alieno arbitrio. Ex quo vero semel ad regendam Ecclesiam Hipponensem evectus est, ex ejus nutu atque ordinatione non solum Valerius coepiscopus, sed Aurelius etiam Carthaginensis episcopus et totius Africæ primas, totaque cum eo Ecclesia Africana, quin immo transmarinæ Ecclesiæ per totum Occidentem, plurimæque in Orientis partibus pependerunt.

Nostrum quidem in præsenti non est omnium ejus factorum gestorumque historiam contexere, quippe quæ cum universa temporum illorum ac eventuum serie tam arcte cohærent, ut sine accurata istorum enarratione parum concinne fieri possit, nec, si locus minus esset alienus, nostram operam post tot summorum virorum diligentiam requirant. Expectabitur vero imago viri, qualis ab hoc tempore fuerit, ex scriptis ejus gestorumque memoria expressa, in qua, si minus acute viderim, qui colorum delectus esset habendus, id reprehendi non ægre patiar. Ac primum quidem huc facit vitæ privatæ ejus consideratio. Natura vehemens erat, facileque sensibus commovebatur, ita ut quæcumque objicerentur, subito complecteretur, modumque non raro in fruendo excederet. Exercitiis ergo quotidianis huic animi morbo ac imbecillitati mederi instituerat, nempe contemplatione sui ipsius ac investigatione vitiorum, prece porro continua et studio amorem Dei in se augendi. Ac hoc postremum quidem potissimum fuit præsidium, quo contra cupiditatum impetus ac insidias uti soleret. Nimirum ut celeres istos sensuum motus et crebras vibrationes aut sisteret aut saltem præpediret, alio convertere opus habuit interna quadam contentione animique ad sublimiores cogitationes evectione aut potius raptu, quo plurimum omni tempore ac in omni contemplationis genere homines vividi ingenii potuisse compertum est. Nec vero iste nisus infirmioris erat cerebri, aut mentem ejus de statu deturbabat, sed utebatur etiam in his ratiocinatione quadam ipsi propria et velut ex perfecta cognitione et propiori aspectu inflammari videbatur. Hinc querebatur apud se de lassitudine sua, quæ impediret, quominus Deum, prout vellet, amaret. Metuens scilicet corporis imaginem in Deo concipere, sensu tamen amplecti cupiebat, quæ solius intellectus erant. Nam pulchritudinem et dulcedinem Dei laudat et in amplexus ejus vitam suam currere dicit et cum illo quasi amico et familiari blando sermone, colloquebatur (*b*). Nec tamen emen-

(*a*) Ipsius verba in *ep. ad Donatum* 173, n. 3.

(*b*) Confess. l. XIII, c. 8, n. 9 : « Da mihi te, Deus meus, redde te mihi : te enim amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia *male est* præter te, non solum extra me, sed et in me ipso, et omnis mihi copia quæ Deus non est, egestas est! » Ibid. lib. eod. cap. 29, et sq. fin. : « Et attendi ut invenirem, utrum septies vel octies videris, quia bona sunt opera tua, cum tibi placuerunt : et in tua visione non inveni tempora, per quæ intelligerem, quod toties videris, quæ fecisti. Et dixi, O Domine, nonne ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam? Cur ergo

dare inter ea cessavit, quotquot in se deprehenderet vitia, sed ita, ut non sibi illud arrogaret, sed Deum ipsum operari in se putaret, quo magis eum in dies vicissim amore complecteretur; indeque enata illa de operatione Dei in homine seu gratia divina effectrice opinio, quæ plurimum per totam vitam ejus dominata est. Cæterum erat affabilis et blandus, et tam singulis, quam toti Ecclesiæ suæ, bene cupiebat. Mores emendare haud postrema ejus erat cura, et nihil fucatæ tribuens religioni, bene discernebat, quæ ex recto animi proposito, quæve ex momentanea commotione aut levitate aliqua proficiscerentur : id quod tot ejus seu ad amicos, seu alios quoscumque, consilia, monita atque cohortationes per epistolas communicata declarant. Nec vero disciplinam Ecclesiæ severis legibus exercebat, et parcissimus erat in puniendo. Idem nec avarus in augendo Ecclesiæ patrimonio, quippe qui hæreditates non appeteret, quasdam vero sibi oblatas recusaret et redderet; quam ob rem a nonnullis etiam reprehendebatur, quod minus Ecclesiæ bonis prospiceret. Sed vitæ solitariæ ut antea cupidissimus, cum per episcopi negotia et officia humanitatis, quæ ipsi novum munus erga hospites injungebat, sequi illam minime posset, novum monasterium in ipsa episcopali domo constituit, unde juniores alumnos ad ministeria ecclesiastica subinde provehere solebat. Ac sane multifariarum rerum administratio cum episcopi talis loci munere in Africa erat conjuncta, in quibus tamen omnibus expediendis ita se gessit, ut numquam florentiorem Ecclesiæ Africanæ statum fuisse existiment quam cum ille summæ rerum non loci jure, sed per summam auctoritatem præesset. Nam et concionabatur non solum statis diebus absque intermissione, sed et alias creberrime et nunquam sine ingenti hominum confluxu et studio. Ipse autem summo ardore ac contentione ad fatigationem usque id agebat, ut verba sua in animos penetrarent, audientes percellerent, commoverent, incenderent (*a*). Præterea respondebat quotidie iis, qui vel præsentes, vel de privatis rebus, vel de Ecclesiæ et fidei rationibus, vel de moribus, vel denique, quod frequentissime fieri solebat, de locis biblicis ipsum consultabant. Ut nihil de iis dicam, qui more jam pridem in Ecclesiis inoleto in causis litigiosis, antequam in jure desuper contenderent, arbitrium episcopi deposcere solebant; cujusmodi interpellationes non exiguo ipsi temporis impendio constabant. Quæstiones autem illæ, quas diximus crebro ad eum deferri solitas, ex momentis fere levibus erant repetitæ et ab inani et frivola Africanorum sedulitate profectæ, de quibus vere si quid umquam Erasmus pronuntiavit : *Uberiores fructus nobis dedisset illud ingenium, si in Italia Galliave vel nasci, vel vivere contigisset. Rudis erat Africa, voluptatum avida, studiorum inimica, curiosarum rerum appetens. Unde frequenter illum exercent quæstionibus frivolis, nec multum facientibus ad pietatem : et ad suæ gentis affectus sæpe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo senticeto tali opus erat agricola. Quamquam digniora lectu scripturus erat, si vel ad Romanorum aut Græcorum judicia se composuisset, vel minus indulsisset simplicium imperitiæ. Sed Christiana charitas prius habet prodesse quamplurimis, quam probari præcipuis, fraternæ salutis, quam suæ gloriæ sitientior. Quosdam autem, præcipue mulierculas pia quædam habebat ambitio, pulchrum esse ducentes, qualecumque scriptum impetrasse ab episcopo. Ita factum est, ut dum vir pius omnium votis obsequitur, minus alicubi satisfaciat lectori fastidioso* (*b*). Enimvero non inter Africam solum hæc insania erat domestica; sed in Italia etiam aliisque Occidentis provinciis erant, qui omnes ab eo veluti oraculo quodam quæstiones solvi atque explicari posse putarent, quibus non litteris solum, sed integris voluminibus sæpe respondere opus habuit, dum nemini non satisfacere non magis per summam charitatem, quam laudis ac honoris causa, cujus quidem ad finem vitæ appetentissimus mansit, cuperet. Publica deinde Ecclesiæ cura sæpe eum ad concilia et synodos vocabat, in quibus partim de disciplina atque moderatione Ecclesiæ in universum tuenda reparandave, aut de singulis consuetudinibus dis-

tu mihi dicis, non esse in tua visione tempora; et ista scriptura tua mihi dicit per singulos dies, ea quæ vidisti te vidisse bona sunt? Et cum ea numerarem, inveni quoties? Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus, et dicis voce forti in aure interiore servo tuo perrumpens meam surditatem, et clamans : O homo, nempe quod Scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, Verbo autem meo tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate consistit. Sic ea, quæ vos per spiritum meum videtis, ego video; sicut ea, quæ vos per spiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita cum vos temporaliter eas videatis, non ego temporaliter ea video. Et audivi, Domine Deus meus, et elinxi stillam dulcedinis ex tua veritate. »

(*a*) Digna sunt verba ejus, quæ a pluribus ac vulgo solet legantur ex libro de cathechizandis rudibus cap. 2, n. 3 : « Mihi prope semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero : quod ubi minus, quam mihi motus est, evolvero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo, ut qui me audit, intelligat; et sentio, me non ita loqui, ut hoc efficiam; maxime, quia ille intellectus quasi rapida coruscatione profundit animum : illa autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis; et dum ista volvitur, jam se illa in secreta sua condidit; tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis; atque ex iisdem vestigiis sonantia signa peragimus. *Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes*, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus. Et quia non succedit, angimur, et velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus; atque ex isto tædio languidior fit idem sermo et hebetior, quam erat unde perduxit tædium. *Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita frigidum esse eloquium meum, ut videtur mihi; et eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco;* mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. »

(*b*) In præfatione epistolis præmissa, quæ est in tomo II Opp. statim in aversa tituli pagina.

ceptabatur, aut de vita et moribus clericorum singulorum judicium fiebat, aut denique pro doctrina confirmanda custodiendaque consilia salutaria agitabantur, ac hæreticorum ac schismaticorum dogmata artesque damnabantur et impugnabantur. Interfuit igitur conciliis, de quibus quidem exploratum est, Carthaginiensibus, quarto a. 398, quinto eodem anno, sexto et septimo a. 419 in causa appellationum habitis; Africano tertio a. 401, et quarto a. 407; Collationi adversus Donatistas a. 411; Cirtensi contra eosdem a. 412, et Milevitano contra Pelagianos a. 418. Atque ut nulla harum synodorum acta clariora sunt, quam quæ ad hæresium impugnationem spectarunt, ita Augustini quoque nulla vel in iisdem, vel suopte consilio gesta illustriora, sunt, quam adversus suæ ætatis hæreticos.

Hic Schænemannus, suæ sectæ indoli nimium indulgens, S. Augustini contra hæresim nobilissimos agones tanta invidia prosequitur ut minus historicum quam sycophantam agere videatur. Quæ igitur illius Notitiæ supererant, nostrisque fuerant nimis fidenter inserta columnis, succidimus, atque ex Possidio, charta medicabili adhibita, supplemus, alibi dicta repetere quam hæretica proferre eligentes. EDIT.

« Docebat, *inquit Possidius*, et prædicabat ille privatim et publice, in domo et in ecclesia, salutis verbum cum omni fiducia adversus Africanas hæreses, maximeque contra Donatistas, Manichæos et Paganos, libris confectis, et repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis et collætantibus, et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. Sicque, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illic convalescentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa jacebat. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant : et quisquis, ut voluit, et potuit, notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta descripsit.

« Ejus dicta atque excepta, maxime Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quæ cum audissent, et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter ac leniter, et, ut scriptum est, cum timore et tremore salutem omnium operabatur (*Philipp.* II, 12) : ostendens, quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifestumque sit quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur. Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos, et eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi causæ diffidentia ne quidem unquam rescribere voluerunt : sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem et deceptorem animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et ut eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret, elaboravit : et publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre. Habebant etiam iidem Donatistæ per suas pene omnes Ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circumcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero et turbis per omnes pene Africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba et temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque in causis interdicentes hominibus : et nisi obedissent, damnis gravissimis et cædibus afficiebant, armati diversis telis, bacchantes per agros villasque, usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulo prædicaretur, et cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur, illi loquentem debellabant gratis. Et cum adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant et poterant, sese inde vel eripiebant vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ compacti faciebant; ipsisque sacerdotibus catholicis et ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam et multos Dei servos cædibus debilitaverunt. Aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

« Aliquoties vero etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas et exhortandas catholicas plebes; quot ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem : evenit enim Dei quidem providentia, sed ducatoris hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus, sacerdos quo tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi nec laicis nec clericis pepercerunt, sicut publica contestantur gesta.

« Inter ea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia viri studium domusque Dei zelum adversus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum et perfectum est. Cum forte unus ex iis quos de suo monasterio et clero episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, et quæ didicerat

pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, A factum est ut medio itinere eorum insidias incurrisset, et pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus et rebus, injuriis et cæde eum gravissima affecissent. De qua re, ne pacis ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit. Et præceptus est Crispinus, qui eisdem Donatistis in Calamensi civitate et regione episcopus fuit, prædicatus scilicet et multi temporis, et doctus ad mulctam teneri auratiam publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus præsentatus cum apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi recedente Ecclesiæ defensore, a catholico episcopo resisteretur, et convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat: quoniam si ab eodem dissimularetur, forte catholicus B episcopus ab ignorantibus hæreticus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac dissidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses episcopi venerunt et de ipsa diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum christianorum multitudine causæ exitum, et apud Carthaginem, et per totam Africam exspectante : atque ille Crispinus proconsulari et libellari sententia est pronuntiatus hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem catholicus episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur ; et ei est beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum Principem provocasset, et ab Imperatore relationi debitum C est responsum solutum, et consecutum est præceptum nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, et eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere. Ex quo et Judex, et Officium, et idem Crispinus, quod minime fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos episcopos, præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia : et Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentia et sancto studio magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur et multiplicabatur pacis unitas, et Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum est post collationem, quæ ab universis episcopis catholicis apud Carthaginem cum D eisdem Donatistarum episcopis postmodum facta est, id jubente gloriosissimo et religiosissimo imperatore Honorio ; propter quod perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententia Cognitoris notati sunt ; et post eorum appellationem, piissimi Regis responso juste inter hæreticos condemnati sunt.

« Adversus Pelagisnistas quoque, disputatores callidos, arte magis subtili et noxia scribentes, et ubicumque poterant publice et per domos loquentes, per annos ferme decem laboravit, librorum multa condens et edens, et in ecclesia populis de eodem errore frequentissime disputans. Et quoniam iidem perversi Sedi apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur, instantissime etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papæ Urbis, et prius venerabili Innocentio, et postea sancto Zosimo ejus successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica et abominanda et damnanda fuisset. At illi tantæ sedis antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris et ad Africanas Occidentis, et ad Orientis partis Ecclesias, eos anathemandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, innotescente et prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

« Et erat ille memorabilis vir, præcipuum dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in Hipponensi Ecclesia et regione, cui maxime præsidebat, unitate ac pace perfecta ; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, et multiplicatum fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, et Paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens : profectibus quoque et studiis favens erat et exultans bonorum omnium ; indisciplinationes pie ac sancte tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis mœrens.

« Vestes ejus et calceamenta vel lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum : quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere ; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes : at iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Olera et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat, quia noverat, et docebat, ut Apostolus dicit, quod *omnis creatura Dei bona sit, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (I *Tim.* IV, 4, 5). Et, ut idem Augustinus sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens : *Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne genus carnis quod cibo esset usui, manducare permissum ; Eliam cibo carnis refectum ; Joannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Scio et Esau lenticulæ concupiscentia deceptum ; et David prop-*

ter aquæ desiderium a se ipso reprehensum; et Regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 31, *n.* 23). De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis ac dicentis: *Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (I *Tim.* v, 23). Coihlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuerunt: non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed et hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Pauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus; hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus magis plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati; et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi et ministri viverent, quo in Vetere Testamento leguntur (*Deut.* xviii, 1), altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suspicere voluerunt. »

Sic Augustinus, solis hostibus fidei terribilis, per omnia sanctum, simplicem et mansuetum se præbebat, non minorem forte gloriam morum integritate meritus quam innumeris pene libris ipsius ingenium adversus hæreticos, schismaticos et paganos quasi ex inexhausto fonte protulit. Sed antequam gloriosissimi doctoris operum sub lectoris oculos index evolvatur, Possidium, nobis qualiter e vita excesserit narrantem audiamus. Edit.

« Sane ille sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ divinitus condonata, vixit annis septuaginta et sex, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit, ultima qua defunctus est ægritudine: nam sibi jusserat psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones acens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, et legebat, et jugiter ac uber tim flebat: et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est: et omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter et fortiter, sana mente, sanoque consilio in ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis astantibus, et videntibus, et cum eo pariter orantibus obdormivit cum patribus suis, enutritus in bona senectute; et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero Ecclesia, vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit, quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris, erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum continentium cum suis præpositis plena, Ecclesiæ dimisit, una cum bibliothecis, libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit noscitur, et in his semper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam secularium quidam poetarum, suis jubens quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit dicens,

Vivere post obitum vatem vis nosse viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est.

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus et charus sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, recte ac sane, fidei, spei, et charitatis catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur: quod agnoscunt qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia præsentem audire et videre potuerunt, et ejus præsertim inter homines conservationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno cœlorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit (*Matth.* xiii, 52, 45 46): verum etiam ex iis ad quos scriptum est, *Sic loquimini, et sic facite* (*Jacobi* ii, 12); et de quibus Salvator dicit, *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). »

CAPUT II

Scripta S. Augustini.

§ I. Scripta Augustini genuina, servato Retractationum ordine, quem similiter auctores Magnæ Bibliothecæ Patrum secuti sunt.

Contra Academicos libri tres post librum *de Pul-*

chro et Apto deperditum, primi omnium sunt, A scripti a. 386.

2. *De Vita beata* liber, dialogis tribus constans, eodem a. 386, non post libros *contra Academicos*, sed inter illos scriptus.

3. *De Ordine* libri duo, dialogi quatuor, eodem tempore, quo præcedentes scripti.

4. *Soliloquiorum* libri duo sub initium a. 387.

5. *De immortalitate Animæ* liber, a 387.

6. *De Musica* libri sex a. 387 Mediolani inchoati, a. 389 in Africa absoluti.

7. *De Moribus Ecclesiæ catholicæ* | Libri duo Romanæ versus initium a. 388
8. *De Moribus Manichæorum* | scripti.

9. *De quantitate Animæ* dialogus ibidem, eodem tempore conscriptus. B

10. *De libero Arbitrio* libri tres, quorum primum Romæ a. 388 inchoavit, duos posteriores Hippone presbyter ordinatus, absolvit a. 395.

11. *De Genesi adversus Manichæos* libri duo quos in secessu prope Tagastam scripsit circa a. 389.

12. *De Magistro* liber ibidem et eodem a. 389 scriptus.

13. *De Vera Religione* eodem a. 389 vel 390 scriptus.

Hi libri una cum n. 35, in *I tomo* editionum *Erasmi, Lovaniensium et Benedictinorum.*

14. *De Utilitate credendi* liber Hippone a. 392 exaratus. Exst. in edit. *Erasm.* et *Lovaniens.* tomo VI, Bened. VIII.

15. *De duabus Animabus* liber eodem a. 392 confectus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* t. VI, *Bened.* VIII. C

16. *Acta* contra *Fortunatum* quemdam Manichæorum presb. quocum disputaverat d. 28 et 29 Aug. a. 392. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

17. *De Fide et Symbolo* liber natus ex sermone, quem coram episcopis in concilio Hipponensis a. 393, presbyter adhuc, habuit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VI.

18. *De Genesi ad litteram* liber imperfectus circiter a. 393 scriptus. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* tom. III.

19. *De sermone Christi in monte* ad Matth. c. v, vi, vii, libri duo circa a. 393. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III. D

20. *Psalmus contra Donatistas* a. 393. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, part. i, *Bened.* IX.

[21.] Ad eumdem fere a. 393 referendus est liber deperditus *contra Epistolam Donati*, Carth. episc. schismatici. Nam proxime post *Psalmum* ponit *Augustinus* Retract. i, 21.

22. *Contra Adimantum* liber a. 394. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

23. *Expositio quarumdam Propositionum* ex Epist. Pauli ad Romanos. Dedit Carthagine adhuc presbyter a. 394. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

24. *Expositio Epistolæ ad Galatas* eodem circiter anno scripta. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

25. *Expositio Epistolæ ad Romanos inchoata* sub idem fere tempus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV. *Bened.* III.

26. *De Mendacio ad Consentium* liber a. 395. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

27. *De Continentia* liber *in Ps.* CXLI, 3, 4, scr. c. a. 395. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

28. *De diversis Quæstionibus* LXXXIII, sive *Responsiones ad Quæstiones* LXXXIII. Has Augustinus a fratribus interrogatus, nullo observato ordine, dictavit in Africa c. a. 390. Episcopus vero factus, eas colligi jussit, et unum ex iis librum fieri curavit a. 398. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

29. *De diversis Quæstionibus* VII libri duo. Qui primi omnium sunt, quos episcopus scripsit *Augustinus* ad *Simplicianum* Mediol. episc., qui S. Ambrosio suffectus est a. 397. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

30. *Contra Manetis* Epistolam, cui titulus *Fundamenti* liber scriptus circiter a. 397. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

31. *De Agone Christiano* a. 396 conscriptus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VI.

32. *De Doctrina Christiana* libri quatuor. Hos inchoavit circa a. 397 ; verum ad tertii libri caput tertium absolvit, tribusque quartum addidit a. 426. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. III.

[33]. Ad a. 398 referendi quoque *Contra partem Donati* libri duo, quorum meminit Retract. i, 5. Sed non amplius exstant.

34. *De fide rerum, quæ non videntur.* Hunc tractatum *Erasmus* et eum secuti *Lovanienses* tamquam spurium et ex *Augustini* scriptis consarcinatum rejecerant; *Benedictini* vero pro genuino receperunt. Videtur ad a. 399 referendus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, Append. *Bened.* tom. VI.

35. *Confessionum* libri tredecim circa a. 400 scripti. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. I.

36. Contra *Faustum* Manichæum *Disputationes* seu libri triginta tres. Opus absolutum c. a. 400, quod ad *Hieronymum* misit a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

37. *De actis cum Felice Manichæo* libri duo sunt *acta Collationis* quam cum eo habuit *Augustinus* Hippone mense Decembri a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan*, tom. VI, *Bened.* VIII.

38. *De natura Boni* liber adversus Manichæos scr. post a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

39. *Adversus Secundinum Manichæum* liber scr. a. circiter 405. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

[40] Hic referendus esset, si exstaret, quem contra *Hilarium* quemdam virum tribunitium laicum ca-

tholicum scripsisse se testatur Retract. lib. II, cap. 2.

41. *Quæstionum Evangelicarum* XCVIII libri duo, quos festinanter admodum scripsit *Augustinus* post a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

42. *Annnotationes in Jobum*, scriptæ versus a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

43 *De Catechizandis rudibus* liber post a. 400 scriptus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

44. *De Trinitate* libri quindecim a. 400 inchoati, a. 416 absoluti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VIII.

45. *De Consensu Evangelistarum* libri quatuor versus B a. 400 scripti, quos inter scribendum libros de Trinitate composuit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

46. Contra *Parmeniani*, Donati in sede Carthag. successoris, *Epistolam ad Tychonium* scr. c. a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

47. *De Baptismo* libri septem eodem tempore adversus Donatistas exarati. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

[48.] Sequitur in *Retractationum* serie, lib. II, c. 19, proxime liber, cui tit.: *Contra quod attulit Centurius a Donatistis*, qui non exstat.

49. *Ad Inquisitiones Januarii* libri duo, c. a. 400 C scr. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. II.

50. *De Opere Monachorum* liber jubente *Aurelio*, episc. Carthag. c. a 400 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tam. III, *Bened.* tom. VI.

51. *De Bono conjugali* liber adversus Jovinianum a. 400 scr. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. VI.

52. *De sancta virginitate* liber scr. an. 401. Exstat in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. VI.

53. *De Genesi ad Litteram* libri dnodecim a. 401 inchoati, absoluti a. 415. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. III.

54. *Contra Litteras Petiliani Donatistæ*, Cirtensis vel Constantiniensis in Numidia episc., libri tres. D Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

55. *Ad Catholicos Epistola contra Donatistas*, vulgo de *Unitate Ecclesiæ* liber, qui a quibusdam non *Augustini* putatur, a *Dupinio* tamen ei asseritur et ad a. 402 refertur. Exst. in ed. *Ersam.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

56. *Contra Cresconium Grammaticum*, qui *Petiliani* causam defendendam susceperat, libri quatuor, a. 406 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

Hoc loco subjungendi fuissent, si exstarent, libri tres subsequentes, quorum Augustinus meminit Retract. II, c. 27, 28, 29, scilicet,

[57.] *Liber Probationum et testimoniorum contra Donatistas.*

[58.] *Contra nescio quem Donatistam.*

[59.] *Admonitio Donatistarum de Maximianistis.*

60. Liber *de Divinatione Dæmonum* scr. inter a. 406 et 411. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Bened.* VI.

61. *De sex quæstionibus contra Paganos* expositis liber ad *Deogratias* presbyterum, c. a. 408 scr. videtur. Meminit *Augustinus* Retract. II, 31. Inter epistolas editus est (olim 49, nunc 102) in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

[62.] Sequitur in *Retract.* lib. II, 32, *Expositio Epistolæ S. Jacobi*, quæ non exstat.

63. *De Peccatorum Meritis et Remissione ac de Baptismo Parvulorum* libri tres, ad. *Marcellinnm*, scr. a. 412. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

64. *De unico Baptismo* liber eodem tempore scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

[65.] Quem post opus de *unico Baptismo* recenset *Augustinus* II, 35, liber de *Maximianistis contra Donatistas*, jam non amplius restat.

66. *De Gratia Novi Testamenti* liber ad *Honoratum* scr. c. a. 412. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

67. *De Spiritu et Littera* liber ad *Marcellinum* a. 412 vel 413 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Bened.* X.

68. *De Fide et Operibus* liber scr. a. 413. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

69. *Breviculus Collationum contra Donatistas* scr. sub finem a. 411. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

70. *Ad Donatistas* post dictam *Collationem* liber forte sub init. a. 412 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

71. *De videndo Deo ad Paulinam* liber. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

72. *De Natura et Gratia contra Pelagianos* liber a. 415. scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* T. X.

73. *De Perfectione justitiæ hominis* ad Eutropium et Paulum, episcopos Gallicanos, liber seu epistola scr. a. 415. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

74. *De Civitate Dei libri* viginti duo, ad comitem *Marcellinum*, quos aggressus est scribere *Augustinus* a. 413, post captam ab *Alarico*, Gothorum rege, urbem Romam; absolvit demum a. 427 vel 428. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. V, *Bened.* VII.

75. *De Bono Viduitatis* liber (seu epistola). Non meminit ejus in *Retractationibus*, sed a Possidio in indicem relata est. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

76. *Contra Priscillianistas et Origenistas* liber a. 415 scr. ad *Paulum Orosium* Hispanum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

77. *De Origine animæ* ad Hieronymum. Vid. infra n. 92.

78. Sequitur in *Retract.* lib. II, c. 46, liber ad *Emeritum*, Donatistarum episc., qui hodie non exstat. Cf. n. 85, 86.

[79.] *De Gestis Pelagii contra adversarios Gratiæ D. N. J. C.* liber a. 416 seu 417 scr. ad Aurelium, episc. Carthag. Exst. in *Supplem. Vignerii* T. I, p. 413 *sqq.*, et ed. *Bened.* T. X.

80. *De correctione Donatistarum* liber ad *Bonifacium* tribunum ac demum comitem in Africa scr. c. a. 417. Exstat inter epistolas olim 50, nunc 189, ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* T. II.

81. *De Præsentia Dei* liber *ad Dardanum* in Galliis præfectus scr. circa idem tempus. Exstat inter epistolas (olim 57, nuc 187) edit. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

82. *In Evangelium Joannis* tractatus CXXIV, quibus præfixa est *Præfatio* incerti auctoris. Sermones sunt ab *Augustino* pro concione habiti annis 416 et 417. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IX, *Bened.* III.

83. *In Epistolam I divi Joannis ad Parthos* tractatus X, sub idem tempus scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IX, *Bened.* III.

84. *De Gratia Christi et Peccato Originali contra Pelagium et Cœlestium* libri duo, circa medium a. 408 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* X.

85. *De gestis cum Emerito* Cæsareæ in Mauritania Donatistarum episcopo liber a. 413 vel 418 script.

86. *Sermo ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem* Emerito *præsente* habitus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

87. *Contra Sermonem quemdam Arianorum* sine Auctoris nomine liber a. 417 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

88. *De Patientia* liber vel potius Sermo scr. ut creditur, ante a. 418. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

89. *De Nuptiis et Concupiscentia* ad *Valerium* comitem libri duo. Prior scriptus est a. 418 exeunte, secundus a. 420. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* T. X.

90. *Locutionum* libri septem, c. a. 419 scripti. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* T. III.

91. *Quæstionum in Heptateuchum* DCLXV libri septem, eod. a. 419. scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* III.

92. *De Anima et ejus origine* libri quatuor a. 419 et 420 scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

Cæterum scripserat *Augustinus* a. 415 ad S. Hieronymum de *Origine animæ* librum, qui inter epistolas exstat ordine 166 in ed. Bened., alias 28, simulque alterum de sententia D. Jacobi apostoli II, 10 : *Qui offenderit in uno, factus est, omnium reus*, epist. 167, olim 29. Utramque tamquam libros recensuit *Augustinus* Retract. lib. II, c. 45.

93. *De Conjugiis adulterinis ad Pollentium* libri duo, scr. a. 419. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. VI.

94. *Contra Adversarium Legis et Prophetarum* libri duo, scr. a. 420. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

95. *Contra Gaudentium*, Thamuganensem epic. Donatistarum, libri duo, eodem a. 420 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

96. *Contra Mendacium* liber ad *Consentium* a. 420 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

97. *Contra duas Epistolas Pelagianorum* libri quatuor, ad *Bonifacium* I, episc. Rom., *Zosimi* successorem, scripti a. 420 vel paulo post. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan*, T. VII, part. II, *Bened.* X.

98. *Contra Julianum* libri sex a. 421 scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. I, *Bened.* X.

99. *Enchiridion* s. *Manuale* ad Laurentium, *de Fide, Spe et Charitate*, scr. 421. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan*, T. III, *Bened.* VI.

100. *De Cura pro mortuis gerenda* a. 421 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

101. *De octo Dulcitii Quæstionibus* liber scr. a. 422. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* L. IV, *Bened.* VI.

102. *Regula ad servos Dei* de tribus ultima (*a*), de qua dubitat *Erasmus*, licet indignam *Augustino* non judicet, asserunt plane *Benedictini*. Exstat in epistola 211 (alias 109), Sanctimonialibus ab ipso scripta a. 423 vel 424. Inde vero depromptam virisque aptatam fuisse dicunt. Ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. I.

103. *De Gratia et Libero Arbitrio ad Valentinum abbatem et monachos Adrumetinos* scr. a. 426 vel 427. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

104. *De Correptione et Gratia* liber ad monachos item Adrumetinos a. 427 scriptus.

105. *Retractationum* libri duo, in quibus *Augustinus* opera sua XCIV, in libris CCXXX, recenset ad annum usque 427, quo scripti sunt. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. I.

106. *De Hæresibus* liber intra a. 428 et 430 absolutus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

107. *Tractatus* s. *liber de Incarnatione Domini adversus Judæos* post librum de Hæresibus a Benedictinis ponitur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

108. 109. *Collatio cum Maximino Arianorum episcopo* librique duo *contra eumdem*. Collatio habita est a. 428, Hippone. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

110. *De Prædestinatione sanctorum* liber ad *Prosperum* et *Hilarium* scr. a. 428 vel 429. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovam.* T. VI, *Bened.* X.

111. *De Prædestinatione Sanctorum* liber secundus,

(*a*) De reliquis vide infra n. 21, 22, in *Dubiis*.

vulgo *de Dono Perseverantiæ* nuncupatus ad eosdem scr. a. 428 vel 429. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* X.

112. *Contra secundam* Juliani *responsionem, opus imperfectum sex libros complectens* scr. a. 428, vel 429. Exst. in *Vignerii Supplem.* T. II, *Bened.* ed. X.

113. *Speculum ex utroque Testamento* sub a. 427 scriptum, et a *Possidio* in *Indiculo* et *Vita Augustini* memoratum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Vignerii Suppl.* I, *Bened.* III.

114. *Examinationes in Psalmos Davidis* CL. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VIII, *Bened.* IV.

115. *Epistolæ* numero CCLXXI, juxta ordinem chronologicum a Benedictinis in IV classes dispositæ. Prima classis eas continet quas Augustinus nondum episcopus scripsit ab a. 386 ad 395. Secunda, quas ab eo tempore scripsit ante *Collationem Carthaginensem* cum Donatistis habitam et detectam in Africa *Pelagii* hæresin, i. e. ab a. 396 ad 412. Tertia, quas ab eo tempore ad obitum scripsit, nempe ab a. 511 ad 430. Quarta, eas quarum tempus minus compertum habetur, quas tamen omnes ab *Augustino* jam episcopo scriptas esse certum est. *Augustini* epistolis antea vulgatis paucæ hactenus ineditæ accesserunt in ed. Benedictinorum. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. II. Plures autem jamjam inter epistolas leguntur, quas tamquam libros *Augustinus* in Retract. recensuit, quas suis locis notatas videbis.

116. *Sermones.* Horum variæ exstant collectiones, quarum quinque sequentes (præter *Sermones ad fratres in Eremo*) prodierunt in ed. *Erasm.* Bas. 1529, tom. X.

1° *De Verbis Domini* sive *de Verbis Evangelii*, Sermones LXIV. Ex his Sermo 14, *Eradii* presbyteri est; 19, *Maximi* Taurinensis; 28, S. *Ambrosii* Mediolanensis episcopi.

2° *De Verbis Apostoli* Sermones XXXV. Ex his Sermo 25, *Maximi* est; inter *Ambrosianos* nonus.

3° *Homiliæ L, in quibus varia Scripturæ loca explicantur et Loci communes tractantur.* Harum quarta ex *Ambrosii* scriptis decerpta.

Collectiones istæ tres antiquæ sunt, ante annos quippe 800 factæ, Augustino tamen nequaquam æquales. Duæ sequentes autem summa incuria adornatæ sunt ab ed. Amerbachianæ curatoribus, nempe :

4° *Sermones de Tempore* CCLVI, ex quibus plurimi alios præ se ferunt auctores. Sermones vero 87, 215, 255, spurii habentur. Sermonem 191 Augustino abjudicat *Phil. Labbeus.* Eorum vero *nonus* est Sermo *Bernardi;* 11 *Maximo* tribuitur; 15 *Severiano* uti et *Fulgentio* ascribitur; 33 S. *Leonis* est; 37 *Maximi*; 48 ex *Hilario*, *Ambrosio* et *Augustino* hinc inde desumptus est : 63 *S. Leonis* est; 68, 77, 117. *S. Ambrosii*; 118 *Maximini*; 120 *Eusebio* tribuitur; 125 idem fere est ac *Symbolum Damaso inscriptum* inter Opera S. *Hieronymi*; 128, *Maximum;* 130 *Chrysostomum* auctorem habet; 136, 138, 156, 176, inter *Eusebianos* habentur; 177 *S. Gregorii* est; 173 ex ejusdem scriptis desumptus; 226, 228, 229, 242, ex *Ambrosii* scriptis.

5° *De Sanctis Sermones* LI, ex quibus Sermones 1 et 18 *Fulgentio* ascribunt nonnulli; sermo 22 e *Petro Ravennatensi* decerptus est; 26 inter *Ambrosianos* reperitur; 27 *Maximi* est; 30 et 31 spurii sunt, posterior inter *Ambrosianos* habetur, uti et sermo 33; 35 *Fulberti* est; 36, *Eusebii* episcopi; 37, *Alcuini* presbyteri, ex variis tamen consarcinatus; 47 etiam *S. Leoni* tribuitur.

6° *Sermones* alii XVII, ex quibus sex *de Tempore*, septimus *de Verbis Apostoli*, decem *de Sanctis* in editione Parisiensi 1531 primum editi.

7° *Sermones* IV, videlicet *de Jacob et Esau*, in festo *S. Vincentii*, in *Proverb.* XIII, in *Parabolam Seminantis*, et in illud *Math.* XVI, *Qui vult venire post me*, etc. Hi primum prodierunt (cum tractatu in *Orationem Dominicam*) in ed. Basil. 1556. Quibus accesserunt in ed. a. 1569.

8° *De Diversis* Sermones XLIII.

9° *Fragmenta Sermonum* S. Augustini XXVII, ex *Hugippii* abbatis *Thesauro* seu Collectionibus, ad *Probam* virginem, atque ex Commentariis *Flori*, Lugdunensis Ecclesiæ diaconi, in Epistolas Pauli, ex verbis *Augustini* sub *Bedæ* nomine inter ejus opera et seorsim etiam impressis.

10° *Sermones de diversis* CXXIII, a Lovaniensibus a. 1571 tomo X editi, annumeratis prædictis sermonibus XLIII. Ex his plurimos supposititios esse fatentur ipsi Lovanienses.

11° *Homiliæ* XI, a Parisiensibus editæ a. 1614, ex mss. Carthusianis, atque *aliæ* XIII, ex mss. Pithœanis.

12° *Sermones* XL de variis argumentis a *Jacobo Sirmondo* Jesuita primum editi cum notis Paris. 1631, in-8, « quorum nonnullos, ait *And. Rivetus* ut nolim negare *Augustinum* auctorem habere, maxime qui in Indiculo *Possidii* numerantur, alios tamen, qui e monachorum cryptis prodierunt, patietur editor apud nos esse suspectæ fidei, donec probationibus dignioribus nobis commendentur. » Inter hos autem XL Sermones habentur Homiliæ illæ XIII superius commemoratæ.

13° *Sermones* VI Romæ primum editi a. 1614. a *Joan. Bapt Maro* Romano, S. Angeli in Foro Piscium Canonico.

Quatuor posteriores Sermonum Collectionss recudit *Vignerius* parte I *Suppl.*; parte vero II alios XLVI, hactenus ineditos atque ex diversis Bibliothecis depromptos, addidit.

Cæterum in præcedentibus Sermonibus notari debet, non raro evenire, ut idem Sermo in diversis Sermonum Collectionibus bis vel forsan sæpius numeretur : quamplurimi vero ex aliis *Augustini* scriptis excerpti sunt. Sermones ex hisce aliquot spurios obiter notavimus : at cum longe accuratius

id præstiterint Benedictini, nos Censuram Sermonum ab iis latam in compendio exhibere ex re fore arbitrati sumus (*a*). Sermones itaque omnes quibus tomus V absolvitur (de quo vide infra ad ipsius editionis commemorationem) in quatuor classes redegerunt, *de Scripturis Vet. et Novi Testamenti*, *de Tempore*, *de Sanctis*, et *de Diversis* : quibus accessit quintus Ordo *sermonum dubiorum;* cum nonnisi *aperte supposititii* in Appendicem rejecti sint. Classes istæ quinque, Sermones complectuntur CCCXCIV, præter Fragmenta. In appendicem rejiciuntur, tamquam certo certius spurii, Sermones CCCXVII, ex Collectionibus supra memoratis hinc inde selecti ; nimirum ex vulgari Collectione Sermonum *de Verbis Domini* (vid. supra n. 1°), Serm. 3, 14, 19, 20, 22, 28, 34, 47, 52, 54, 56, 17, 58 ; *de Verbis Apostoli* (n. 2°). Serm. 21, 25, 26, 34, [35] ; *Homiliarum* L (n. 3°). Sermo 2, 3, 4, 6-10, 12, 15, 16, 21, 22, 26, 30, 31, 33, 35, 39, 45-48 ; *de Tempore* (n. 4°), Serm. 1, 2, 3 et omnes reliqui, præter quintum, 12, 16, 19, 20, 23, 25, 27, 28, 30, 31, 32, 34, 39, 42, 45, 49, 50, 52, 72, 74, 94, 96, 107, 109, 110, 113, 119, 135, 139, 140, 141, 143-149, 151, 155, 160, 164, 165, 170, 174, 186, 187, 196, 205, 212, 214, 220, 234-237, 245, [246, 254, 256. Sermones *de Sanctis* (n. 5°) omnes spurii sunt, præter quartum, 12, 17, 23, 24, 42, 45, 48, 50, 51. Inter Sermones XVII (de quibus n. 6°) spurii sunt 1, 2 (qui pars est Sermonis 51 in Collectione Benedict.), 7 (pars Sermonis 361), 35, 36 (pars Sermonis 279), 38, 65, 96, 97, 98, 99, 118 (pars Sermonis 325). Ex Sermonibus LXXVI, *ad fratres in Eremo commorantes*, etc., nonnisi sex in tomo V exhibent Benedictini, reliquos in sequenti. Ex his sex, spurii sunt *tres*, qui in vulgari Sermonum istorum collectione locum obtinent 56, 70 et 72. Ex Sermonibus ab *Hieron. Vignerio* editis *Supplem.* parte I, spurii sunt 3, 4, 5, 13, 14, 15, 17 18. In parte II spurii sunt 1, 2, 8, 10-14, 20, 23, 25, 26, 27, 29, 34, 36-39.

Denique rejecti sunt a Benedictinis inter Sermones tom. V libri aliquot ab *Erasmo* et *Lovaniensibus* intes tractatus repositi ; nimirum :

117. *De Epicuræis et Stoicis* in Act. XVII Apost. tractatus *non omnino malus, juxta Erasmum*, in censura huic præfixa, *sed nihil aut quam minimum habens Augustini*. Contra Benedictini judicant ; *et omnino bonum Sermonem, et nihil habentem nisi Augustini*. Ejus meminit *Possidius* in Indiculo cap. 1. Exstat in editione *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI ; *Bened.* V, serm. 150, class. 1.

118. In illud Exod. III, 14, *Ego sum, qui sum*, scilicet, *de rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur*. Hic tractatus in Erasmiana quidem editione incerti auctoris esse prænotatur : at in *Ulimmer.* et *Lovan.* tribuitur *Augustino*. Benedictini vero inter dubios parum abfuit, quin reponerent. Ibid. serm. 7.

119. *De decem Chordis* liber seu sermo a *Possidio* notatus in indice c. 8, atque ab *Eugippio* et *Floro* citatus. Ibid. serm. 9, *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX.

120. *De Pastoribus* } Uterque ad Ezech. cap. XXXIV.
121. *De Ovibus* } Ibid. serm. 47 et 48 contra Donat.

122. *De Convenientia decem plagarum et decem præceptorum.* Ibid. serm. 8. Hujus quoque meminit *Possidius* in Ind. c. 9, et ipse *August.* in ps. LXXVII, n. 27. Fragmentum repertum est inter Eugippii Excerpta in ms. Regio et Victorino.

§ II. Scripta deperdita.

Præter illa, quæ passim indicata sunt n. 21, 33, 40, 48, 57, 58, 59, 62, 65, 78, alia diligenter enotavit *Guil. Cave*, scilicet :

1. *Contra Paganos* libri tres, et *Exhort. ad eosdem.*
2. *De Sacrificiis spiritualibus contra Manichæos.*
3. *De Sacrificio vespertino*. Qui tractatus fortasse non alius est, quam sermo ejusdem tituli ordine 342, ed. Bened. ex *Sirmondianis* (olim 8us), in quo explicatur initium Evangelii Joannis.
4. *De Die Domini* secundum *Sophoniam* prophetam *contra Manichæos.*
5. Tractatus diversi *contra Arianos.*
6. Ad *Primianum.* Donatistarum Carthaginens. episc. *Commonitorium.*
7. *De Traditione in persecutionibus et de falso Baptismate contra Donatistas* libri tres.
8. *De Baptismo contra eosdem* liber.
9. *Ad Mercatorem* episcopum *contra eosdem*. Primum quidem prodiit in editione Benedictinorum ex pervetusto codice monast. S. Bertini in Belgio *Augustini* epistola (ordine 193) ad *Mercatorem*, eum procul dubio, cui *Mario* prænomen fuit, anno circiter 418 scripta, quam recensuit *Possidius* in Indic. c. 4, ejusdemque tertiam partem transtulit *Augustinus* in librum de *octo Dulcitii Quæstionibus* (de quo supra n. 101).
10. *De Charitate* tractatus diversi.
11. *Principia Geometriæ, Arithmetices, et Philosophiæ.*
12. *Epistolæ, Sermones et Tractatus* plures, quorum mentio habetur in Ind. *Possidii*, apud Bedam, ipsum *Augustinum*, et alibi.

§ III. Scripta Dubia, Supposititia, Spuria.

1. *De symbolo s. Regula fidei* ad Catechumenos libri vel potius sermones quatuor. Exstant in ed. *Erasm.* et *Lovan.* t. IX, *Bened.* VI, usque ad n. 8.
2. *Sermo de quarta Feria, sive cultura agri Dominici.*
3. *De Cataclysmo seu diluvio.*
4. *De Tempore Barbarico sive in tempus persecutionis Barbarorum.*

(*a*) Commode nobis datum fuit hoc loco diligentiam auctorum *Magnæ Bibl. Eccles. Colon.*, qui post *Caveum* et *Oudinum* hæc ex Benedictinis excerpserunt, in usum nostrum convertere.

5. *De novo Cantico et de reditu in cœlestem patriam ac viæ periculis*, sermo ad Catechumenos.
6. Sermo *de Disciplina Christiana.*
7. Sermo *de Utilitate Jejunii.*
8. Sermo *de urbis excidio.*

Quæ sequuntur, usque ad n. 15, exstant in append. tomi VI ed. *Bened.* n. 9, 10, 11, tom. IX ed. *Erasm.* et *Lovan.*

9. Sermo *de contemptu mundi*. Incerti auctoris. Item Sermo *de Vanitate sæculi*, qui ferme totus habetur in tractatu *de Rectitudine catholicæ conversationis*, de quo infra n. 61.
10. Sermo *De Bono disciplinæ.* Melch. *Goldastus* ab *Haiminsfeld* asseruit *Valeriano* Cemeliensi apud Alpes maritimas episc. sæc. v, ejusque etiam nomen præferunt fragmenta hujus opusculi in vetusto codice Colbertino reperta.
11. Sermo *de Obedientia et Humilitate.*
12. *Tractatus de Charitate*, s. de verbis psalmi, *Terra dedit fructum suum.*
13. *De Oratione et Eleemosyna* tractatus (seu potius fragm. majoris operis) ab *Hieron. Vignerio* editus tomo II Supplem.
14. *De Generalitate eleemosynarum.*
15. *Sententiæ Miscellaneæ.* Hæc omnia incerti sunt auctoris, nec Augustinum sapiunt.
16. *De Creatione primi hominis.* Totus insertus est hic liber in tractatu *de Spiritu et Anima* n. 67. Reperitur inter Opera *Ambrosii* sub tit., *Tractatus de Dignitate primi hominis*; et inter Opera *Alcuini* cum tit., *Cogitationes B. Albini Levitæ* in hæc Geneseos verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX Append.
17. *De Arbore scientiæ boni et mali.* Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* t. IX append.

Sequentia, usque ad num. 23, exstant in append. tom. I ed. *Bened.*

18. *De Grammatica* liber.
19. *Principia Dialecticæ et Rhetorices.* Libri tres.
20. *Categoriæ decem ex Aristotele decerptæ.* Quatuor isti tractatus, qui Augustino in præcedentibus editionibus ascripti erant (*Erasm.* et *Lovan.* t. I) a Benedictinis in appendicem rejectis spuriis accensentur (tom. XI).
21. *Regulæ Clericis traditæ* fragmentum.
22. *Regula secunda.* (*Tertia* est genuina, vide supra n. 102.) Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. I in append.
23. Liber *de Vita Eremitica* ad sororem, quem non edidit *Erasmus*. Exstat in append. t. I ed. *Lovan* et *Bened.* *Ælredi* Rievallensis est (qui sæc. XII vixit) juxta *Lucam Holstenium.* Tertia circiter pars in Operibus *Anselmi*, scil. Medit. 15, 16 et 17 exstant.

Quæ sequuntur, usque ad n. 26, in append. tomi II ed. *Lovan.* et *Bened.* exstant.

24. *Epistolæ* XVI mutuæ *S. Augustini* et papæ *Bonifacii I* brevissimæ, quas antiquas esse fatetur *Erasmus*, sed *Augustino* abjudicat; quod judicium *Bellarminus* et *Lovanienses* secuti sunt.
25. *Epistola ad Demetriadem. Pelagii* est, ut ipse Pelagius fatetur in suis ad *Innocentium* papam litteris.
26. Epistolæ mutuæ *SS. Augustini* et *Cyrilli de magnificis admirandisque S. Hieronymi virtutibus et miraculis.* Suppositiæ.
27. *Altercatio* seu *Collatio* S. Augustini cum Pascentio *Ariano* Hippone habita, præsente *Laurentio* judice delecto a *Pascentio*, viro spectabili. Non est *Augustini.*
28. *De Mirabilibus S. Scripturæ* libri tres. Incerti auctoris, qui post a. 700 vixisse perhibetur. Exst. in ed. *Erasm.* tom. III, *Lovan.* et *Bened.* ibid. in append., ubi et sequens.
29. *De Benedictionibus patriarchæ Jacob* opusculum. Decerptum est ex *S. Hieronymi* Quæst. Hebr. in Genes. et Moralibus *Gregorii M.* et *Alcuinum* auctorem habet.
30. *Quæstiones Vet. et N. Test.* in tres partes divisæ, quibus quartum superaddiderunt, XXV Quæstiones complexam, sed spuriam Lovanienses, *Hilario* diacono adjudicantes. Exst. in append. tomi IV ed. *Lovan.* et tomi III *Bened.*
31. *In Apocalypsin* D. Joannis Expositio sive Homiliæ XVIII. Fortasse *Tychonii* Afri Donatistæ. Notæ sunt ex *Victorino*, *Primasio* et *Beda* collectæ. Exst. in ed. *Erasm.* tom. IX, *Lovan.* ibid. in append., et *Bened.* III.

Quæ sequuntur, usque ad n. 65, exstant in append. tomi VI ed. *Bened.*, præter *Sermones ad Fratres in Eremo*, aliosque de quibus supra 9-15.

32. *Liber Sententiarum* s. *Quæstionum* XXI, ex *Augustino* aliisque nullo ordine ab auctore aliquo imperitissimo collectarum. Exst, in edit. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append., ubi et sequens.
33. *Quæstionum* LXV *Dialogus* ex variis *Augustini* libris maximam partem congestus.
34. *Liber de Fide* ad *Petrum* diaconum, olim inter opera Augustini impressus, ab Erasmo vero primum ei abjudicatus. *Fulgentii* est Ruspensis episcopi. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III in append., ubi et sequens.
35. *De Spiritu et Anima* liber. Continet Dicta et Collectanea ex multis et diversis auctoribus excripta.
36. *De Amicitia.* Nonnisi Epitome est trium librorum Ælredi Rievallensis de eodem argumento. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append., ubi et sequens.
37. *De Substantia dilectionis et amoris* liber. Duo libri in unum confusi. Auctores ignorantur.
38. *De diligendo Deo* liber, qui et *Meditationum* inscribitur. Conflatus est item ex variis libris *Hugonis Victorini*, *Bernardi* et *Anselmi* Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX in append., usque ad n. 48.
39. *Soliloquium animæ ad Deum*, liber. Ab auctore

incerto ex Augustino non modo, sed aliis etiam auctoribus, veluti ex *Hugonis Victorini* libro *de Arra Animæ* collectus.

40. *Meditationum* liber. *Lovanienses* inter genuinos *Augustini* fetus reliquerant, neque de eo aliud pronuntiaverant, quam quod antea dubitans incertusque *Erasmus* dixerat, auctorem esse vel Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legisset. Collectus est potissimum ex *Anselmi* scriptis ab auctore XII sæc., nec non ex Joannis abbatis Fiscamensis opere.

41. *De Contritione cordis* liber. Auctor sæc. XII consarcinavit ex *Anselmi* et *Hugonis de S. Victore* operibus.

42. *Manuale*. Opusculum ex variis antiquioribus et sæc. XI scriptis collectum: Augustino, Cypriano, Gregorio et Isidoro, Anselmo, Bernardo, etc.

43. *Speculum* sive *Manuale*, ut in aliquot codicibus inscribitur: et in cod. Bibl. Bernardinorum Parisiensis habetur sub titulo: *Libellus catholicæ fidei*, alterumque adjunctum habet opusculum. Hæc autem duo opuscula nihilo diversa sunt a part. I, II *Confessionis Fidei*, quæ cura *Pet. Franc. Chiffletii* Jes. sub Alcuini nomine prodiit. Certe auctor sæc. XII non antiquior.

44. *Speculum peccatoris*. Incerti auctoris est et sæc. XII non excedit.

45. *De triplici habitaculo* liber. Incerti nec ineruditi auctoris.

46. *Scala Paradisi*. Est *Gutgouis* seu *Guidonis* sæc. XII.

47. *De cognitione veræ Vitæ. Honorii Augustodunensis* putatur.

48. *De Vita Christiana*. Liber est *Fastidii* Britanni.

40. *Liber exhortatorius*, vulgo *de Saluturibus documentis ad quemdam comitem*. Paulino Aquileiensi seu Forojuliensi patriarchæ, qui sæc. VIII vixit, haud injuria asserunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append.

50. *De duodecim Abusionum gradibus*. Cypriano æque ac Augustino falso tribuitur. Auctor ignoratur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append.

51. *Tractatus de septem Vitiis et septem Donis Spiritus sancti*. Hugonis Victorini. Primus edidit inter *Sanctorum Patrum Monumenta* Paris. 1634 *Guil. Camerarius Scotus* Congreg. Oratorii presbyter. Theol. D. Paris., cum *Augustino* non ab antiquis mss. codicibus, sed tantum *a multis viris doctis* tribui dicens. Inde recepit *Vignerius Supplem.* tom. I. Sed quia inter opera *Hugonis* vulgo occurrit ibidemque alius affinis ei, et pars quasi quædam ejusdem, inscriptus: *De septem Peccatis mortalibus: contra quæ valent Orationis Dominicæ septem petitiones* reperiatur, omisere *Benedictini*.

52. *De Conflictu Vitiorum et Virtutum*. Ambrosii *Autperti* est sæc. VIII scriptoris. Hoc opusculum quatuor antiquis Ecclesiæ doctoribus tributum: Augustino primum in omnibus operum illius editionibus; deinde *S. Leoni* papæ in ed. Psris. 1511; postea *S. Ambrosio* Med. ep. in ed, Rom. 1585, in qua *ad Simplicianum* inscribitur; denique et *S. Isidoro Hispalensi* in ed. Matrit. 1599, et Paris. 1601. Sed plurimum decepit *Sigebertus Gemblacensis de Vir. ill.* c. 55, deceptus ipse falsa vet. aliquot codd. inscriptione, qui nomen Isidori habere dicuntur. Exst. in ed *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append., ubi et sequens.

53, *De Sobrietate et Castitate*. Ignoti auctoris, sed antiquus liber et elegans, judice *Dupinio*.

54. *De vera ac falsa Pœnitentia ad Christi devotam*. Totus fere hic liber cum *Augustini* nomine in Decreta *Gratiani* et in Sententias *Petri Lombardi* translatus est. Tribuerunt postea eidem *Petrus Blesensis, Vincentius Bellovacensis* et *Thomas Aquinas*. Inter recentiores de auctore a *Trithemio* inde disceptatum est. Vicit tamen probabilior sententia. auctorem esse ab Augustino diversum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV append.

55. *De Antichristo*. Plerumque *Alcuino* tribui solet. inter cujus opera integer, hic vero et apud *Rabanum Maurum* imperfectus exstat. Sæculo nono asserendus videtur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append.

56. *Psalterium*, quod matri suæ composuisse fertur Augustinus. Sed in ms. cod. Regio 4373 inscribitur: *B. Joannis papæ factum apud Viennas*. Hic autem *Joannes* creditur esse nomine XXII. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append., usque ad n. 61.

57. *Cantici* Magnificat *Expositio*. Ex *Hugonis Victorini* tractatu in hunc hymnum decerpta.

58. *De Assumptione B. Mariæ Virginis* liber seu potius sermo. Auctor creditur *Fulbertus Carentensis*, qui ineunte sæc. XI vita functus est. Alii codd. *Ambrosii Autperti* (sæc. VIII) nomen præferunt.

59. *De Visitatione infirmorum* libri duo.

60. *De Consolatione mortuorum* libri s. sermones duo, ex Joanne Chrysostomo forsan decerpti.

61. *De Rectitudine catholicæ conversationis*. Exstat in lib. II Vitæ *S. Eligii*, Noviomensis episc. per *S. Audoenum* Rothomag. descriptæ. Alii tamen ex ipso Eligio (sæc. VIII) et *Cæsario* Arelatensi (sæc. VI) collectum volunt.

62. Sermo *de Symbolo*. Integre collectus ex Symbolo Rufini Aquilei. presb. ex Homiliis S. *Cæsarii* papæ et *Yvonis Carnotensis* (sæc. XI et XII). Insuper etiam complectitur totum Sermonem 242, qui exstat in *append.* tom. V ed. *Bened.* membratim dissectum.

63. Sermo *in pervigilio Paschæ de esu agn.* Reperitur etiam inter *S. Hieronymi* suppositilia.

64. Sermo *in Ps.* XII, *ad Neophytos*, qui et *Hieronymo* falso tribuitur.

65. Sermones tres *de Ritibus et Mysterio Baptismatis*. Hoc primus evulgavit *Sirmondus* in append. post Sermones XL, sed minime *Augustini* esse arbitratur.

Sequentia usque ad an. 77 in *append.* tom. VIII, ed. *Bened.*

66. *Adversus quinque hæreses*, seu *contra quinque hostium genera tractatus*, scilicet adversus Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, et Arianos. Hunc Erasmus hominis eruditi, arguti et facundi esse censuerat, non tamen *Augustini*, nisi forte, ait, juvenis scripserit. *Augustino* sine cunctatione adjudicant *Bellarminus*, *Lovanienses*, aliique. Bedæ auctoritate. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI.

67. *Contra Judæos, Paganos et Arianos.* Sermo alius, ut videtur, ab illo, qui in Indiculo *Possidii* legitur, et quem ideo vere *Augustini* esse judicat *Bellarminus* : nam auctor istius exscripsisse videtur S. *Gregorium* tum in exordio, tum quædam ejusdem alia cap. 17. Exstat in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI.

68. *De Altercatione Ecclesiæ et Synagogæ* dialogus. auctoris sæc. XIII vel XIV, nam Joannis Scoti oocætaneum se fuisse testatur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI in append.

69. *De Fide seu unitate Trinitatis adversus Manichæos* liber. Hunc ex vetustissimi codicis Corbeiensis auctoritate *Evodio Uzalensi*, in Africa episcopo, asseruit *Jac. Sirmondus* Hist. Prædest. c. 1. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI.

70. *Commonitorium* (vulgo *S. Augustini* episc. *Ecclesiæ catholicæ*) *quomodo sit agendum cum Manichæis, qui convertuntur.* Sub *Augustini* nomine vulgatum est in append. ad T. X ed. *Paris.* 1586. Scriptum antiquissimum est, quod *Dupinius* concilii alicujus Africæ constitutionem putat.

71. *Contra Felicianum* Arianum *de Unitate Trinitatis* liber *ad Optatum.* Pronuntiavit olim Erasmus non esse probabile, hunc librum esse *Augustini* (cujus in Retractationibus non meminit). Dissimulata vero *Erasmi* censura librum istum Lovanienses inter genuinos *Augustini* fetus reposuerunt, *Bedæ*, *Lanfranci*, *Alcuini* et *Petri Lombardi* fere auctoritatibus ducti. Fortasse *Vigilii Tapsensis* est. Exst. in ed. *Erasm. Lovan.* T. VI.

72. *Quæstiunculæ de Trinitate et de Genesi*, quæ ex *Alcuino* descriptæ sunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, append.

73. *De Deitate et Incarnatione Verbi* ad Januarium libri duo, collecti ex Origenis opere περὶ Ἀρχῶν juxta versionem *Rufini* Aquilei. presb. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, append., usque ad n. 76.

74. *De Trinitate et Unitate Dei* liber. Distinctus olim fuit in capita 13, quorum 9 posteriora totum fere, sed contractum et interpolatum *S. Augustini* librum *contra Sermonem Arianorum* continebant. Capita autem priora quæstiones aliquat dialogi *Pauli Orosii* (qui exst. in append. T. VI) decurtatas et depravatas referunt.

75. *De Essentia Divinitatis* liber unus. Non Augustino tantum, sed multis aliis, Ambrosio, Hieronymo, Anselmo, Bonaventuræ tributus. Prima et maxima pars ex Eucherii Lugd. ep. opere *de formulis spiritualis intelligentiæ* sumpta.

76. *Libellus seu dialogus de Unitate sanctæ Trinitatis.* Ignoti sed antiquissimi auctoris. Exst. in append. ed. Paris. 1586.

77. *De Dogmatibus Ecclesiasticis* liber *Gennadii Massiliensis*, cujus sub nomine seorsim etiam edidit *Geverh. Elmenhorstius* Hamb. 1614, in-4°. Exst. T. III ed. *Erasm.* et *Lovan.* in append.

78. Sermo *de Rusticiano* subdiacono.

79. Contra *Fulgentium* Donatistam. Non Augustini, sed vetustissimi tamen auctoris, utpote qui concilium illud Carthaginense contra Cæcilianum viderit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, in append. part. I; *Bened.* IX, append.

80. *Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestianos* libri sex *Sixto* III P. R. (a. 432). *Garnerius* Jesuita, alii cum *Sirmondo*, *Mario Mercatori* tribuunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* E. VII, append. p. II; *Bened.* X, append., ubi et duo sequentes.

81. *De Prædestinatione et Gratia* liber, a nonnullis *Fulgentii Ruspensis* ep. creditus, ab aliis utroque et Augustino et Fulgentio abjudicatus.

82. *De Prædestinatione Dei* libellus, ignoti auctoris.

83. Hymnus : *Te Deum laudamus*, Ambrosio et Augustino simul tribui solitus, de cujus auctore certo nihil statui potest.

CAPUT III.

Variæ editiones operum S. Augustini.

PROŒMIUM.

Haud opus esse puto rei litterariæ et ecclesiasticæ historiæ studiosis, ut de ratione, qua tot tantaque, quibus Augustini scripta comprehenduntur, volumina ab ipsius inde auctoris manu propagata et ad typographiæ salutaria tempora servata fuerint sedulo disquirant : siquidem jam sua ætate cum fama ejus scriptorum exemplaria omnem pene orbem pervagata essent, et post obitum ejus nequaquam cessante eorum usu non defuerint, qui et conservandis et multiplicandis assidue studerent (*a*). Observat Fabricius (*b*), sæculis aliquot ab excessu ejus elapsis, tanto in pretio fuisse illa monumenta, ut eorum causa, cum in Hispania exemplaria deessent, circa a. 650, Taio Cæsaraugustanus episcopus Romam mitteretur. Sequioribus autem temporibus cum bonæ litteræ lumen suum benignum plane abscondis-

(*a*) In Hipponensi Bibliotheca magnam, immo pene omnium librorum Augustini supellectilem fuisse, quæ flammas etiam ac rapinas Wandalorum evaserit, multa, cum Augustini, tum aliorum loca testantur, et postremum quidem, hoc, quod Possidius ad illius intuitum indicem scriptorum Augustinianorum composuerit; de quibus omnibus adeant, qui tanti putant, Engelberti Klupfelii disp., *an et quomodo Bibliotheca S. Augustini incolumis servata fuerit in excidio Hipp.* 430, insertam ejusd. *Vet. Bibl. Ecclesiasticæ*, vol. I, part. I (Friburgi Brisg. 780, in-8°). p. 183, sqq.

(*b*) In *Bibl. Lat.* T. II, l. IV, c. 3, ed. Ven., p. 353

sent, hujus tamen libros non ex manibus monachorum excusos fuisse, non solum tot ex sæculo nono, decimo et sequentibus proximis reliqua mss. exemplaria loquuntur, sed documento sunt etiam varia illa *Collectanea* seu *Florilegia Sententiarum* et locorum insigniorum, quæ pusillo studio ex operibus ejus decerpta et compacta sunt, quorum, quod felici omine contigit, paucissima tamen typis sunt impressa, sed passim in bibliothecis justis tenebris premuntur (*a*). De Carolo Magno pervulgatum est Eginhardi testimonio, quanti libros *de Civitate Dei* fecerit. Sed quod paucis notum fuerit, Carolus V, rex Galliæ, virum inter doctos suæ ætatis longe eminentissimum Radolphum de Preulles stipendiis rege dignis adegit, ut idem opus in Gallicum sermonem transfunderet commentariis eruditis illustraret (*b*). Ex quo vero sæculo decimo quinto mira illa libros multiplicandi ars occœpit, inter primos statim, qui typorum formulas flagitarent, Augustinus fuit, nec ullus Latinorum scriptorum crebrius eo prelo deinceps mandatus est. Primum autem, quod staneis characteribus exscriptum est opus, fuit liber ejus *de Arte prædicandi* seu ultimus ex quatuor libris *de Doctrina Christiana*, circa annum 1465, *Argentorati* apud *Joannem Mentelinum*, quem eodem vel proximo statim anno repetiit *Joannes Fust Moguntiæ*. Jam vero a 1467 ex celebri illo *Sublacensi monasterio* prodiit primarium ejus opus *de Civitate Dei*, et sequenti statim proximoque anno *Romæ* ab iisdem typographis repetitum, cito omnes pene Italiæ officinas pervolitavit. Igitur excusum est eodem anno 1470 *Venetiis*, ibidemque bis 1475 apud *Nic. Jenson* et *Gabr. Petr. de Tarvisio*; *Romæ* 1474, apud *Udalr. Gallum; Neapoli* 1477; *Venetiis* 1486, 1489; *Tholosæ* 1488. Nec minus in Germania circa idem opus in prela incubuerunt, quamquam serius aliquando, cum jam remissior factus esset in Italia primus ille librorum excudendorum ardor. Unum solum novimus antiquius exemplar excusum a 1473. *Moguntiæ apud Petr. Schoiffer;* deinde *Basileensibus* signum extulit *Mich. Wenszler* a. 1479, quem decem annos post secutæ sunt *Amerbachianæ* impressiones, *Friburgensis* 1499, *Langendorfii* 1515, *Lugdun.* 1520. Exstat quoque *Lovaniensis* 1488. Germanicis vero plerumque adjuncti conspici solent commentarii *Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth*, quibus admodum tum delectatos fuisse videntur obscurioris hujus doctrinæ amatores, donec per *Ludovicum Vivem* sunt sepulti. Cum Basileensibus librorum *de Civitate Dei* editionibus hujus ætatis pari fere passu incedunt libri *de Trinitate*. Horum prima descriptio fuisse videtur *Venetiana* absque anni mentione per *Paganin. de Paganinis*, aut *Mediolanensis* per *Leonh. Pachel.* 1489. Fortasse autem Germania antiquiorem habuit in ea, quæ loci quidem et anni signo caret sed singularis vetustatis indicia habet. Eodem vero anno, quem Mediolanensis profert, prelo dedit *Jo. Amerbach* iterumque 1490, quæ sequentem habuit Friburgensem a. 1494, *Basileensem Langendorfii* 1515, et *Lugdunensem* 1520. Ad hæc prima circa Augustini libros studia pertinet porro in Germania editio libri *de Consensu IV Evangelistarum*, *Lavingæ* 1473. Item libri *de Fide et Operibus*, *Coloniæ eodem anno;* variaque ibidem minori forma excusa opuscula, quæ omnia ad eumdem annum redire videntur. Suppar iisdem fortasse, modo Germanica sit, *Confessionum* editio *loci et anni* indicio destituta, quarum vetusta admodum descriptio *Mediolani* facta est 1475, et mox *s. l.* 1482. *Sermones* etiam frequenter per hoc tempus prela exercuerunt, ex quibus antiquissimæ *Homiliæ* L. *Augustæ* per *Anth. Sorg.* 1475 excusæ, quas exceperunt *Sermones ad Eremitas fratres*, *Mutinæ* a. 1477; *Mediolani* 1484; *Brixiæ* 1486; *Venetiis* per *Pagan. de Paganinis* 1487; *ibidem* per *Vinc. de Benaliis* 1492; tandem *Amerbachiana Collectio*, inter quos recens farrago Sermonum *de Tempore* 1494 et 1495, repetita illa *Parisiis* apud *Jodoc. Badium* 1516, et *Hagenoæ* 1521. *Epistolarum* porro impressiones præter *antiquam loco et anno non insignitam* factæ sunt ab eodem, qui toties nobis laudandus est, *Jo. Amerbachio* a. 1493 et 1494, itemque *Enarrationes in Psalmos* repetitis vicibus a. 1489, 1493 (cujus anni Veneta etiam editio laudari solet), 1494, 1497, ex sua officina exire passus est, eumque secutus *Lugdunensis* artifex a. 1519. His insuper adde ingentem numerum eorum librorum, qui propter indiciorum et notarum defectum certo anno affigi nequeunt, cujusmodi non una exstat editio librorum *de Doctrina Christiana*, *de Quantitate animæ Soliloquiorum*, *Sermonum*, *de Trinitate*, *Confessionum*, *Epistolarum*, *de Consensu quatuor Evangelistarum*, *de Spiritu et Littera*, *de Civitate Dei; in Evangelium Joannis*, *Enchiridii ad Laurentium*, etc.; quos omnes suo loco diligenter notavimus et pro viribus descriptos dedimus.

Interea plurima etiam ejus opuscula colligi et in unum corpus condi cœpta sunt, licet in allegendis singulis non semper ratio quædam et consilium spectatum fuit, sed casui magis, qui varia invicem illius scripta sociasset, curatores obsecuti esse videntur. Primum in his locum sibi vindicant *Tractatus* a. 1484 *Venetiis per Andream de Bonetis de Papia* in-4° junctim editi, nisi iidem forte jam ex priori *Veneta* per *Octavian. Scotum* 1483 sint derivati, quod certo confirmare non possum; et *Argentinensis* editio per *Martin. Flach* a. 1489, et *iterum ibidem* excusa 1491. Posterior Veneta editione non parum auctior est, licet ultra dimidiam partem cum eadem egregie concordet, adeo ut difficile dictu sit, utrum vestigiis illius institerit, an incepto plane diverso sit adornata.

(*a*) Subjunximus infra quædam ex Oudino et M. Bibl. Eccl. Coloniensi de ejusmodi *Defloratoribus et Commentatoribus* tam antiquis, quam recentibus.

(*b*) De imperatore Carolo V, hujus nominis idem narrasse Gallum quemdam in *Ephemerid. Erudit.* (*Journal des Sav.*) 1666, 15. Mart., alicubi in *Bibl. Colon. Eccl.* legimus.

Utraque tamen talia complectitur opera, quæ non magna voluminis mole constant, certe non prolixiora libris *de Doctrina Christiana*, idque hoc imprimis respectu, quod illa vel seorsim jam prostarent, veluti *de Civitate Dei*, *de Trinitate*, *Enarrationum* in Psalmos libri, vel peculiarem sibi quæque postularent operam, qualem contigisse etiam *Epistolis* et *Sermonibus* vidimus. Eadem fortasse Veneta editio rescripta est *ibidem* apud *Dionys. Bertholdum* 1491, a qua distant editiones, *Parmensis* per *Angelum Ugoletum* et *Veneta* per *Pelegrinum de Pasqualibus*, utraque a. 1491, quas opinor exemplum præbuisse editioni *Jodoci Badii Ascensii*, excusæ *Parisiis* 1520 apud *Jo. Parvum* et adhibitæ diligenter a Patribus Maurinis. Nec silentio prætereundum est singulare ejusdem *Jodoci Badii* et *Augustini de Ratispona* consilium in colligendis edendisque sua opera correctis diversis *Quæstionum Augustini libris*. Prodiit hoc opus a. 1497. *Lugduni* per *Jo. Trechsel. in-fol.* eximia industria et multo cum judicio instructum.

His tandem omnibus præparatis *Jo. Amerbachius* de omni re litteraria et imprimis ecclesiasticis scriptoribus Latinis meritissimus, non ut aliorum frueretur diligentia, nam sua ipsius huc potissimum adducta res erat, sed ne incrementis litterarum, quæ matura videbantur, deesset, consilium *universorum Augustini operum per partes edendorum* cepit. Confecit igitur XI volumina, quorum octo prioribus omnia ipsius scripta ordine chronologico ad fidem Retractationum ejus disposuit addiditque tribus insuper, ea, quæ in Retractationibus vel omissa erant, vel serius elaborata. Simul vero ne moles in immensum cresceret et quod exemplaria haud dubie superessent, rationem habuit eorum, quæ antea seorsim ex sua officina protulerat, *Epistolasque*, *Sermones* et *Enarrationes in Psalmos* ab hac editione sejunxit. Prodiit hæc Amerbachiana *Basileæ* a. 1506, et magnis omnium, qui hasce litteras amabant, plausibus fuit accepta, recusa etiam *Parisiis* a. 1515. Videtur autem hæc editio plene omnibus desideriis satisfecisse. Nam ad annum usque 1529, non solum nihil innovatum est in Amerbachii instituto, sed singulatim etiam pauci iidemque minores Augustini libelli hoc intervallo temporis, *Coloniæ* imprimis 1527, *de Doctrina Christiana*, *de Spiritu et Littera*; 1528, *de Fide et Operibus*, *de Natura et Gratia*, etc. Item *Augustæ Vindelicorum* 1523, *de Fide et Operibus Enchiridion ad Laurentium*, et *Norimbergæ* denique, veluti a. 1524, de *Natura et Gratia*, evulgati sunt, quibus omnibus textus Augustini nihil incrementi cepit. Tanto benignior fortuna in libros *de Civitate Dei* omnia cumulavit, quæ per istam ætatem a doctorum hominum ingenio ac diligentia in exornando libro veteri exspectari poterant, siquidem *Jo. Ludovicus Vives* litterarum elegantiorum in Hispania et Belgio stator et vindex, in editione *Basileensi apud Probenium*, non modo textum ex codicibus mss. ad quorum usum magnam sermonis Latini et priscæ doctrinæ facultatem afferebat, dedit recognitum, sed commentario insuper illustravit, cui parem ubertate et elegantia in ullo prisco scriptore ne Itali quidem viderant; tantusque a cunctis ævi istius litterarum amatoribus honos habitus fuit, ut Erasmus novo in hoc opere labore supersedere se posse judicaret totumque in editionem suam reciperet.

Erasmiana autem illa recensio, quæ licet diversissima, pro more, experiretur judicia, studia tamen in hoc genere incredibile quantum accendit. Consilium soli Frobenio debetur, qui nullis hac in re sumptibus pepercit et hoc nomine tantum vitam sibi produci a summo numine optabat, ut hæc ad exitum perducta videret. Sed voti hujus compos non factus est, morte præreptus cum vix duo priores tomi absoluti essent. Dederat autem Frobenii precibus Erasmus, ut opus, cujus nonnisi partem exiguam in se recepisset, cum profligando nemo succedere vellet, totum tandem sustineret, eoque mortuo filiis ejus idem obsequium præstandum esse duxit. Tria igitur in hac editione feneratus est hic scriptor perquam magna ad promovendum ipsius studium. Primum munditiem a characteribus et chartis et justum aliquod decus in toto habitu ac descriptione. In Amerbachianis enim impressis, ut nemini ignotum esse potest, liberalior cultus merito desideratur, dum partim litteræ ad aspectum ingratæ sunt adhibitæ, partim charta adest crudior et omnia denique paginæ spatia adeo sunt oppleta, sordidum pene in eo se præbuisse Amerbachium dixeris. Deinde integra primum exhibet ipsius opera. Tertia denique dos fuit textus correctus a vitiis innumeris ex grammatico potissimum genere, et iis, quæ ab ignorantia antiquitatis et doctrinæ veteris orta videri poterant, tum nova partitio et judicia de iis, quæ aut omnino non genuina essent, aut saltem viderentur dubia.

Sæpius autem iterata et identidem aucta est hæc editio. Sic non contemnendis *Sermonum* accessionibus locupletata est *Parisiis apud Chevallonium* 1531-32, et *ibidem apud Carolum Guillard* 1541, nec non in singulis *Basileensium* repetitionibus, nempe 1541-43, cui suppetias tulit *Martinus Lypsius*; 1556, curante *Joanne Costerio*; et 1569, quæ ultima Frobeniana fuit absolutissima et nitidissima omnium, in quam etiam *Sermones* illi, quos primum ex mss. codicibus eduxit et *Lovanii* a. 1564 publicavit *Joannes Vlimmerius*, migrarunt. Porro recusa est etiam *Lugduni* 1561-62 in-8° et *Parisiis* 1571 in-fol., et impuras etiam *Venetorum* bibliopolarum manus passa a. 1545, 1552, 1570 et 1584. Cæterum Erasmianam recensionem sequuntur, quotquot ab ejus editione diversis in locis seorsim excusi sunt Augustiniani libelli, quorum haud exiguus quidem numerus fuit, sed nihil ex iis Augustini lectio lucri fecit. Frequenter imprimis lectitatæ esse debent *Confessiones*, quæ *Coloniæ* 1531 et 1569, *Lovanii* 1563 et 1571, *Antuerpiæ* 1567 et 1568 descriptæ sunt; item liber *de Spiritu et Littera* excusus *Parisiis*, 1558,

Witebergæ 1541, *Antuerpiæ* 1568; *de Fide et Operibus Parisiis* 1534, *Coloniæ* 1552, *Antuerpiæ* 1568; *de Consensu* quatuor *Evangelistarum Parisiis* 1538, et *Coloniæ* 1539; *de Cura pro mortuis gerenda Parisiis* 1543; *de Libero arbitrio, de Prædestinatione et Gratia Coloniæ* 1568; *de Natura et Gratia Antuerpiæ* 1568; *de Doctrina Christiana Venetiis* 1534; *Enchiridion ad Laurentium Coloniæ* 1532; item per *Lambertum Danæum Genevæ* 1575, cum Commentario repetito ibidem 1579, 1583, 1597. Idem Danæus anno post addidit librum *de Hæresibus*, qui pariter repetitus est a. 1578, 1593 et 1595. Denique iteratum quoque *de Civitate Dei* opus cum *Jo. Lud. Vivis commentario Parisiis* 1544 et 1555, *Basileæ* 1555 et 1570.

Sed nova repens Augustino lux oborta est per conjuncta *Theologorum* Lovaniensium studia in editione *Operum* ipsius *Antuerpiæ* apud *Christoph. Plantinum* a. 1577, XI tomis in-fol., publice proposita; in qua non solum critica apertior, sed præclarum etiam hoc, quod spuria dubiaque prorsus a reliquis separata, sua cuique tomo subjecta sint. Ut nihil de animadversionibus dicam aliisque commodis, quæ nulla non ætas in ea summopere probavit. Certatim ea expressa est et plerumque cum accessione aliqua: *Parisiis* 1586; *Genevæ* 1596; *Parisiis* 1603, 1604, 1613-14; *Coloniæ* 1616; *Parisiis* 1626, 1635, 1652. Subinde etiam extrinsecus augmenta quædam allata sunt, veluti a 1614, cum primum librum *de Gestis Pelagii* ex codice ms. ex Italia sibi transmisso *Augustæ Vindelicorum* imprimi curasset *Marcus Velserus*. Similiter *Claudius Menardus* Andegavensis *Parisiis* a. 1617, primum publici juris fecit *duas libros priores contra secundum Juliani responsionem* quos denuo recognitioni suæ subjecit *Mich. Paludanus* Gandavensis *Lovanii* 1642. Porro *Jacobus Sirmondus* XL *Sermones* novos edidit Parisiis 1631, et *Joannes Marus Sermones* sex cum fragmentis aliquot *Romæ* 1644. Sed sequiores illæ repetitiones, utut auctiores sensim, propter vitia crebra multo primis sunt deteriores. Quare cum non sine manifesto damno sumptus in eas impendi cognovisset *Hieronymus Vignerius*, Congreg. Oratorii D. Jesu Paris. presbyter, subvenire studuit edito anno 1654 et 1655, duobus tomis *Supplemento omnium Operum Augustini ante a.* 1614 *impressorum*, quo comparato quamvis antiquiorem, seu Erasmi, seu Lovaniensium editionem absque damno, immo fructu majori, retinere studiosi possent. Simul *sex* libros *contra secundam responsionem Juliani* operis ejusdem, cujus duos libros primum ediderat Menardus, variosque insuper *Sermones* et *Tractatus* usque dum ineditos addidit. Ad exemplar Lovaniense se composuerunt, quæ ab extremo sæculo XVI usque ad finem XVII seorsim singula aut plura invicem juxta argumenti affinitatem excusa sunt Augustini scripta. Cujusmodi sunt *Confessiones*, *Wirceburgi* 1581, et *Turoni* 1588; *De Civitate Dei Antuerpiæ* 1600; *Genevæ* et *Lugduni* 1610; *Parisiis* 1613, 1636, 1651; *Francofurti* 1624; *Hamburgi* 1661; *de Doctrina Christiana Antuerpiæ* 1601; *Witebergæ* 1604; *Helmestadii* 1629 et 1655, per *Ge. Calixtum*; *de Unitate Ecclesiæ Moguntiæ* 1602, cum notis *Justi Calvini*, *Helmestadii* 1657, per *Ge. Calixtum*; item liber *de Utilitate credendi* per *eumdem*, *ibidem eodemque anno*, et postea *Lavanii* 1680; *de Hæresibus*, *Helmestadii* 1621; *Oxoniæ* 1631; *Helmestadii* 1678, *cum Danæi comm.*; *de Fide et operibus Francofurti* 1652; *Enchiridion ad Laurentium Witebergæ* 1604; *Parisiis* 1665; *Epistolæ Francofurti* 1678, selectæ *Flexiæ* 1638, et *Lovanii* 1662. Novam quidem *Confessionum* recensionem juxta plures mss. jactitavit *Henricus Sommalius* Soc. I, quæ dici non potest, quoties impressa sit et repetita *Lugduni*, *Coloniæ*, *Duaci*, *Dilingæ*, etc.; sed cui a criticis exiguum pretium statutum est. Nec vero momenti ullius sunt variæ illæ opusculorum *contra Pelagianos* collectiones, cujusmodi Parisiis 1644 et 1652, *Lovanii* 1647 et 48, *Romæ* 1652, *Bruxellis* 1654 et 1673, et *Lugduni* 1673, prodierunt. Sed quod miraberis, ex *Gallicis* aliquot *versionibus*, quæ frequenter intra hoc spatium provenerunt, præcipue *Arnaldinis*, fructus quidam ad textum hujus scriptoris confirmandum redundarunt.

Nova denique atque ultima series a Benedictinorum luculentissima opera orditur. *Conspectum* hujus editionis jam a. 1671 publice proposuit vir doctus Congregationis Maurinæ, qui curam illius in se receperat, sed paulo post a Congregatione pulsus, aliis eam provinciam cedere coactus fuit *Franc. Belfau.* Tradita deinde est *Thomæ Blampino* et *Petro Coutantio*, quibus per occasionem alii quidam sodales diligentiam suam commodarunt. Sed Mabillonii partes in hoc negotio nullæ fuerunt, præterquam quod epistolam nuncupatoriam ad regem Ludovicum XIV, cujus auspiciis totum opus gestiebat, elaborasse dictus est. A copiis criticis et diligentia editorum est consummatissima. Imprimis autem nova singulorum scriptorum ad temporum rationem discussio et spuriorum a genuinis discriminatio ecclesiasticæ historiæ studiis perquam salutaris commendatur. Recudi eam fecit et uno volumine variarum ad maxime illustres Augustini controversias dissertationum suarumque haud vulgaris notæ observationum auxit *Jo. Clericus Antuerpiæ* seu *Amstelodami* verius 1700. 1703, quo factum est, ut ad plures saltem inter Protestantes usus hujus editionis pertingere potuerit. Italis non æque placuisse videtur. Nam *Parisiensem* Benedictinorum, *autographo undequaque similem*, jam anno 1706 iterum prelo committere parabat *Joannes Bapt. Clarellus*, typographus Venetus, publiceque id consilium significavit misso ad eruditos Protreptico, in quo Antuerpiensis editio male ipsi ob fidem et voluntatem Clerici audiebat; quod turpe tamen quæstuosi mangonis artificium non opus erat, ut Oudini bilem moveret et ad Clerici patrocinium suscipiendum eum, ipsi minime faventem, impelle-

ret (a). Cæterum ignoramus, an Clarelli istud consilium successum habuerit, sed procul dubio haud multum ab eo abludit ea, quam a. 1729 et sequentibus ibidem prodire jussit *Joannes Baptista Albrizzi.*

Reliqua, quæ separatim a Benedictinorum inde ætate in Augustinum collata sunt, haud capiunt magnificam commendationem. *Duæ* quidem *Epistolæ ad Optatum*, altera *de Natura et Origine Animæ*, altera *de pœnis parvulorum, qui sine baptismo decedunt*, recens ex codice abbatiæ Gottwicensis in Austria inferiori erutæ sunt, *Viennæ* 1732 et *Parisiis iterum* 1734 impressæ. Memoratu etiam digna videtur *Jo. Schilteri* IC. editio libri *de Conjugiis adulterinis*, *Ienæ* 1698; a quibus cætera, veluti *Tricassini* ed. librorum *de Gratia contra Pelagium et Cœlestium*, *Mogunt.* 1687; *Liber de Hæresibus* Cantabrig. 1687 et Oxon. 1721; *Speculum Augustini* a *Tommasi* editum *Romæ* 1679; Confessiones cum prolixissimo *Franc. Archangeli de Præsentatione* commentario evulgatæ *Florentiæ* 1757, et libelli, quos nuper *Teegius* Thuringus ad Benedictinorum exemplum typographorum formulis exscribi fecit *Lipsiæ* 1767, 69 et 70 longo intervallo distant. In hoc tanto autem Augustini recentiori ætate neglectu optandum foret, ut, quod Parisinus quidam *Ph. D. Pierres* exorsus erat institutum, præclaro specimine in nitidissima *Confessionum* descriptione a. 1776 proposito, non deseruisset, aut alii in simili subsidiorum criticorum fortuna imitarentur.

Sed transeamus tandem ad *Annales editionum* Augustini, quos quidem ita descripsimus, ut I. *Scriptorum collectorum* a primis initiis. II. *Singulorum* juxta seriem consuetam a nobis proponerentur. Quibus omnibus absolutis paragrapho peculiari quædam non inutilia *de Epitomatoribus*, *Defloratoribus* et *Commentatoribus Augustini*, tam antiquis, quam recentibus, subjicientur. Ejusmodi autem scripta, quæ non tam explicandis aut commentandis certis Augustini libris inserviunt, quam de doctrina Augustini vel universa, vel de singulis illius capitibus sive instruendi, seu convincendi, aut alienas opiniones redarguendi causa tractant, intra limites operis hujus haud apte cogi posse arbitrati sumus.

ARTICULUS PRIMUS

Collectiones Operum et Opusculorum Augustini.

SÆCULO XV.

1473. *Coloniæ*, *in*-8° maj. Augustinus de Fide. Ab initio : *Incipit liber sancti Augustini ad Petrum Diaconum de fide.* In fine : *Liber iste S. Augustini de fide catholica ad Petrum Diaconum Coloniæ impressus est. In vigilia sancti Johannis Baptiste. Anno domini M. CCCC. septuagesimo tercio.*

Character hujus voluminis est Gothicus antiquus luculentus, charta densa, paginæ lineis latis 26 impressæ. Nullæ exstant paginarum foliorumve vel plagularum notæ. Distinctionibus, quas commata et puncta appellamus, inseruit lineola duplicata, qua alias grammatici in verbis bicompositis uti solent, quamque ὑφεν vocant. Tribuimus vero volumini locum inter opuscula propter sequentium cum eo similitudinem, quæ si non eodem anno, attamen ex eadem officina vere prodierunt, ut nunc quidem comparatione singulorum inter se inducti opinamur, et egregiam artis perfectionem in paucis plagulis ostendunt. Nempe tria, quæ sequuntur volumina, eodem charactere, sed nitidissimo et quo absolutius hoc in genere vix quidquam fingi possit, in charta longe optima et fulgenti, pagina lineas 27 complectente, impressa sunt. Cæterum characterum notæ nullæ prorsus cernuntur, nec loci, nec anni ullum indicium. Complectuntur autem :

1° Librum *de Agone Christiano* una cum ipsius de eodem judicio, *ex libris Retractationum*; librum *de Sermone Domini in monte habito*, cujus in fine ad calcem voluminis : *Explicit liber primus beati Aug. de Montana.*

2° Tractatum *de Fuga mulierum*; tr. *de Continentia*; librum *de Contemptu mundi*; *Epistolam beati Ieronimi ad Paulinum presbiterum*; *Sermones duos Augustini de communi vita clericorum* qui incipiunt, *Propter quod volui*, etc., *et charitati vestræ*, etc.

3° *Omelias* B. Augustini, et primo *de eo, quod Psalmista ait : Quis est homo, qui vult vitam et cupit videre dies bonos* ; — secundo *de eo, quod scriptum est : Esto consentiens adversario tuo*, etc. *Et qui odit fratrem suum, homicida est* ; — tertio *de eo, quod Dominus ait : Diligite inimicos vestros* ; — quarto *de eo, quod scriptum est in Ysaia : Clama, ne cesses* ; — quinto *de eo quod Apostolus ait : Radix omnium malorum cupiditas* ; — sexto *de eo, quod scriptum est : Beatus, qui post aurum non abiit* ; — septimo *de eo, quod Apostolus ait : Redimentes tempus cum dies mali sunt.*

Opuscula n. 2° et 3° exhibita commemorat etiam *Catal. Crevennæ novissimus* T. I, p. 106 et 107, additque.

4° Librum *de Disciplina Christiana* supra enumeratis plane conformem n. 470, et

5° *Sermonem* super *Orationem Dominicam*, nec non *Enchiridion ad Laurentium* ; n. 469 posteriores tractatus, quos omnes per *Ulricum Zel de Hanau* circa 1470 excusos esse statuit editor, secutus in eo judicium *Deburii* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val.* T. I, p. 172 sq., qui n. 478 posteriores hosce tractatus notavit, addens primum novem, alterum sex foliis constare. Ibidem n. 473, cum libris a nobis n. 2° commemoratis simul existunt et quidem ab initio.

6° *S. Augustini liber de Vita beata. Liber de Honestate mulierum. Libellus de Honestate vitæ.*

(a) Reperitur *Clarelli* epistola in *Actis Eruditorum Lips. Febr.* 1707, pagg. 94-96. Conf. *Oudinus Commentar.* tom. I, pagg. 985 sq.

1483.

Venetiis cura et impensis Octaviani Scoti civis Modoetiensis, in-4°, B. Augustini opuscula Ascetica minora. Recenset *C. Pray* in rarioribus libris Bibl. Budens. T. I.

1484.

Venetiis per Andream de Bonetis de Papia, in-4o. S. Augustini opuscula. In fine : *Explicit liber S. Augustini de vera religione, et de clericorum vita sancti Augustini, nec non cujusdam dignissimi tractatus de spiritu et anima. Que omnia in isto libro continentur : cum summa diligentia per M. Andream de bonetis de papia venetiis impressa fuerunt. inclito principe Joanne mocenigo venetiarum duce. M. CCCC. LXXXIIII. die XXII. Mensis Julii.*

Insunt eadem, quæ in editione sequenti Argentoratensis numeris 1-22. exhibentur. Hinc vero adjecta sunt : 23° *Eusebii Corradi* canonici regularis Lateranensis *Epistola ad Sixtum IV, R. P., de auferendo ab Ecclesia errore scribentium*, S. Augustinum fuisse eremitam ; 24° *Regula S. Augustini* ; 25° *Vita S. Augustini* scripta a *S. Possidio, episcopo Calamensi* ; 26° *Eusebii Corradi ad Sixtum* IV et Cardinales Annotatio, seu potius tractatus brevis *de errore scribentium, S. Augustinum fuisse eremitam.* 27° *Liber S. Augustini de Anima.* Diligenter hanc editionem jam ab aliis bibliographis obiter commemoratam recensuit *Cl. Seemiller* fasc. III, p. 7, quo duce nihil certius in lubrica, hac semita deprehendimus. Ab eo igitur docemur, omnia hæc opuscula eodem charactere, Gothico nimirum minuto, duabus columnis nitidæ ac firmæ simul chartæ impressa esse. Observat porro per priora viginti duo opuscula foliis superscriptos esse titulos, non item in reliquis. Litteras initiales, custodes et numeros paginarum deficere, easdem tamen esse signatas. In *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 379, laudatur a primo *Meditationum* opusculo. Nec raro etiam fit, ut singuli ex hac collectione libri tamquam seorsim h. l. et a. excusi, vel incuria scriptorum, vel quod avulsi a reliquo corpore interdum obveniant, commemorentur.

1489.

Argentorati per Martin. Flach. in-fol. *Aurelii Augustini opuscula plurima.* Hæc sola tituli instar pagina prima habentur, charactere Gothico majori impressa. In fine : *B. Aurelii Augustini Hipponensis episc. ac doctoris Ecclesiæ sanctissimi pariter et perspicacissimi : plurimorum opusculorum, nec non vitæ ejus a Possidonio conscriptæ : impensis et opera Martini Flach Argentinæ accuratissime impressorum. Finis Anno a nativitate Salvatoris M. CCCC. LXXXIX. XIII. kalendas Apriles.*

Hos juvat arguta scrutari indagine verum.
Illos Dulichio verba lepore tenent.
Ast aliis gratum est varios versare libellos.
Sunt quos scripta quibus non nisi sancta placent.
Quisquis es ex istis : paucis nummis eme multos
Aurelii libros : hancque levato sitim.
Nervosos cernes rationum viribus : atque
Ornatos : varios : de deitate simul.
Hos menda expertes tulit Argentina : premique
Martinus *docili* simus *ab arte dedit.*

Litteræ sunt Gothicæ. Paginæ columnis binis impressæ, folia, sex prioribus exceptis, numerata, singula capita numeris suis et argumentis sunt perquam commode distincta. Insunt sequentia : 1° *Meditationes*, 2° *Soliquia*, 3° *Manuale de verbo Dei*, 4° *Enchiridion ad Laurentium*, 5° *Liber de triplici habitaculo*, 6° *Scalæ paradisi*, 7° *de duodecim Abusionum gradibus*, 8° *de Beata Vita*, 9° *de Assumptione beatæ Mariæ virginis*, 10° *de Divinatione Dæmonum contra Paganos*, 11° *de Honestate mulierum*, 12° *de Cura agenda pro mortuis ad Paulinum Nol. Ep.*, 13° *de Vera ac Falsa Pœnitentia*, 14° *de Contritione cordis*, 15° *de Contemptu mundi ad clericos*, 16° *de Convenientia X præceptorum et X plagarum Ægypti*, 17° *de Cognitione veræ vitæ*, 18° *Confessiones*, 19° *de Doctrina Christiana*, 20° *de Fide ad Petrum Diaconum*, 21° *Sermones duo de Vita et moribus clericorum*, 22° *de Vera Religione ad Romanianum*, 23° *de Spiritu et Anima*, 24° *de Vita Christiana ad sororem suam viduam*, 25° *de Definitionibus orthodoxæ fidei et ecclesiasticis dogmatibus*, 26° *de disciplina Christiana*, 27° *Sermo de charitate*, 28° *de decem chordis*, 29° *Sermo de Ebrietate*, 30° *Tractatus de vanitate hujus sæculi*, 31° *de Obedientia et humilitate*, 32° *de Agone Christiano*, 33° *de Bono disciplinæ*, 34° *Regula de communi vita clericorum*, 35° *Possidonius de vita Augustini.* Præcedunt præter hunc ipsum omnium opusculorum indicem, peculiares aliquot quorumdam librorum tabulæ. Miror *Cl. Seemillerum*, qui eamdem editionem in commentarios fasc. III, p. 171, retulit, non contendisse cum ed. Veneta 1484. Habet etiam *Cl. Braun.* l. I. T. II, p. 174.

1491.

Ibidem ad. eumd. in-folio. Eadem *ex secunda editione.* In fine : *M. CCCC. XCI. die XI. mensis Augusti.* Ejus exemplum mancum tamen notavit *Gemeiner* l. I. p. 203, integrum ut nostrum *Cl. Braun.* l. I. T. II, p. 213.

Parmæ per Angelum Ugoletum, in-fol. Augustini opuscula varia finita *Pridie Kalend. Aprilis. Cat. Bibl. Smith.* p. 28, et *Crevennæ noviss.* T. I, p. 110. Ordiuntur seriem libri *contra Academicos*, unde *Morellus* in *Cat. Bibl. Pinell.* hoc nomine ea refert.

Venetiis per Dionysium Bertoldum, in-fol. Aur. Augustini *opuscula plurima : quædam non plus impressa.* Hæc in speciem tituli in prima primi folii pagina. Incipiunt a *Meditationibus*, quarum titulus minio impressus ; ultimum est *Vita* ejus per *Possidonium* conscripta, ad cujus calcem : *Ejusdem videlicet Aur, Augustini Hipponensis episcopi ac doctoris Ecclesiæ sanctissimi pariter, nec non vite ejus a Possidonio conscripte : impensis et opera Dionysii Bertoldi de Bolonia Venetie accuratissime impressorum finis anno a nativitate salvatoris nostris* (sic) *M. CCCC. XCI. dei XXVI. Martii.* His denique epigramma est subjec-

tum. Textus occupat folia CCCXXXIX. Accedunt autem ab initio voluminis præter titulum octo folia tabulam materiarum exhibentia. Superest in fine folium cum chartarum registro symbolum typographi sistens. Litteræ sunt Gothicæ. Descriptio facta est per binas columnas, expressis foliorum numeris ac signaturis, ut tamen custodes desiderentur. Debemus hujus et sequentis editionis notitiam *Cl. Braunio, Notit. Lit.* T. II, p. 229. Utinam vero viro diligentissimo contenta ejusdem, vel enumerare, vel cum aliis saltem comparare placuisset.

Venetiis per *Pelegrinum de Pasqualibus* In-fol. min. *Plurima opuscula S. Augustini.* Hæc pro titulo. Ad calcem : *Finiuntur opuscula S. Augustini hipponensis anno a nativitate domini M. CCCC. LXXXXI. die vero* 10 *novembris impressa fuerunt Venetiis per Pelegrinum de Pasqualibus de Bononia.*

Volumen est foliorum CXXXI exscriptum typis Gothicis, columnis binis. Insunt numeri ac signaturæ, nec tamen custodes. Initium faciunt libri contra Academicos, cum hac epigraphe minio impressa : *Divi Aur. Augustini Hipponensis episcopi contra Academicos;* vel *de Academicis, quem adhuc Catechumenus edidit.* Præmittitur epistola *Severini Chalci,* Canonicorum regularium S. Crucis Montanensis Canoniæ Præpositi ad lectorem, cui operum index et epigramma aliquod subnexa sunt.

1495.

Basileæ per Joannem de Amerbach. In-fol. VI vol. S. Augustini Opera. *Mactt.* T. I, part. II, p. 588, ex fide *de la Caille,* p. 82. Sed frustra eam apud alios litteratos viros, et in optimarum bibliothecarum catalogis conquisivimus. Vereor ergo, ne per errorem, nescio quem, talis notitia inciderit, quod vel ex eo fit verisimile, quod formam chartarum duplicem, *folii* scilicet et *quarti,* prodidit. Meminit ejus quidem etiam *Vignerius* in *Præf.* ad *Supplem.* Operum Augustini. Sed non majori fide. Immo pene certus sum, varias singulorum Augustini scriptorum, veluti *Enarrationum in Psalmos, Epistolarum* et *Sermonum* editiones per annos 1493, 94, 95, 97, identidem ab Amerbachio excusas, hunc errorem peperisse.

1497.

Lugduni per Jo. Trechsel. in-fol. *Opus questionum divi Augustini, in quo hec omnia continentur.*

Heptateucon opus variarum questionum super septem libros biblie : comprehendens totidem, septem libros.
Questionum novi et veteris Testamenti lib. III.
De consensu Evangelistarum libri IV.
Questionum Evangeliorum libri III.
Questionum octoginta trium liber I.
Questionum LXV Orosii : ejusdem dyalogus, qui est liber unus.
Questionum octo Dulcidii libellus unus.
Questionum Laurentii de fide, spe et charitate : enchiridion.
Inquisitionum Januarii et de consuetudinibus ecclesie II.
Questionum Honorati de Gratia N. T. liber unus.
Questionum quinque Hylarii libellus unus.
Questionum sex contra Paganos ad Deogratias, libellus unus.
Item omnium istorum indices et retractationes in faciebus posita.

Hæc in fronte tituli, quibus subjecti sunt in commendationem ejus versiculi aliquot ad D. Augustinum. In fine (extremæ paginæ columna prima) : *Finis sex questionum divi aurelii augustini epi contra paganos ad deo gratias : et per consequens totius hujus operis. Deo gratias.* Columna altera deinde post Badii perorationem et subjectum eidem chartarum registrum : *Impressum est autem hoc opus Lugduni : opera et impensis M. Joannis Trechsel Alemanni : anno salutis nostre Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. VII. Kalend. Maias.* Quibus in extrema pagina subjicitur symbolum typographi. Præfatus est *Jodocus Cadius* ad Magistrum Petrum Gerardum, sacræ theol. profess. et fratrem Eremitarum Augustini Parchiensem (*sic*) priorem, (d. Lugduni. VII kal. Mai 1497.) Ex eo quidem discimus, opus hoc collectum esse atque castigatum ab *Augustino de Ratispona, S. Theol. Baccalaureo,* de scholasticorum aliquot doctorum scriptis, jam ante editis, bene merito. Neque vero ipsius etiam *Badii* studium operi defuit, siquidem et conquirendis quam pluribus, quos ille nancisci non potuerat, tractatibus et corrigendis iisdem non modicam sibi hujusmodi diligentiæ particulam vindicare posse fatetur. *Nam primum,* inquit, *eum, quem in tergo conspicis ordinem, observatum voluimus: ut primo loco veteris dumtaxat Testamenti questiones; secundo novi et veteris; tertio evangeliorum, quæ novi dumtaxat sunt : et ultimo relique ponerentur. Ceterum si forte quispiam reprehenderit, quod de consensu evangelistarum et enchiridiòn inter questiones inseruimus : non recte animadverterit, quantum ea opera cum questionibus conveniant. Deinde retractationes ipsius Augustini, ubicumque fecerit, operi præposuimus : et in marginibus locorum, quos tractavit, ipsas consignavimus. Tum grecum suis characteribus conscripsimus et in margine iis, qui Grecos ignorant, latinis repetimus: adjecta nonnumquam significatione. Tum quoties in diversis codicibus duplicem, quarum neutra aspernanda esset, lectionem offendimus, utramque posuimus: sed alteram sub margine. Tum libros in fronte chartarum distinximus. Tum indices omnium, quæ in singulis operibus continerentur, ipsis preposuimms, et interdum etiam ante ipsa capita reposuimus. In primis tamen questionibus, quas in formam questionum redegimus, non opus repetito visum est: ne forte prænotatio ipsa narratione major nasceretur : loca tamen biblie, unde excepta sunt, diligentius cum ipsis questionibus annotavimus.* Nec omittenda plane nobis videtur, quæ in extrema columna legitur ejusdem Badii de operis complemento, et ut dicunt registro, ad magistratum

nostrum Petrum Gerardi, priorem, etc., Peroratio, quæ sic sonat : *Hæc sunt magistratorum nostrorum optime : magister petre Gerardi : quo de questionibus divi patris augustini : multo quidem labore parta tandem tuo nomini dicata emittimus : precantes omnes ea perlectores in partem accipiant bonam : veniamque dent : si vel pauciores questiones, quam ipse sanctissimus doctor augustinus confecit : vel has minus cognitas omiserimus. Pauculus enim deesse remur atque eas tantum, que ad simpliciuum mediolam. episcop, conscripte sunt : quas hactenus reperire non potuimus : — locum tamen, quo inseri possent, reliquimus trium quaternionum : Mm. Nn. Oo. quem si vocantem dereliquimus : vitio dandum nullus nisi inhumanus et calumniator censebit : cum vel singula opera plena sint : et seorsum emitti possint. — Que vero errata veremur : ejusmodi credimus, que sine recognitione aut admonitione nostra facile quivis deprehenderit et emendaverit. Ne quis autem chartarum convertendarum ignoret : ob id deesse quidquam putet : hec series est : a-s, A-G, Aa-Ll, Pp. Quorum b, k, q, r, G et Ll, terne sunt pp. quine : relique autem quaterne*, etc. Exscriptum est opus hocce charactere Gothico minuto binis columnis, lineis adeo scriptis ut 55 paginam capiant, Enimvero perquam commode adornatum est. Tametsi enim foliorum paginarumve numeri, custodesque desint, habet tamen chartarum signaturas, continuam in summa pagina inscriptionem charactere majusculo expressam; litteræ item initiales parvis quidem indicatæ sunt, sed cujusvis capitis linea prima characterem majorem sortita est, gaudetque argumento numeroque præmisso, qui numerus litteris Romanis simul in margine repetitus est. Præcedit porro septem foliis quæstionum tabula cum sententia ipsius Augustini super Quæstionibus ex libris Retractationum, in qua unum hoc observanti dignum restat, quod singulari annotatione editor lectionem *scripturarum sanctas* contra alteram *scripturas sanctas* complurium codicum auctoritate excusat ac defendit. Meminit hujus ed. *Cl. Braun.* T. II, p. 295. Nec alia fortasse est ab ea, cujus sub titulo primi operum Augustini tomi meminit *Maettarius* T. I, p. 482, fide *de la Caille* subnixus, apud quem per errorem a. 1487 pro 1497 scriptus esse videtur (*a*).

SÆCULO XVI.

1506.

Basileæ apud Joannem Amerbachium. In fol. IX tomis. *D. Augustini prima pars librorum, quos edidit Cathecumenus. — Pars II. Libri, quos scripsit Baptizatus. — Pars III. Libri, quos edidit Presbyter. — Pars IV-VIII. Libri, quos edidit Episcopus. — Pars IX-XI. Libri, quos non recenset in libris Retractationum.*

Primæ hujus operum Augustini editionis exempla adeo rara sunt, ut licet non paucos evolverim diversarum bibliothecarum catalogos, in duobus tantum hactenus reperire contigerit (*b*), qui ambo eumdem quidem, quem in conspicuo posuimus annum, produnt, quemque Maettarius eruit (*c*). Datur nimirum in his discrepantia quædam, dum alii, velut auctores Colonienses, annum 1504, alii annum 1501 et 1503 præferunt (*d*), unde fortasse jure aliquo colligas, non uno anno totam hanc editionem esse absolutam, sed inceptam anno 1503, ad finem tandem a. 1506 perductam, eoque anno, qui terminus integri operis fuisset, singulos tomos esse signatos (*e*). Nec tomorum numerum eumdem omnes tradunt, sed alii *novem*, alii *undecim* constare opus totum volunt, non sane scripturæ aliquo errore, sed disertis verbis numerum enuntiantes. Quid ? quod Trithemius *quindecim* voluminibus impressum esse dicat (*f*).

Nunc tamen, ne diutius hisce experiundis operam impenderemus, effecit Oudinus qui, declarata totius partitione, satis significat ipsam editionem a se fuisse inspectam. Docet autem *undecim* partibus, *novem* vero tomis esse comprehensam, atque sic distinctam, ut *octo* priores eos Augustini libros, quos ipse in suis *Retractationibus* recenset, contineant, reliquæ cæteros, quorum nulla in hoc opere mentio injicitur, complectantur, quod ita se habere ex Catalogo bibl. Emmeranæ intelleximus, qui tres priores partes uno tomo seu volumine comprehensas ostendit. Simul monet, plurimos *Sermones*, plurimasque *Epistolas*, nec non *Enarrationes in Psalmos*, utpote quæ jam antea per annos 1489, 1494, 1495, 1497 excudi curaverat, undecim his partibus adjicere noluisse. Usus autem fuerat *Jo. Amerbachius* in paranda hac editione opera cujusdam *Augustini Dodonis, Frisii, Basileæ ad S. Leonardum canonici*, qui, illo sumptus præbente, Italiæ, Galliæ et Germaniæ bibliothecas perscrutatus erat, et ipse, si per fata licuisset, operibus undique comportatis, manum admoturus fuisset.

(*a*) Nunc idem jam *Hambergerum* monuisse video tomo III, pag. 104.

(*b*) Nempe in Catalogo Bibl. Bodleianæ, qui citat Augustini opera IX tomis per Amerbachium Bas. 1506, et Cat. bibl. princip. ecclesiæ et monasterii Ord. S. Benedicti ad S. Emmerarum Ratisbonæ part. I (1748, in-8°), in quo plenior titulus p. 40 seqq. ascriptus est, sed omissis partibus V, VI, VII et X, mancum illud exemplum esse proditur.

(*c*) Tom. II, part. I, p. 216.

(*b*) Pertinet huc locus, quem etiam Colonienses adducunt, ex *Sweertii Athenis Belg.* p. 148, ubi de *Dodone* scribit : *Primus congessit et castigavit S. Augustini opera omnia, adjecit et argumento in opera singula ac censuras, sed immaturam ejus operam pestis absumpsit, eo ipso anno, quo prelo subjiciendum opus erat, 1501, prodiitque post mortem ex officina Amerbachii* 1503.

(*e*) Consentit *Oudinus* in *Comment.* T. I, p. 934, circa annum 1500 inceptum, anno vero 1506 completum esse opus dicens. Pro posteriori numero operarum vitio ibi exscriptum est 1586. Oudinum fere totum exscripserunt Colonienses, nisi quod de suo addiderunt, *omnia* a. 1504, *lucem aspexisse.*

(*f*) In Epistola ad *Jacob. Kymolanum* Carmelitam data Herbipoli 16 Augusti 1507, apud Maett. II.

1515.

Parisiis.... In-fol. IX tomis. Divi Aurelii Augustini opera *juxta Amerbachianam descripta.* Deest hujus editionis memoria in Maettario. Commemorant eam Colonienses, notat Catalogus bibl. Bodleianæ. In Germania vix unum ejus exemplar inveniri putem, nec in Gallia quidem, nisi in bibliothecis obscurioribus lateant. Certe Cat. bibl. Reg. Paris. eam ignorat.

1517.

Sine loco. In-fol. Index Operum S. Augustini per eximium *Joannem Theuschlein de Frickenhausen*, ex Rottenburga Tuberina. Sic exstat in Cat. Bibl. Emmeranæ p. 41. Pertinere autem puto ad editionem Amerbachianam.

1520.

Parisiis apud Joannem Parvum. In-4°. D. Aur. Augustini libri tres contra Academicos, Soliloquia et alia opuscula : quatuor hæc jam primum impressa de Visitatione infirmorum ; de Adulterinis conjugiis, de bono Conjugali et bono Virginali. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, pag. 376.

1528—29.

Basileæ ex officina Frobeniana. In-fol. X tomis. D. Aurelii Augustini, episcopi Hipponensis, Opera omnia ex emendatione *Des. Erasmi.*

Pleniorem titulum, unde hauriremus, non datum fuit. Opinamur autem, non procul eum abludere ab eo, quem editio a. 1543 præfert. Sed cum jam accesserimus ad eam editionem, quæ non modo integra ac plena prima dici potest, sed sequentium omnium, non excepta novissima, fundamenta jecit et in iis quodammodo dominatur, necesse erit, ut ante omnia, quæ ipse Erasmus de instituti sui ratione in medium attulit, cum lectoribus communicemus. Et enim sequentium editionum curatores aut contenti fuerunt, Erasmianam operam accessionibus aliquot locupletatam prelo committere, aut ultra vestigiis ipsius insiterunt et partim codicibus, partim judicio suo confisi emendatiorem ac sinceriorem efferre contenderunt, aut etiam ab illo longius recesserunt. Quorum omnium studia atque conamina non dicam æstimare, sed ne examinare quidem absque accurata Erasmianæ operæ cognitione licet. Nec vero universe atque paucis didicisse sufficit, Erasmum textum emendasse, genuina a suppositiis secrevisse et cuncta novo ordine esse dispartitum, quo sane nec ad auctoris, nec ad editoris ingenium cognoscendum magnopere juvamur. Sed cum primus ille explicare aggressus sit, quæ peculiaris Augustini ac maxime propria tam in sentiendo, quam eloquendo, virtus fuerit, eamque notionem deinde, qua solet in cæteris quoque ecclesiasticis scriptoribus solertia, ad explorandam tam universam scriptorum genuitatem, quam singulorum locorum sanitatem traduxerit, omnique inde sæculo critices aliqua formula in Augustino restituendo præiverit, non facile quemquam, qui hæcce studia curat, fore, arbitror, qui hac Erasmi disputatione absque damno carere possit. Accedit quod primus item Erasmus depravationum textus Augustiniani causas, variaque corruptorum genera indagaverit, quorum descriptio quodammodo eumdem usum præstare potest, qui alias a codicum notitia bene explicata exspectari solet. Atque hæc præfaminis loco, ne inserenda hac oratione bene longa negligenter aut parum verecundi aliquibus videremur. Jam ipsum audi. Sic enim in epistola (data Friburgi Brisgaviæ, 1529), qua totum opus *Alfonso Fonsecæ, principi et archiepiscopo Toletano totiusque Hispaniæ primati*, nuncupat, cujusque dimidiam partem in laudes Augustini impendit, loquitur :

« Quo dilabor ? non enim instituera encomium Augustini, quod si suscepissem, hæc quota portio laudum illius erat ? Illud tantum volebam ostendere, quam dolendum fuerit, tantum ecclesiæ thesaurum tam sero per typographos prodiisse in publicum, quem maxime referebat in omnium versari manibus. Deterrebat nimirum illos impendiorum magnitudo. Primus hoc egregium facinus ausus est, vir singulari pietate Joannes Amerbachius, re sat beatus, sed animi dotibus longe beatior, quem nec sumptus immensi nec in conquirendis undecumque exemplaribus instantia, nec in conferendis tædium, nec operis difficultas, nec distractionis alea, nec ulla res alia deterruit, quominus totum Augustinum redderet omnibus communem. Non huc invitavit virum quæstus amor, sed sincera pietas, quam omnes illius præfationes spirant, ac revocandi priscos illos Ecclesiæ doctores studium, quos videbat ac dolebat propemodum antiquatos. Proinde non dubito, quin illius manibus bene precentur omnes, qui per Augustini libros ad pietatem profecerunt. Idem in universas Hieronymi lucubrationes majori etiam studio molientem deus ad superos evocavit. Eam tamen provinciam tribus filiis, Brunoni, Basilio, et Bonifacio, quos in hoc curarat trium peritia linguarum instituendos, moriens delegavit, per quos non minore studio, quam fide peractum est, quod optimus pater voluit. Sic enim illos et ad pietatem et ad eruditionem educaret, ut quodammodo se major ac melior in illis superesset, hodieque supersit. Nam natu maximus tantum in fata concessit. Tot sunt examina monachorum in orbe, quorum otium magnis censibus alitur. Tot sunt abbates opimo reditu, nihil aliud quam ædificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Hic erat illorum proprius labor, quem homo laicus sua sponte suscepit. Atque in Augustino quidem tantum adhibitum est ab illo curæ, studii, vigilantiæ, quantum illa tum ferebat ætas, rudior adhuc et perpaucos habens in hoc genere litterarum exercitatos, Illud potius mirandum, quod cum Augustini lucubrationes tot jam annis versentur inter manus eruditorum, nulla exstiterit de illo publica querimonia, quemadmodum de Hieronymo nemo non querebatur. Atqui ni multos haberem testes, qui operi excudendo vel præfuerunt, vel adfuerunt, nemo mihi crediturus sit, quantum men-

darum offenderim ac sustulerim, etiam illinc, ubi nihil esse depravatum putabatur. Habet enim Augustinus suum quoddam dicendi genus, argutum, et periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit, denique tædii laborisque patientem, quales non ita multos reperias. Jam tametsi profanas litteras parcius ostentat, quam Hieronymus, tamen obiter ad eas frequenter alludit. His rebus factum est, ut lector, audaculus magis quam argutus, mutarit quidquid offendebat. Verum quæ vel librariorum incuria, vel lectorum inscitia commissa sunt, habent utcumque colorem, quo culpam liceat, si non excusare, certe extenuare : quamquam hanc oportuit esse publicam principum, præsulum et abbatum curam, ut utilium, sed præcipue sacrorum voluminum exemplaria per eruditos viros quam diligentissime castigata servarentur in publicis bibliothecis. Illos vero, quos absolvat a sacrilegii crimine, qui nec errore, nec ulla necessitate, sed inepta libidine, studio mutarunt hujus viri scripta, vertentes *que* in *et*, *et* in *que*, *sed* in *at*, *at* in *sed*, *dixit* in *ait*, *ait* in *dixit*, verbum in participium, participium in verbum, aliaque innumera his consimilia, quasi luserint in opere alieno. Hoc flagitium cum alias, tum præcipue deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus autem ex collatione *codicis*, quem nobis præbuit *Flandriæ monasterium quoddam*, cujus nomen in præsentia non occurrit, sane bellum ac vetustum dixisses bonæ fidei, magnæque auctoritatis exemplar. Vix umquam occurrebant duo versus, quin esset, quod jugularet transversus calamus. Hic non erat error aut oscitantia, sed impius ludus hominis male feriati. Alibi nescio quis sententias expleverat, adjectis verbis aliquot non necessariis : velut quoties beatus Augustinus citabat e Scripturis canonicis, quantum ad id, quod agebatur, satis erat, ille Scripturæ testimonium altius repetitum ex eodem loco longius prosequebatur, cum nihil esset ad rem necesse. Id præcipue factum comperimus in Commentariis quos scripsit in Epistolam ad Romanos et ad Galatas. Risimus non paucis locis insignem scribarum delirationem, qui, quod lector ineptiens annotarat in margine sui codicis, retulerunt in contextum. Ex multis duo proponam exempla, quorum alterum est in epistola 58, ubi leguntur hæc Augustini verba : *Hos autem prophetas, quos post apostolos posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante apostolos fuerunt, sed istos, quibus jam sub apostolis per gratiam donabatur, aut interpretatio Scripturarum et inspectio mentium, aut prædictio temporis secuturi.* In priori editione participium *secuturi*, a suo nomine, *temporis*, prolixo verborum assumento divulsum comperimus, idque non solum insigniter indoctum erat ac stultum, verum ne ad rem quidem tantillum faciens. Non enim illic ambigebatur, qui essent apostoli, et unde ducta vox, sed de quo prophetarum genere loqueretur illic Apostolus. Non repetam hic longum nugamentum, ne sim tædio ; decerpam modo pauca, unde facilis sit conjectura, quam cætera nihil habeant mentis hunc in modum orditur : *Si enim ego ipse ut de his, quid sentiam, habeas, differentiam facturum me speraverim.* Agnoscis sermonis florem. Ac mox : *Ut enim ad vim termini proficiscar, Apostolos Græcum, dicitur ab apos, quod notat argumentum, vel præminentiam, et scolon, quod est missio, quasi præminenter missus, ad augmentationem scilicet fidei catholicæ, vel apostolus quasi postmissus*, etc. Quid hac deliratione prodigiosius? *Apos* enim apud Græcos tantum significat, quantum *Kiskildrivium* apud Latinos, et *scolon* Græcis sonat offendiculum. Deinde stultissime imaginatur in nomine *apostolus*, *apost* additum pro *postmodum* pro quo Barbari dicere solent *depost*. Atqui si Græca vox est apostolus, ut ipse docet, unde illic Latina præpositio *post?* Sequitur, *propheta* autem a *pro*, id est procul, et *for, faris*, cum propheta Græcis nihil aliud sonet, quam Latinis prædictor. Hæc proposuisse satis arbitor, ad totius nugamenti gustum quemdam, quod ita attextum est, quasi quis pro Augustino Paulinum doceat, de quo significarat se dubitare. Alter locus est in libro secundo *de Sermone Domini in monte habito*. Quoniam inter fructus spiritus Paulus commemorat gaudium, ne quis existimaret, illum de quovis gaudio loqui, sic locum explanat Augustinus : *Sane sciendum est, hic gaudium proprie positum. Mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur proprie, sicut superius diximus voluntatem proprie positam, quam non habent mali*, etc. Hæc Augustini verba cum nihil habeant obscuritatis, tamen aliquis conatus erat, dilucidius, scilicet, explicare sententia hisce verbis : *Neque gaudium virtutis sit, sicut voluntas, et hæc potius ad sanctos pertinent : ad peccatores vero gestus magis et cupiditas deputanda sunt.* Et hoc tam insulsum nugamentum e spatio marginis in contextum relatum aliquamdiu nos torsit. Cum hujusmodi portentis fuit nobis subinde luctandum. Alius ex undequaque decerptis frustulis, veluti novum opus, Augustini titulo construxerat, alius aliena cum Augustini scriptis miscuerat ; alius ex quæstione fecerat epistolam, assutis initio paucis verbis. Ne singula persequar, vix in alterius tam impie, quam in hujus sacri doctoris voluminibus lusit otiosorum temeritas. Ut omittam interim pseudepigrapha, quædam non inerudita, quædam vix tolerabilia, quædam prorsus indocta. Verum in omnibus, quæ illi falso sunt inscripta, nihil insulsius aut impudentius Sermonibus ad Eremitas, in quibus nec verba, nec sententiæ nec pectus, nec omnino quidquam est Augustino dignum : et tamen quisquis hoc opus confinxit, homo suavis sibi promisit futurum, ut Augustinus crederetur, et sane repererunt similes labra lactucas. Nihil tamen horum submovimus, nisi quod ea, quæ bis aut sæpius habebantur inter hujus viri lucubrationes, sat habuimus semel ponere, ne voluminum magnitudinem supervacua sarcina onneraremus : censuris tantum additis indicavimus, quid nothum esset,

quid ambiguum, quid commixtum. Hæc igitur in tam eximio scriptore committi sane dolendum est; sed æque mirum, super his nullam hactenus fuisse studiosorum querimoniam: unde conjectura capi potest, divum Augustinum antehac a plerisque theologis aut non legi solitum, aut indiligenter fuisse lectum. Ne mihi quidem umquam persuaderi potuisset, tantum in tam celebri scriptore latuisse mendarum. Equidem nihil minus habebam in animo, quam hanc capessere provinciam. Deterrebat immensa voluminum moles, et operis difficultas juvenile robur, ac prorsus adamantinum quemdam hominem exigebat: me vero jam et ætas et valetudo ab hoc genere laborum in totum dehortabatur. Sed felicis memoriæ JOANNES FROBENIUS, vir ob singularem erga studia favorem omnium studiosorum amore perenni dignus, tandem illud a me precibus extorserat, ut in Epistolis unicum ternionem emendarem, quo posset operis specimen in proximis nundinis ostendere. Pollicitus sum, sed hac lege, ne quid speraret amplius. Annuit. Cæterum cum perspicerem, illi certum esse consilium, volumen Epistolarum absolvere, neque quemquam esse paratum, qui posset, aut certe vellet, emendandi partes obire: vicit animi destinationem, cum singularis amici pertinax voluntas, tum ipsa negotii pietas. Hoc volumen totum ad me recepi, sed unicum, etiam atque etiam testificans, ut si pergere vellet, alium inveniret castigatorem, nec me suo quoque dispendio, non modo studiorum, a melioribus curis avocaret. Quid multis? cum nullus existeret, qui vellet eam sarcinam in humeros tollere, et Joannes Frobenius asseveraret, stare sententiam, ut si non daretur aliud, totum Augustinum, qualis qualis erat, rursus excuderet: ego partim amici respectu, cui nihil pernegare valebam; sed multo magis inexpiabile piaculum esse reputans, si tam eximius Ecclesiæ doctor, tot mendis obsitus, tantis impendiis denuo prodiret in orbis theatrum, hoc insigniore deformitate notabilis, quo magis elegantia formularum, ac majestate voluminum, oculos omnium ad se rapturus esset: perinde quasi purpuram eximiam ostendas fœdis maculis deformatam, passus sum imponi mihi clitellas. Tandem ubi tantum pelagus ingressus ventis vela dedissem, longe plus, quam exspectaram, comperi difficultatis, ut non semel animum desponderim, deque deserendis institutis cogitarim: ad quod ipsum evidens etiam valetudinis periculum invitabat, aut, ut rectius dicam, compellebat. Jam me terrebat et exemplum Joannis Frobenii, quem videbam huic immortuum negotio, virum alioqui cum firmo corpore, tum vita longissima dignum. Verum quod prima fronte deterrebat a negotio, hoc ipsum propius consideranti stimulos addebat. Non enim oportet bonorum virorum amicitiam vitæ spatio terminari, præsertim cum hujus difficillimi negotii moles in filios illius Hieronymum et Joannem Erasmium, reliquosque liberos esset devoluta, quibus hoc minus oportebat deesse, quod tali patre essent orbati. Nam quidquid erat erga Frobenium affectus, in hos transtuli. Itaque obfirmato animo, sic ut operi tam sacro satius ducerem animam impendere, quam semel susceptum non absolvere, tædium omne devici: quoque sum altius ingressus, hoc labor assuetudine factus est levior, ipso, ut opinor, Augustino cœptis nostris prospera favoris aura cœlitus aspirante, donec tandem procul aperiret sese portus, in quam propitii numinis auxilio delati, lætum celeusma nunc canimus. In dirigendis porro voluminibus hunc ordinem secuti sumus. In Primum volumen contulimus ea, ex quibus tota Augustini vita, mores, ingenium, et affectus perspiciuntur, quod hoc pacto futurum arbitrarer, ut et rectius intelligeretur, et avidius legeretur. Amor enim doctoris et attentum reddit, et lubentem discipulum. Adjecimus ejusdem progymnasmata, quibus vel infans adhuc in Christo, vel novus tyro felicissime prælusit ad egregia facinora. Secundum volumen dedimus Epistolis, partim quod in his quoque permulta sunt, quæ scripsit juvenis; partim quod ex his maxime deprehenditur, si quid in illius natura fuit peculiare. Tertium et Quartum dedimus his lucubrationibus, quas ad docendum paravit. Quintus habet Civitatem Dei, quod hoc opus simul et docens et confutans errores maxime paganorum, utrinque mixtum esset. In hac portione nihil est nostræ industriæ, quod hanc provinciam hortatu meo sibi proprie sumpsisset vir apprime doctus Joannes Ludovicus Vives. In Sextum et Septimum distribuimus pugnas adversus hæreses diversas. In Octavum et Nonum collecti sunt tractatus, sic enim appellat Augustinus Scripturarum enarrationes apud populum habitas, nisi quod in Nonum farraginem quamdam adjecimus libellorum, quos viri nescio qui spiritales in hoc parasse videntur, ut affectum suum ad rerum cœlestium contemplationem inflammarent. Decimum volumen complectitur homilias varii argumenti, in quibus permulta sunt aliena, quemadmodum et in Nono. In singulis, ne nullus esset ordo, vel sacrorum voluminum, quæ interpretatur, ordinem, vel hæreseon origines secuti sumus. Ipse Augustinus in libris Retractationum maluit ætatis suæ, et in Christianismo progressum ordinem sequi, recensens, quæ scripserit catechumenus, quæ sacro lavacro renatus, quæ presbyter, quæ episcopus, nisi cum epistolis et tractatibus suum locum destinasse videtur, quam hujus curæ partem non absolvit, ut ex ipsius aliquot scriptis apparet. Siquidem hoc moliebatur jam extrema senecta, veluti præsagiens extremum imminere diem, tantoque studiosius agens, ut quoniam vocis officio diutius Ecclesiæ prodesse non poterat, in libris illi superesset, quatenus licebat, et emendatus et integer, quod propemodum assecutus est. Vix enim ex alterius monumentis minus intercidit, a depravatoribus nihil omnium potuit umquam esse tutum. Nostram operam hic non exaggerabimus; conferat cui vacat, et agnoscet. Nec tamen ausim polliceri, nihil resedisse, quod egeat emen-

datore Alicubi nos destituerant vetusti codices, aliquando in opere tam prolixo somnus obrepsit, quem Flaccus putat esse condonandum humanæ naturæ. Jam si operarum incuria commissum est, a nobis præstari non potuit, qui cum officina nihil habemus commercii. Tantum illos admonere possumus, qui præsunt officinæ : quod quidem a nobis factum est sedulo. Quidquid nostra mediocritas potuit, bona fide præstitit. »

Habes hic omnia, quibus nova editio se commendet. Nec supervacaneum, immo necessarium plane existimem, indicem singulorum, quæ in unoquoque tomo continentur, operum subjungere. Quamvis enim ab initio constitutum erat, in editionum recensu ordinem continuum librorum non attingere, et facile nos ejusmodi indice carituros esse mihi persuaseram, maxime cum supra in recensu omnium diligenter notatum sit, ubi quodvis tam in Erasmianis, quam Lovaniensibus et Benedictina reperiatur ; ipsa tamen re edocti sumus, certam de successu collatæ in auctorem operæ notitiam informari non posse, nisi in potioribus editionibus librorum numerum et seriem intueri liceat. Hujus igitur Erasmianæ ordo hic est : *in tomo* I insunt : Retractationum lib. II, *cum censura* ; Confessionum libri XIII, *cum censura ;* De Grammatica liber unus ; Principia dialecticæ ; Categoriæ decem ; Principia rhetorices : De musica lib. VI ; Contra Academicos lib. III ; De ordine lib. II ; De vita beata ; Soliloquiorum lib. II ; De magistro ; De immortalitate animæ ; De libero arbitrio lib. III ; De vera religione ; De moribus Ecclesiæ catholicæ, et de moribus Manichæorum lib. II, *cum censura* ; De Genesi contra Manichæos lib. II, *cum censura* ; Regulæ Augustini, *cum censura* ; Posidonius de vita Augustini.

In tomo II. — Epistolarum farrago. — Epistolæ sunt CCXLII, ducentæ quadraginta duæ, inter quas et spuriæ quædam ab Erasmo obelo transfixæ, nec tamen prorsus loco motæ. Pertinent huc epistolæ vulgo Augustini dictæ ad Bonifacium et hujus ad Augustinum, e quibus nonnisi unam vehementer prolixam et insigniter illitteratam, ut ipse inquit, removere sustinuit, prætereaque *coronidem sub titulis Cyrilli, subito Latine loquentis et Augustini Græco male Latine scribentis impudentissime confictam resecuit*. Atque his epistolis, tam singulis, ubi quidem ex re videbatur, censuræ aliquid addidit, quam universis etiam præfatus est in *epistola ad lectores*, scripta *Basileæ MDXXVII*, docens partim, quod ad externum earum habitum spectet, eas, sicut, et populares orationes (homilias), numquam nec in Retractationum libris, nec postea, aliquo vel temporum, vel personarum, vel materiarum ratione fuisse digestas, indeque facilius postea admixtas esse, quæ nihil Augustino dignum haberent, vel conflictas etiam, nec vero libros et epistolas semper invicem discretos esse, dum alibi librum appellat Augustinus, quem alio loco pro epistola venditat ; partim autem ipsam eorum indolem etiam mirifice declarans.

Tomo III. — De doctrina Christiana lib. IV ; Locutionum lib. VII ; De fide et symbolo lib. I ; Enchiridion de fide, spe et charitate ad Laurentium lib. I ; De ecclesiasticis dogmatibus lib. I, *cum censura ;* De fide ad Petrum diaconum lib. I, *cum censura ;* De Trinitate lib. XV ; De Genesi ad litteram imperfectus lib. I ; De Genesi ad litteram lib. XII ; De mirabilibus sacræ Scripturæ lib. III, *cum censura ;* De agone Christiano lib. I ; De opere monachorum lib. I ; De spiritu et littera ad Marcellinum lib. I ; De divinatione dæmonum lib. I ; De spiritu et anima lib. I, *cum censura ;* Speculum lib. I, *cum censura ;* Quæstiunculæ de Trinitate ; De benedictionibus Jacob patriarchæ, *cum censura ;* Sententiæ ex Augustini et aliorum libris decerptæ.

Tomo IV. — De mendacio ad Consentium liber unus ; Contra mendacium ad eumdem lib. I ; De fide et operibus lib. I ; Quæstionum in Vetus Instrumentum lib. VII ; Quæstionum Evangelicarum lib. II ; Quæstionum Evangelicarum secundum Matthæum lib. I, *cum censura* ; De consensu Evangelistarum lib. IV ; Octoginta trium quæstionum lib. I, *cum censura ;* Viginti unius sententiarum lib. I, *cum censura* ; De diversis quæstionibus ad Simplicianum lib. II ; De octo Dulcitii quæstionibus lib. I ; Quæstionum LXV dialogus, *cum censura* ; Quæstionum veteris et novi Testamenti lib. I, *cum censura* ; De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum lib. I ; De catechizandis rudibus lib. I ; De incarnatione Verbi lib. II, *cum censura* ; De trinitate et unitate Dei lib. I, *cum censura* ; De essentia divinitatis lib. I, *cum censura* ; De fide rerum invisibilium lib. I, *cum censura ;* De substantia dilectionis lib. I, *cum censura ;* De continentia lib. I, *cum censura ;* De patientia lib. I, *cum censura ;* De bono viduitatis lib. I, *cum censura ;* (Huic quoque tomo inserta est *Censura* libri *de singularitate clericorum*, qui ipse tamen tamquam alienus fetus et inter aliorum etiam Patrum opera iterata vice vulgata, omissus est) ; De vera et falsa pœnitentia lib. I, *cum censura* ; De salutaribus documentis lib. I, *cum censura* ; De amicitia lib. I, *cum censura* ; De sermone Domini in monte lib. II ; Expositionis Epistolæ Pauli ad Romanos lib I ; Expositionis quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos lib. I ; Expositionis Epistolæ Pauli ad Galatas lib. I ; Annotationum in Job. lib. I ;

Tomo V. — De civitate Dei libri XXII, cum commentariis Ludovici Vivis.

Tomo VI. — De hæresibus ad Quodvultdeum lib. I ; De quinque hæresibus oratio, *cum censura* ; Concio ad catechumenos contra Judæos, Paganos et Arianos, *cum censura* ; Oratio adversus Judæos ; De altercatione Ecclesiæ et Synagogæ dialogus, *cum censura* ; De utilitate credendi ad Honoratum lib. I ; Contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti lib. I ; De duabus animabus contra Manichæos lib. I ; Contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum, *cum censura* ; Contra Adimantum, Manichæi discipulum ; Contra Faustum Manichæum lib. XXXIII ; De actis

cum Felice Manichæo lib. II, *cum censura*; Contra Secundinum Manichæum lib. I; De natura boni contra Manichæos lib. I; De fide contra Manichæos lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Contra sermonem Arianorum lib. I; Contra Maximinum, Arianorum episcopum, lib. III, *cum censura*; Contra Felicianum Arianum de unitate Trinitatis, *cum censura*; De bono conjugali contra Jovinianum; De sancta virginitate; De adulterinis conjugiis ad Pollentium lib. II; Tractatus de Epicureis et Stoicis, *cum censura*; Tractatus de eo, quod dictum est a Deo ad Moysen, Ego sum, qui sum, incerti auctoris.

Tomo VII. — Contra partem Donati, psalmus; Contra epist. Parmeniani lib. III; Contra litteras Petiliani, Cirtensis episcopi Donatistæ lib. III; Contra Cresconium Donatistam grammaticum lib. IV; Contra Gaudentii, Donatistarum episcopi, epist. lib. III, quorum postremus nunc primum est excusus; De baptismo contra Donatistas lib. VII, *cum censura*; De unico baptismo contra Petilianum lib. I; De unitate Ecclesiæ contra Petiliani Donatistæ epistolam lib. I; Opus Breviculi collationum cum Donatistis; Post collationem contra Donatistas lib. I; Super gestis cum Emerito, Donatistarum episcopo, lib. I; Contra Fulgentium Donatistam lib. I, *cum censura*; De peccatorum meritis et remissione, ac de baptismo parvulorum, ad Marcellinum lib. III; De natura et gratia contra Pelagianos lib. I; De gratia Christi et peccato originali, contra Pelagium et Cœlestium lib. II; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium comitem lib. II; Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. IV; Contra Julianum Pelagianum lib. VI; De anima et ejus origine lib. IV; De prædestinatione et gratia lib. I; Prosperi epistola ad Augustinum ne reliquiis Pelagianæ hæreseos; Hilarii epist. ad eumdem de eadem materia; De prædestinatione sanctorum lib. I, *cum censura*; De bono perseverantiæ lib. I; De prædestinatione Dei lib. I, *cum censura*; De gratia et libero arbitrio ad Valentinum lib. I; Ad eumdem de correptione et gratia lib. I; Ad articulos sibi falso impositos, Augustini responsio; Contra Pelagianos, Hypognosticon. lib. VI, *cum censura præcedente*; De perfectione justitiæ contra Cœlestium lib. VI, *cum censura.*

Tomo VIII. — Enarrationes in Psalmos.

Tomo IX. Cujus libri fere omnes censuras habent annexas. — In Evangelium Joannis expositio; In Epistolam Joannis expositio; In Apocalypsim Joannis expositio; Meditationum lib. I; De diligendo Deo liber alius, qui et Meditationum inscribitur; Soliloquiorum animæ ad Deum lib. I; Manuale lib. unus; De triplici habitaculo lib. I; Scalæ paradisi liber; De duodecim abusionum gradibus; De contritione cordis liber unus; De cognitione veræ vitæ lib. I; De assumptione beatæ Mariæ virginis; De disciplina Christiana; De decem chordis; De cantico novo lib. I; De contemptu mundi lib. I; De vanitate sæculi lib. I; De obedientia et humilitate sermo; De bono disciplinæ sermo; De visitatione infirmorum lib. II; De consolatione mortuorum sermones II; De quarta feria, sive cultura agri dominici, sermo; De cataclysmo sermo; De tempore Barbarico sermo; De sobrietate et virginitate sermo; Speculum peccatoris tractatus; De utilitate pœnitentiæ tractatus; De conflictu vitiorum et virtutum lib. I; De quatuor virtutib. charitatis tractatus; De laudibus charitatis tractatus; De honestate mulierum lib. I; De pastoribus lib. I; De ovibus liber sive homilia; De symbolo fidei ad catechumenos lib. IV; De convenientia decem præceptorum et decem plagarum Ægypti, liber unus; De rectitudine catholicæ conversationis tractatus; De utilitate jejunii tractatus; De Urbis excidio tractatus; De creatione primi hominis tractatus; De arbore scientiæ boni et mali tractatus; De pugna animæ tractatus; De antichristo tractatus; Psalterium, quod matri suæ composuit; Super Magnificat expositio.

Tomo X. — De verbis Domini; De verbis Apostoli; Homiliæ L; Homiliæ de tempore, *cum censura;* Homiliæ de sanctis; Ad fratres in eremo, *cum censura.*

Quam late autem harum censurarum usus pateat non solum ex eo, quod speciminis loco de præfatione in Epistolas produximus, sed multo etiam magis ex iis, quas longe instructiores monachi Benedictini dederunt, constare potest. Contentorum index duplex, unus juxta tomorum seriem, alter ordine alphabetico concinnatus, nec non ordo editionis Amerbachianæ insigni cum lectoris commodo post præfationem additi sunt. Non est vero *hujus* editionis contentorum index, quem Oudinus venditat, sed novissimæ Erasmianæ, utpote qui Posidonii indiculum scriptorum Augustini una cum Vita hic editum mentitur, qui primum a. 1564 in lucem editus est.

1528 — 30.

Coloniæ apud Jo. Gymnicum: in-8° Ex hac officina prodierunt non uno nomine, sed perbrevi temporis spatio, varia Augustini opuscula (uno non raro volumine comprehensa), quæ suis quæque titulis discreta sic se habent: 1° *Divi Aur. Augustini, Hipp. episcopi, De opere monachorum liber unus ad Aurelium, episcopum Carihaginensem. Anno M. D. XXIX. mense Augusto.* 2° *Divi Aur. Augustini Hipp. episc. Enchiridion ad Laurentium II. Anno M. D. XXVIII.* 3° *D. Aur. Augustini, Hipp. ep. De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachis, liber unus. Ejusdem De correptione et gratia ad eumdem et cum illo monachis, liber unus. Quibus præmittuntur epistolæ duæ Divi Augustini ad Valentinum contra eos, qui negant liberum arbitrium. Anno F. D. XXX.* 4° *Divi Aur. Augustini De immortalitate animæ. Liber unus. Ejusdem De agone Christiano, liber unus, absque anni et loci nota.*

1531 — 32.

Parisiis, ex officina Claudii Chevallonii; in-fol. X

Tomis. D. Aur. Augustini, quæ exstent ex emendatione Des. Erasmi.

Laudat hanc Erasmianæ repetitionem *Oudinus in Comm.* p. 939 seqq., eique accessisse ait *Jacobi Hemeri Studgardiensis* epistolam nuncupatoriam ad Gallum Millarum, Ecclesiæ Tubingensis theologum, quæ totam editionis hujus rationem fusius exponat. Idem monet in hac editione primum editos esse *Sermones XVII* : sex *de tempore*, septimus *de verbis Apostoli*, et decem *de Sanctis*. *Catalogus Bibl. Musei Britt.* (Lond. 1789, in-fol.) In hujus editionis mentione annum 1532 profert, quocirca utrumque præfigere placuit.

1537.

Augustæ Vindelicorum excudebat Heinricus Steyner; in-fol. Divi Aurelii Augustini episcopi *Opuscula*, nempe : — In libros Moysi, Josuæ et Judicum libri VII ; Quæstiones veteris et novi Testamenti ; Quæstionum evangelicarum secundum Matthæum ; Quæstiones ad Orosium liber unus ; Quæstionum Hilarii liber unus ; De octo Dulcitii quæstionibus liber unus ; De diversis quæstionibus, ad sanctum Simplicianum libri II ; Quæstionum evangelicarum libri II ; Octoginta trium quæstionum liber unus ; De sex quæstionibus contra Paganos liber unus ; Ad inquisitiones Januarii libri duo ; De inquisitione Trinitatis liber unus ; De Epicureis et Stoicis liber unus ; De Hæresibus ad Quodvultdeum liber unus ; De quinque Hæresibus liber I ; Contra Judæos, Paganos et Arianos liber unus ; Contra Judæos liber unus ; Retractationum libri duo ;

Hæc series librorum integrorum efficit *Tomum tertium Epitomes Operum Augustini* a. Jo. Piscatorio concinnatæ. Expressi sunt ex ed. Lugdunensi a. 1497 et Amerbachiana, ut ipse editor in præfatione professus est.

1541.

Parisiis apud Carolum Guillard ; *in-fol.* X *tomis*. D. Aurelii Augustini opera omnia ex *Des. Erasmi* emendatione ; editio auctior et locupletior cum indice locupletissimo, cura et studio *Florentii Bourgoini*. *Cat. Bibl. Regiæ Paris.*

1543.

Basileæ in officina Frobeniana per Hieronymum Frobenium et Nicolaum episcopum ; in-fol. XI tomis. Omnium operum D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, *primus tomus*, ad fidem vetustorum exemplarium, post omnium in hunc usque diem editiones denuo summa vigilantia repurgatorum a mendis innumeris, ut optimo jure tantus Ecclesiæ doctor renatus videri possit. Inspice, lector, et fateberis hanc non vanam esse pollicitationem : quod si gratus etiam esse voles, non patieris tantum laboris, tantumque impensarum frustra sumptum esse. Sub finem annexi sunt indices duo, alter materiarum, alter interpretatorum Scripturæ locorum : quibus lectorem haud leviter adjutum iri confidimus.

Hic primi voluminis atque operis universi titulus annum 1543 impressum habet, sed ad calcem tomorum singulorum annus, quo unusquisque absolutus fuerit, exstrat.)

Secundus tomus Op. D. A. Aug. H. E. complectens illius Epistolas, non mediocri cura emendatas per Des. Erasmum Roterodam. Anno M. D. XLI.

Tertius tomus, — complectens τὰ διδακτικά, hoc est, quæ proprie ad docendum pertinent. Anno M. D. XLI.

Quartus tomus, — complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. Anno M.D.XLI.

Quintus tomus, — XXII libros de civitate Dei, diligenter recognitos per eruditiss. virum Joan. Ludovicum Vivem, ac ejusdem Commentariis, denuo ab auctore revisis, illustratos, continens. Anno M. D. XLII.

Sextus tomus, — continens τὰ πολεμικά, hoc est, decertationes adversus hæreses, præcipue Judæorum, Manichæorum, Priscillianistarum, Origenistarum, Arianorum et Joviniani. Anno M. D. XLII.

Septimus tomus, — continens reliquam partem τῶν πολεμικῶν, id est, pugnas adversus hæreses Donatistarum et Pelagianorum. Anno M.D.XLII.

Octavus tomus, — continens enarrationes in Psalmos mysticos. Anno M. D. XLII.

Nonus tomus, — continens illius tractatus, hoc est : expositiones ad populum factas in novum Testamentum, cum aliis varii generis opusculis, quorum indicem habet alterum hujus paginæ latus. Anno M. D. XLII.

Decimus tomus, — continens reliqua tractata apud populum, quorum summam indicabit hæc pagina versa. Anno M. D. XLII.

In omnia D. A. Augustini Scripta indices duo, eo conscripti modo, ut nihil annotatu dignum possis desiderare, neque quidquam velut supervacaneum rejicere : quorum prior materias in ipsis passim operibus tractatas, indicat : posterior sacræ Scripturæ locorum interpretationes juxta Bibliorum ordinem observatorum ostendit. Anno M.D.XLIII. *In fine* : Mense Septembri.

Quid novi in hac altera Frobeniana editione operibus Augustini evenerit, per quos illa et quibus subsidiis sustentata fuerit, præfatione, versa tituli primi pagina impressa, bibliopolæ exponunt. Orsi enim ab Amerbachii meritis, gratiam, quam Erasmus opera sua apud omnes iniverit, cumulatiorem eum inturum fuisse monent, si soli tam ingentem provinciam obire vacasset, et non bonam ejus partem, aliis negotiis ex transverso se ingerentibus, in amicos partiri compulsus esst.

Deinde pergunt : « Sed quod ille posteriore editione sartum tectum præstaturus sperabatur, interim alii occupaverunt. Succedente enim Lutetiana editione, celeberrimæ scholæ aliquot alumni in hoc incubuerunt, ut si quid Erasmum sociosve subterfugisset, sarcirent sua cura, haud pœnitenda per Musas, et minime supervacua. Tandem urgente jam fato extremam castigationis manum, et ut credi par est, ipsius Augustini sancta anima tot præclaris successi-

bus favente, exstitit vir omnium bonorum benevolentia dignissimus, et ad hanc functionem a natura factus sculptusque, olim eo potissimum nomine Erasmo cum primis charus, illique in hoc negotio (ut sic dicam) succenturiatus, *Martinus Lypsius*: cui viro et temporis spatium, et otium, et exemplarium copia, et in labore sociorum delectus, et litteratura idonea, huicque par industria, et in tanto negotio non tam diligentia, quam religio, ad hoc doctorum hominum favor adhortationesque atque insuper præmiorum allectamenta, denique quidquid præsidiorum opus esset, abunde suppeteret. Namque is a teneris unguiculis Augustini admirator, atque etiam ex professo ejus instituti sectator pro suo peculiari erga sanctis virum affectu, annos plus viginti hoc pene solum egit, ne quod mendum in scriptis ejus subsideret : utpote qui etiam prima nostra editione Erasmo plura loca, quam alius quisquam amicorum suppeditavit. Deinde præter domesticam symmystarum bibliothecam, corrogatis ex circumquaque vicinis monasteriis vetustis et incorruptis exemplaribus optimo quoque in hunc usum promptissime communicante, adscitis ex suo sodalitio impigris aliquot, qui adjutarent, nihil vel aliis, vel sibi ipsi ad summam conferendi diligentiam reliquum fecit, magna, mediocria, minuta, pari lance appendens, et annotans. Vix credas, mi lector, hæc citra exaggerationem dici, ni margines exemplaris ab illo missi videas, hominis indefessum studium testantes : dum certis notis terna quaternave, aut etiam plura exemplaria profert, tum quatenus evarient, indicat : nam cum sit non minore modestia, quam eruditione, maluit aliis judicandi munus cedere, aliquando tamen suum præjudicium addens, quod quidem semper libenter amplexi sumus. Cætera viris doctis, et qui Augustinianæ phraseos salivam diu multumque regustatam jam probe callerent, judicanda commissa sunt : id quod non cuivis proclive fuerit.... Illud dissimulandum non est, in parte quadam decimi tomi, non magna sane, si germana tantum spectes, nos Lypsii subsidio destitutos, grassantibus sub id tempus Geldris in Lovanium et viciniam, ubi tum Lypsius agebat : quod ideo lectorem monitum oportebat, ne forte ex paucis illius de reliquis conjecturam faciat ; in cæteris potius quisque suis oculis inoffense (modo stylo Augustini assueti sint) omnia percurrentibus, quam nostro testimonio credat ; comperiet universa pariter accurata, ne pseudepigraphis quidem exceptis. Cæterum in tanta indagine et pervestigatione unicum opusculum, dumtaxat e germanis, nunc primum repertum est et editum, videlicet *Contra Gaudentium liber tertius* : unde liquet, vix hic aliud quidquam, quod exstet, desiderari, nam sermones De tempore (ut vocant) et sanctis, a quibusdam copiæ magis, quam delectui servientibus, mira licentia passim interfarcti, nihil ad præsens negotium attinent : cum cuivis erudito appareat, quosdam etiam excusos toto stylo Augustinum parentem inficiari, nonnullos Græcum magis, quam Latinum auctorem præse ferre. Æquum igitur est, ut, quod Romanæ eloquentiæ candidati in Cicerone, Livio, Seneca, Plinio, aliisque non paucis, in quibus posterior eruditorum cura ad priorem semper aliquid adjunxit, magno applausu obviisque ulnis exceperunt, idem sanctioris litteraturæ studiosi in Augustini scriptis non fastidiant, si pectora, qualia decet, ad eorum lectionem afferre volunt. »

Totum opus exscriptum est binis columnis solito Frobenianæ officinæ charactere, sed minori et non admodum nitido, præterquam in præfatione, quæ typis paulo majoribus est exarata.

1545.

Venetiis ex officina Erasmiana apud Vincentium Valgrisium ; in-8°, *tomis III* De Aurelii Augustini, Ecclesiæ doctoris eximii, Opusculorum *tomus primus*, quo omnia, quæ ad fidem et opera spectant ; — *tomus secundus*, quo omnia, quæ ad gratiam et liberum arbitrium spectant ; — *tomus tertius*, quo omnia, quæ ad electionem, vocationem, glorificationemque spectant, declarantur : ex libris ejusdem a *M. Augustino Fregoso Sosteneo* excerptus et scholiis, argumentis et indice locupletatus.

Liber rarissimus, cujus nuspiam mentionem factam esse memini. Ne quis vero a titulo sibi imponi patiatur, quasi locorum diversorum undecumque excerptorum et avulsorum, nunc vero juxta varias argumenti sedes compositorum farrago sit, libros integros ad unum argumentum facientes, collectos esse sciat hac serie :

Tomo primo : — De doctrina Christiana libri IV ; De disciplina Christiana liber ; Enchiridion ad Laurentium liber ; De ecclesiasticis dogmatibus liber ; De hæresibus liber ; De V hæresibus oratio ; De Utilitate credendi liber ; De fide et symbolo liber ; De fide ad Petrum diaconum liber ; De agone Christiano liber ; De fide et operibus liber ; In psalmum XXIX enarratio ; In psalmum XXX ; In psalmum XXXI.

Tomo secundo : — Liber expositionis inchoatæ Epist. divi Pauli ad Rom. ; Liber expositionis quarumdam propositionum, ex Epist. ad Rom. ; Liber expositionis Epis. ad Gal. ; Epist. Hilarii ad Augustinum ; Rescriptum Augustini ad Hilarium ; Epist. Patrum Carthaginensis concilii ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocenti papæ ad Patres Carthaginensis concilii ; Epist. Patrum Milevitani concilii ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocentii papæ ad Patres Milevitani concilii ; Epist. Augustini ad Hilarium ; Epist. quinque episcoporum ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocentii papæ ad quinque episcopos ; Libri tres de libero arbitrio : Epist. prima divi Augustini ad Valentium, et cum illo fratribus ; Epist. 2 Augustini ad Valentinum, et cum illo fratribus ; Epist. prima divi Augustini ad Sixtum presbyterum ; Epist. secunda divi August. ad Sixtum presb. ; Epist. Alipii et Augustini ad Paulinum episcopum ; Liber de gratia, et libero arbitrio, ad Valentinum, et cum illo monachis ; Liber de natura et gratia, ad Timasium et Jacobum, contra Pelagianos ; Epist. sancti Prosperi Aquitani de gratia et

libero arbitrio ad Rufinum ; Liber de gratia et libero arbitrio sancti Prosperi Aquitani, pro defensione divi Aurelii Augustini contra Cassiani presbyteri librum ; Epist. sancti Aurelii episcopi de damnatione Pelagii atque Cœlestii. Epist. decerpta ex gestis synodalibus contra Pelagium hæreticum, quæ in Palæstina synodo, sibi objecta damnare compulsus est ; Canones tredecim, epist. Cœlestini papæ pro Prospero et Hilario de gratia Dei adversus quosdam Galliarium presbyteros, Pelagii sectatores.

Tomo Tertio : — Retractationum lib. II ; Hypognosticon contra Pelagianos et Cœlestianos lib. VI ; Contra duas Pelagianorum epistolas ad Bonifacium lib. IV; De spiritu et littera ad Marcellinum liber, De prædestinatione et gratia, qui intitulatur de voluntate Dei, liber ; Prosperi Aquitani de reliquiis Pelagianæ hæreseos ad Augustinum epistola ; Hilarii Arelatensis de eadem materia ad Augustinum epistola ; De prædestinatione sanctorum liber primus ; De bono perseverantiæ liber secundus ; Prosperi responsiones ad excerpta, quæ de Januensi civitate missi sunt ; de prædestinatione Dei liber.

Singulis tomis præmissa est tabula, argumenta librorum et capitum singulorum declarans, quam inscripsit : *Argumenta per M. Augustinum Sosteneum Fregosum compendiose in unum redacta ; et index alphabeticus materiarum insigninm.* Nuncupavit editor opus suum M. Hieronymo Suripando totius Augustinianæ Religionis Generali. Descriptio est elegans typis rotundis nitidis, charta alba et tenera, marginibus amplissimis, quippe qui ultra lemmata et loca biblica in ipsis notata late protenduntur.

1552.

Venetiis ad signum spei; in-4°. X Tomis. Divi Aur. Augustini, Hipp. episcopi, Omnium Operum *primum tomus*, ad fidem veterum exemplarium summa vigilantia repurgatorum a mendis innumeris notata in contextu et margine suis signis veterum exemplarium lectione, ut optimo jure tantus Ecclesiæ doctor renatus videri possit. Inspice, lector, et fateberis hanc non vanam esse pollicitationem : quod, si gratus etiam esse voles, non patieris tantum laboris, tantumque impensarum frustra sumptum esse. *Cui accesserunt libri, epistolæ, sermones et fragmenta aliquot*, hactenus numquam impressa. Additus est et index, multo quam Basileensis fuerat, copiosior. M. D. LII. (1552.)

Secundus tomus Operum rel. (ut in Basileensi a. 1543), *nunc postremo accuratiori quam antea diligentia excusus.* M. D. LII.

Tertius tomus. ut in Basileensi. M. D. LII.

Quartus tomus, complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. *Pleraque, quæ erunt plane convulsa et luxata, ea ad fidem exemplarium veterum Victorinorum restituta sunt.* M. D. LI. (1551.)

Quintus tomus, continens XXII libros de Civitate Dei. Cui accesserunt Commentarii *Jo. Ludov. Vivis* ab auctore recogniti. M.D.LI.

Sextus tomus, ut in Basileensi. M D.LI.

Septimus, octavus, nonus et *decimus tomus* similiter. M.D.L. (1550).

Index omnium, quæ insigniter a D. Aurelio Augustino dicta sunt, nunc recens supra præcedentes editiones, per *F. Florentium Bourgoinum* Parisiensem, Franciscanum, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Insuper multa, quæ erant manca, mutila et solum inchoata, tam in indice auctoritatum sacræ Scripturæ, id est, veteris ac novi instrumenti, quam in locis aliquot sacrarum Scripturarum pugnantibus conciliatis in Augustino, reformata, aucta et repurgata sunt. Perlege et judica. MDLII. (1552.)

Editio extra Italiam paucissimis visa. Notatam deprehendimus in Catalogo bibliothecæ Tigurinæ (*a*). Illius exemplar erat quondam Hannoveræ in ditissima præstantium librorum supellectile Duviana, quod feliciter in manus *Davidis Clement* incidit, et ab eo curiosius est descriptum in *Bibliotheca Historica Critica* T. II, p. 269 seqq. Duo vero simul præstitit insignia litteratoribus beneficia : alterum, quod librum rarissimum nec per se accuratiori cognitione indignum primus patefecit, alterum majus etiam quod diligenti ejus collatione, cum sequenti Veneta editione, omne hujus artificium et constructionem luculenter declaravit, atque id, de quo inter Clericum et Rich. Simonium litigabatur, facili negotio expedivit. Scilicet non meram præcedentium alicujus repetitionem putare oportet, sed ad plures et fere superiores omnes (*b*) conformatam. Siquidem non omnes, sed complures tamen Erasmi censuras retinuit, variantes lectiones in margine offert, et sic ubi in textum aliquid receptum sit, ibidem indicat, ex qua editione proficiscatur. Recusa autem non solum, tomo I *Erasmi* præfatio ad *Alphonsum Fonsecam*, sed in secundo etiam *Jacobi Haemeri*, quem editionis Parisiensis a. 1532 curam gessisse supra vidimus, ad lectorem admonitio. Cæterum nescio, quam verum sit, quod de augmentis in titulo promissum est. Clementius enim alteri quidem editioni Venetæ, quæ eamdem formulam hinc petiit et limine suo suspendit, vanitatem et fraudulentiam exprobrat, attamen in hac eamdem sollicitare neglexit. Nec minus equidem optassem, ut Victorinos codices, quos ad quarti tomi emendationem præsto fuisse dicunt, circumspexisset.

1556.

Basileæ apud Hieronymum Frobenium et Nic. Episcopium; in-fol. X tomis. D. Aur. Aug. Opera, emendata per Erasmum Roterod.

In hac editione, teste Oudino, additi sunt Sermo-

Venetam editionem Operum omnium hac ipsa antiquiorem ignoro, et nisi incuriosius ab eo scriptum sit, ad eam attendere bibliographiæ amatores jubeo.

(*a*) T. I, p. 70. Sic : *Venet. 4. X tomis. D. Aur. Aug. per Fl. Bourgoinum.*

(*b*) *Les éditions de Bâle, de Paris et de Venise, qui l'ont précédée, sont le fond sur lequel on a travaillé.*

nes quinque antea nandum excusi, videlicet, *De Jacob et Esau ad populum sermo*, col. 1487 ; *Sermo in caput* XIII *Proverbiorum Salomonis*, col. 1505 : *In parabolam seminantis sermo* col. 1517; *In illud Matthæi* XVI : *Qui vult venire post me*, etc. col. 1519; *Tractatus in Orationem Dominicam*, col. 1523. Suspicamur autem hujus editionis curam gessisse *Joannem Costerium*. Occurrit in *Cat. Bibl. Bernensis et Thottianæ*.

1561-63.

Lugduni apud Sebastianum Honoratum (ad calcem tomi II) excudebat *Jacobus Faure in*-8°. *Tomis X.* D. Aur. Augustini, Hipp. episcopi omnium Operum *tomus primus* : Qua Retractationum libri duo, varia que illius opuscula, quæ versa pagella indicabit, continentur. Omnia vetustorum codicum collatione ab innumeris mendis repurgata, ac summa fide pristino suo nitori restituta, nunc demum in lucem redeunt. Accessit et index rerum selectiorum copiosissimus. M.D.LXI.

D. Aur. Augustini *Epistolæ*, majori studio, fide ac religione, quam hactenus umquam excusæ, atque a vitiis, quibus multiplici olim impressione contaminatæ fuerant, vindicatæ. *Tomus secundus.* Cum duplice indice uno nominum eorum, ad quos hæ Augustini Epistolæ missæ fuere ; altero rerum omnium in unaquaque Epistola contentarum locupletissimo. M.D.LXI.

D. Aur. Augustini *de Trinitate*, una cum reliquis illius libris, quibus τὰ διδακτικὰ continentur. *Tomus tertius.* Cum indice rerum et sententiarum locupletissimo. M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Quæstiones in vetus novumque Testamentum*, una cum reliquis illius voluminibus, quæ τὰ διδακτικὰ appellantur. *Tomi quarti pars prima.* Cum indice, etc. M.D.LXI. *Pars secunda* similiter.

D. Aur. Augustini *de Civitate Dei* l. XXII, etc., quorum XII hoc omnium illius Operum septimo tomo continentur (sic vitiose pro *tomi quinti parte prima*, ut mox etiam *tomus octavus*, quo reliqui X continentur, pro *tomi quinti parte secunda.*) M.D.LXIII.

D. Aur. Augustini τῶν πολεμικῶν pars prima. *Tomus sextus.* M.D.LXII. — Pars secunda et tertia. *Tomi septimi pars prior et posterior.* M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Enarrationes in Psalmos mysticos. Tomi octavi pars prima et secunda.* M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Enarrationes in Joannis Evangelium et Apocalypsin*, una cum variis illius voluminibus, etc. *Tomus nonus* M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Sermones*. Quorum seriem et numerum sic habeto : De verbis Domini ; De verbis Apostoli; Homiliæ L ; Homiliæ de tempore; Homiliæ de Sanctis ad fratres in eremo ; Decem et septem Sermones nonnullique alii. *Tomus decimus.* M.D.LXIII.

Editio rarissime obvia, sed perquam commode instituta, ut vel ex copiosis rerum memorabilium indicibus, singulis tomis, quin singulis etiam tomorum partibus subjunctis, constare potest. Typi sunt Romani, satis venusti, sed minutiores paulo ; in marginibus loca biblica, rarius lemmata, nec sæpe etiam lectiones aberrantes charactere Italico notantur.

1569.

Basileæ per Ambrosium et Aurelium Frobenios, fratres; in-fol. XI tomis. — Primus tomus : Eximii Patris, inter summa Latinæ Ecclesiæ ornamenta ac lumina principis, D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, cujus præstantissima in omni genere monimenta, quæ quidem inveniri possunt, universa, denuo ad optimorum et fidelissimorum exemplarium examen revocata, nova eruditissimorum virorum recognitione, multo sunt quam umquam antehac emendatiora, ab innumeris vindicata erroribus, ac demum novis quibusdam censuris plurimisque minime aspernandis accessionibus locupletata. Cum indice tripartito, ad calcem adjecto, omnibus, qui exstant, uberiore, et theologiæ studiosis commodiore. Totum novæ hujus editionis institutum et ratio ex Carmine sequenti liquidius patebunt.

Reliqui tomi ut in ed. a. 1543 inscribuntur nisi quod in tomo III, qui τὰ διδακτικὰ continet, additum sit, *ad veterum codicum collationem* post Martinum Lipsium, *nunc multis in locis summo studio emendatus.* X tomus vero sic habet : Tomus X Operum D. Aur. Augustini, continens Sermones ad populum et clericos, vetustissimorum exemplarium collatione nunc denuo plurimis in locis emendatus : cui Sermones de Diversis et fragmenta quædam antehac numquam excusa, opera et studio doctissimorum virorun, *Martini Lipsii*, *Joannis Vlimmerii*, et aliorum e tenebris eruta ad calcem adjecimus : quorum catalogum sequens pagina indicabit.

Index juxta superiorem editionem descriptus est.

Hujus editionis accuratam notitiam dedit olim *Sigism. Jac. Baumgartenius* (*a*). Quidquid in ipsam collatum est industriæ, ad tomum IX et X unice redit, quorum illum nova codicum collatione donaverunt, decimum vero totum immutasse atque refinxisse se profitentur. En verba, quæ ex præfatione raro instituto versibus conscripta huc spectant :

Multa *tomi* noni, priscis ut consona libris
Essent, contulimus : collata hæc quisque probabit.
Parte sed in decima mendis quæ tota scatebat
Innumeris semper, vel iniquo judice constat,
Quantum mutarit nostra hanc industria *partem*.
Hac in purganda multum quoque præstitit olim
Lipsius, huncque pari vir sedulitate secutus
Costerius : magna est horum, non gloria parva.
Nos tamen optantes meliorem imponere limam,
Majus onus sumus aggressi, majoraque cœpta :
Nosque suo hic multum studio *Vlimmerius* acri
Juvit : qui vigili cura vigilique labore
Ante alios unus longe est præstantior omnes.
Ille imperfectum nil linquens, mutila multa
Integra restituit, priscaque in sede locavit.
Adde, quod e libris aliquot tractata vetustis,
Sermonesque sacros toti nunc protulit orbi,
A nullo excusos prius, atque a nemine visos :

Nachrichten von merkwurd. Buchern St. LIII. (T. IX,) Halle 1756, p. 400 seqq.

Hos in calce hujus *partis* tibi, candide lector,
Linquimus, ut videas, sit quanta accessio facta.
His prius excusos junctos quoque, lector, habebis
Non paucos : verum magna quia parte fuerunt
Corrupti, et vitiis scatuerunt pluribus illi :
Ut si supplendi quavis ex parte fuissent,
Pagina mutasset pariter numerumque locumque
Pristina, et utilitas parva hinc, labor improbus esset.
Indicis hic fuerat ratio, pie lector, habenda :
Mutatis numeris cum mutaretur et ille.
Ne tamen inde aliqua frustratus spe videaris :
Omnia in adjunctis fuerant quæ digna notatu,
Hæc inserta tenet vetus, at multo auctior, *index*.
Optato a multis, at multis ante negato
Indice *Possidii*, Divi qui Auctoris alumnus
Discipulusque fuit, nos Vlimmerius idem
Participes facit, et præstanti munere donat.
Atque is conveniens nostræ ut foret editioni,
Haud operam exiguam suscepimus atque laborem,
Ne quicquam in nobis lector desideret æquus.
Diversis si quæ sententia pendula dictis
Nobis visa fuit, hanc signis quisque notatam
Cernet, et ex illa sibi sensus eliget aptos
Quin etiam aliis sunt aucta volumina multis,
Quæ non laude sua, lector studiose, carebunt.

Nempe *Joannes Vlimmerius Lovaniensis*, prior canonicor. regular. ad S. Martinum, in patria plurium Patrum scriptis editis clarus (*a*), anno 1564 Lovanii ediderat *Augustini Sermones de Diversis* XLIII et *fragmenta Sermonum* XXVII, ex Thesauro Eugippii abbatis et Commentariis Bedæ seu Flori, Lugdunensis Ecclesiæ diaconi decerpta, una cum *Possidii indiculo scriptorum Augustini* recens a se in bibliotheca abbatiæ Villariensis reperto et per ipsum marginalibus scholiis illustrato. Inscripserat edita illa *Jacobo Pamelio*, sacrarum litterarum tunc licentiato ac Brugis canonico, epistola, data Lovanii e suo Martiniano cœnobio IX kalend. Aprilis anno M.D.LXIV. Jam ut *sermones* isti recens ab illo editi ad calcem tomi X subjuncti sunt, ita Possidii libellus una cum epistola Vlimmerii primum tomum aperit. Quæ epistola induxit Baumgartenium, ut anno 1564 incœptam esse hanc editionem opinaretur, quod ignoraret, haud dubie, peculiari illam editioni antea inseruisse. Præterea vero totius decimi tomi recognitionem Vlimmerius sustinuit, ut ex hac epistola patet.

Cæterum impressio facta est, ut in superiore, binis columnis, sed charta litterisque aliquanto elegantioribus. Titulus primus figuris ligneis formis impressis exornatus est.

1570.

Basileæ per Ambrosium et Aurelium Frobenios fratres; in-fol. XI *tomis*. D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi Opera.

Mirum forte alicui videri possit, idque mihi ipsi accidisse fateor, quod cum plenam atque absolutam editionem Operum Augustini proximo anno iidem Frobenii fratres dedisssent, eamdem denuo jam sub incudem revocaverint. Atque paucis et fortasse nemini cognitam esse integram certo intellexi, ut justam dubitandi causam habere duxerim, si a quovis alio magis, quam ab ipso editore testimonium accepissem. Is vero fuit HIERREMIAS MYLIUS Picropedianus, corrector, ut arguo, aut administrator typographiæ fratrum Frobeniorum, qui præfatus est ad libros *de Civitate Dei* epistola *ad nobilem ac generosum juvenem D. Stanislaum Starzechovium, Polonum, Joannis Starzechovii Palatini, Podoliensis, filium* (*de Basileæ a.* M.D.LXX. *decimo sexto Februarii*) in qua de se et opera sua hæc profitetur : « Ambrosius et Aurelius Frobenii cum ob defectum exemplarium *quarto* Augustinum prelo subjicere constituissent, me ut operam in eo denuo conferendo, repurgando ac illustrando præstarem, obsecrarunt, tandemque communis utilitatis respectu et sacrorum doctorum precibus victum ad hunc laborem sane difficillimum, ac molestia plenum pertraxerunt, motum præsertim tot magnorum virorum exemplo, ac rerum theologicarum ac hujus auctoris præstantia. Hanc provinciam *inter alia negotia typographica, quibus obruebar, tandem jam tertio exacto anno,* post tot lucubrationes, sudores, intricatissimas revolutiones, distinctiones et abruptas variasque cogitationes indefesso labore etiam cum valetudinis jactura exhaustas, ita me gessisse spero, ut oleum et operam non perdidisse videri possim, et apud theologiæ studiosos et æquos censores gratiam me non contemnendam iniisse putem. Sed omissis his, ad ipsam rem, quæ in novæ editionis præfatione præcipua esse debet, accedam, *et quid præstiterim, recensebo. Primo* (præter ornamenta typographica et indicem, multis modis auctum, aliasque utiles accessiones) Augustini opera, collatis emendatissimis exemplaribus, ita distinxi, ut posthac in intelligendo lector multo quam antea expeditior sit futurus. *Secundo* ex eadem collatione hactenus omissa inserui, depravata correxi, luxata restitui. *Tertio* testimonia sacræ Scripturæ et aliorum auctorum, quæ in his libris citantur, in margine annotavi : magnum sane adjumentum his qui memoria non adeo valent. *Quarto* marginales summas, ut facilius quærentibus materiæ occurrant, non levi cum totius operis lumine adjunxi : posteriora tamen duo maxime in *quinto et decimo tomo, in quibus fere sesquiannum consumpsi,* sunt adjecta : in decimo præsertim non contemnendum Tractatuum atque Sermonum numerum ex *Vlimmerii*, viri venerandæ antiquitatis studiosisissimi, editione addidi. *Quinto* hæc omnia non solum ita disposui, ut multi alii solent, sed etiam ut in actum diligentissime producerentur, ad prela frequenter astans operam dedi. Hic autem, pergit, fortasse mihi occurrent Zoili invidi et calumniatores (quibus, cum ipsi quidem nihil aut non meliora faciant, aliorum honesti conatus semper displicent) me irrisuri qui post tantos viros in tanto opere actum quasi agam, et arrogantiæ me insimulaturi. His breviter ita responsum volo, Erasmo, Germaniæ phœnici, et Ludovico Vivi, viro eruditissmo, me quidem non comparandum, sed tamen *cum per exemplaria illi potius quam proprium judicium, repurgationem suam perfecerint,* et non omnia simul fieri possint, me die diem docente, pluribus illos imitantibus et exemplarium copiam augentibus, nec leviora, nedum notabilia errata tollere potuisse. Accedit quod

(*a*) Cf. *Foppens* Bibl. Bel. T. II, p. 747.

operarum negligentia, cum ipsi prelis non affuerint, multa etiam recte constituta corrumpantur aut omittantur : quod et præsenti mihi vel satis intento sæpissime contigit. Sed quid multis ? *ipsa editionum collatio, quid præstitum sit,* abunde diligenti lectori testabitur. Quod vero *hic tomus* reliquis sit *vendibilior* et in eruditorum hominum manibus frequentior, *hic potissimum* de meis in hoc eximio patre laboribus *præfari* libuit. » Tantum ex verbosa Mylii epistola excerpere visum fuit, ut ipsi lectores oculis suis haurirent, quod ex intuitu quidem tituli ejus voluminis, cui illa adhæsit, minime arguent, integram operum Augustini editionem denuo hoc anno peractam dici. Nam, ut antea diximus, volumen apud nos est, libros de Civitate Dei complectens, cujus titulum ab illo ed. a. 1569 plane diversum infra, ubi ad illorum librorum singulares editiones accesserimus, dabimus. Quod ad ipsam vero epistolam attinet, quam vane et temerarie multa jactitata sint, nemo non videt ; attamen quorsum hæc omnia disputata sint, non facile intelliges. Etenim ut unum tantum proferam, per tres annos editor hunc lapidem voluisse videri vult, ut correctior et melior Augustinus prodiret : intereaque ab iisdem, qui ei istam injunxerant provinciam, totum Augustinum absque ulla illius viri impensa opera excudi potuisse putabimus? An vero tot ac tam cupidos editiones illas et postremam maxime emptores invenisse credibile est, ut pluribus eodem tempore viris doctis expurgationem operum committere non dubitarent Frobenii, semper imprimere parati, ut plagula prelo matura esset. Expeditior quidem res videtur, si tibi persuadeas, bibliopolas emptoribus fucum facere voluisse, ut pro nova editione venderent, cui nil nisi titulus novus et præfaminis aliquid additum fuerat : tametsi ne sic quidem artificium epistolæ illius satis intelligo.

1570.

Venetiis apud Vincentium Valgrisium, item *Juntas* et *Dominic. Nicolinum* ; *in-4°. XI tomis.* D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Operum *tomus primus.* Cui accesserunt libri, epistolæ, sermones et fragmenta aliquot, hactenus numquam impressa. *In quo, præter locorum multorum restitutionem, secundum collationem vetustiorum exemplarium, curavimus removeri ea omnia, quæ fidelium mentes hæretica pravitate possent inficere, aut a catholica et orthodoxa via deviare.* Additus est index cæteris omnibus et locupletior et copiosior. Nunc recens impressus, recognitus et emendatus. Venetiis M.D.LXX. (1570).

Tomus secundus, complectens illius epistolas ad amicos transmissas : cum nonnullis responsis eorum ad ipsum. *In quo,* etc., quod postea in singulorum titulis reperitur. Nomenclaturam eorum, ad quos Augustinus litteras dedit, ad calcem hujus tomi facile reperies. Nunc, etc.

(*a*) Bibl. curieuse, historique et critique, T. II, p. 265 seqq.

(*b*) Edito *Berol.* 1715, in-8, p. 783.

Tomus III-X inscribuntur ut Basileensis a. 1543, additis ubique verbis, quæ modo produximus. Attamen in quinti tomi titulo commentarii Jo. Lud. Vivis mentio est omissa.

Index omnium, quæ insigniter a D. Aurelio Augustino dicta sunt, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Insuper multa, quæ erant manca, mutila et solum inchoata, tam in indice auctoritatum sacræ Scripturæ, id est, veteris ac novi Instrumenti, quam in locis aliquot sacrarum Scripturarum pugnantibus conciliatis in Augustino, reformata, aucta et repurgata sunt, Venetiis M.D.LXX.

Recenset hanc editionem, sed titulo contracto, *Audiffridus* in *Catal. Bibl. Casanat.* T. I, p. 341, docens, primum tomum apud Valgrisium, reliquos ad Octavum usque cum indice ibidem eodemque anno apud Juntas, nonnum et decimum apud Nicolinum prodiisse. His tam diserto testimonio contradicit *Davides Clement* in *Bibl. Hist. Crit.*, ubi accuratam ejus mentionem fecisse supra jam significavimus (*a*). Ab eo sane titulum pleniorem mutuati sumus, quem ipse primum ex Catalogo Bibl. Magerianæ (*b*) excerpserat, mox vero, cum ipsam editionem nactus esset, ex propria inspectione approbavit. Reprehendit autem Clementius Fabricium, quod Valgrisium excudisse eam dixerit. En igitur par virorum et doctorum et curiositate ac sedulitate in suo genere nemini cedentium, in re levi et quæ errorem inter testes oculares vix ferre possit, sibi repugnans. Optimum quidem aliquis duxerit, missos eos facere, et fidem tertii alicujus, cui videre eamdem contigerit, exspectare. Non abnuo, nec tamen mihi tempero, quo minus suspiciones meas addam. Audiffredum virum supra, quam dici potest, in iis omnibus, quæ ad descriptionem libri alicujus ab eo inspecti pertinent, sedulum, in his tam distinctis verbis ab eo conceptis errasse, ægre mihi persuadeo. Jam in titulis certe nullum exstat typographi indicium. Igitur in calce tomi cujusque nomina subscripserint, necesse est. Atqui titulos aliunde jam in suam Bibliothecam transcripserat Clementius, cum hujus editionis exemplar ipsi in manus incideret. Tunc vero quid illum egisse putas ad Fabricii fidem explorandam? Evolvit scilicet singula volumina et circumspexit typographos. Minime vero unice tunc curabat, ut de integritate editionis, quam in dubium alii vocaverant, et defenderant alii, certior fieret. Incidit tamen in oculos, dum in hoc negotio occupatus erat, Dominici Nicolini epistola dedicatoria, fortasse etiam tomi noni et decimi subscriptio, et cum prætera duos a Fabricio in illius commemoratione errores admissos animadvertisset, de tertio, puto, non amplius dubitandum sibi existimavit. Forte his, a me disputatis, facilius credetur, si ipsa, quibus Fabricium taxat, verba adduxero, quam ob rem hic subjicienda curavimus (*c*).

(*c*) M. Fabricius s'est trompé, quand il a dit dans sa *Bibliotheca latina,* T. III, p. 514 : *Augustini opera decem tomis, in-quarto comprehensa, Valgrisius excu-*

Jam his remotis progredimur ad id, quod melio- A rem aut potius famosam hanc editionem reddidit. Nimirum curam illius gessit, seu quod credere malim, vel aliis bibliopolis in societatem assumptis parare eam instituit, vel ab aliis incœptam redemit Dominicus Nicolinus bibliopola, et typographus Venetus, cujus aperta in ipsa fronte operis confessio, *quod ea omnia removeri curaverat, quæ fidelium mentes hæretica pravitate possent inficere, aut a catholica et orthodoxa fide deviare*, haud benigna inter heterodoxos est experta judicia. Perstrixerunt eam hoc nomine *Caveus* in *Prolegom.* ad *Hist. litt. Script. Eccles. sect.* VII, et *Jo. Clericus* in *Præfatione Artis Criticæ* sect. III, § 9 (*a*); atque ante eos vehementissime in hoc ausum invectus est *Franc. Turretinus* in disputationibus *de necessaria secessione nostra ab Ecclesia Romana, et impossibili cum ea Syncretismo* (*b*). Neuter tamen eam vidit, sed sua ipsius confessione satis malignitatis convictam esse statuerunt. Sed hoc iniquius aut saltem præcipitatius judicasse visi sunt, Caveus quidem et Clericus, *Rich. Simonio*, qui mutationes istas non in ipso textu, sed in censuris tantum et scholiis factas esse contendit (*c*). Quocum plane conveniunt, quæ ex inedita dissertatione P. *de Vitry* in *Memoriis Trevoltinis* excitantur (*d*). Sed reposuit Clericus, non esse, cur sui se judicii pœniteat. Simonium textum hujusce editionis cum alia vix contendisse, Italorum autem correctorum, qui tam vaga oratione operam suam declarassent, religioni non multum esse tribuendum (*e*). Ac ita quidem diu lis sub judice pependit, donec Clementius tandem arbitrium illius susciperet. Nam cum rara in his litteris felicitate ipsi contigisset, editiones Venetas anni 1552 et 1570 inter se conferre, vidit primum, quod plane usque dum ignoratum fuit, priorem huic quodammodo pro fundamento fuisse, nec tamen per omnia esse descriptam, sed ut quæstui convenientissimum visum esset, et consilio, quod professus est bibliopola, aptum, aliis demptis, et mutatis aliis. Sic accessiones, quæ in titulo jactantur, jam iisdem verbis in superiore promitti, atque indicem, titulo tantum immutato et deleto imprimis auctoris nomine, plane ab eadem desumptum esse, ostendit. Contra vero in multis etiam recedere ab illa animadvertit, omnisis et illatis tam singulis vocibus, quam libellis integris, quorum exempla sat multa ab eo sunt coacta quibusque omnibus effici colligit, defensionem hujus editionis a Simonio perperam esse susceptam. Nec sane nos videmus, quo meruerit Nicolinus, ut patrocinium ejus Simonius susciperet, cum nuspiam ab ipso aliquam cautionem ad mutationes suas defendendas allatam esse novimus, quin potius omnia sibi permisisse, nec textui ullo modo pepercisse, in epistola sua, cujus initium ex Clementio hic apponimus, aperte fassus est : « Cum divi Augustini Opera, inquit, non sine magno catholicæ fidei detrimento circumferri viderem, hæreticorum versutia multis in locis depravata, operæ pretium me facturum existimavi, si ea, integritati suæ restituta, hoc tempore imprimerem. Id quod, ut facilius assequerer, curavi imprimis, ut a sacræ theologiæ professoribus recognoscerentur, utque cum vetustioribus codicibus collata, ad genuinam eorum lectionem redigerentur. Curavi præterea, ut inter imprimendum accederet cura ac labor excellentissimi viri *Borgarutii a Borgarutiis*, typorum accuratissimi ac diligentissimi castigatoris. Qui quantum in hujusmodi operum castigatione præstiterit, ex collatione cum his, cæterorum exemplarium, facile patebit. »

B

1571.

Lugduni apud Morellium, et Parisiis apud Nivellium. Basileensis editionis factas esse iterationes a Fabricio proditur; quæ vere, protinus non affirmare ausim. Sed memini me *Lugdunensem* hujus anni editionem *octonis* factam apud *Seb. Honoratum* deprehendere in Hendrichii Pand. Brandeb., ubi Enarrationes in Psalmos voluminibus II in-8° laudat, quæ sine dubio ad integram operum editionem pertinent.

1577.

C

Antuerpiæ ex officina Christophori Plantini; in-fol. XI tomis. Opera divi Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi et doctoris præcipui, tomis decem comprehensa, per theologos Lovanienses ex manuscriptis codicibus multo labore emendata, et ab innumeris erroribus vindicata; illustrata præterea eruditis censuris et locupletata multis homiliis et aliquot epistolis ejusdem Beati Augustini, antea non editis. Cum indice tripartito.

Cum singulis tomis peculiares additæ sint, ab Erasmianis fere desumptæ inscriptiones, hic tamen generalis titulus præfigitur volumini, quod ultimum recte diceres, nisi, ut hoc ipso patet, reliquis omnibus præponi deberet, indices cum Possidii Vita et D indiculo scriptorum Augustini, nec non præfationem, quæ de ratione totius instituti exponit, complexum.

Susceperat nimirum hanc novæ et emendatioris Augustini operum editionis provinciam primum *Thomas Gozæus* Bellemontanus Hanno, theologiæ in Lovaniensi studio professor, apostolicus et re-

dit, A. C. 1571. Il y a là trois fautes. 1° Cette édition a onze volumes, et non dix ; 2° elle est de l'année 1570, et non 1571 ; 3° elle ne vient pas de *Valgrisius*, mais de *Dominicus Nicolinus*, qui l'a enrichie d'une dédicace, adressée *Joanni Antonio Fachineto a Nuce, Neocastri episcopo, et apud sereniss. Venetorum rempublicam oratori Pontificio.* Elle est datée de Venise, le 15 d'octobre 1570.

(*a*) Edit. noviss. *Lugduni Bat.* 1778, T. I, p. 16.

(*b*) Disp. V. § 26, *p.* 130 Prodierunt primum *Genevæ apud. Sam. de Tournes*, 1687. in-4°.

(*c*) *Seulement dans les sommaires et les scholies.* V. in *Bibliothèque critique de Sainjore.* T. I, p. 261 (Paris et Amst. 1708, in-8°), et *Lettres choisies de M. Simon* (Amst. 1730, in-12, T. IV, p. 12).

(*d*) *Mémoires de Trévoux.* 1729. Sept. p. 1618.

(*e*) V. *Bibliothèque choisie*, T. XVIII, p. 169.

gius librorum per Belgium censor. Susceperat autem sic, ut summa quidem ac arbitrium totius operæ penes se esset (*a*), laborem vero cum pluribus viris doctis et studiorum similitudine conjunctis et affectu in S. Augustinum quasi invicem æmulantibus communicaret, et pensa quasi singulis distribueret, conquisitis et divisis inter suos plus quam ducentis mss. exemplaribus. Postquam vero apoplexia correptus vitam cum morte improvisa a. 1571 die 8 Martii commutaverat, successor ejus in munere censorio Joannes Molanus etiam hoc onus a Plantino sibi injungi passus est, et remotis aliquot suffectisque aliis in eorum locum lectoribus (*b*) suis veluti auspiciis profligari ac perfici tandem opus vidit.

Nec vero singulis modo tomis dati sunt administratores, sed in singulis plures pro ratione codicum elaboraverunt. Præfuerunt autem operibus, teste Molano, in *primo* tomo corrigendo *Martinus Baccius*, Tiletanus, postea Aloflensis pastor; in *epistolis Jacobus Baius*, Melunensis, collegii Sabaudiæ Lovanii præses. Accessit autem additamentum earum ab *Joanne Gravio* ex Societate Jesu Bruxellis transmissum. In *tertio tomo* desudavit *Henricus Cuykius*, Culenburgensis, ethices tunc professor, post episcopus Ruræmundensis. *Quartum* emendavit *Embertus Everaerds*, Arendoncanus, pastor ecclesiæ D. Jacobi. Libros de *Civitate Dei*, qui tomum *quintum* faciunt, *Petrus Coretus*, Athensis, pastor et professor Crispiniensis correxit. In *sexto* tomo *Christophorus Broide*, ad Ariensis ecclesiæ decanatum evocatus, elaboravit. *Septimus tomus*, quem mendis scatuisse dicunt, ab *Henrico Gravio*, Lovaniensi, theologiæ doctore et professore regio, et alias celebri, recognitus est. *Psalmis* præfuit *Claudius Porta*, Bapalmensis, theologiæ baccalaureus, post Binduæ pastor et canonicus. In tomi *noni* correctione *Guilielmus Estius*, Gorconius, operam suam studiumque navavit. Atque hi omnes, præter Henricum Gravium et Claudium Portam, theologiæ licentiati dignitatem assecuti erant. *Decimus* denique tomus *Regularibus Martinianis* datus erat, quippe in quem jam pridem apud eos *Martinus Lipsius*, Bruxellensis, ejusque discipuli *Joannes Costerius* et *Joannes Vlimmerius*, Lovaniensis, magni laboris impensam egerant. *Joannes* vero *Vlimmerius* in hanc quoque editionem contulit varios Augustini sermones a se repertos, et multos antea non editos ex Cambronæ codicibus studiose transcripsit. De se autem Molanus affirmat, sibi reservatum fuisse, ut singulis Augustini libris, ut in manuscriptis fieri observatum erat, retractationem ipsius, aut si ea deesset, brevem censuram multorum theologorum sententia confirmatam præmitteret. Quæ manifeste deprehensa constaret Augustini non esse, ea præmissis censuris, in appendice tomi sui reponenda censuit. *In his censuris autem*, inquit, *Erasmus aliquoties, sæpius autem indiculus Possidii, citationes Bedæ, censura manuscripta doctissimi theologi Joannis Hesselii in novem tomos et reverendi patris Martini Lipsii in tomum decimum magno nobis adjumento fuerunt. Nihil autem adhibui, quin a duobus collegii nostri professoribus, Henrico Gravio et Laurentio Westerhovio, quos in hac parte socios et adjutores habui certe strenuos, approbatum sit.* Ac hoc quidem privati hominis quasi de sua ipsius opera est judicium atque professio. Sed fortasse juvabit etiam censuram, quam auctoritate muneris publici emisit, quæque versa statim tituli pagina impressa legitur, cognoscere. Ecce vero.

« Opera beatissimi Augustini, per theologos Lovanienses castigata, tribus potissimum de causis, omnibus prioribus editionibus sunt præferenda. *Primum*, quia ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus innumeri fœdique errores per singulos tomos sint emendati, apposita etiam ad cujusque tomi calcem sua castigatione. *Secundo*, quia quæcumque in his tomis erant indoctæ, aut censuræ, aut annotationes (ut nihil amplius dicatur), eæ in hac editione absunt. *Tertio*, quia singulis libris retractatio ipsius sancti Augustini est præmissa, aut ubi ea deest, brevis censura, multorum theologorum judicio confirmata. Quæ autem certo Augustini non esse sunt deprehensa, ea in sui tomi appendicem sunt reposita, præfixis censuris quæ per theologos aliquot Lovanienses sunt discussæ et approbatæ (*c*). »

Ad quæ pauca jamjam nobis sunt observanda. Ac præmonere quidem lubet, partitionem per singulos tomos ex Erasmiana esse servatam, sed mutatum passim librorum ordinem, maxime per eos, qui in appendices rejecti sunt. Non immerito autem hoc sibi tribuerunt, quod textus a multis gravibusque mendis in mss. exemplarium, quorum immensa ipsis suppetebat copia, sit emendatus. Probant illud *castigationes* seu *recognitiones* ad finem cujusque tomi, præter decimum, adjectæ, in quibus diligenter, sed paucis verbis lectio superior cum lectione codicum collatorum seu recens recepta comparatur, indiculo codicum adhibitorum ubique præmisso. Harum vero emendationum vel locorum emendandorum largis-

(*a*) *Difficultates tantum, ac ea, quæ dubitationem haberent, ad se referri eum voluisse* scribit Molanus.

(*b*) Sic vocat Molanus eos, qui conferendis cum mss. exemplaribus et corrigendis Augustini libris atque repurgandis Erasmi maxime censuris et Vivis commentariis ex Gozæi dispositione vacarent: *Examinatis lectorum operis, in multis quidem*, inquit *acre judicium cum summa diligentia conjunctum probavi: in aliis autem, et si non tantum diligentiæ deprehenderem, tamen id studii, quod habebant, excitandum potius, quam improbandum putavi. Pauci fuere, quorum in locum quod minus idonei viderentur, alios eruditione judicioque præstantes viros suffeci, qui ex nostro præscripto, tum superiora, tum ea, quæ restarent, accurate corrigerent, et difficultates ac dubia loca tantum ad nos referrent.*

(*c*) Signata est *Lovanii anno M.D.LXXI kalendis Septembris.* Joannes Molanus Lovaniensis, *apostolicus et regius librorum visitator, meo nomine, et imprimis mandato et auctoritate venerandæ facultatis nostræ theologicæ, sic subscripsi.*

sima succrevit seges in tomum septimum, qui controversias cum Donatistis atque Pelagianis continet. Multa quoque adeo intricata aut in utramque partem explicabilia, ut parum sibi laborem successurum sentiret, qui hujus tomi vindex constitutus erat, Henricus Gravius, nisi ab instituta in reliquis brevitate recederet. Vincebat enim « non tam infinita erratorum turba, quæ hunc tomum turpissime defœdabant, quam, quod necesse frequenter esset, mutatæ lectionis rationem reddere, mendosam convincere, vitiatæ causam et occasiones aperire : interdum autem varios expendere, ac collatione aliorum inter se locorum dijudicare, nonnumqum et contra fidem ms. vulgatam asserere : aliquando vero divinationem quoque proponere, quomodo hiulca impleri, luxata curari, depravata restitui posse viderentur. » « Postremo, inquit, annotanda etiam loca suspecta, et quibus medelam sine ms. præsidio afferre non possemus ; ut nimirum occasio studiosis præberetur, veteres aliarum regionum bibliothecas excutiendi, nuncubi forte, vel antiquiora, vel fideliora exemplaria lateant, unde corrigi, vel emendari ea possent. » Quin ubi semel ab instituto recessisset, ausus est aliquanto etiam longius procedere. « Ac primum, inquit, historiam, quæ plurima his et ignota frequenter occurrit, breviter aperuimus ; dehinc obscura illustravimus ; ad hæc suspecta et periculosa explicavimus ; tum ab aliis arrosa defendimus ; præterea non recte a quibusdam intellecta, quo sensu accipienda forent, ostendimus ; denique si quid contra hodiernas hæreses faceret, aut alioqui observatione dignum occurreret, paucis annotavimus. Sed nec id visum fuit prætereundum, ut, quoniam Germanicum exemplar corrigendum nobis datum erat, multi autem *gallicana* uterentur *editione, quæ alios frequenter ac alios a Frobeniana errores haberet*, eos quoque indicaremus. Id quod in locis aliquot non indiligenter fecimus, sed temporum angustiis exclusi perficere non potuimus. » Singulare itaque volumen, et quod peculiari titulo ab ipso tomo septimo discretum est hæ Gravii discussiones efficiunt, inscriptæ, *Annotationes in tomum VII B. Augustini, Hipp. episc., quibus castigationum ratio varietasque lectionum indicatur, res memoratu dignæ observantur, obscuriora difficilioraque loca explicantur et illustrantur. Antuerpiæ M.D.LXXVII.* Jam quod *alterum* attinet, quod in virtutibus hujus editionis publica censura reponit, nihil attinet dicere quid in Erasmi censuris et in Vivis commentario, hisce theologis displicuerit. Plus valet tertium, spuria a genuinis prorsus secreta et in appendicem rejecta, quod sane laboris momentum multo eruditius, quam Erasmus, persecuti sunt, qui plerumque, quæ sibi suspecta essent, in censuris tantum notare contentus fuit, paucula sejunxit, quædam plane ejecit. In sermonibus tamen, ubi difficile fuisset, de singulis in particulari censere, Martini Lipsii exemplum se secutos esse professi sunt, ut iis, qui certo Augustini esse viderentur, nomen ejus ascriberent, et ex Beda, aut aliunde, prout occurret, probationem adjicerent ; qui vero certo Augustini non esse deprehensi essent, eos in appendicem rejicerent, reliquos aut non satis discussos, aut ex judicio quorumdam eruditorum, dubiæ auctoritatis inter Augustinianos relinquerent, non addito tamen ejus nomine. Atque hæc hactenus de Lovaniensium studiis. Quod typographi partes attinet, impressa sunt opera quidem charactere rotundo, satis nitido, binis columnis, censuræ eodem, sed minori, argumenta autem sicut et in marginibus notata, Italico. Omnes autem tomi, præter eum qui indices complectitur, et universi operis titulum præfert, itemque annotationes in tomum VII, annum *M.D.LXXVI* in fronte gerunt ; nec tamen omnes hoc anno absolutos esse, ex subscriptione patet, quæ in aliis annum septuagesimum sextum, in aliis septuagesimum septimum ostendit. Denique adjecimus, Plantinum nuncupasse editionem *Christophoro et Ludovico Madruciis* cardinalibus.

1584.

Venetiis, per Joannem Baptistam Sessam, sub signo Felicis ; in-4°. *XI tomis.* D. Aur. Augustini. Hipp. episcopi, opera omnia impressa, recognita et emendata. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

Iteratio est Venetæ prioris. Saltem Turretinus verba, quibus tantopere offensum esse novimus, quæque supra sunt excitata, ex hac laudat, idque Colonienses confirmant, qui *Ancillonium* corrigunt, in *Miscell. Crit.* T. I, p. 243, perperam numerum a. 1548 efferentem. *Oudinus* tamen T. I, p. 952, Plantinianæ descriptionem esse tradit, meque ipsum ancipitem reddidit Turretinus eo, quod apud *Juntas* expressam vult, quod de priori ex parte quidem verum, de hac mihi non liquet. Facile autem fieri potuit, ut editionem, quam intenderet, a typographo recte significaret, anni numerum tamen cum alterius Venetæ anno confunderet. Sed in superiore sententia confirmat nos Clementius, qui laudatis auctoribus alia testimonia addidit in *Bibl. Hist. Crit. T.* II, p. 268.

1586.

Parisiis, cum insigni Magnæ Navis; in-fol. *XI tomis.* D. Aur. Augustini opera, etc., *ut in Antuerpiensi.* Additis nonnullis aliis homiliis Lutetiæ nunc primum editis, quas pagina secunda tomi X indicabit : cum indice tripartito.

Homiliæ, quas de novo adjecerunt, sunt XIII ex ms. codice bibliothecæ Carthusianæ-Majoris desumptæ. 1° *In natali Martyrum ;* 2° *De Susanna ;* 3° *In illud Evangelii Joannes,* Usque nunc nihil petiistis in nomine meo ; 4° *In natali S. Casti et Æmilii Martyrum ;* 5° *Tractatus in vigiliis Pentecostes ;* 6° *De lectione Exodi, de Rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur ;* 7° *De verbo et voce, et de jejunare et esurire ;* 8° *In illud Joannis : Ego, non ascendo ad diem festum istum ;* 9° *De arbore, cui maledixit Dominus, et aruit, quia fructum in ea non invenit ;* 10° *De Apostolico, Nihil in hunc mundum intulimus, verum nec auferre aliquid possumus ;* 11°

In illud Pauli, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; 12° *In Pervigilio, in illud Exodi, Quando in Ægypto agnus immolatus est;* 13° *In psalmum XLI, ad Neophytos.* Augustini nomen ms. præferre notant, nec quemquam fore, sibi persuadent, quin illius esse agnoscat. Præter homilias vero addita sunt insuper hæc incertorum auctorum ex eodem fonte haud dubie petita: *Commonitorium ad universam Ecclesiam* (a); *Forma epistolæ de quodam episcopo Manichæorum sectæ*; *Collatio Trinitatis B. Augustini a se ipso ad semetipsum*; *Miscellaneæ sententiæ a quopiam collectæ*; *Tractatus de XII lapidibus, de quibus in Apocalypsi.* Cæterum quoad typorum et chartæ nitorem hæc editio Plantinianam antecellit.

1569.

Genevæ excudebat Jacobus Stoer; in-8° *XI Tomis.* D. Aur. Augustini Opera per theologos Lovanienses emendata. Laudant *Colonienses* et *Ceillerius.*

Mihi nonnisi quintum hujus editionis tomum videre contigit, libros de Civitate Dei complectentem, hoc titulo: *D. Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII. Veterum exemplarium collatione nunc demum castigatissimi facti, eruditissimisque* LUDOVICI VIVIS *commentariis illustrati. Quorum XII priores hac omnium illius Operum* TOMI QUINTI PARTE PRIMA *continentur. Cum* INDICE *hac postrema editione castigatissimo ditissimoque facto.* — Alterum vero volumen inscribitur:

D. A. A. Operum TOMI QUINTI PARS SECUNDA, *qua reliqui X libri d. C. D. continentur*, etc. — Nimirum non raro hujus et Lugdunensium simili forma editionum tomi separatim obveniunt, et proclivius quidem erat, ut distraherentur, per modicam voluminum molem et usum commodiorem et proinde crebriorem.

SÆCULUM XVII.

1603.

Parisiis, in-fol., XI tomis. D. Aur. Augustini Opera ejusdem recensionis. *Oudinus* et ex eo *Colonienses.*

1609.

Parisiis.... in-fol., XI tomis. D. Aur. Augustini Opera juxta theolog. Lovaniensium recensionem expressa. Citat eam *Vignerius* in Præf. ad Supplem., et hinc alii.

1613-14

Parisiis, sub signo Magnæ Navis; *in-fol., X (XI) tomis.* D. Aur. Augustini Opera ex secunda editione theologor. Lovaniensium emendata et locupletata. una cum *Leonardi Coquæi* commentariis in libros de Civitate Dei. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*; cui adde *Oudinum.*

Vignerius. in præfatione ad Suppl. hanc juxta quam præcedenten non pœnitendis additionibus locupletatam esse tradidit; sed quibus, nescio. Nec satis intelligo, quæ fuerit *secunda* theologorum Lovaniensium editio, quam secutos se in titulo profitentur curatores.

1616.

Coloniæ Agrippinæ [*sumptibus Antonii Hierat.*]; *in-fol., XI tomis.* D. Aur. Augustini Opera ex theologorum Lovaniensium editione, jam longe auctiora. Vignerius pronuntiat, hanc editionem præcedentibus editionibus auctiorem esse, sed charta, ad oleum et piper releganda, impressam. Quapropter nullus equidem dubito, quin a bibliopola, dubitanter a nobis significato, profecta sit.

1626.

Parisiis, in-fol., XI tomis. D. Aur. Augustini Opera juxta theologorum Lovaniensium editionem. *Vigner.*

1635.

Parisiis, in-fol., XI tomis. Eadem. *Vigner.*

1644.

Parisiis, apud Anton. Vitray; *in-8°*, II *voll.* Augustini Opera contra Pelagianos. *Cat. Bibl. Reg. Paris.* T. I, p. 377, n. 679.

1647-48.

Lovanii, apud Bernardin. Masium; *in-4°*, *III voll.* B. Augustini, Hipp. episcopi, et veterum ejusdem discipulorum opuscula insigniora adversus Pelagianos et eorum reliquias; juxta editionem Plantinianam. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1651.

Parisiis...; *in-fol., XI tomis.* S. Aur. Augustini Opera ex Lov. theol. recensione. Testatur Cl. Rosler hanc descriptionem sibi in Bibliothecæ suæ tomo V usum præstitisse. Nisi fortasse una editio sit hæc et insequentis anni mox laudanda, adeo ut priores tomi, in quibus Retractationes et Epistolæ a . 1651, reliqui a. 1652 excusi sint.

1652.

Romæ per Ignat. de Lazaris; *in-4.* S. Augustini, Hipp. episc., aliqua opera insigniora adversus Pelagianos et eorum reliquias. *Cat. Bibl. Reg.*

—

Paristis, in-fol., XI tomis. S. Aur. Augustini Opera ex Lovaniensium theologorum recensione. Has omnes autem editiones auctiores quidem sed inemendatiores esse, Vignerius prodidit.

1654.

Bruxellis, in-12. S. Augustini opuscula quædam selecta. Insunt: *De gratia et libero arbitrio. De conceptione et gratia, De prædestinatione sanctorum, et De dono perseverantiæ*; cum tribus Augustini epistolis: I, ad *Paulinum*, episc. Nolanum; II, ad *Sixtum*, Ecclesiæ Rom. presbyterum (postea pontificem); III, ad *Vitalem* Carthaginiensem (inter Augustinianas olim 105, 106. 107, nunc 194, 186, 217), præmissis duabus *Hilarii* et *Prosperi* ad Augustinum epistolis. *Cf. M. Bibl. Eccl. Col.* p. 745 et 746. Num vero titulus juxta ipsa verba ibi declaratus sit, ignoro.

1654-55

Parisiis, sumptibus Simeonis Piget, in via Jacobæa,

(a) Huic ascriptum: *Videtur mihi potius Cœlestini, aut Leonis, aut alterius papæ, qui sua vi deos exterminent.*

ad insigne Prudentiæ; in-fol., II *tomis*. Sancti Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Operum omnium ante annum M. DC. XIV, tam Basileæ, quam Lutetiæ, Antuerpiæ, Lugduni et Venetiis editorum supplementum; una cum sex libris secundæ responsionis ejusdem B. Augustini contra Julianum hæreticum Pelagianum, variisque sermonibus et tractatibus hactenus ineditis. *Hieronymus Vignerius*, Congregationis Oratorii D. Jesu presbyter, ex optimæ fidei et bonæ antiquitatis codicibus mss. eruit. — T. I, editio secunda 1655. (In fine : 1654, *ex typographia Francisci Le Cointe*) ; T. II, 1655.

Animadverterat Vignerius non solum in novissimis, quæ tum erant Augustini Operum editionibus, plurima deesse opuscula proximis ante annis recens ac seorsim evulgata, sed quod moleste potissimum iis accidebat, qui aliquam editionem comparaturi erant, recentiores omnes utut auctiores singulæ, nec integræ tamen, longe antiquioribus, quoad textus puritatem et emendationem, erant inferiores. In animum igitur induxit, supplementum operum sancti hujus doctoris parare, non tam ut recentioribus id commendationis afferret, ut hac sua opera assumpta integræ omnino, dici possent, sed potius ut iis, qui antiquas et castigatiores mallent retinere, gratificaretur. Complectitur itaque I tomus : 1° *Sermones novos XL*, a Sirmondo a. 1631 Parisiis editos et in sequiores inde editiones receptos cum appendice Sermonum V, et notis ejusdem : 2° *Sermones de Diversis CXXVII*, duabus partibus distincti ac primum a Lovaniensibus a. 1576 editi, 3° *Homiliæ undecim*, ex codice manuscripto bibliothecæ Carthusianæ-Majoris desumptæ. 4° *Sermones VI*, a Joanne Baptista Maro Romæ editi. Sed nescio, quo casu factum sit, ut hi cum præcedentibus in unum cogerentur, ita quidem, ut non undecim, ut titulus pollicetur, sed XII Sermones ex codice Bibl. Carthusianæ-Majoris exhibiti sint, iidem, qui primum a. 1586 a Parisiensibus excusi erant, sed uno auctiores, qui hic desideratur, cujusque in locum alius, *brevem Symboli explicationem* sistens, successit, quem, ut sequentes tres *In Calendas Januarias, de Calendis Januariis et ante altare ad infantes de sacramento* etiam in novissima tunc temporis Parisiana editione deesse notat. 5° *Tractatus de septem vitiis et septem donis Spiritus Sancti*, editos olim a *Guil. Camerario*, Theologo Scoto, a novissima editione (a. 1652) pariter exsulans. 6° De gestis Pelagii liber. 7° *Epistolæ*, quæ in antiquioribus editionibus, Basileensi, Parisiensibus et Lugdunensibus omissæ erant. 8° *Speculum S. Augustini in Scripturam sacram*, hactenus ineditum ; de quo infra nobis sermo erit. Sed longe insignior Supplementorum horum pars, libri usque dum inediti expanduntur in *tomo secundo*. Quare ipse ait, *quod Galliæ ob hanc supplementi editionem applaudat universus orbis Christianus potiorem ex altera parte, quam ex prima nasci rationem. Primo* nempe loco in lucem prodeunt ex tenebris, quibus sepulti hactenus exstinctique pene jacuerunt, *Sex libri Augustini contra Juliannm*, a Fulgentio Beda, Servato Lupo aliisque sequioribus scriptoribus passim commemorati, sed exigua tantum parte sua Claudii Menardi beneficio cogniti, adeo ut ex octo libris amplius duobus superesse nemo jam sperare auderet, cum ecce hic Vignerio fortuna obtigit, ut sex integros libros bibliothecæ Clarævallensis codice deprehenderet. Qua de felicitate ipse quidem sic exsultat ut non injuria fortasse dici possit, affectum aliquid detraxisse judicio, animumque a tranquilla pensitatione præcipitasse, dum non sex modo, sed ipsos, quotquot ab Augustino scripti esse dicuntur, octo libros reperisse videri voluit. Sed de his infra in singulorum opusculorum editionibus n. 98. Sequuntur tamquam altera quædam secundi hujus tomi pars : 1° S. Augustini epistola unica ad Macrobium ; 2° Sermones inediti XL, et 3° Tractatus duo, alter de *Oratione* ex codice Divionensi, alter inscriptus de *Oratione et Eleemosyna* ex codice Regio ; denique 4° *Sententiæ adversus Pelagianum hæreticum*. Adjecti sunt in utroque tomo indices necessarii. Inscripsit autem Vignerius tomum secundum *Claudio Largentier*, Abbati Clarævallensi ; primum *Gondo* cardinali de *Retz*.

1675.

Lugduni in-12. S. Augustini opuscula quædam selecta; ejusdem collectionis, quæ a. 1654 Bruxellis prodiit.

—

Bruxellis, in-12. Eadem ex quinta repetitione. *Colonienses*. l. l.

1679-1700.

Parisiis, apud Franciscum Muguet ; *in-fol.*, *XI. Tomis*. S. Aur. Augustini, Hipponens. Episcopi, Opera, post Lovaniensium theologorum recensionem, castigata denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos, etc., nec non ad editiones antiquiores. et castigatiores. Opera et studio monachorum ordinis Sancti Benedicti e congregatione Sancti Mauri. Tomus I, II, 1679, III, 1680; IV, 1683; V, 1664; VI et VII, 1685; VIII et IX, 1688 ; X, 1690; XI, 1700. Tomus I et II recusi ibidem 1689.

Tria sibi in nova hac editione paranda cordi fuisse, fatentur Patres Maurini (in præf. gen. tomo XI præmissa) : videlicet ut *accurata* esset, *commoda* et *rite illustrata*. His quartum adjunxerunt, quod per se non tam commendationem meretur in editore, quod justum est, quam reprehensionem pati debet, sicubi præter exspectationem desit, hic tamen ob causas omnibus notas et gravius multo et longe difficillimum, scilicet, ut nullis partium studiis esset addicta.

Ac primum quidem, ut quam maxime *accurata* esset, tribus ipsis constare visum est conditionibus : nempe ut contextui genuina integritas ad veteres et sinceriores codices restitueretur; ut certa ac germana opera secernerentur a dubiis et spuriis ; et ut editio ipsa a typographicis mendis repurgata prodiret. Ut vero perquam *commoda* redderetur, quatuor

a se curata esse monent; nimirum *operum ordinem*, A in quo instituendo et temporum, quo deinceps singula elaborata sunt, et argumentorum ratio habita est, adeo ut quæ unius generis essent, veluti exegetica, moralia, etc., junctim quidem exhiberentur, sed eadem juxta annorum seriem disposita; *sectiones* quibus capitula in plures et minores particulas magno lectorum usu divisa sunt; *summaria*, vel libris omnibus et plerisque capitulis præmissa, quæ argumentum demonstrarent, vel marginalia et partim ex ipsis contextus verbis expressa, partim a Lovaniensibus desumpta; *indices* denique non solum in singulos tomos, sed generales etiam et universales, utrosque vero uberrimos. Ad *illustrationem* spectant partim præfationes singulis tomis præmissæ, in quibus potius res historicæ, quam dogmaticæ explicantur; partim admonitiones, ad explicandum singulorum opusculorum argumentum additæ; denique in margine inferiori notulæ, quibus vel variantes lectiones indicantur, vel obscura loca, maxime comparatione aliorum locorum explanantur. Quod attinet ad quartum, alte sibi animo infixum fuisse affirmant, et a præpositis suis inculcatum, ut partium studia in explicanda Augustini doctrina sedulo caverent, idque causæ fuisse, ut a prolixioribus commentariis et observationibus abstinuerint, ut ne cuiquam vel minimum offendiculi præberent, ullive theologorum sententiæ præjudicarent. Nihilominus constat, quantæ in ipsos coortæ sint turbæ, quanta adhibita stratagemata atque insidiæ, ut vel interciperetur successus, vel perfectum in invidiam adduceretur. Ipsi Benedictini dum in undecimo tomo generalem operis præfationem conscribunt et curam suam ac providentiam palam facere student, fatentur, difficile fuisse cavere, ne quid in tam vasto opere incauti ipsis subreperet, vel, ne quid secus, quam ipsi intendissent in sequiorem partem non acciperent homines male erga ipsorum studia affecti. Sed non cum scrupulosis forte, æquis cæteroquin adversariis sibi rem esse, sed a calumniatoribus et hostibus nullum insidiarum genus, quamvis turpe, spernentibus jus petitos sese conqueruntur. Et quoniam regis jussu utrique parti silentium esset impositum, haud quidquam aliud prædicto loco in tutamen suum attulerunt; quam ut a gravissimis, quæ ipsis impactæ fuerant, criminationibus in virorum piorum ac benevolorum, quorum forte animis scrupuli quidam exinde insedissent, gratiam sese purgarent. Sed harum litium artiumque frivolarum historiam non attingimus. Nec enim ad nostrum vel minimum facit, et suppetunt, quibus vel negotii, vel animi causa curare illa contigerit, ampli satis com-

plurium virorum doctorum de iisdem commentarii (*a*). Pergimus potius ad opuscula, quæ singulis tomis comprehensa sint, accurate recensenda, eaque, quæ insigniter hic a doctissimis Patribus præstita sunt, declaranda, ubi simul Lovaniensium ordinem et discrimen notabimus. Sunt autem contenta in unoquoque volumine hæc:

Tomo primo: — Opuscula, quæ adhuc catechumenus, aut nondum presbyter edidit cum Retractationibus et Confessionibus; hoc ordine: Retractationum lib. II; Confessionum lib. XIII; Contra Academicos lib. III; De Vita Beata lib. I; De Ordine lib. II; Soliloquiorum lib. II; De immortalitate animæ lib. I; De quantitate animæ lib. I; De musica lib. VI; De magistro lib. I; De libero arbitrio lib. III; De Genesi contra Manichæos lib. II; De moribus Ecclesiæ catholicæ et moribus Manichæorum lib. II; De vera religione lib. I; De regula ad servos Dei. — *In appendice*; De grammatica liber; Principia dialecticæ; Categoriæ decem; Principia rhetorices; Regulæ clericis traditæ fragmentum; Regula secunda; De vita eremitica ad sororem. — Complectitur hic tomus ea omnia, quæ ab Erasmo et Lovaniensibus in eo fuerunt comprehensa. Illud tantum interest discriminis, quod Benedictini in appendicem rejecerunt nonnulla, quæ ab illis pro genuinis Augustini scriptis habita erant, scilicet libellos de *Grammatica*, *Categorias*, *Principia Dialecticæ* et *Principia Rhetoricæ*, et quod alia quædam cum aliis locum mutare jusserunt, *ut seriem ordinemque temporis, quo unumquodque opus ab Auctore prodiit quoad ejus fieri posset, servarent.*

Tomo secundo: — Epistolæ *ducentæ septuaginta*, secundum temporum ordinem dispositæ, et quatuor in classes digestæ. — *In appendice*: Augustini nomine ad Bonifacium et contra epistolæ breviores sexdecim; Ad Demetriadem Pelagii epistola; Augustini nomine ad Cyrillum et contra, de Laudibus Hieronymi; Altercatio Augustini cum Pascentio.

Longe nobilissima pars operæ eruditissimorum monachorum in hoc tomo concluditur, vere talis, in qua Constantii sagacitatem et solidam doctrinam agnoscas. Licet enim totidem plane genuinas epistolas Lovanienses recenseant; nec plura, nec pauciora ab iis in appendicem hujus tomi rejecta sint, non ausi tamen sunt longius progredi et quam omnes Augustini lectores ardentissimis votis exoptabant, molestam scilicet et multarum virium curam suis sibi humeris imponere, qua intactam adhuc seriem et nexum tot diversi generis et ætatis epistolarum discriminassent, ac prorsus tandem expediissent. Ferebant omnes hoc desiderium eo impatientius, quod, cum reliqua opuscula pene omnia per ipsius Augustini in

(*a*) Præter Dupinium *Bibl. nouv. des Aut. Eccl.*, T. XVIII, sub articulo: *Nouvelle édition des œuvres de S. Augustin*, et Bælium in *Dict. Crit.*: e recentioribus, Auctores *Bibl. Coloniensis Ecclesiasticæ* pag. 464; Ceillier T. XII, pag. 680 seq., et Auctores de *l'Histoire littéraire de la Congrég. de S. Maur* (à *Bruxelles* 1770, in-4°). V. Blampin, pag. 287 seqq. Quid? quod peculiari adeo volumine scripta exstat hujus editionis historia auctore Antonio Vincentio Thuillier, ejusdem congregationis quondam sodali, h. t., *Histoire de la nouvelle édition de S. Augustin, donnée par les PP. Bénédictins de la congrégation de S. Maur. En France* (Paris), 1736, in-4° mihi non visa, sed cujus ipsius varia fata in eadem Historia congregationis pag. 528 seq. enarrantur.

Retractationibus institutum juxta temporum et occasionum, quibus enata essent, ordinem, cognoscere ipsumque in sacris studiis et gestis suis animo velut comitari liceret, solæ epistolæ, ex quibus plenissima fere casuum et gestorum temporis istius memoria depromenda erat, hoc beneficio carerent.

Sed Benedictini quoque hunc laborem declinassent non magis difficultatum metu, quas licet innumeras vel eis solis spernere licebat, quam quod vererentur, ne novo inducto ordine lectionem Augustini apud eos, qui veteri semel assuevissent, reterdarent. Sed vicit tandem Augustini amor et aliorum maximeque sodalium suorum in aliis scriptoribus ecclesiasticis exemplum, jamque ex ipsis, quo negotium hoc aggressi sunt animo, audiamus.

« In superioribus editionibus, inquiunt, adeo perturbatus erat Augustinianarum epistolarum ordo, ut, *quod temporis historiam spectat*, non facile quisquam seriem rerum omnium assequi potuisset absque longa et sæpe repetita lectione ac meditatione. Nam ejusdem temporis et argumenti epistolæ per totum Collectionis corpus hinc inde dispersæ erant, tum priores posterioribus postpositæ et in fidem rejectæ ac demum (quæ intoleranda confusio erat) Augustini rescripta quam longissime ab interrogatis et consultis nonnumquam aberant; immo rescripta consultis longe præferebantur: adeo ut Evodii, v. g., consulentis epistolæ post multas interjacentes epistolas Augustini responsum consequerentur. Quapropte optandum erat, ut Augustini epistolæ in rectum ordinem pro temporum ratione digererentur. Quod procul dubio curaturus fuisset Augustinus ipse, si eorum recensionem, quam susceperat, ei absolvere licuisset. Quippe in Retractationum suarum prœmio optare se testatur, ut opera sua eo, quo scripta sunt ordine, perlegantur, eique rei daturum se operam, quo demum intelligant lectores, *quomodo scribendo* profecerit. At quo minus id tentaremus, intercedebant diversæ res, nempe usus superiorum temporum, receptus ordo ab annis circiter centum septuaginta, citationes usitatæ, quas violare, aut demum pervertere, nefas esse videbatur, ne mutatio hæc plurimum negotii studiosis facesseret Ad hæc non leves difficultates in constituendo epistolarum ordine, qui omnibus probetur, cum de nonnullarum ætate disputent eruditi. Atque hæc potissimum non ratio morabatur, quippe qui præcipue in animum induximus, hoc in labore nostro neutrorum sententiæ temere adversari aut favere. Hæc ergo momenta a mutando epistolarum ordine nos deterrebant, nec facile id a nobis contra superiores editiones suscipiendum videbatur. Ex adverso tamen aliud suadebant, non tantum varia eruditorum exempla in epistolis S. Cypriani, S. Leonis, etc., sed etiam virorum non minus sententia, quam dignitate, præstantium auctoritas, qui posteritati hac nova editione consultum volebant. His omnino exemplis et auctoritatibus adducti, tandem consensimus, ut Augustini epistolas ad annorum seriem (quoad fieri posset) accuratam revocaremus. Et ne levi fundamento hanc seriem desiguasse videamur, non modo nostris, sed etiam alienis eam studiis et consiliis investigare sategimus Ordine epistolarum chronologico constituto, eas in quatuor classes distinximus, quarum prima illas exhibet, quas Augustinus nondum episcopus scripsit. Qua in re Augustinum ipsum secuti auctorem sumus, qui in Retractationum priore libro ea dumtaxat recensuit opuscula, quæ antequam fieret episcopus in lucem protulerat. In secunda classe repræsentantur epistolæ, quas ab inito episcopatu ad collationem cum Donatistis Carthagine habitam et Pelagianæ hæreseos in Africam invectionem edidit. In his enim duobus sive retegendis, seu expurgandis, erroribus versantur ut plurimum hæ litteræ, quæ eorum initia, progressus atque damnationem accurate describunt. Tertia epistolarum classis eas complectitur, quas ab eo tempore S. Doctor ad vitæ finem exaravit; quibus scilicet certa epocha potest assignari. In quartam demum classem reliquas Augustini litteras redegimus, quas quidem scripsit episcopus, nulla tamen alia præfixa temporum aut circumstantiarum nota, quæ certum tempus præ se ferat. Ex hac quadruplici classis distinctione id commodi eveniet, quod antea observabamus, ut studiosus lector ea, quæ ad hæreses Donatistarum et Pelagianorum pertinent, uno fere conspectu ac tenore percipiat. »

Monent præterea, nonnullos tractatus, qui antea in epistolarum ordinem relati essent, loco motos a se non esse, tametsi id non levis momenti rationes suasissent. Sed *Altercationem cum Pascentio* quæ CLXXVIII numerabatur inter Augustini epistolas, ut jam pridem Lovanienses fecerant, in appendicem relegarunt.

Revocasse se deinde testantur epistolas quasdam, non solum quas Augustinus nomine suo misit ad alios, sed ex illis etiam, quæ ad ipsum a multis fuerunt directæ. Veluti *Timasii* et *Jacobi* item *Honorii* et *Theodosii*, *imperatorum*, *Quodvultdei*, *Prosperi*, ad *Pelagium*, ad *Simplicianum* de opere ipsi dicato, ad *Aurelium*, ad *Valerium*, ad *Claudium*, ad *Quodvultdeum* super libris eorum nomine nuncupatis, quæ antea in epistolarum recensu desiderabantur. Eas omnes ergo suo loco inserendas curarunt: uti et catholicorum episcoporum rescripta ad *Marcellinum* tribunum occasione collationis Carthaginensis, nec non epistolam ad *Proculum* et *Cylinnium*, Gallicanos antistites, Leporii causa transmissam: quæ scripta, inquiunt, non minus pro veris ac genuinis Augustini fetibus habenda sunt, quam epistolæ illæ Carthaginensis ac Milevitanæ synodi nomine *ad Innocentium* directæ, quas uti a S. Doctore dictatas cum aliis ejus epistolis omnes recipiunt. In aliquibus tamen usu jam pridem recepto obsecutos se esse fatentur. Revocandum enim fuisse juxta institutum suum etiam tractatum *de Bono Viduitatis* quippe qui vera sit Augustini epistola, eoque nomine nulla ejus in Retractationum libro mentio habeatur. Sed *libri* titulum, ex longinquo ipsi inhærentem, detrahere nolebant.

contra Manichæos lib. I; Contra Secundinum Manichæum lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Sermo Arianorum; Contra Sermonem Arianorum lib. I; Collatio cum Maximino, Arianorum episcopo; Contra eumdem Maximinum Arianum lib. II. (*Lovan.* T. VI.) De Trinitate lib. XV. (*Lovan.* T. III.) — *In Appendice :* Tractatus contra quinque hæreses; Sermo contra Judæos, Paganos et Arianos. (*Lovan.* T. VI.) Dialogus de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ. (*Lovan.* T. VI App.) De fide contra Manichæos liber Evodio tributus. (*Lovam.* T. VI.) Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis, qui convertuntur. (*Ed. Par.* T. X App.) Contra Felicianum Arianum de fide Trinitatis liber Vigilio Tapsitano episcopo restitutus. (*Lovan.* T. VI App.) Quæstiones de Trinitate et de Genesi, ex Alcuino descriptæ. (*Lovan.* T. III App.) De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo ex Origine collecti. (*Lovan.* T. IV App.) Lib de Trinitate et unitate Dei. (*Lovan.* T. IV App.) De essentia divinitatis. (*Lovan.* T. IV.) Dialogus de unitate sanctæ Trinitatis. (*Ed. Par.* T. X App.) Liber de ecclesiasticis dogmatibus. (*Lovan.* T. III App.)

Tomo nono, opera polemica contra Donatistas : — Psalmus contra Partem Donati; Contra Parmenianum lib. III; De baptismo contra Donatistas lib. VII; Contra litteras Petiliani lib. III; Epistola ad Catholicos contra Donatistas, vulgo de unitate Ecclesiæ lib. I; Contra Cresconium grammaticum Donatistam libri IV; De unico baptismo contra Petilianum; Breviculus Collationis cum Donatistis, Post collationem ad Donatistas lib. I; Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente dictus; De gestis cum Emerito; Contra Gaudentium Donatistam episcopum. lib. II. (*Lovan.* T. VII.) Sermo de Rusticiano subdiacono, a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato. (*Ex supplemento Vignerii.*) — *In Appendice :* Contra Fulgentium Donatistam, incerti auctoris liber; Excerpta et scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia. (*Lovan.* T. VII App.)

Tomo decimo, opera polemica contra Pelagianos : — De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum, ad Marcellinum, lib. III; De spiritu et littera ad eumdem lib. I; De natura et gratia contra Pelagium, ad Timasium et Jacobum lib. I; De perfectione justitiæ hominis epistola, seu liber ad Eutropium et Paulum; De gestis Pelagii ad Aurelium lib. I; De gratia Christi et de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum et Melaniam lib. II; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium lib. II; De anima et ejus origine contra Vincentii Victorem lib. IV; Contra duas epistolas Pelagianorum, lib. ad Bonifacium. l. VI; Contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem lib. IV; De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos lib. I; De correptione et gratia ad eosdem lib. I; De prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium l. I; De dono perseverantiæ ad eosdem lib. I. (*Lovan.* T. VII.) Contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus, sex libros complectens. (*Ex Vignerii Supplem.*) — *In Appendice, Prima parte :* Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestinos, vulgo libri Hypognosticon; Liber suspecti auctoris de prædestinatione et gratia; Libellus incerti auctoris de prædestinatione Dei. (*Lovan.* T. VII App.) *Secunda parte* : Varia scripta et monumenta ad Pelagianam historiam pertinentia. *Tertia parte :* Prosperi Aquitani pro Augustino contra iniquos doctrinæ ipsius de gratia et prædestinatione reprehensores apologetica opuscula scilicet; Epistola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio; Liber contra Collatorem; Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum; Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. (*Lovan.* T. VII App.) Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa. (*Lovan.* T. V. App.) Ejusdem liber sententiarum ex Augustino : (*Lovan.* T. V. App.) Augustini Vita auctore Possidio; Indiculus librorum, tractatuum et epistolarum Augustini, cura Possidii editus. (*Lovan.* T. I.)

Cum trium posteriorum voluminum series fere tota cum Lovaniensium ordine consentiat, minor in his labor exantlandus fuit. Quapropter in ipsas rerum tractatarum origines et causas acrius incubuerunt, ac Donatisticarum et Pelagianarum litium historiam in introitu cujusvis tomi accurate enucleari studuerunt. Cui industriæ debetur etiam, quod in Appendice ultimi tomi quædam aliena incerta sint, quo plenior scilicet rerum istarum memoria ex junctis monumentis hauriri posset.

Tomo undecimo insunt, primo loco, præfationes generales duæ, una in opus universum, quæ de consilio, occasione, auxiliis, laborum distributione, successu, offendiculis, patronis ejus exponit, altera brevior in Appendices singulis tomis adjunctas, et ipsa denique hujus undecimi voluminis contenta. Ad hanc posteriorem proxime spectat indiculus scriptorum, quibus tamquam veris auctoribus varia opuscula Augustino perperam tributa denuo asseruerunt. Hæc excipit *Vita S. Augustini* ex Tillemontii schedis, quas adhuc tum ineditas auctor ipsis communicaverat, fere traducta. Hanc pone sequuntur indices librorum, nempe unus, qui seriem librorum tomi cujusque novæ editionis; secundus, qui Lovaniensis ordinem ostendit; tertius alphabeticus singulorum opusculorum. Proximi sunt indices rerum : primus universalis in omnia decem tomorum contenta copiosissimus et mole sua amplissimus; alter generalis Scripturarum sacrarum; tertius denique omnium spuriorum opusculorum, quæ per decem voluminum appendices dispersa sunt.

Superest, ut de iis adhuc verba faciamus, quæ ex mss. exemplaribus jam primum excusis incrementa atque ornamenta duxerit Maurina editio. Non levem sane Lovanienses theologi congesserant copiam codicum manu exaratorum et tamen omnes fere unum

suppeditaverat Belgium, si Anglicanos nonnullos, A sed qui serius ad manum pervenerant, excipias. Longe igitur uberior variantium lectionum messis ex Gallicanis, monasteriorum imprimis, Bibliothecis exspectari poterat, quarum colligendarum industria magis etiam accendebatur beneficio tam insigni, quam insperato. Nimirum centum ipsi jam expleti erant anni, cum sub auspiciis *Sixti*, dein *Clementis VIII*, novam Augustini operum editionem Vaticanis codicibus superstruendam aggressi erant *Petrus Morinus*, Vaticanæ typographiæ præfectus, *Adrianus* abbas, *Obrius*, doctor Parisiensis, aliique docti viri, confisi et numero exemplarium manuscriptorum et bonitati, quippe quæ plurima adeo continere affirmarent, quæ in Lovaniensi editione quantumvis accurata desiderarentur. Collati itaque sunt Lovanienses B libri cum Vaticanis codicibus perquam accuratissime et ad marginem appositæ variantes lectiones ad adornandam editionem, cui cardinalis Veronæ sacri collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu *Clementis* X per cardinalem Bonam cum Benedictinis sunt communicatæ, ut iis in nova editione sua uterentur. Tum vero undequaque tum ex suis, tum alienis per Galliam bibliothecis conquirere cœperunt subsidia, et non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum congregationis suæ monasteriis sodales ad conferendos codices astrinxerent. Ac horum quidem omnium immensa plane fuit copia, ex quibus textus quam plu- C rimis in locis vere emendatus est, in aliis tamen locis potiores tantum lectiones variantes subnotatæ sunt. Emendationum autem, juxta quam varietatum commemoratio partim, ut in Lovaniensi, fit indiculo post ipsos genuinos libros exhibito, in quo etiam exemplaria, quæ in singulis comparata sunt, nominatim demonstrantur; partim vero sub ipso statim textu, cujus distractionis causas nec ab editoribus proditas invenimus, nec ipsi assequi potuimus. Qui vero in appendices rejecti sunt libri, etsi non omnino expertes fuerunt hujus curæ, simili tamen annotatione non gaudent.

(*a*) *Oudin.* Comment. T. I, p. 954 sqq.; *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 761, *Hist. litt. de la Congrégation de S.-Maur.* p. 292. D

(*b*) Exstant de hac editione multæ tam justæ descriptiones, quam relationes breviores, quarum nonnullas haud gravate commemorabimus. Ac primo loco nominanda sunt diaria erudita, quæ, simul ac singuli tomi prodierant, eos indicarunt. Quo pertinent Diarium Erud. Gall. (*Journal des Sav.*) Parisiense (40), ad *tomum I*, April. 1679, p. 96; ad *tomum II*, ibid, p. 114; ad *tomum III*, ibid., Aug. 1680, p. 272; ad *tomum IV*, ibid, Novemb. 1683, p. 325 : ad *tomum V*, ibid., Febr. 1684, p. 46; ad *tomum VI*, ibid., Dec. 1685, p. 545; ad *tomum VII* ibid, Jan. 1686, p. 18; ad *tomum VIII*, ibid., Septemb. 1688, p. 415; ad *tomum IX*, ibid., eodem mense et anno, p. 422; — Acta Erud. Lips. tom. II 1683, in Jan., p. 1-5; tom. VII, 1688, Novemb. p. 1618-23. Frequentior etiam in commentariis litterariis occurrit ejus memoria, veluti apud *Caveum* in Hist. lit. tom I ed. prior. Lond. p. 242, ed. Oxon. a

Denique nefas videbitur, si eorum, qui præcipuas tanti laboris partes sustinuerunt, nomina sileamus. Initio igitur cura hujus editionis commissa fuit a præpositis congregationis istius *P. Francisco Delfau*, qui *prospectum* ejus publicasse traditur a. 1671. Cum autem edito a. 1673 libro, cujus tit., *l'Abbé Commendataire*, exsilii pœnam iste meruisset, concredita est relicta ab eo provincia *P. Thomæ Blampino*, quem in diversis partibus diversi sodales juvarunt. Ac *Petro* quidem *Coustantio* debentur censura et indices omnium tractatuum suppositiorum ac præterea sermonum recensio. Vitam Augustini composuerunt, seu ex Tillemontii commentariis, paucis mutatis, traduxerant *Hugo Vaillantius* et *Jacobus du Frische* (Ambrosii editor). Tabulam generalem atque indices confecit *Claudius Guesnié*. *Nicolaus* denique *Goysot* impressioni præfuit ac corrigendarum de prelo plagularum curam molestissimam in se recepit et præclare administravit. Nihil autem a celeberrimo *Joanne Mabillonio* huic editioni accessit, quam epistola dedicatoria ad Ludovicum XIV, unde recte quidem, sed nimia fere contentione, Oudinus reprehendit Caveum, qui in Historia sua litteraria hanc editionem duce et ἐργοδιώκτῃ Mabillonio esse perfectam scripserat (*a*). De ornatu ac splendore operis, digno et hoc nomine quod regi offerretur, dicere supersedemus, hoc unum adjicientes, Augustini effigiem æri impressam simul cum tomo XI exhiberi (*b*). Gravem autem hæc Benedictinorum Patrum opera reprehensionem passa est ab *Richardo Simonio* in *Bibl. Crit.* T. III, p. 101-116, iterumque in *Censura Bibl. Eccl. Dupinii* T. I p. 147. Et primum quidem utiverse succenset iis, qui novis semper omnium operum scriptorum ecclesiasticorum iterationibus medendum esse exstiment superiorum vitiis aut defectibus, quod multo aptius et commodius, minori item sumptu fieri posset, si libri singulares minimæ molis, sed a judicio auctorum suorum tanto ditiores ederentur, in quibus vel integra recensio vel supplementa et variarum lectionum delectus prostarent, cujusmodi exempla producit, *Arcudii Collationes Isidorianas et Combefisii Basilium* 1740 p. 292-298; *Jo. Fabricium* in *Hist. bibliothecæ propriæ* T. I (1717), p. 203-29; † *Oudin.* in *Comment. de SS. Eccl.* T. I., pag. 954-85; † in *Bibl. Magna Eccles. Colon.* T. I (a. 1754), p. 761-65; in *Bibl. Crit. Sacra et Prof. Michael a S Josepho*, T. I (a. 1741), pag. 419-23; in *Bibl Casan. Cat.* T. I (1761), pag. 338-40; in *Bibl. Augustiniana Jo. Fel. Ossingeri* (a. 1768) p. 1-8. Quorum potiores et accuratiores apposito signo crucis distinximus. Possem etiam hic commemorare *Dupinium* T. III p. 160 seqq. et *Ceillerium* in *Hist. gén des aut. eccl.* T. XI p. 41, T. XII p. 255 (a. 1744). Sed hi non tam editionis curam habuerunt, quam indicem Augustini scriptorum juxta eamdem contexuerunt, argumento uniuscujusque et occasione ubique fusius declarato. Jam qui unum forte aut alterum ex hisce libris, aut omnes juxta ad manum habent, comparent, si lubet, nostra cum iisdem et cognoscent, spero, nobisne libuerit aliorum industria frui, an ipsi excusserimus singula.

contra Manichæos lib. I; Contra Secundinum Manichæum lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Sermo Arianorum; Contra Sermonem Arianorum lib. I; Collatio cum Maximino, Arianorum episcopo; Contra eumdem Maximinum Arianum lib. II. (*Lovan.* T. VI.) De Trinitate lib. XV. (*Lovan.* T. III.) — *In Appendice :* Tractatus contra quinque hæreses ; Sermo contra Judæos, Paganos et Arianos. (*Lovan.* T. VI.) Dialogus de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ. (*Lovan.* T. VI App.) De fide contra Manichæos liber Evodio tributus. (*Lovam.* T. VI.) Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis, qui convertuntur. (*Ed. Par.* T. X App.) Contra Felicianum Arianum de fide Trinitatis liber Vigilio Tapsitano episcopo restitutus. (*Lovan.* T. VI App.) Quæstiones de Trinitate et de Genesi, ex Alcuino descriptæ. (*Lovan.* T. III App.) De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo ex Origine collecti. (*Lovan.* T. IV App.) Lib de Trinitate et unitate Dei. (*Lovan.* T. IV App.) De essentia divinitatis. (*Lovan.* T. IV.) Dialogus de unitate sanctæ Trinitatis. (*Ed. Par.* T. X App.) Liber de ecclesiasticis dogmatibus. (*Lovan.* T. III App.)

Tomo nono, opera polemica contra Donatistas : — Psalmus contra Partem Donati ; Contra Parmenianum lib. III ; De baptismo contra Donatistas lib. VII; Contra litteras Petiliani lib. III; Epistola ad Catholicos contra Donatistas, vulgo de unitate Ecclesiæ lib. I; Contra Cresconium grammaticum Donatistam libri IV; De unico baptismo contra Petilianum ; Breviculus Collationis cum Donatistis, Post collationem ad Donatistas lib. I ; Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente dictus ; De gestis cum Emerito ; Contra Gaudentium Donatistam episcopum. lib. II. (*Lovan.* T. VII.) Sermo de Rusticiano subdiacono, a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato. (*Ex supplemento Vignerii.*) — *In Appendice :* Contra Fulgentium Donatistam, incerti auctoris liber ; Excerpta et scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia. (*Lovan.* T. VII App.)

Tomo decimo, opera polemica contra Pelagianos : — De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum, ad Marcellinum, lib. III ; De spiritu et littera ad eumdem lib. I ; De natura et gratia contra Pelagium, ad Timasium et Jacobum lib. I; De perfectione justitiæ hominis epistola, seu liber ad Eutropium et Paulum ; De gestis Pelagii ad Aurelium lib. I ; De gratia Christi et de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum et Melaniam lib. II ; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium lib. II ; De anima et ejus origine contra Vincentii Victorem lib. IV; Contra duas epistolas Pelagianorum, lib. ad Bonifacium. l. VI ; Contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem lib. IV; De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos lib. I; De correptione et gratia ad eosdem lib. I; De prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium l. I; De dono perseverantiæ ad eosdem lib. I. (*Lovan.* T. VII.) Contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus, sex libros complectens. (*Ex Vignerii Supplem.*) — *In Appendice, Prima parte :* Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestinos, vulgo libri Hypognosticon ; Liber suspecti auctoris de prædestinatione et gratia ; Libellus incerti auctoris de prædestinatione Dei. (*Lovan.* T. VII App.) *Secunda parte :* Varia scripta et monumenta ad Pelagianam historiam pertinentia. *Tertia parte :* Prosperi Aquitani pro Augustino contra iniquos doctrinæ ipsius de gratia et prædestinatione reprehensores apologetica opuscula scilicet; Epistola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio; Liber contra Collatorem; Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum ; Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. (*Lovan.* T. VII App.) Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa. (*Lovan.* T. V. App.) Ejusdem liber sententiarum ex Augustino : (*Lovan.* T. V. App.) Augustini Vita auctore Possidio ; Indiculus librorum, tractatuum et epistolarum Augustini, cura Possidii editus. (*Lovan.* T. I.)

Cum trium posteriorum voluminum series fere tota cum Lovaniensium ordine consentiat, minor in his labor exantlandus fuit. Quapropter in ipsas rerum tractatarum origines et causas acrius incubuerunt, ac Donatisticarum et Pelagianarum litium historiam in introitu cujusvis tomi accurate enucleari studuerunt. Cui industriæ debetur etiam, quod in Appendice ultimi tomi quædam aliena incerta sint, quo plenior scilicet rerum istarum memoria ex junctis monumentis hauriri posset.

Tomo undecimo insunt, primo loco, præfationes generales duæ, una in opus universum, quæ de consilio, occasione, auxiliis, laborum distributione, successu, offendiculis, patronis ejus exponit, altera brevior in Appendices singulis tomis adjunctas, et ipsa denique hujus undecimi voluminis contenta. Ad hanc posteriorem proxime spectat indiculus scriptorum, quibus tamquam veris auctoribus varia opuscula Augustino perperam tributa denuo asseruerunt. Hæc excipit *Vita S. Augustini* ex Tillemontii schedis, quas adhuc tum ineditas auctor ipsis communicaverat, fere traducta. Hanc pone sequuntur indices librorum, nempe unus, qui seriem librorum tomi cujusque novæ editionis; secundus, qui Lovaniensis ordinem ostendit ; tertius alphabeticus singulorum opusculorum. Proximi sunt indices rerum : primus universalis in omnia decem tomorum contenta copiosissimus et mole sua amplissimus ; alter generalis Scripturarum sacrarum ; tertius denique omnium spuriorum opusculorum, quæ per decem voluminum appendices dispersa sunt.

Superest, ut de iis adhuc verba faciamus, quæ ex mss. exemplaribus jam primum excusis incrementa atque ornamenta duxerit Maurina editio. Non levem sane Lovanienses theologi congesserant copiam codicum manu exaratorum et tamen omnes fere unum

suppeditaverat Belgium, si Anglicanos nonnullos, sed qui serius ad manum pervenerant, excipias. Longe igitur uberior variantium lectionum messis ex Gallicanis, monasteriorum imprimis, Bibliothecis exspectari poterat, quarum colligendarum industria magis etiam accendebatur beneficio tam insigni, quam insperato. Nimirum centum ipsi jam expleti erant anni, cum sub auspiciis *Sixti*, dein *Clementis VIII*, novam Augustini operum editionem Vaticanis codicibus superstruendam aggressi erant *Petrus Morinus*, Vaticanæ typographiæ præfectus, *Adrianus* abbas, *Obrius*, doctor Parisiensis, aliique docti viri, confisi et numero exemplarium manuscriptorum et bonitati, quippe quæ plurima adeo continere affirmarent, quæ in Lovaniensi editione quantumvis accurata desiderarentur. Collati itaque sunt Lovanienses libri cum Vaticanis codicibus perquam accuratissime et ad marginem appositæ variantes lectiones ad adornandam editionem, cui cardinalis Veronæ sacri collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu *Clementis* X per cardinalem Bonam cum Benedictinis sunt communicatæ, ut iis in nova editione sua uterentur. Tum vero undequaque tum ex suis, tum alienis per Galliam bibliothecis conquirere cœperunt subsidia, et non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum congregationis suæ monasteriis sodales ad conferendos codices astrinxerent. Ac horum quidem omnium immensa plane fuit copia, ex quibus textus quam plurimis in locis vere emendatus est, in aliis tamen locis potiores tantum lectiones variantes subnotatæ sunt. Emendationum autem, juxta quam varietatum commemoratio partim, ut in Lovaniensi, fit indiculo post ipsos genuinos libros exhibito, in quo etiam exemplaria, quæ in singulis comparata sunt, nominatim demonstrantur; partim vero sub ipso statim textu, cujus distractionis causas nec ab editoribus proditas invenimus, nec ipsi assequi potuimus. Qui vero in appendices rejecti sunt libri, etsi non omnino expertes fuerunt hujus curæ, simili tamen annotatione non gaudent.

Denique nefas videbitur, si eorum, qui præcipuas tanti laboris partes sustinuerunt, nomina sileamus. Initio igitur cura hujus editionis commissa fuit a præpositis congregationis istius *P. Francisco Delfau*, qui *prospectum* ejus publicasse traditur a. 1671. Cum autem edito a. 1673 libro, cujus tit., *l'Abbé Commendataire*, exsilii pœnam iste meruisset, concredita est relicta ab eo provincia *P. Thomæ Blampino*, quem in diversis partibus diversi sodales juvarunt. Ac *Petro* quidem *Coustantio* debentur censura et indices omnium tractatuum suppositiorum ac præterea sermonum recensio. Vitam Augustini composuerunt, seu ex Tillemontii commentariis, paucis mutatis, traduxerant *Hugo Vaillantius* et *Jacobus du Frische* (Ambrosii editor). Tabulam generalem atque indices confecit *Claudius Guesnié*. *Nicolaus* denique *Goysot* impressioni præfuit ac corrigendarum de prelo plagularum curam molestissimam in se recepit et præclare administravit. Nihil autem a celeberrimo *Joanne Mabillonio* huic editioni accessit, quam epistola dedicatoria ad Ludovicum XIV, unde recte quidem, sed nimia fere contentione, Oudinus reprehendit Caveum, qui in Historia sua litteraria hanc editionem duce et ἰργοδιώκτῃ Mabillonio esse perfectam scripserat (*a*). De ornatu ac splendore operis, digno et hoc nomine quod regi offerretur, dicere supersedemus, hoc unum adjicientes, Augustini effigiem æri impressam simul cum tomo XI exhiberi (*b*). Gravem autem hæc Benedictinorum Patrum opera reprehensionem passa est ab *Richardo Simonio* in *Bibl. Crit.* T. III, p. 101-116, iterumque in *Censura Bibl. Eccl. Dupinii* T. I p. 147. Et primum quidem utiverse succenset iis, qui novis semper omnium operum scriptorum ecclesiasticorum iterationibus medendum esse exstiment superiorum vitiis aut defectibus, quod multo aptius et commodius, minori item sumptu fieri posset, si libri singulares minimæ molis, sed a judicio auctorum suorum tanto ditiores ederentur, in quibus vel integra recensio vel supplementa et variarum lectionum delectus prostarent, cujusmodi exempla producit, *Arcudii Collationes Isidorianas et Combefisii Basilium*

(*a*) *Oudin.* Comment. T. I, p. 954 sqq.; *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 761, *Hist. litt. de la Congrégation de S.-Maur.* p. 292.

(*b*) Exstant de hac editione multæ tam justæ descriptiones, quam relationes breviores, quarum nonnullas haud gravate commemorabimus. Ac primo loco nominanda sunt diaria erudita, quæ, simul ac singuli tomi prodierant, eos indicarunt. Quo pertinent Diarium Erud. Gall. (*Journal des Sav.*) Parisiense (40), ad *tomum I*, April. 1679, p. 96; ad *tomum II*, ibid, p. 114; ad *tomum III*, ibid., Aug. 1680, p. 272; ad *tomum IV*, ibid, Novemb. 1683, p. 325 : ad *tomum V*, ibid., Febr. 1684, p. 46; ad *tomum VI*, ibid., Dec. 1685, p. 545; ad *tomum VII* ibid, Jan. 1686, p. 18; ad *tomum VIII*, ibid., Septemb. 1688, p. 415; ad *tomum IX*, ibid., eodem mense et anno, p. 422; — Acta Erud. Lips. tom. II 1683, in Jan., p. 1-5; tom. VII, 1688, Novemb. p. 1618-23. Frequentior etiam in commentariis litterariis occurrit ejus memoria, veluti apud *Caveum* in Hist. lit. tom I ed. prior. Lond. p. 242, ed. Oxon. a 1740 p. 292-298; *Jo. Fabricium* in *Hist. bibliothecæ propriæ* T. I (1717), p. 203-29; † *Oudin.* in *Comment. de SS. Eccl.* T. I., pag. 954-85; † in *Bibl. Magna Eccles. Colon.* T. I (a. 1754), p. 761-65; in *Bibl. Crit. Sacra et Prof. Michael a S Josepho*, T. I (a. 1741), pag. 419-23; in *Bibl Casan. Cat.* T. I (1761), pag. 338-40; in *Bibl. Augustiniana Jo. Fel. Ossingeri* (a. 1768) p. 1-8. Quorum potiores et accuratiores apposito signo crucis distinximus. Possem etiam hic commemorare *Dupinium* T. III p. 160 seqq. et *Ceillerium* in *Hist. gén des aut. eccl.* T. XI p. 41, T. XII p. 255 (a. 1744). Sed hi non tam editionis curam habuerunt, quam indicem Augustini scriptorum juxta eamdem contexuerunt, argumento uniuscujusque et occasione ubique fusius declarato. Jam qui unum forte aut alterum ex hisce libris, aut omnes juxta ad manum habent, comparent, si lubet, nostra cum iisdem et cognoscent, spero, nobisne libuerit aliorum industria frui, an ipsi excusserimus singula.

contra Manichæos lib. I; Contra Secundinum Manichæum lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Sermo Arianorum; Contra Sermonem Arianorum lib. I; Collatio cum Maximino, Arianorum episcopo; Contra eumdem Maximinum Arianum lib. II. (*Lovan.* T. VI.) De Trinitate lib. XV. (*Lovan.* T. III.) — *In Appendice :* Tractatus contra quinque hæreses ; Sermo contra Judæos, Paganos et Arianos. (*Lovan.* T. VI.) Dialogus de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ. (*Lovan.* T. VI App.) De fide contra Manichæos liber Evodio tributus. (*Lovam.* T. VI.) Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis, qui convertuntur. (*Ed. Par.* T. X App.) Contra Felicianum Arianum de fide Trinitatis liber Vigilio Tapsitano episcopo restitutus. (*Lovan.* T. VI App.) Quæstiones de Trinitate et de Genesi, ex Alcuino descriptæ. (*Lovan.* T. III App.) De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo ex Origine collecti. (*Lovan.* T. IV App.) Lib de Trinitate et unitate Dei. (*Lovan.* T. IV App.) De essentia divinitatis. (*Lovan.* T. IV.) Dialogus de unitate sanctæ Trinitatis (*Ed. Par.* T. X App.) Liber de ecclesiasticis dogmatibus. (*Lovan.* T. III App.)

Tomo nono, opera polemica contra Donatistas : — Psalmus contra Partem Donati ; Contra Parmenianum lib. III ; De baptismo contra Donatistas lib. VII; Contra litteras Petiliani lib. III; Epistola ad Catholicos contra Donatistas, vulgo de unitate Ecclesiæ lib. I; Contra Cresconium grammaticum Donatistam libri IV; De unico baptismo contra Petilianum ; Breviculus Collationis cum Donatistis, Post collationem ad Donatistas lib. I ; Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente dictus ; De gestis cum Emerito ; Contra Gaudentium Donatistam episcopum. lib. II. (*Lovan.* T. VII.) Sermo de Rusticiano subdiacono, a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato. (*Ex supplemento Vignerii.*) — *In Appendice :* Contra Fulgentium Donatistam, incerti auctoris liber ; Excerpta et scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia. (*Lovan.* T. VII App.)

Tomo decimo, opera polemica contra Pelagianos : — De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum, ad Marcellinum, lib. III; De spiritu et littera ad eumdem lib. I; De natura et gratia contra Pelagium, ad Timasium et Jacobum lib. I; De perfectione justitiæ hominis epistola, seu liber ad Eutropium et Paulum; De gestis Pelagii ad Aurelium lib. I ; De gratia Christi et de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum et Melaniam lib. II; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium lib. II ; De anima et ejus origine contra Vincentii Victorem lib. IV; Contra duas epistolas Pelagianorum, lib. ad Bonifacium. l. VI ; Contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem lib. IV; De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos lib. I; De correptione et gratia ad eosdem lib. I; De prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium l. I; De dono perseverantiæ ad eosdem lib. I. (*Lovan.* T. VII.) Contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus, sex libros complectens. (*Ex Vignerii Supplem.*) — *In Appendice, Prima parte :* Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestinos, vulgo libri Hypognosticon ; Liber suspecti auctoris de prædestinatione et gratia; Libellus incerti auctoris de prædestinatione Dei. (*Lovan.* T. VII App.) *Secunda parte* : Varia scripta et monumenta ad Pelagianam historiam pertinentia. *Tertia parte :* Prosperi Aquitani pro Augustino contra iniquos doctrinæ ipsius de gratia et prædestinatione reprehensores apologetica opuscula scilicet; Epistola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio; Liber contra Collatorem; Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum ; Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. (*Lovan.* T. VII App.) Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa. (*Lovan.* T. V. App.) Ejusdem liber sententiarum ex Augustino : (*Lovan.* T. V. App.) Augustini Vita auctore Possidio; Indiculus librorum, tractatuum et epistolarum Augustini, cura Possidii editus. (*Lovan.* T. I.)

Cum trium posteriorum voluminum series fere tota cum Lovaniensium ordine consentiat, minor in his labor exantlandus fuit. Quapropter in ipsas rerum tractatarum origines et causas acrius incubuerunt, ac Donatisticarum et Pelagianarum litium historiam in introitu cujusvis tomi accurate enucleari studuerunt. Cui industriæ debetur etiam, quod in Appendice ultimi tomi quædam aliena incerta sint, quo plenior scilicet rerum istarum memoria ex junctis monumentis hauriri posset.

Tomo undecimo insunt, primo loco, præfationes generales duæ, una in opus universum, quæ de consilio, occasione, auxiliis, laborum distributione, successu, offendiculis, patronis ejus exponit, altera brevior in Appendices singulis tomis adjunctas, et ipsa denique hujus undecimi voluminis contenta. Ad hanc posteriorem proxime spectat indiculus scriptorum, quibus tamquam veris auctoribus varia opuscula Augustino perperam tributa denuo asseruerunt. Hæc excipit *Vita S. Augustini* ex Tillemontii schedis, quas adhuc tum ineditas auctor ipsis communicaverat, fere traducta. Hanc pone sequuntur indices librorum, nempe unus, qui seriem librorum tomi cujusque novæ editionis; secundus, qui Lovaniensis ordinem ostendit ; tertius alphabeticus singulorum opusculorum. Proximi sunt indices rerum : primus universalis in omnia decem tomorum contenta copiosissimus et mole sua amplissimus ; alter generalis Scripturarum sacrarum ; tertius denique omnium spuriorum opusculorum, quæ per decem voluminum appendices dispersa sunt.

Superest, ut de iis adhuc verba faciamus, quæ ex mss. exemplaribus jam primum excusis incrementa atque ornamenta duxerit Maurina editio. Non levem sane Lovanienses theologi congesserant copiam codicum manu exaratorum et tamen omnes fere unum

suppeditaverat Belgium, si Anglicanos nonnullos, A sed qui serius ad manum pervenerant, excipias. Longe igitur uberior variantium lectionum messis ex Gallicanis, monasteriorum imprimis, Bibliothecis exspectari poterat, quarum colligendarum industria magis etiam accendebatur beneficio tam insigni, quam insperato. Nimirum centum ipsi jam expleti erant anni, cum sub auspiciis *Sixti*, dein *Clementis VIII*, novam Augustini operum editionem Vaticanis codicibus superstruendam aggressi erant *Petrus Morinus*, Vaticanæ typographiæ præfectus, *Adrianus* abbas, *Obrius*, doctor Parisiensis, aliique docti viri, confisi et numero exemplarium manuscriptorum et bonitati, quippe quæ plurima adeo continere affirmarent, quæ in Lovaniensi editione quantumvis accu- B rata desiderarentur. Collati itaque sunt Lovanienses libri cum Vaticanis codicibus perquam accuratissime et ad marginem appositæ variantes lectiones ad adornandam editionem, cui cardinalis Veronæ sacri collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu *Clementis* X per cardinalem Bonam cum Benedictinis sunt communicatæ, ut iis in nova editione sua uterentur. Tum vero undequaque tum ex suis, tum alienis per Galliam bibliothecis conquirere cœperunt subsidia, et non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum congregationis suæ monasteriis sodales ad conferendos codices astrinxerent. Ac horum quidem omnium immensa plane fuit copia, ex quibus textus quam plu- C rimis in locis vere emendatus est, in aliis tamen locis potiores tantum lectiones variantes subnotatæ sunt. Emendationum autem, juxta quam varietatum commemoratio partim, ut in Lovaniensi, fit indiculo post ipsos genuinos libros exhibito, in quo etiam exemplaria, quæ in singulis comparata sunt, nominatim demonstrantur; partim vero sub ipso statim textu, cujus distractionis causas nec ab editoribus proditas invenimus, nec ipsi assequi potuimus. Qui vero in appendices rejecti sunt libri, etsi non omnino expertes fuerunt hujus curæ, simili tamen annotatione non gaudent.

(*a*) *Oudin.* Comment. T. I, p. 954 sqq.; *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 761, *Hist. litt. de la Congrégation de S.-Maur.* p. 292.

(*b*) Exstant de hac editione multæ tam justæ descriptiones, quam relationes breviores, quarum nonnullas haud gravate commemorabimus. Ac primo loco nominanda sunt diaria erudita, quæ, simul ac singuli tomi prodierant, eos indicarunt. Quo pertinent Diarium Erud. Gall. (*Journal des Sav.*) Parisiense (40), ad *tomum I*, April. 1679, p. 96; ad *tomum II*, ibid, p. 114; ad *tomum III*, ibid., Aug. 1680, p. 272; ad *tomum IV*, ibid, Novemb. 1683, p. 325 : ad *tomum V*, ibid., Febr. 1684, p. 46; ad *tomum VI*, ibid., Dec. 1685, p. 545; ad *tomum VII* ibid, Jan. 1686, p. 18; ad *tomum VIII*, ibid., Septemb. 1688, p. 415; ad *tomum IX*, ibid., eodem mense et anno, p. 422; — Acta Erud. Lips. tom. II 1683, in Jan., p. 1-5; tom. VII, 1688, Novemb. p. 1618-23. Frequentior etiam in commentariis litterariis occurrit ejus memoria, veluti apud *Caveum* in Hist. lit. tom I ed. prior. Lond. p. 242, ed. Oxon. a

Denique nefas videbitur, si eorum, qui præcipuas tanti laboris partes sustinuerunt, nomina sileamus. Initio igitur cura hujus editionis commissa fuit a præpositis congregationis istius *P. Francisco Delfau*, qui *prospectum* ejus publicasse traditur a. 1671. Cum autem edito a. 1673 libro, cujus tit., *l'Abbé Commendataire*, exsilii pœnam iste meruisset, concredita est relicta ab eo provincia *P. Thomæ Blampino*, quem in diversis partibus diversi sodales juvarunt. Ac *Petro* quidem *Coustantio* debentur censura et indices omnium tractatuum suppositiorum ac præterea sermonum recensio. Vitam Augustini composuerunt, seu ex Tillemontii commentariis, paucis mutatis, traduxerant *Hugo Vaillantius* et *Jacobus du Frische* (Ambrosii editor). Tabulam generalem atque indices confecit *Claudius Guesnié*. *Nicolaus* denique *Goysot* impressioni præfuit ac corrigendarum de prelo plagularum curam molestissimam in se recepit et præclare administravit. Nihil autem a celeberrimo *Joanne Mabillonio* huic editioni accessit, quam epistola dedicatoria ad Ludovicum XIV, unde recte quidem, sed nimia fere contentione, Oudinus reprehendit Caveum, qui in Historia sua litteraria hanc editionem duce et ἐργοδιώκτῃ Mabillonio esse perfectam scripserat (*a*). De ornatu ac splendore operis, digno et hoc nomine quod regi offerretur, dicere supersedemus, hoc unum adjicientes, Augustini effigiem æri impressam simul cum tomo XI exhiberi (*b*). Gravem autem hæc Benedictinorum Patrum opera reprehensionem passa est ab *Richardo Simonio* in *Bibl. Crit.* T. III, p. 101-116, iterumque in *Censura Bibl. Eccl. Dupinii* T. I p. 147. Et primum quidem utiverse succenset iis, qui novis semper omnium operum scriptorum ecclesiasticorum iterationibus medendum esse exstiment superiorum vitiis aut defectibus, quod multo aptius et commodius, minori item sumptu fieri posset, si libri singulares minimæ molis, sed a judicio auctorum suorum tanto ditiores ederentur, in quibus vel integra recensio vel supplementa et variarum lectionum delectus prostarent, cujusmodi exempla producit, *Arcudii Collationes Isidorianas et Combefisii Basilium* 1740 p. 292-298; *Jo. Fabricium* in *Hist. bibliothecæ propriæ* T. I (1717), p. 203-29; † *Oudin.* in *Comment. de SS. Eccl.* T. I., pag. 954-85; † in *Bibl. Magna Eccles. Colon.* T. I (a. 1754), p. 761-65; in *Bibl. Crit. Sacra et Prof. Michael a S Josepho*, T. I (a. 1741), pag. 419-23; in *Bibl Casan. Cat.* T. I (1761), pag. 338-40; in *Bibl. Augustiniana Jo. Fel. Ossingeri* (a. 1768) p. 1-8. Quorum potiores et accuratiores apposito signo crucis distinximus. Possem etiam hic commemorare *Dupinium* T. III p. 160 seqq. et *Ceillerium* in *Hist. gén des aut. eccl.* T. XI p. 41, T. XII p. 255 (a. 1744). Sed hi non tam editionis curam habuerunt, quam indicem Augustini scriptorum juxta eamdem contexuerunt, argumento uniuscujusque et occasione ubique fusius declarato. Jam qui unum forte aut alterum ex hisce libris, aut omnes juxta ad manum habent, comparent, si lubet, nostra cum iisdem et cognoscent, spero, nobisne libuerit aliorum industria frui, an ipsi excusserimus singula.

integro recensitum, et in ipso Augustino simile laudavimus supra *supplementum Vignerii*. Quam viri docti æque ac sagacis sententiam nobis etiam haud displicere fatemur, tametsi veram omnino et justam non censeamus. Etenim in re litteraria, quemadmodum in vita communi dandum est aliquid tempori et delicatiorum aut nummatorum hominum oblectamentis. Rarescunt porro ipso temporis lapsu et usu antiquiorum editionum exemplaria, et si in plures regiones perferenda sunt, quamvis sæpe repetita, haud facile obveniunt. Quod in Lovaniensi editione manifestum, cujus Antuerpiensis descriptionis exempla per Germaniam sunt rarissima, ex Gallicanis nonnisi pauca et unius fere impressionis, primæ scilicet a. 1586 ostendi solent. Ut nihil dicam de *Vignerii Supplemento*, quod per multas puto bibliothecas frustra quæsiveris, sine quo tamen omnia Lovaniensis hujus recensionis apographa manca esse constat. Illud autem omnino præter veritatem contendit Simonius, novam Augustini editionem post Lovaniensem locum non habuisse et iniquius statuit, Lovaniensem Benedictinæ multis ex causis esse præferendam, idemque dicemus, si judicium hocce suum ad reliquas Benedictinorum Patrum Latinorum vel Græcorum editiones extendere velit, e quibus vix ullus est, Hilarium ipse excipit, quin recentem tunc ab ingeniis eruditorum et preli munditie cultum desiderasset. Ut vero ad ea tandem accedamus, quæ in ipsa hac Patrum Maurinorum opera vel perperam, vel imperite facta esse queritur, reprehendit primum, omissas esse notas Lovaniensium theologorum Ecclesiæ catholicæ causæ tam utiles (nam id sibi vult *si importantes à la religion*). Nec vero eam excusationem admittendam censet, qua ab omnibus omnnino theologicis notis sese abstinuisse affirmant. Quippe quod partim ab iis factum esse negat, partim damnat, quod criticis observationibus æque in theologia ac in Grammatica, quam solam exercuerint, locus fuerit. At majus his omnibus opprobrium est, et quod non parum hujus editionis pretium elevaret, si satis ille probasset, defuisse monachis eis omnes, quas critices munus sibi postulet, facultates, doctrinam, judicium et acumen. Præbet exempla aliquot, in quibus non neges, non admodum scite eos esse versatos, sed pleraque omnia versionem locorum veteris aut novi Testamenti concernunt, in quibus si timidius aut etiam non docte satis aliquid elocuti sint, quis tanto stomacho ferat? Præterea pauca sunt, et licet de multis ea speciminis quasi loco exhibere se significat, et in altera quidem harum censurarum ad librum justæ magnitudinis conficiendum materiam de prætermissis et perperam dictis sibi suppetere scripserit; tamen quoniam hunc talem librum non scripsit, nec exemplorum numerum usquam auxit, illud viri hujus judicium non temere quisquam suscipiat. Illam vero critices partem, quæ ad genuitatem et integritatem librorum tendit, de qua semper hujus congregationis monachi præclare meruisse existimati sunt, quæque in Augustino sane non postremi laboris fuit, quam tamen Simonius ne verbo quidem attigit, qui æquus judex, ubi ad sententiam de toto opere ferendam consederit, prætermittere ausit?

1700-1703.

Antuerpiæ sumptibus Societatis; *in-fol.*, *XII tomis*, Sancti Augustini, episcopi Hipponensis Operum T. I-XI. Post Lovaniensium theologorum recensionem castigatus denuo, etc., *ut in præcedenti*. Editio nova a multis mendis purgata. *Prodierunt T. I-V a.* 1700, *T. VI* 1701, *T. VII-X* 1707, *T. XI* 1700; *tandem* 1703, *Antuerpiæ apud Petrum Mortier*: Appendix Augustiniana, in qua sunt *S. Prosperi* carmen de Ingratis, cum notis Lovaniensis theologi; *Joannis Garnerii*, Societatis Jesu presbyteri, Dissertationes pertinentes ad Historiam Pelagianam; *Pelagii Britanni* Commentarii in Epistolas S. Pauli; ac denique *Des. Erasmi*, *Jo. Lud. Vivis*, *Jacobi Sirmondi*, *Henrici Norisii*, *Joannis Phereponi* et aliorum præfationes, censuræ, notæ et animadversiones in omnia S. Augustini opera, *T. XII*, qui huic editioni peculiaris, undecim prioribus ex sola editione Parisiensi sine mutatione expressis.

Constat hanc editionem non Antuerpiæ sed Amstelodami per Petrum Mortier, bibliopolam Amstelodamensem, qui non solum nomen suum in Appendicis seu tomi XII titulo professus est, sed ad calcem XI tomi quoque ascripsit, esse perfectam, qua fraude in consecuturos sese sperabant curatores, ut in terris pontificis formulam colentibus vendibilior esset, si ex urbe pontificiæ doctrinæ addicta exire videretur, quam si nomen urbis heterodoxæ præferret. Nec minus pervulgatum est, editorem fuisse celebrem illum, sed apud catholicos male imprimis audientem *Joannem Clericum*, qui sub *Joannis Phereponi* larva latere voluit.

Sunt autem duo genera scriptorum in hanc appendicem a Clerico conjecta, libri scilicet tum veterum aliquot auctorum, tum recentiorum scriptorum dissertationes Augustiniana scripta illustrantes, quibus et præfationes et censuræ, superiorum editorum accenseri merentur, et ipsius notæ recens in singulos tomos operum conscriptæ. Ad prius spectant *Prosperi Carmen* et *Pelagii Commentarii*, de quibus justior, ubi ad ipsos hosce auctores pervenerimus, nobis dicendi locus erit: *Garnerii dissertationes*, quæ inter Prosperi et Pelagii opuscula locum obtinent, quæque similiter ad *Marium Mercatorem* a nobis commemorabuntur. Ad eas autem pertinent *Henrici Norisii cardinalis episcopi epistolæ*, *quibus Garnerii errores in Geographia sacra Africæ*, dum episcopis synodum Africanæ et Numidicæ sedis assignaverat, *perstringuntur* et *emendantur*, animadversionibus in tomum II subjectæ. Ad Pelagium observat editor, additurum se fuisse seorsim omnes ejus reliquias, nisi quæ præter epistolam ad Demetriadem exstarent in ipsis Garnerianis dissertationibus jam collectæ fuissent, illa vero in tomo II Antuerpianæ hujus editionis inter Augustinianas epistolas locum obtinuisset,

Quod præfationes attinet, prima est *Erasmi dedicatio* ad *Alfonsum Fonsecam*, archiepiscopum Toletanum, dein præfatio *Joannis Vlimmerii*, sermonibus a se a. 1564 editis præmissa et in sequenti Basileensi repetita, tum ipsa hæc Basileensis a. 1569 præfatio versibus concepta ac denique Erasmi in libros Retractationum et Confessionum censura. Postremam hanc, cur seorsim a reliquis censuris Erasmianis, quas suis animadversionibus interposuit, hic exscribendam dederit, nullam video causam. Nec magis intelligo, cur unam Vlimmerii præfationem ad *Pamelium*, quæ proprie tantum Possidii indiculum una cum Sermonibus evulgatum attinet, huc reposuerit, alteram ad *Martinum Rithovium*, primum Yprensem episcopum, una cum Sirmondi præfatione Sermonibus XL Parisiis a. 1631 publicatis adjecta, ante animadversiones in T. V recudendam tradiderit. Certe in his festinationem quamdam cognoscere mihi videor, cujusmodi non raro Clericum, si typis aliquid parandum esset, urgebat (*a*). Sed ut ipsius tandem *Animadversiones* attingamus, de iisdem universe pronuntiavit, se non aggressum esse Commentarium aut notas perpetuas in S. Augustinum scribere, sed tantum sparsim quædam in varia ejus opera annotare, quorum, si quæ aliis debuerit, auctorum nomina se diligenter ubique apposuisse, ut unicuique laus sua constaret; alia intacta, aut quæ, an alii attigissent, nesciverit, suo nomine protulisse. Esse autem tum grammatici aut critici generis, tum multa philosophica ac theologica permistim a se exhibita, quod non tantum interpretem Augustini agere, sed ratiocinationes ejus expendere statuisset. « Non voluimus, inquit, dumtaxat obscura quædam explicare, aut alia illustrare sed et vere ac recte dicta subinde meritis laudibus afficere; eaque, in quibus hallucinatus esse videbatur notare; ne alios incautos, vel viri auctoritate territos, fallerent. Noveramus non legi hosce libros, ut ex iis eruditio critica colligatur, sed potius ratiocinationum ac dogmatum causa; ideoque hæc possimum expendi a nobis oportere creditidimus, ut essent Animadversiones nostræ veluti manuductio quædam in eorum usum, qui multum tempus hisce legendis impendere nequeunt; judiciumque magis, quam memoriam, Veterum lectione excolere atque acuere se debere merito existimant. Verum audire mihi videor homines nonnullos clamitantes, quæ a me dicta sunt variis in locis, ea apta esse ad corrumpendum potius, quam excolendum judicium. Quibus respondeo, me, si in illorum sententia fuissem, omissurum fuisse; sed cum aliter senserim, non potuisse committere, ut ea, quæ mihi optima dictu videbantur, prætermitterem. Ita se et ipsi gerunt; neque enim ea scribere solent, quæ putant mihi aut aliis probatum iri, sed quæ ipsi vera- A esse censent, Necesse est profecto unumquemque facere, quod optimum factu ei videtur. Sed erit postea omnium Judex supremus, qui aliquando tandem, quinam rectius senserint, certo docebit. Quin et nostra ætas, ne posteros dicam, judicium hac de re ferre poterit; nec, si rationibus meis assentire nequeat, auctoritate mea, quæ nulla plane est, transversa saltim agi poterit. Erat, cur timerem, ne auctoritate *S. Augustini* obruerer, quamvis rationibus essem superior; at nihil simile a me possunt vereri, qui nisi firmissimis argumentis verum esse evicero quod defendo, sine dubio damnabor. »

Generatim diximus, censuras et admonitiones Erasmi insertas esse animadversionibus, sed accessit etiam ad tomum II ejus præfatio epistolis præ- B missa, quas ideo tantopere ab eo laudatas esse scribit Clericus, ne in consuetudinem peccaret. Varia porro his animadversionibus insunt ad versionem LXX Interpretum, vexationem Donatistarum, aliorum hæreticorum et damnationem Pelagianam spectantia, quæ lectorem præjudiciorum vacuum expendere jubet. Animadversiones ad T. III, qui libros de interpretatione Scripturæ S. complectitur, frequentes Augustini propter Græcæ et Hebraicæ linguæ imperitiam in interpretando lapsus ostendunt, quo Castigationum genere et Hieronymo gravem se præbuisse Clericum novimus. De *quarto* tomo, qui sermones Augustini in Psalmos habet, ipsius Clerici verba proferre non pigeat, verissimum, sed novum tunc et inauditum C judicium complexa. « Sermones Augustini in Psalmos, inquit, valde laudat Erasmus; et ad eorum exemplum etiam ipse varios Psalmos interpretatus est tomo V Operum. Verum jam exolevit, et quidem merito, ea ratio interpretandi Scripturam, ubicumque linguæ præsertim Hebraicæ studia floruerunt a ducentis propemodum annis. Igitur *præfatiuncula Erasmi ad examen hic a nobis revocatur*, ostendimusque eadem opera, quis possit esse usus horum S. Augustini sermonum; quamvis ad intelligendos accurate Psalmos nihil aut parum conferre queant. Qui eos legere possunt Hebraice, nec criticæ sacræ sunt prorsus imperiti, ex sola lectione horum aliquot sermonum intelligent, nihil esse verius. Quod et alii animadvertent, si veritatis studio ducti expendant D *examen interpretationis Augustinianæ trium primorum psalmorum*; nam plures excutere non vacabat, nec vero opus erat. » Animadversionibus in *quintum* tomum Sirmondi notas, quarum nonnullas tantum Benedictini ediderant, integras interspersit, sed nomine addito a suis secrevit. Ad *tomum VI* animadversiones pleræque quæstionibus et objectionibus constant. Continet enim hic tomus theologica, quibus varia apposuit Clericus, quæ ex principiis in illis libris positis vix solvi posse videbantur. Imprimis in iis, quæ

(*a*) Eam ipse fatetur in admonitione animadversionibus in T. X præmissa. Sed major etiam conturbatio per eamdem illata est. Quippe præfationes Lovaniensium, quas hoc loco insertas esse in præfatione hujus appendicis dicit, exciderunt, dum per incuriam Vlimmerii epistolam ad Pamelium, quæ infra inter animadversiones ad tomum X, pag. 621 seqq., iterum, sed hic justo loco exscripta est, imprimendam designasset.

ad Enchiridion ad Laurentium notavit, demonstrare studuit, Augustini de libero arbitrio sententiam interdum non facile intelligi, quia vocibus *libertatis* et *liberi arbitrii* aliud intelligat, quam quod iis solet significari. Animadversiones in libros de Civitate Dei, qui *tomum VII* constituunt, reliquis copiosiores sunt, sed eædem diversi generis. Præmittitur Jo. Lud. Vivis præfatio. Additurus erat etiam Coquæi notas, sed prolixitas earum et belli tunc per totam Europam ingruentis, librarii commercii rationes juxta conturbantis calamitas, deterruit bibliopolas. Quæ animadversionum ad *tomum VIII* et *IX* indoles sit, ab ipso iterum Clerico disce. « *Tomus VIII* totus est contra hæreticos' et præsertim contra Manichæos et Arianos. Eos quidem nulla ratione defensos cupimus, nec ab eorum deliriis quemquam longius abesse. quam nos putamus ; sed optassemus sæpe alia via, aliisve armis oppugnatos, ut intelligere licebit præsertim ex iis, quæ habemus ad librum *de Utilitate Credendi* atque ad libros *de Trinitate*. Alioqui cum bene eos aggressum esse *S. Augustinum* existimavimus, laudes in eum pleno modio, ut alibi, effudimus, et ambabus ulnis rationes ejus amplexi sumus, sicut ad lib. XXXIII contra *Fauslum* Manichæum. *Tomus nonus*, in quo cum Donatistis pugnat *S. Augustinus*, nos non valde exercitos habuit, quia eadem ferme ibi repetit, cum Donatistæ easdem objectiones, eosdemve paralogismos adversariis ad fastidium usque oggererent. Mirum tamen est. *S. Augustino* tædium aut somnum non obrepsisse, idem toties dicenti. In libros contra Epistolam Parmeniani nos quoque iterum egimus de persecutione hæreticorum, de qua sat multis in animadversionibus ad tom. II dixeramus ; neque synodorum auctoritate in libros de Baptismo, ubi tamen summatim dumtaxat rem attigimus. » In tomum decimum minus studium collatum est. Nam exhibentur non nisi hæc : *Præfatio ed. libri de Gestis Pelagii* anno 1611, *Augustæ Vindelicorum* evulgatæ ; *Henr. Norisii*, historiæ ecclesiasticæ in Academia Pisana professoris, post cardinalis, *Adventoria* ad Franciscum Macedonem in Patavina Acad. ethices interpretem, *in qua de inscriptione libri S. Augustini de Gratia Christi, Albine, Piniane et Melania disseritur. Animadversiones paucæ in librum de Correptione et Gratia ; Claudii Menardi Præfatio in ed. librorum II Operis imperfecti contra Julianum ; Animadversiones in eumdem librum, Vlimmerii præfatio ad editum a se primum Possidii indiculum*, altera vice hic excusa ; *Animadversio in Vitam Augustini*.Plura quominus addiderit tria obstitisse monet, videlicet typographorum festinationem, ipsorum librorum Augustini contra Pelagianos indolem, in quibus innumeræ repetitiones, ut quæ tribus verbis absolvi potuissent, millenis dicta sint, multaque præterea aliena infarta ; tædium denique omnium harum rixarum, quod tantopere se cepisse affirmat, ut eas vix, aut ne vix quidem ferre posset. *Cui vero etiam nauseam non moveant*, exclamat, *tot et tam longæ, ut voce sequioris ævi utar, rhetoricationes, aut ad declinandum adversarii ictum, aut ad eum insectandum. aut denique ad invidiam vel movendam, vel fugiendam ? Mihi certe tantum crearunt inter legendum fastidium, ut plane recreatione gratiorum et utiliorum studiorum indigeam*. Sic Clericus cocta incoctaque juxta lance satura lectoribus apponens. Fatendum enim, eum, quæ sic affectus scriberet, non semper satis meditatum fuisse, linguamque impotentiorem non raro præcurrisse mentem. Id quod graves ei, nec omnino injustas reprehensiones conciliavit. Nam peculiarem contra has ejus animadversiones censuram emisit Anglus quidam *Robertus Jenkins*, Cantabrigiæ 1707 (*a*), et *Ludov. Ant. Muratorius* in libro III operis *de ingeniorum Moderatione in religionis negotio*, sub *Lamindi Pritanii* persona a. 1714 editi, Augustini patrocinium contra eumdem suscepit. Inania autem sunt et insulsa plane, quæ in *Jo. Clericum* in hujus editionis et præcipue appendicis commemoratione conjecit convicia *Casimirus Oudinus* T. I *Commentar.* p. 986 seqq. Coronat opus *index* admodum scite confectus et bibliopolæ monitum, quo seorsim quoque hunc XII tomum, cum in minori, tum etiam majori charta, ut posset cum Parisiensi editione conjungi, venditurum se promisit. Recensent appendicem Augustinianam *Acta Eruditorum* Lips. 1703, m. Jul. pagg. 289-92.

1729-32.

Venetiis excudebat Jo. Bap. Albrizzi Hieron. fil.; *in-fol.* Sancti Augustini, Hipp. episcopi Operum tomus I-V post Lovaniensium theologorum recensionem castigatus denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, etc., etc. Opera et studio monachorum ordinis Sancti Benedicti e congreg. S. Mauri.

Nuda descriptio editionis Parisiensis. Sic enim ab initio professus erat typographus. Cf. *Nov. della Rep. delle Lettere* Martii 1729, pag. 94. Ibidemque m. Junio pag. 199 innuitur *tomum primum* prodiisse. *Tertius* pleno titulo indicatur ibidem a. 1730, m. Jun. pag. 193. *Quintus* ibidem 1731, m. August., pag. 237. Reliqui tomi an prodierint, nec ne, ignorare me fateor.

1754.

Romæ apud Fratris Palearinios ; *in-8°*, *tomi II.* S. Aur. Augustini, Hipponensis episcopi, de Gratia Dei et libero Arbritrio hominis et Prædestinatione sanctorum opera selecta. Editionem emendatissimam, et variis lectionibus undique collectis, præcipue vero ex codd. mss. Vaticanis adornatam curavit *P. F. F.* (*Petrus Franciscus Foggini.*)

Duo hæc volumina, quæ seorsim veneunt, uti tivenales apud *Rob. Knaplock.* ad Angelum in cœmeterio D. Pauli, *Londin*, 1707, in-8°. Augustinum interdum bene tuetur, non æque secundo successu reliquas Clerici sententias impugnans.

(*a*) Integer libri titulus est : *Defensio S. Augustini adversus Joannis Phereponi in ejus Opera animadversiones.* Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis *Richardi Thurlbourne.* Bibliop. Cantabr. Prostant

tulus exterior (*S. Augustini opera selecta*) prodit seriem etiam faciunt cum tribus aliis *Prosperi, Aquitani* et *Fulgentii*, potissima ejusdem argumenti exhibentibus, quæ junctim sub una formula *SS. Patrum opera selecta de Gratia Dei et Prædest. SS.* comprehenduntur. Editio est nitidissima et usui forma descriptioneque aptissima. Ex Augustinianis super hoc argumento libris nonnisi ii huc repositi sunt, quos jam episcopus post exortam Pelagianam hæresin exaravit, ex quo tempore scilicet ipse fatetur, se diligentius hæc esse rimatum (*a*). Itaque primus tomus habet librum *de Gratia Christi contra Pelagium et Cœlestium, Epistolam ad Sixtum, Epistolas duas ad Valentinum abbatem et cum illo monachos Adrumetinos*, Epistolam *Valentini* abbatis ad S. Augustinum, *Librum de Correptione et Gratia ad abbatem Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos, Epistolam ad Vitalem;* Tomus secundus autem *Prosperi epistolam ad S. Augustinum, Hilarii epistolam ad eumdem, Librum S. Augustini ad Prosperum et Hilarium de Prædestinatione sanctorum, ejusdem ad eosdem de Dono perseverantiæ*, denique *Enchiridion* sive *librum de Fide, Spe et Charitate ad Laurentium.* Nuncupata sunt duo hæc volumina *Benedicto XIV*, sedem apostolicam tunc obtinenti. Additus est in secundo index locuples utrique communis.

A

B

APPENDIX AD ARTICULUM PRIMUM.

I. Versiones.

Plura Augustini opuscula certo respectu collecta et in aliam linguam junctim conversa, præterquam in *Germanicam*, nec ipsum me deprehendere memini, nec ab alio novimus commemorata. Quapropter tanto jucundior nobis accidit Germanicæ hujus versionis mentio. Constat illa duobus voluminibus sic inscriptis:

C

Augustini des heyligen Bischofs IIII Bücher non Christlicher leer. I Buch vom Geist und Buchstaben. I Buch non glauben und wercken. Durch Doctor Caspar Hedion *vertolmetscht. Alles vorhin in Teütscher sprach me gelesen, nützlich aber yedem Christen der zum heil begert gelert zu werden.* Strasburg. Im Iar MDXXXII.

Augustini des heyligen Bischofs Bücher, 1. Von warem gottsdienst. 2. Enchiridion, das ist Handbüchlein, von Glauben, Hoffnung und Liebe. 3. Von warer Vnschuld. 4. Von natur und gnad. 5. Von Fürsehung ider heiligen. 6. Wie ein gutt ding sey umb beharrligkeit. Alles durch D. Caspar Hedion, *warheyt und frid in unsern tagen zu fürdern, neuwlich verteüscht.* Strasburg. Anno MDXXXIII.

D

In priori volumine præter ea, quæ titulus pollicetur, additur n. IX (*b*), *Ambrosii vom mittleiden gegen armen, vnnd wann die Kirchenschætz anzugreiffen.* Præmittuntur autem libris conversis n. I, *Vorred D. C. Hed. an den Erwürdigen und wolgebornem Herrn, Herren Wilhelmen Graven zu Eysenberg*, etc.; n. II, *Erklærung etlicher schwerer wörter auff die verteüschten Bücher A. Augustini*; n. III, *Entwerffung kurtz und ohne alle gevar des lebens Augustini;* n. IIII, *Zeügniss sanct Hieronymi von Augustino*; n. V, *Erleüterung aus den büchern Retractationum, uff die bücher von christlicher leer, Geist vnd Buchstaben, Glauben vnd Wercken.*

Alteri insertæ sunt post librum de Natura et Gratia, *Brieff Prosperi an Augustinum* et *Brieff Hilarii an Augustinum.* Præcedunt autem, n. I, *An den Hochgebornen Fürsten und Herren Herrn Georgen Graven zu Würtenberg*, etc. *Vorred D. Caspar Hedions, darynnen eins freyen Christlichen Concilii gedacht, vnd was Christlicher und Teütscher Nation hierauff zu beradtschlagen*, etc.; n. II, *An den Leser kurtzer bericht von schworen sentenzen und worten in Augustino.*

II. Codices.

In recensendis libris mss. qui ad Patrum Latinorum, quotquot ad consilium nostrum pertinent, scripta ab editoribus excussi sunt, non unam hactenus ubique ingressi sumus viam. Plerumque ipsos quidem editores in hoc secuti sumus, ut, si diligenter ab iisdem tractati essent, nobis non minus incumbere existimaremus accuratam enumerationem. Plurimum enim prodest hæc industria non solum ad ipsius textus singulorum historiam, quod proximum; sed etiam ad cognoscendam immensam illam scriptorum copiam, quæ quoniam abdita latet in scriniis et cancellis circumsenta, fugere propemodum solet bibliographorum imperium. Quam ob rem deinceps etiam, ubicumque datum fuerit, non lassi erimus in hac parte operis nostri, historiæ litterariæ amplificandæ causa. Aliter se res habuit, quando strictim tantum vel universe, vel ad singulos libros unius auctoris libri, qui consulti fuerint, indicarentur. Tum generatim fere nominum elencho contentos esse oportuit, quem ex dispersis etiam ad singulos libros notitiis non sine molestia concinnavimus, modo ne eosdem sexcenties repetere per scriptorum enumerationem cogeremur. Exempla sunt Hilarius, Ambrosius et Hieronymus. Idem quoque in Augustino nunc evenit, sed labore longe majori nobis constitit, quamquam non deerant, quæ alteram rationem, quæ minus certe molestiæ habebat, amplecti suaderent causæ. Nam cum mss. librorum Augustini in omnibus fere bibliothecis ingens sit copia, tum iidem mirum inter se differant pro numero scriptorum contentorum; vel ipsi editori difficillimum omnes seligere et ad classes quasdam revocare, et re ipsa nec Lovanienses, nec Benedictini tale quidquam sustinuerunt (Erasmo autem, ut aliquoties monitum, solemne fuit, parvi æstimare librorum mss. declarationem): sed ad calcem tomi cujusvis cum insigniore lectionis varietate longam nominum pompam codicum, ad quos singuli opera titulo non memorata. Numeri sequentes, VI, VII, VIII, corpus efficiunt, tituloque respondent. Postremo, sicut appendix, habetur numerus IX, Edit.

(*a*) *De Prædestin. SS.* cap. 3 et 4.

(*b*) Prius volumen divisum est in novem numeros vel partes. Quique numeri I, II, III, IV, V, ut mox dicitur, continent, in modum prolegomenorum,

recogniti fuerint, adduxerunt. Tantum vero abest, ut descriptionis aliquid sit additum, ut potius illa ipsa nomina non singulos codices, vel ætatis aliqua nota aut bibliothecarum numeris aliisve signis distinctos, sed classes plurium unius loci librorum denotent, et si quis indagare vellet, quæ Augustini scripta ad unumquemque pertineant, frustra multum laboris esset consumpturus. Fortassis itaque non inepte ea ipsa nominum per singula S. Doctoris scripta enumeratio a nobis exhibita fuisset, qua id saltem consecuturos nos sperandum erat, ut qui in bibliothecarum mss. abundantium catalogos inciderent, dum omnes fore paginas Augustinianis scriptis repletas viderent, aut si ipsas bibliothecas accessissent, et eumdem omnes pene forulos ecclesiasticis scriptoribus destinatos obsedisse cognoscerent, parcius has gazas admirarentur, moniti, jam satis optimorum librorum cum hoc vel illo scripto comparatum esse. Sed facile etiam videbamus, tot nominum introductionem vanam ac inanem fore, nisi disertior explicatio accessisset, quæ domicilia singulorum, unde illæ appellationes petitæ essent, demonstraret. Tandem hæc expeditior via visa est, licet ingratæ operæ multum in ea subeundum esset, ut omnibus illorum nominum indicem alphabeticum concinnaremus, et ad unumquodque velut ad classem quamdam et ordinem, quantum fieri poterat, notaremus, quot, aut qui, aut quales in singulis adhibiti essent, quo factum est, ut, si non singuli codices, quod vix unquam in Augustino sperandum, nec optandum valde videtur, certe bibliothecæ, in quibus repositi fuerint, noscantur. Pertinet autem hæc opera sola ad Benedictinam editionem : de Lovaniensi enim sufficere putavimus, si generatim nomina bibliothecarum, ad quas pertinebant, et numerus, quemadmodum ab ipsis proditum est, recitarentur. Cæterum Benedictini Belgicos aut Lovanienses codices ad singulos etiam libros denuo a se excussos diligenter laudarunt. Sequitur jam index.

A) *Codices a* Lovaniensibus *Theologis excussi.*

Alnenses, i. e. codices *bibliothecæ Alnensis abbatiæ Cisterciensis in ditione Leodiensi.* Aderant *viginti.* Hujus bibliothecæ codices et inter eos etiam Augustinianos recenset strictim *Antonius Sanderus* in *Bibliotheca Belgica Manuscripta,* parte II, pagg. 234 (241-43).

S. Amandi, i. e. *cœnobii Elnonensis,* vulgo *S. Amandi in Pabula,* codices *triginta duo* transmissi erant a *Max. Morillonio,* provinciæ Medelinensis Vicario generali. In *Bibl. Belg. MS.* p. I, p. 32 seqq., Augustinianos hujus monasterii codices invenies.

Cambronenses, i. e. *biblioth. cœnobii Camberonensis Ord. Cisterciensis in Hannonia haud procul ab urbe Montensi.* Præsto fuerunt *triginta.* Cf. *Bibl. Belg. MS.* p. I, p. 346 seqq.

A Floreffiacenses, cœnobii nescio cujus *Florefiæ. Octo.*

Gemblacenses, i. e. *abbatiæ Gemblacensis. Triginta,* omnes ex membrana.

Lovanienses. Horum alios acceperant e *collegio Theologorum,* alios e *collegio Societatis Jesu,* alios a *Carthusianis, Martinianis Præmonstratensibus* in *Parcensi monasterio* et *Bethlehemitis.* Numerum singulorum tamen non indicarunt. Ex his in *Bibl. Belgica MS.* recensentur codices *collegii Societatis Jesu,* parte I pag. 326; *Abbatiæ Parcensis,* p. II, p. 166, et *Bibl. Canon. Regul. S. Augustini in Valle S. Martini,* p. II p. 210 seqq.

Tornacenses, i. e. *monasterii S. Martini Tornaci,* unde *triginta* et *unus* allati erant. De his vide *Bibl.* B *Belg. MS.* part. I, p. 95 seqq.

B) *Codices, qui* Benedictinorum *usibus concessi fuerunt.*

a) Gallicani (*a*).

Albinenses apud *Andegavos,* i. e. *Abbatiæ Andegavensis S. Albini* codices *Unum* fere citant in plurimis *primi* tomi libris, inter quos *Retractationes* et *Confessiones ;* item tomo *sexto* et *decimo,* nec non ad libros *de Civitate Dei* tomo *septimo,* et libros *de Trinitate* tomo *octavo.* Ad librum *de Symbolo ad Cathecumenos* tomo *sexto,* monent, in Albinensi 800 annorum codice primum ex quatuor, quibus constat sermonibus, reperiri.

Antissiodorenses, i. e. *abbatiæ Præmonstratensium* C *S. Mariani Antissiodori* codices. Unum ex quatuor, quibus instructi fuerunt codicibus mss. *librorum contra secundum Juliani responsionem* suppeditavit.

Monasterii S. Arnulfi *Metensis* codex. Unum fuisse conjicio, siquidem Arnulfensem ubique nunquam plurali numero laudant. Frequens potissimum in tribus prioribus tomis ejus fit mentio. Lectiones scilicet habebant, non ipsum ms., ut ad Retract. libros monent.

Abbatiæ S. Audœni *Rothomagensis* codices. Ex his *Opus de Civitate, Sermones* et plurima alia Augustini scripta emendata sunt. Præcipue in tomo primo frequenter *Audoenenses* appellantur, in sequentibus parcius. Nescimus, an omnes unius ætatis fuerint, sed in opere *Enarrationum in Psalmos,* 700 annos iis D tribuunt.

PP. Augustinianorum *majoris conventus Parisiensis* codices. *Quatuor* ad *Confessionum libros* suppetebant; *unius* sæpius fit mentio.

Beccensis *abbatiæ* codices plures annorum 700 laudantur ad *Opus Psalmorum.* unus ad libros *Retract., de Civ. Dei, Epistolas,* librum *de Hæresibus, de Trinitate* et *ad Donatistas* (tomo VIII et IX), et sæpius in tomo *decimo;* duo ad libros *de Consensu Evangelistarum* et *de Sermone in Monte,* plures in *Sermonibus.*

(*a*) Sunt tamen inter eos et Belgici quidam, quos ipsi consuluerunt et Corbeienses, sed hos sejungere dubitavimus, partim quod ipsi eos Gallicanorum nomine comprehenderent, partim quod Corbeiensis monasterii codices adeo omni tempore Maurinorum Patrum studiis parnerunt, ut veluti domestici apud eos facti esse videantur.

BECHERONENSE exemplar citant in Tractatibus *in Evangelium Joannis* tomo *tertio* et in *libro de Hæresibus* tomo *octavo*.

BELLOVACENSIS Ecclesiæ exemplar antiquissimum ad *Tractatus in Joannis Epistolam*, cui ad calcem ascriptum fuerit : *anno regis Clotharii duodecimo;* aliud item *ad posteriores L Psalmos* tomo *tertio* et *quarto* præsto fuit.

Ab hoc differt codex BELLOVACENSIS abbatiæ S. QUINTINI adhibitus iisdem *Tractatibus in Epistolam Joannis*.

BENIGNIANI, i. e. *bibliothecæ* S. BENIGNI *Divionensis* codices. In Retractationum et Confessionum libris unum 700 annis antiquiorem notant. Nescio an idem sit, qui in *Epistolis* quoque et *Tractatibus in Joannem*, libro *de diversis Quæstionibus contra Mendacium*, *de Cura pro mortuis gerenda*, *de Trinitate*, etc., præsto fuit. Codicem, quo in libro *de Symbolo* usi sunt, 880 annorum ætatem præferre tradunt. *Tres* aut *plures* habuerunt ad Sermones castigandos.

BERNARDINORUM *collegii Parisiensis* codex ms. *unus* et *alter*. Profuit in libris *de Opere monachorum* tomo *sexto*, item *Expositionum Epistolæ ad Romanos*, et *Galatas* tomo *tertio*, nec non libris VII *de baptismo* et libris IV *contra Cresconium* tomo *nono*. *Alterum* appellant ad *libros contra Maximinum et collationem* cum *eodem*. Diversum ab hoc puto librum *PP. Fuliensium* cœnobii *S. Bernardi Parisiis*, quod exemplar *Fuliense* appellare solent.

BERNARDINORUM *de misericordia Dei* liber ms. unus laudatur in libro *de Opere monachorum*.

S. BERTINI in *Belgio* codex perantiquus, unde eruta est *Epistola Augustini ad Mercatorem*, quæ in Benedictina primum prodiit num. 193.

BIGOTIANUS seu codex ms. ex bibliotheca EMERICI BIGOT *Rothomagensis*. Ex eo sunt recognita, epistolæ, aliquot libri tomi *sexti*, *de Civitate Dei* tomo *septimo*, libri *de Natura boni*, *de Trinitate XV*, tomo *octavo*, et libri sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

CARCASSONENSIS *Ecclesiæ* liber ms. laudatur ad Sermones tomo *quinto* et ad *Tractatus CXXIV in Joannis Evangelium* tomo *tertio*.

CARNOTENSIS, i. e. *abbatiæ S. Petri in valle Carnotensi* codex. *Unius* mentio fit ad librum *contra Mendacium* tomo *sexto*, libros *contra Faustum* tomo *octavo* et librum *contra Secundinum*, qui in Belgicis codicibus frustra quæsitus ex eo unico ab innumeris mendis repurgatus esse dicitur, item librum *de Natura* et *Gratia*, et *de Perfectione hominis* tomo *decimo*.

Ab iis diversus est liber ECCLESIÆ CARNUTENSIS, qui laudatur in *Sermonibus*.

CASALENSIS seu CASALINUS, i. e. codex ms. *cœnobii Casalis Benedicti*. Ex eo (nam singulari numero semper laudarunt) *Epistolæ*, item plures tomi *primi* et aliquot tomi *octavi*, *noni* et *decimi* libri castigati sunt.

CISTERCIENSIS *abbatiæ*, haud dubie Parisinæ, codices. Ex Cisterciensi, si modo unus fuit, singuli pene tomi *primi*, *tertii*, *sexti* et *octavi* libri, tum secundo tomo *Epistolæ* emendantur. Cisterciensis porro crebro appellatur in *Sermonibus*. *Duos* Cistercienses laudant in libris *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*, *de Civitate Dei*, tomo *septimo*, libro *de diversis Quæstionibus* tomo *sexto*, et *de Gratia et libero Arbitrio* tomo *decimo*.

PP. CISTERCIENSIUM *S. Crucis in Jerusalem in Urbe* codex vetus. Ex eo edita est primum *Epistola* 29, ad *Alypium*. Plures in *Sermonibus* laudant, ex iisque Sermonum aliquot occasionem didicisse se dicunt, itemque quo loco eos Augustinus dixerit.

CLARÆVALLENSIS *abbatiæ* exemplar *librorum sex contra secundam Juliani responsionem*. Hoc ipsum est, ex quo primus eos deprompserat *Vignerius*, ex eoque denuo discrepantes a Vigneriana editione lectiones in usum Benedictinorum excerptæ sunt.

COLBERTINÆ *bibliothecæ* codices complures suppetias tulerunt. Erat enim hæc bibliotheca libris vetustis instructissima, qui omnes deinde in *Regiam* migrarunt. In tomo *primo* nulli adfuerunt, sed *Epistolæ* juxta eosdem excussæ sunt. Laudantur etiam modo *unus*, modo *duo* in tomo *tertio* et *sexto;* item tomo *quarto* in *Enarrationibus* in *Psalmos* Colbertini codices optimæ notæ (*a*)*; tres* ad opus *de Civitate Dei*. Passim etiam in tomo *octavo* eorum fit mentio, et quidem ad librum *de Hæresibus*, *quatuor* memorantur; in *decimo* vero ad singulos fere libros citantur. Inter plures, ex quibus *Sermones* tomo *quinto* castigati sunt, unum præcipue commemorant, qui 821 notatus fuerit, Sermones de verbis Evangelii veteri ordine, secundum quem in Bedæ seu Flori collectione plerumque laudantur, digestos complexum, iisque insertos quosdam, quorum vel nihil prorsus in ante editis, vel fragmenta solum exstabant. In libro *de Mendacio* tomo *sexto* Colbertinus 800 annorum et ibidem in libro *de Opere monachorum* alius 900 fere annorum appellatur. Ex Colbertina itidem bibliotheca nacti sunt codicem *Operis imperfecti contra secundam Juliani responsionem* mutilum tertia parte, illum ipsum nempe, ex quo *Claudius Menardus*. a. 1617 primum priores duos libros publicaverat.

In Colbertinam bibliothecam jam tunc, nescio an omnes transierant *Thuanei* mss., unde *Thuanei codices* interdum censendi sunt ex Colbertina, e. g. in libro *de Agone Christiano*, et *Bono conjugali* tomo *sexto*.

COMPENDIENSES, *vide* CORNELIENSES.

(*a*) Inter hos etiam erat unus, qui *Epitomen Commentariorum Augustini in Psalmos* continebat, cui codici propylæum, cameræ forma ad Davidis complectendam imaginem appictum, conspiciebatur et inscriptum his ad fornicem verbis : *Landulfus ovans hunc libellum fieri jussit, pro quo funde preces carmina qui legis*, etc. Ad imaginis vero pedes : *Orate pro Annone, hoc supplico.* Versus subjecti constant XIV distichis, incipiunt :

Cantica Davidico Christum modulantia plectro,
Explana a tenet floridus iste liber.

Finiunt :

Atque duos inter Cherubinos voce tremenda
Intonat, et rapidi fulguris igne micat.

CORBEIENSES. Antiquissimi et numerosissimi. Vix enim ullus liber est, quin ad eosdem castigatus fuerit. Nam ab initio statim, ad *Retractationum* libros, librum *de Ordine* et *Regulam ad Servos Dei* præsto fuit codex 900 ferme annos præferens; ad *Confessiones Corbeiensis* ante annos 700 scriptus laudatur, et sic ad omnes pene tomi primi libros, Corbeiensium optimæ notæ fit mentio.

Qui ad *Epistolas* tomo *secundo* adhibiti sunt, plerique ante annos 800 aut 900 scripti dicuntur.

Tomi *tertii* libri, excepto uno, omnes ad Corbeienses excussi sunt, quorum unus ad *Quæstionum Evang.* libros, 900, item alter ad libros *de Consensu Evangelistarum*, 900 aut 1000 annos habere et optima manu descriptus dicitur.

Ad libros *Enarrationum in Psalmos* tomo *quarto* adhibiti sunt per totum opus, *duo*, in eosdem tractatus interdum *plures*, plerique ante annos 800 scripti.

Pariter in *Sermonibus* tomo *quinto* Corbeinses optimæ notæ et vetustissimi notantur, et in singulis pene tomi *sexti* libris codices 800 et 900 annorum et ad libros *de diversis Quæstionibus ad Simplicianum* unus peregregius *ante annos mille* descriptus. In libris *de Civitate Dei* tomo *septimo* præsto fuerunt *duo*. Nec parcius in *tribus posterioribus* tomis Corbeiensis abbatiæ librorum antiquissimorum et elegantissimorum fit mentio, et in ultimo quidem ad libros *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia* unum vetustissimum *ante mille annos* scriptum censuerunt.

Aderat quoque ex eadem bibliotheca *Excerptorum Eugyppii codex* et liber ms. ante annos circiter 500 scriptus, qui *Flori* seu *Bedæ* vulgati *collectionem in Epistolas Aposloli* complectebatur.

CORNELIENSES, i. e. libri mss. abbatiæ *S. Cornelii Compendiensis*. Unus pervetustus memoratur ad librum *de Immortalitate animæ* tomo *primo*. Plures ad *Sermones* tomo *quarto*.

Abbatiæ de CULTURA *apud Cenomanos* codices. Laudatur ad *Epistolas*, item ad *Tractatus in Evang. Joannis* tomo *tertio;* nec non tomo *quarto* in *Enarrationibus ad Psalmos* perantiquus, qui priores L psalmos complectebatur. Citatur quoque ad librum *de Anima et ejus origine* tomo *decimo*.

DOMINICANORUM *majoris conventus Parisiensis via Jacobæa* libri mss. adhibiti sunt ad libros *Confessionum* et *de libero Arbitrio* tomo *primo*, ad libros *de Trinitate* tomo *octavo*, librum *de Unico baptismo* tomo *nono*, libros tres *de Peccatorum meritis et remissione* tomo *decimo*.

EBRULPHENSES, i. e. *S. Ebrulphi* UTICENSIS codices. Laudatur ad librum *de Immortalitate animæ* et *de Quantitate animæ* tomo *primo*, ad librum *de Agone Christiano* et *de Cura pro mortuis gerenda*, aliosque libros tomo *sexto*.

Codex ms. D. Antonii FAURE, *doctoris theol. Paris.* præbuit librum *de Fide, Spe et Charitate*; et li[illegible] *de Civitate Dei*.

FERRARIENSIS *abbatiæ* codex *viginti sex psalmos* ex opere Enarrationum, nempe LXIII-XCVIII, complectebatur.

FISCANNENSIS liber ms. Notatur ad librum *de Magistro* tomo *primo*, ad librum *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*, ad librum *de Catechizandis rudibus* tomo *sexto*, *Contra adversarium legis et prophetarum* tomo *octavo*.

FLORIACENSES. *Bibliothecæ Floriacensis mss.* frequentissime laudantur non solum ad integros tomos, veluti secundum, *Epistolas;* quartum, *Enarrationes in Psalmos*; quintum, *Sermones* complectentem : quorum illis, qui ad tomum quartum memorantur, anni tribuuntur 700; sed etiam ad singulos libros per diversa volumina, veluti ad *Retractationes* et librum *de Quantitate animæ*, primo; ad omnes pene tomi tertii; ad librum *de Octo Dulcitii quæstionibus, de Agone Christiano*, et hic quidem *duo; de catechizandis rudibus, de Opere monachorum* et *de Patientia* tomo *sexto;* ad libros *de Hæresibus, Contra Faustum, de Trinitate* tomo octavo; ad libros VII *de Baptismo, Contra Petiliani litteras, de Unitate Ecclesiæ* et *de Uno baptismo* tomo nono; denique ad libros sex *contra Julianum* tomo decimo.

FOSSATENSIS *S. Mauri abbatiæ* nescio *unus* an *plures;* sed verosimilius posterius. Adhibiti sunt ad *Confessionum* libros tomo primo, *Epistolas*, tomo secundo; ad libros *de Consensu Evangelistarum* tomo tertio. Perantiquus laudatur ad *Psalmos Graduales* in *Enarrationum* opere tomo quarto. *Sermones* etiam ex iisdem castigati sunt; item tomo sexto liber *de diversis Quæstionibus XXXVIII*, et *de Cura pro mortuis gerenda;* tomo octavo *Collatio cum Maximino* et *libri contra ipsum duo*. Ad *Tractatus in Evangelium Joannis* laudatur *Fossatense* exemplar jussu *Ingilberti* abbatis circiter 840 scriptum.

PP. FRANCISCANORUM *Parisiensium* codex. Hi *unum* librum ms. præbuerunt emendando libro *de Moribus Manichæorum* tomo primo.

PP. FULIENSIUM *cœnobii S. Bernardi Parisiis* codices mss. duo adhibiti sunt ad castigandum *Opus Enarrationum in Psalmos*. Alter psalmos sexdecim a XXXV ad L, alter octodecim a CI ad CXVIII complexus erat. *Sermones* quoque ad ejusdem bibliothecæ codices excussi sunt; item liber *de Continentia, de Symbolo ad Catechumenos sermones quatuor*, et *Sermones de Cantico novo, de quarta feria, de Cataclysmo* et *de Tempore Barbarico* tomo *sexto*.

FUXENSIS *collegii* apud *Tolosates* exemplar ad *Epistolas* præsto fuit. Laudatur etiam ad librum *de Agone Christiano* tomo *sexto*.

Ecclesiæ S. GATIANI *Turonensis* codex optimæ notæ laudatur ad *Enarrationes in Psalmos*, complexus *centum priores;* item ad libros de *Trinitate* tomo *octavo*.

Libri mss *abbatiæ* GEMMETICENSIS creberrime laudantur. Ex iis castigantur *Epistolæ*, *Sermones*, *Enarrationes in Psalmos*, et ex *uno* eorum opus *de Civitate Dei*. Porro in *primo* tomo libri *de libero Arbitrio, de Genesi contra Manichæos, de Moribus Ecclesiæ catho-*

licæ, de Moribus Manichæorum et *de vera Religione;* in *tertio*, libri *de Consensu Evangelistarum, de Sermone Domini in monte* et *Tractatus in Evangelium Joannis ;* in *sexto, de Symbolo ad Catechumenos sermones quatuor* et qui ibidem proxime sequuntur Sermones *de Disciplina Christiana, de tempore Barbarico, Cantico novo*, etc.

GENOFEVÆUS, i. e. liber ms. bibliothecæ *abbatiæ S. Genofevæ Parisiis* laudatur in libro *de beata Vita* tomo *primo*; in libris *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio;* in libro *de diversis Quæstionibus octoginta tribus* et *de Quæstionibus ad Simplicianum* tomo *sexto* ; in libro *de Natura* et *Gratia* tomo *decimo*.

GEORGIANUS, i. e. codex *Domini de S. Georges*, canonici comitii *Lugdunensis*, post episcopi *Claræmontani*, et, cum ad finem opus Maurinorum properaret, archiepiscopi *Turonensis* a rege designati. Adhibitus est ad libros de *Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*; ad librum *de diversis Quæstionibus octoginta tribus* tomo *sexto* ; ad libros *de Baptismo contra Crescon.ium* et *de Unico baptismo* tomo *nono* ; ad libros *de Peccatorum meritis et remissione* et *de Spiritu et Littera* tomo *decimo*.

S. GERMANI *a Pratis in suburbio Parisiensi* codices permulti vetusti et elegantes collati sunt ad integros tomos *Epistolarum, Sermonum, Enarrationum in Psalmos* ; *duo* ad opus *de Civitate Dei*, ad *tractatus in Evangelium*, itemque *in Epistolas Joannis* tomo *tertio ; unus alterve* in plerisque tomi *primi, tertii, sexti, octavi* libris opem tulit, ex quibus is, qui ad librum *de Mendacio* collatus est annorum 800, et ad librum *de Bono Viduitatis* mille, aut amplius æstimatur. Exemplar *Germanense* valde insigne, quod recens tunc eidem bibliothecæ donaverat dux *Noaliensis*, usum præstitit libro *de Agone Christiano* tomo *sexto*.

Collegii GERVASIANI *apud Parisios* codex amplus et elegans laudatur in *Epistolis*.

JOLYENSE exemplar pertinebat ad dominum *Joly*. Ex eo emendatæ dicuntur *Epistolæ*. Citatur etiam *in Expositionibus in Epistolas ad Romanos et Galatas* tomo *tertio*. *Jolyensis* codex annorum 800 laudatur ad *Retractationes*.

LAUDUNENSIS *Ecclesiæ* codices citantur ad *Epistolas* et *Sermones*. Priori loco antiquissimi audiunt. Frequenter imprimis adfuerunt castigandis quamplurimi tomi *sexti* libris, ad quos identidem *Ecclesiæ Laudunensis* libri memorantur. Non diversos puto ab his, quoad domicilium, tomo *sexto* ad librum *de Bono viduitatis, Laudinensis Ecclesiæ Majoris* dicuntur (*a*). Ac posteriori titulo imprimis frequenter citatur liber ms. tomo *octavo*, semel *nono*.

LAUDUNENSIS *Abbatiæ S. Vincentii* codex libris *de Civitate Dei* tomo *septimo* et de *Trinitate* tomo *octavo usui fuit*.

LYRENSIS *abbatiæ* codices collati sunt ad tomum *quartum*, Expositiones in Psalmos, et *quintum* Sermones comprehendentem. Unus adfuit libris *de Civitate Dei*, item ad *Confessionum* libros tomo *primo* ; libros *de Sermone in monte* tomo *tertio* ; *de Agone Christiano* tomo *sexto* ; *de Trinitate* tomo *octavo* ; libros sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

Exemplar *Nicolai* MANESSIER, *doctoris theologi Parisiensis et socii Sorbonici*, juxta quod liber *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia ad Prosperum et Hilarium* libri *duo*, i. e. libri *de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ*, tomo *decimo* emendati sunt.

Liber *domini* MARAN, *archidiaconi Ecclesiæ Tolosatensis*. Adhibitus est emendandis *Epistolis* ; item libro *de Utilitate credendi, contra Sermonem Arianorum*, et *libris Collationis cum Maximino et contra eum* tomo *octavo*.

MARTINENSIS liber citatur ad libros de Genesi *contra Manichæos* tomo *primo*. Fortasse idem est, qui frequentius nomine *Sagiensis* venit.

MEDARDENSIS liber laudatur ad *Regulam ad Servos Dei* tomo *primo*.

METENSIS *vide* ARNULPHENSIS.

MICHAELINI, i. e. *monasterii et abbatiæ S. Michaelis de monte in periculo maris* codices frequentissime per omnia *decem* volumina citantur, quod plures fuisse liquidum est testimonium, licet ubique fere unus tantum appellari solet, semel *duo* ad libros *de Nuptiis et Concupiscentia* memorantur. Castigata sunt ex eis. *Epistolæ, Sermones, Enarrationes in Psalmos*, libri *de Civitate Dei*, tum plerique, et tantum non omnes tomi *primi, sexti, octavi, noni* et *decimi ;* pauci tamen *tertii*.

NAVARRICI *collegii* seu *gymnasii, Parisiis*, codices. Hujus exemplar amplissimum laudant ad *Epistolas*. In *Sermonum* quoque et librorum *de Civitate Dei* recognitione uno ejusdem bibliothecæ usi sunt. Porro *Navarricus* laudatur ad *Soliloquiorum libros*, ad librum *de Moribus Ecclesiæ catholicæ, de Moribus Manichæorum*, et *de Vera Religione* tomo *primo ; Navarrici duo* ad librum *de beata Vita*, librum *de Magistro, ibidem ;* ad unum eorum recogniti sunt libri de *Consensu Evangelistarum* tomo *tertio* ; ad duos itidem liber *de diversis Quæstionibus octoginta tribus ;* ad *unum* rursus liber *de Fide et Symbolo*, liber *de Agone Christiano* et de *Divinatione dæmonum* tomo *sexto*.

NOALIENSE exemplar, *vide sub* GERMANENSIBUS.

NOVIOMENSIS ecclesiæ mss. annorum ad minus 600 ad *Enarrationes in Psalmos* emendandas adhibiti sunt.

Illustris familiæ PRIMARCONENSIS *codex corticeus*, quem olim *Narbonensis* Ecclesiæ fuisse Benedictini suspicantur, in sermonibus usum præstitit. Ex *eodem Epistolæ duæ*, 42 et 46, perbreves, ad Pauli num. antehac ineditæ erutæ sunt.

Carthusia PORTARUM *Bugiensis provinciciæ* in *Gallicis* præbuerat exemplar ms. librorum *contra secundam Juliani responsionem*.

PRATELLENSES, i. e. *abbatiæ S. Petri de Pratellis* co-

(*a*) Sed codex ad libros *Retractationum* commemoratus *ex Archiva Laudina* ad Anglicanos pertinet.

dices mss. ante annos 600 exarati laudantur in opere *Enarrationum in Psalmos*; ad eosdem recensiti sunt *Sermones*, et singuli libri ex mediis tomis, e. g., *Retractationes, de Libero arbitrio et de Genesi contra Manichæos*, tomo *primo; de Consensu Evangelistarum, de Sermone in monte*, et *Tractatus in Evang. Joannis* tomo *tertio*; liber *de Catechizandis rudibus, de sancta Virginitate, de Conjugiis adulterinis, de Mendacio, de Patientia*; *et* ad *duos* liber *de Cura pro mortuis geranda*, tomo *sexto*. Nec parcius laudantur tomo *octavo*, ubi libri *contra Faustum, contra Adversarium legis ac prophetarum, contra Sermonem Arianorum*, et *de Trinitate*; et *nono* ad libros *contra Epistolam Parmeniani, de Baptismo, contra litteras Petiliani*; denique *decimo* ad libros *de Peccatorum meritis et remissione, de Natura et Gratia, de Nuptiis et Concupiscentia, de Anima et ejus origine*, ad libros quatuor *ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum*, ad libros porro sex *contra Julianum de Gratia et libero Arbitrio, de Correptione et Gratia*, ad libros denique *de Prædestinatione sanctorum* et *Dono perseverantiæ*.

Puxensis codex laudatur ad librum *de Continentia*, additusque, jam in *Colbertinis* eum reperiri.

Remenses. Hoc nomine quidem duo generis manuscripti intelliguntur, *ecclesiæ cathedralis Remensis* scilicet et *abbatiæ S. Remigii Remis*; plerumque tamen nuda illa appellatio libros Ecclesiæ cathedralis significat, quorum *unus* profuit libro *de Magistro* tomo *primo*; *Epistolis*, libris *de Fide et Operibus, de Bono conjugali, de sancta Virginitate, de Cura pro mortuis gerenda*, tomo *sexto*; libris *de Civitate Dei*, tomo *septimo*; libris *contra Sermonem Arianorum* et *de Trinitate*, tomo *octavo*; denique libris *de Natura et Gratia, de Perfectione justitiæ hominis, de Gratia et libero Arbitrio, de Correptione et Gratia* tomo *decimo*.

Remigienses, i. e. *abbatiæ S. Remigii Remensis* libri. Unus adhibitus fuit libro *de Quantitate animæ*, tomo *primo*; libris *de Consensu Evangelistarum, Tractatibus in Evang. Joannis*, tomo *tertio*.

Pariter tomo *quarto* plurium in eosdem *Psalmos* copia fuit, quorum alii ante annos 500, alii ante 800 descripti erant. Plures item consuluerunt in *Sermonibus*. Tomo *sexto* vero profuerunt in libris *de Fide et Symbolo, de Agone Christiano, de Opere monachorum* et *de Divinatione dæmonum*. Remigianus *unus* laudatur quoque ad libros *de Civitate Dei*, et tomo *octavo* ad libros *contra Maximinum et Collationem cum ipso, duo* vero ibidem in libris *de Trinitate*.

Denique ex uno emendati sunt tomo *nono*, libri *de Baptismo*; *decimo*, libri *de Peccatorum meritis et remissione, de Spiritu et littera*, et *de Anima et ejus origine*.

Libri Regii. Regia bibliotheca Parisiensis jam tum satis magnam librorum mss. Augustini complexa erat copiam, nunc vero, migratis in eamdem *Colbertinis* et *Thuaneis* singulas fere catalogi eorum paginas Augustinus occupat. Tanto magis juvat scire, qui in usum conversi sint, quo rectius de universis judicari queat. Igitur ad *Regios* codices singuli fere, duobus tribusve exceptis, tomi *primi* libri castigati sunt. Iidem ad *Epistolas* præsto fuerunt, non item in *tertio* et *nono* tomo.

Sed in *Enarrationibus in Psalmos* adjuti sunt *codice Regio*, quem sic descripserunt: « Est Liber miræ magnitudinis et in duos nunc tomos divisus, qui in prima pagella vacua præfert: *Hoc immensum opus donavit mihi vir egregius, Dominus Joannes Bocaccio, poeta nostri temporis, quod de Florentia Mediolanum ad me pervenit* 1355 *April.* 10. Quod Francisci Petrarchæ manu inscriptum intelliges ex data ab ipso ad Bocaccium epistola, quæ Variarum in Veneta est 24, in Basileensi 22, incipiens, *Beasti me numere magnifico*, etc., ubi Augustini in Psalmos *opus immensum totum uno volumine comprehensum, Bocaccii* beneficio sibi transmissum testatur, scribens *Mediolani* v *idus Maii.* » Hanc Petrarchæ epistolam Benedictini hoc ipso tomo post indices præfationibus subjunctos recudendam curarunt.

Porro ad *Sermones*, tomo *quinto*, præter alia exemplaria ex bibliotheca Regia, adfuit unum volumen singulare, a *Jacobo Sirmondo* occasione Sermonum a se editorum laudatum, complectens duas priores partes *collectorii Sermonum Augustinianorum Roberto de Bardis*, Cancellario Parisiensi, auctore, adornati (*a*).

Nec pauci, immo singuli pene libri tomi *sexti* ex iisdem castigati sunt, ex quibus unus ad librum *contra Mendacium* censetur annorum 900.

Ad libros *de Civitate Dei* recensendos duo suppetebant. *Duo* itidem ad librum *de Hæresibus ad Quodvultdeum*, tomo *septimo*.

Unus denique adhibitus est tomo *decimo* libris *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia*, item *de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ*.

Liber Regiomontensis. Ad hunc, paucis exceptis, *de ornamentis et impedimentis Ecclesiæ sive fidelium, ac de retributionibus ultimis bonorum et malorum*. Servatur in bibliotheca Regia manuscriptus unus, quo primæ duæ istius collectionis partes continentur; et in Colbertina duo, in quibus index Sermonum illarum quinque partium repræsentatur. Cæterum, *judicant*, licet Sirmondus in præf. suorum XL Sermonum affirmet, in *recensendis approbandisque Augustini operibus... minime contemnendum esse Roberti suffragium*: tamen adulterinos Sermones prope innumeros admisit, ut qui in prima Collectorii parte solos legitimos relinqueret, istam pene ad nihilum reduceret, etc. »

(*a*) De hoc *Collectorio* ipsi Benedictini in Præf. ad tomum *quintum* hæc referunt: « *Robertus de Bardis*, Parisiensis Cancellarius, aliam pulchriorem ac magis ingeniosam (quam vulgata, quam ante recensuerant) instituerat Sermonum distributionem in *Collectorio*, ut vocat, *Sermonum Augustini*, numquam vulgato, quod trecentis annis abhinc retro elapsis excogitavit, iisdem Sermonibus in quinque partes discretis. *In prima parte collecti sunt Sermones de quibusdam gestis et sanctis veteris Testamenti. In secunda parte de solemnitatibus et sanctis novi Testamenti. In tertia de verbis et scripturis veteris Testamenti. In quarta de verbis et scripturis novi Testamenti. In quinta*

omnes tomi *primi* libri excussi sunt. Laudatur præterea in *sexto* ad librum *de Mendacio*.

Liber ms. abbatiæ SAGIENSIS S. *Martini*. Juxta eum recensiti sunt libri *de Sermone in monte* tomo *tertio*; liber *contra Mendacium* et *de Opere Monachorum* tomo *sexto*; libri *contra Faustum et contra Sermonem Arianorum*, tomo *octavo*; libri *de Anima et ejus origine*, tomo *decimo*.

SERGIENSIS, i. e. S. *Sergii Andegavensis* liber laudatur tomo *primo* ad libros *de Quantitate Animæ* et *de libero Arbitrio*; ad *Expositionem inchoatam Epistolæ ad Galatas*; ad librum *de Agone Christiano*.

Codex SIGIRAMNENSIS, i. e. *abbatiæ S. Cygiranni* seu CYGIRAMNENSIS. Notatur in libris *de Bono viduitatis et contra Mendacium* tomo *sexto*; ad libros *de Civitate Dei*, tomo *septimo*; ad librum *ad Orosium contra Priscillianistas*, tomo *octavo*; ad libros *contra litteras Petiliani, contra Cresconium et de Unico baptismo*, tomo *nono*; idemque ad libros *de Peccatorum meritis et remissione*, ad librum *de Natura et gratia, de Perfectione justitiæ hominis*, item ad librum *de Gratia Christi et de Peccato originali, de Nuptiis et Concupiscentia* et *de Anima et ejus Origine*, tomo *decimo*

Codex SILVÆ MAJORENSIS. Ejus fit mentio ad libros *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*.

SILVANECTENSIS *Ecclesiæ* exemplar suppeditavit *Epistolas* et *libros de Civitate Dei*.

SORBONICI. Modo *unus*, modo *duo*, immo *tres* identidem adhibiti sunt ad singulos fere, quos tomus *primus* complectitur libros. Ad eosdem excussæ sunt *Epistolæ*, *secundo* tomo; libri *Quæstionum Evangeliorum* tomo *tertio*; *Sermones*, *quinto*; et in *sexto* vix tres aut quatuor numerabis, qui ex iisdem non fuerint castigati. Tomo *octavo* laudatur codex Sorbonicus ad librum *contra Adimantum*, *contra Epistolam Manichæi*, *de Natura boni*, *contra Adversarium legis et prophetarum*, *ad Orosium contra Priscillianistas*, *contra Sermonem Arianorum*, *contra Maximinum*. Libri vero *de Trinitate* ad *quinque* Sorbonicos recensiti sunt. Tandem in tomo *decimo* vix *quatuor* sunt ex omnibus, qui non ex *uno* saltem *Sorbonico* emendati fuerint.

SUESSIONENSIS *abbatiæ B. Mariæ* liber unus libris *de Civitate Dei* recognoscendis profuit.

TELLERIANÆ *bibliothecæ* codices. Duo fere laudantur in recensione *Epistolarum* frequentissime.

Libri THEODORICENSES, i. e, *abbatiæ S. Theodorici prope Remos*. Unum Theodoricensem, qui olim Hincmari Remensis fuerit, laudant ad *Retractationes*. Nescio an idem sit, cujus etiam ad libros *contra Academicos*, *de Ordine*, *de Genesi contra Manichæum et de Moribus Ecclesiæ catholicæ* tomo *primo* fit mentio. Passim dicitur *optimæ notæ* et ad libros *de Ordine*, *nongentorum* fere annorum, quæ temporis nota in ætatem Hincmari convenit. Ad eosdem emendatæ sunt *Epistolæ*. Vetustissimus et optimæ notæ ms. citatur ad *Tractatus in Epistolam Joannis* tomo *tertio*; ad *Enarrationibus* in *Psalmos* tamen usi sunt libris hujus bibliothecæ ætatis aliquanto recentioris. *Theodoricenses* ad *Sermones* quoque præsto fuerunt; in tomo *octavo* vero nonnisi libri *de Trinitate* opem hinc experti sunt.

Libri Bibliothecæ THUANEÆ. Ex Thuaneo annorum 700 vel 800 recogniti sunt *Confessionum* libri. Idem fortasse est, quocum collati sunt in eodem tomo libri *de Beata Vita*, *Soliloquiorum*, *de libero Arbitrio*, *de vera Religione et Regula ad servos Dei*. Libri *de Ordine* duobus gavisi sunt. Tomo *tertio* citatur Thuaneus *ad Expositionem quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos*, nec non in *Expositione inchoata Epistolæ ad Galatas*.

VALIENSIS liber memoratur ad *Confessiones*.

VEDASTINI, i. e. libri *abbatiæ S. Vedasti Atrebatensis*. Laudatur Vedastinus codex tomo *primo* ad libros *Retractationum*, *Confessionum*, *de beata Vita*, *de Ordine*, *Soliloquiorum*, *de Immortalitate animæ et de Genesi contra Manichæos*; item ad *Epistolas* tomo *secundo*.

VICTORINI, seu codices *abbatiæ S. Victoris Parisiensis*. *Tres* suppetebant ad castigandos libros *Retractationum* et *Confessionum*, *de Ordine*, *de Magistro*, *de Quantitate animæ*, *de Moribus Manichæorum*; duo in libris *contra Academicos*, *de Immortalitate animæ*, *de Genesi contra Manichæos et moribus Ecclesiæ catholicæ*; *unus* in reliquis *primi* tomi paucis exceptis. Profuerunt, porro emendandis *Epistolis et Sermonibus*, tomo *secundo* et *quinto* nec non libris *Quæstionum Evangeliorum*, *Quæstionum XVII in Matthæum*, tomo *tertio*; item libris *de Diversis quæstionibus ad Simplicianum*, *de Octo Dulcitii quæstionibus*, *de Fide et Symbolo*, *de Agone Christiano*, *de Catechizandis rudibus*, *de Bono viduitatis*, *de Mendacio*, *contra Mendacium*. *de Opere monachorum*, *de Cura pro mortuis gerenda* et *de Patientia*. Similiter libri tomi *octavi*, *de Hæresibus*, *adversus Judæos*, *de Utilitate credendi*, *de duabus Animabus*, *contra Fortunatum*, *contra Adimantum*, *contra Epistolam Manichæi*, *contra Faustum*, *Acta cum Felice*, liber *de Natura boni*, liber *ad Orosium contra Priscillianistas* ad *unum* vel *duos* Victorinos excussi sunt: nec non liber *de unico Baptismo*, tomo *nono*; liber *de Gratia Christi* et liber *de Peccato originali*, libri *de Nuptiis et Concupiscentia* et libri sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

VINDOCINENSIS *abbatiæ* libri. Libri *Soliloquiorum*, *de Immortalitate animæ*, *de Quantitate animæ*, tomi *primi* ex uno castigati sunt; item *Epistolæ* tomo *secundo*, *Enarrationes in Psalmos*, *quarto*, et *Sermones* tomo *quinto*. Unus quoque adhibitus est ad libros *de Civitate Dei*, tomo *septimo*. In tomo *tertio* collati sunt cum *uno* libri *de Consensu Evangelistarum*, *de Sermone in monte*, *Tractatus in Epistolam Joannis* cum *duobus*, *Tractatus in Evangelium Joannis*; tomo *sexto* libri *de Agone Christiano et de Patientia*; tomo *octavo* libri *contra Faustum et de Trinitate*.

UTICENSIS, *vid.* EBRULPHENSIS.

b) Itali.

VATICANI, quorum scilicet variantes lectiones,

collectæ olim per selectos viros, qui post Lovaniensem editionem denuo castigandis S. Augustini operibus auctoritate Clementis VIII incumbebant, cum Benedictinis communicatæ fuerant.

Generatim ad *plures* eorum recognitæ sunt *Epistolæ; quinque* adhibiti sunt in libris *de Civitate Dei, unus* in *Enarrationibus in Psalmos ad priores quadraginta novem Psalmos*. Deinde, uno excepto, omnes tomi *primi* libri cum Vaticano aliquo codice, *Regula ad servos Dei* etiam cum *duobus*, collati sunt. Similiter in *tertio* tomo vix tres reperiantur, qui ad hosce codices non fuerint emendati; libri *de Sermone in monte* ad *duos; libri de Consensu Evangelistarum* ad *quatuor*. In *sexto* itidem modo *duo*, plerumque *tres*, vel etiam *quatuor*, immo *quinque* præsto fuerunt. Similiter in tomo *octavo* duo tantummodo libri sunt, quibus non auxilii aliquid ex iis accesserit, cum aliis *duo*, aliis *quatuor, quinque, sex*, ut libris *contra Faustum* ; quin libris *de Trinitate, undecim* adeo exemplaria adhibita esse notatum reliquerunt. Parcius profuerunt tomo *nono:* quippe *duo* tantum juvarunt libros contra *Epistolam Parmeniani* et *libros VII de Baptismo, unus* collatus est cum libro *de Unico Baptismo*. Sed in *decimo*, si duo dempseris, singuli ad libros Vaticanos non raro *quatuor* aut *quinque* sunt recogniti.

Christinæani quos vocant *codices*, i. e. *mss. Christianæ reginæ Suecorum*, fortasse Vaticanis accensendi sunt. Nam si tum nondum ad Vaticanam bibliothecam pertinebant, certe postmodum illati sunt. Sed hoc præterea interest inter eos et reliquos discriminis, quod Vaticani, quos appellant Maurini Patres centum et quod excurrit annos collati essent hi nunc demum et, ut mihi quidem videtur, ab ipsis PP. oculis usurpati sunt. Laudant autem *unum* tomo *primo* ad librum *de Moribus Manichæorum*, quem fortasse una cum parte *Enarrationum in Psalmos* complectebatur. Nam ad hoc opus præsto fuerunt *duo, unus*, qui septemdecim ex prioribus psalmis, nempe XXXIV-L: *alter*, qui posteriores triginta duos exhibebat, a CXIX ad CL.

Romanus *codex* libri Augustini *de Gestis Pelagii*. cujus variantes lectiones ad oram libri sui annotaverat *Marcus Velserus*.

Florentini, i. e. tres mss. in bibliotheca Ducali Florentiæ existentes, quorum in eodem *de Pelagii gestis* libro variantibus usi sunt.

c) Anglicani.

Absoluta jam tota editione transmissæ sunt ex Anglia lectiones variantes *octo* fere codicum per *E. Bernardum*, astronomiæ in Oxoniensi Academia professorem, ex quibus in secunda demum tomi primi ad quem unice spectat, editione correctiones aliquot translatæ sunt. Erant autem *tres* ex bibliotheca *Bodleiana*, ex collegio *Mertonensi duo*, unus ex Archiva *Laudina, duo Cantuarienses* (*a*). Priores *sex* adhibiti sunt ad *Retractationum* libros; *quatuor* ad *Confessiones*, scilicet *unus Bodlei.* et Laud. et Mert. *duo* ; quinque ad libros *Soliloquiorum*, nempe *unus* Bodl., *duo* Mert. *totidem* Cant.

Hæc de codicibus ex iis indicibus, quos singulorum librorum lectionibus discrepantibus ad calcem genuinorum scriptorum cujusque tomi Benedictini PP. adjecerunt. Alios paucos, quos interdum in ipsis notulis textui subjunctis aut in farragine variantium laudant, inde excerpere non vacat. Operæ vero sit *impressos* etiam codices *antiquiores* fere, quos in singulis libris castigandis adhibuerint, consiguare, si quidem hi ipsi mss. instar censendi sunt, quos illorum temporum incuria, modo semel imprimendo operi vacassent, parvi ducebat et nulla memoria dignos.

Igitur in *primo* tomo ad libros *Retractationum* subsidio fuerunt editio Amerbachiana (a. 1505) et prima Erasmi; ad *Confessiones* præter easdem Badiana, quo nomine illa opuscula appellant, quæ Jodocus Badius a. 1520 per Joannem Parvum excudi curavit, et Arnaldina (versio); quæ a. 1649 ad *duodecim* mss. codices recognita prodiit. Ad superiores tres porro recogniti sunt libri *contra Academicos, de beata Vita, de Ordine, de Immortalitate animæ, de Magistro ;* ad solas Bad. et Erasm. libri *Soliloquiorum, de Quantitate animæ, de libero Arbitrio :* ad Bad., Erasm. et Arnald. recentiorem, libri *de Moribus Ecclesiæ, catholicæ de Moribus Manichæorum , de vera Religione* ; ad Amerb. et Erasm. libri *de Musica, de Genesi contra Manichæos, Regula ad servos Dei.*

In tomo *secundo* Epistolarum editiones laudantur sequentes: Amerbachiana a. 1493, in-fol. ; Badiana, Parisiis, 1515, et Erasmiana Bas. ap. Frob. 1528.

In *tertio* tomo notarunt ad libros *de Consensu Evangelistarum* editionem ejusdem Jodoci Badii, quam ex recensione Augustini *Ratisponensis* excudi curavit Lugduni 1497, et Erasmianam a. 1528 ; ad libros *de Sermone Domini in Monte* præter Erasmianam et Amerbachianam (a. 1506) editionem Jacobi Mareschalli, Lugdun. 1520 : ad libros *Quæstionum Evangeliorum et Quæst. XVII in Matthæum* eamdem Badianam, nec non Erasm, et Amerbach., ad *Tractatus in Jo. Evangelium*, Bad. et Erasm., ad *Tractatus in Epist. Jo.* Amerb., Bad. et Erasm., ad *Expositionem quarumdam Propositionum in Epp. ad Romanos et Galatas*, nec non *Expositionem inchoatam Epistolæ ad Rom.* (quæ in Gallicanis mss. non reperta, emendata est unius Vaticani ope) Amerbach. et Erasm.

In tomo *quarto ad Enarrationes in Psalmos* præsto fuerunt lib. Bas. per Ja. Amerbach. 1489 excusus, et Erasmiana 1529.

Sermonibus in *quinto* tomo castigandis adhibitæ sunt editiones, Amerbachiana a. 1494 et 1495, Erasmiana a. 1571, Sirmondiana 1631, et Supplementi Vigneriani ed. altera 1655.

(*a*) Sic enim interpretor compendium illud vocis *Cant.*

In tomo *sexto* ad librum *de Diversis quæstionibus octoginta tribus* consultæ sunt Lugdunensis, quæ Augustini Ratisponensis cura apud Joannem Trechsel a. 1497 excusa est, et Erasmiana a. 1528; ad libros *de Diversis quæstionibus* et *de Catechizandis rudibus*, et *De fide et Operibus* Amerbach. et Erasm., ad librum *de VIII Dulcitii quæstionibus* et *de Fide et Symbolo*, eædem et Lugdunensis ante laudata; *ad Enchiridion de fide, spe et charitate* præter Amerb. et Erasm. editiones Lamberti Danæi et Ant. Arnaldi; tandem ad librum *de Agone Christiano* præter Amerb. et Erasmianam, ed. Joh. Parvi a. 1513.

Libri de *Civitate Dei* tomo *septimo* recogniti sunt ad ed. Venetam Vindelini 1470, Amerb. a. 1490, et Erasm. 1529.

Denique Amerbachiana et Erasmiana editiones etiam per totum tomum *octavum*, *nonum* et *decimum* adhibitæ fuerunt.

Ex quo indiculo librorum impressorum etiam hoc patet, Romanas et Venetas aliasque insigniores singulorum operum Augustini editiones, quibus si uti voluissent, carere non poterant, præter unam *de Civit. Dei* a Benedictinis Patribus esse neglectas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Annales editionum singulorum Augustini librorum.

§ I. *Genuinorum librorum.*

I. — (1*) *Contra Academicos.*

Seorsim hi libri numquam prodierunt. Attamen in compluribus antiquis opusculorum Augustini collectionibus primum fere locum occupant, de quibus infra fiet mentio. Gallice conversi sunt juxta Benedictinorum editionem a *Villefortio*.

1703. *Paris, chez Elie Josset*; *in*-12. «Les livres de St. Augustin contre les philosophes académiciens, avec le Traité de la grâce et de la liberté, traduits en Français sur l'édition des PP. Bénédictins, par M. Villeford ou Villefort. » *Cat. Bibl Reg. Journal des Savans*, 1703, p. 221.

II. — (3) *De Ordine libri duo.*

Latine numquam seorsim excusi sunt, sed *Gallice* eos convertit *Villefortius* una cum libris *de libero Arbitrio et de Doctrina Christiana*, de quibus suis locis.

III. — (4) *Soliloquiorum libri duo.*

Horum unam tantummodo eamque vetustissimam editionem Latinam reperire potuimus. Nam pleraque hujus nominis edita ad spuria pertinent et infra a nobis commemorabuntur. Hanc vero accipe.

Sine anno, loco et typogr.; *in-fol.* S. Augustini Soliloquiorum libri duo.

Volumen est foliorum 23, lineis latis 35 per paginam impressum. Exorditur verbis : *Aurelii Augustini episcopi Ipponensis incipit Soliloquium liber primus feliciter*. Similiaque habes in fronte libri secundi folio 11. In fine primi : *Aurelii* etc., *explicit*. Ast in fine secundi, qui contingit in prima pagina folii 23, nulla prorsus formula exstat. Litteræ sunt Gothicæ, breves et pingues, quæ, licet multæ verborum abbreviaturæ ac litterarum notæ sint inspersæ, oculis tamen nequaquam ingratæ accidunt. Ad *Guntherum Zainer*, typographum Augustanum, qui ab anno inde 1468 decem fere per annos ibidem libris imprimendis operam navavit, referri solet. Certe inter plura cum Augustini, tum aliorum opuscula hisce libris plane conformia, nec raro uno volumine cum iisdem comprehensa, quæ quidem manifesto se unius ejusdemque familiæ esse profitentur, una occurrit *Thomæ a Kempis de Imitatione Christi* editio cum subscriptione : *per Gintheum* (sic) *zainer ex reutlingen pgenitum litteris impressi ahenis*, unde de cæteris conjecturam haud improbabilem viri in his litteris exercitatissimi capiunt. Vide, quos laudavimus occasione similium quorumdam Hieronymi opusculorum tom. I, p. 488. Nuper etiam cl. *Braunius in Not. H. Lit.* (1788), p. 38, hanc editionem retractavit,

IV. — (7) *De Moribus Ecclesiæ catholicæ.*

Hujus *duæ* exstant *versiones Gallicæ* iisdem auctoribus, qui librum *de vera Religione* transtulerunt, quem videsis.

V. — (9) *De Quantitate animæ.*

Sine anno, loco et typogr.: *in-fol.* S. Augustini liber de Quantitate animæ· « De charactere omnique hujus voluminis descriptione plura disseremus ad libros *Soliloquiorum* ex eadem officina emissos. In præsenti notabimus tantummodo, constare illud foliis 29, ac plerumque cum uno vel pluribus ejusdem generis impressis compactum inveniri, in quibus inæqualis pariter foliorum numerus deprehenditur. Ex quo sequitur, manifeste fuisse ea omnia continuo ac una serie excusa. » Sic apud *Braunium* in *Notit. Hist. Lit.* p. 38 : adhæret illi *Speculum peccatoris*; in nostro exemplari compacta sunt *Soliloquiorum* libri duo *Speculum peccatoris, de Quantitate animæ* et Soliloquium *de Arra animæ*. Exorditur in summa pagina titulo : *Aurelii Augustini Hipponensis episcopi liber de aīe quantitate incipit feliciter*. Desinit in extrema folii ultimi : *Explicit liber Aurelii Augustini de anime quantitate.*

Augustiniani hujus libri artificium omnemque indolem late explicavit et commentarium quasi in eumdem contexuit sub extremum sæculi præteriti homo doctus Siculus in opere sequenti : *Animæ humanæ natura ab Augustino detecta in libris de animæ Quantitate, decimo de Trinitate et de animæ Immortalitate exponente* Michaele Angelo Fardella, *Drepanensi, S.Th. D. et in Patavino Lyceo astronomiæ et meteorum professore, eminentissimo Henrico de Noris, S. R. E. cardinali consecrata. Venetiis, sumptibus Hieronymi Albricci* 1698 ; *in-fol.* Cujus argumentum expositum est in *Actis Erudit. Suppl.* III, p. 302-307. Contractius habetur in *M. Bibl. Eccles. Colo-*

* Numerus uncinis inclusus qui præmittitur huic titulo sequentibusque. respondet numero ordinali quem adeptus est quisque liber in catalogo supra habito col. 24 et seqq. EDIT.

niensi, p. 729 sq. Ipse auctor denuo ideam operis sui delineavit epistola inserta Diario Italico, *Giornale di Minerva* T. III part. I, p. 29, *Venetiis apud Albriccium* 1708, *in-fol.*, hoc titulo : *Lettera al Illustrissimo ed Eruditissimo Sig. Antonio Magliabecchi, Bibliothecario del Serenissimo Gran Duca di Toscana, in cui si contienc l'argomento, e l'idea della sua opera già ultimamente stampata col titolo, Animæ humanæ natura ab Augustino detecta*, etc., testante *Antonio Mongitore* in *Bibl. Sicula* T. II, p. 71 (*a*).

VI. — (10) *De libero Arbitrio lib. tres.*

1524. *Basileæ*, *in*-8° D. Augustini de libero Arbitrio l. III. Ad fidem *Cat. Bibl. Traject.* p. II, p. 59, laudant Colonienses.

1568. *Coloniæ in*-12. Iidem libri in Enchiridii formam redacti. Ejusdem de Prædestinatione et Gratia liber unus. Laudant *Possevinus App.* p. 154, *Hendreich Pand. Brandb.* p. 341. Cf. lib. *de Gratia. Gallice* reddidit *Villefortius* cum libris *de Doctrina Christiana.*

VII. — (13) *De vera Religione.*

Singularem hujus libri editionem *Venetiis*, 1484, *in* 4° procusam laudant Colonienses; sed perperam. Nam quam illi viderint, ea nihil amplius fuit, quam particula et quidem extrema, *Opusculorum* ibidem editorum; unde ex subscriptione ad calcem proposita licebat hariolari.

Versiones.

Duas illius *versiones Gallicas* jam supra obiter commemoravimus. Prodiere autem.

1647, *Paris, chez Anton. Vitré*; *in* 8° « Le livre de S. Augustin. De la véritable religion, traduit en françois avec le latin ensuite : reveu exactement; par *Antoine Arnauld*, docteur de Sorbonne. » Repetita est *Bruxellis* 1675. Theologorum Lovaniensium errores a se observatos antiquiorum editionum et aliquot mss. codicum ope emendasse in præfatione professus est. Vid. *Magna Bibl. Colon.* et *Ant. Arnaldus.* Iterata vice prodiit a. 1652 et 1657. Nescio vero, qui liber prior sit in volumine, quive posterior. Utroque enim modo profertur a bibliographis.

1690. *Paris, chez veuve Jean-Bapt. Coignard*; *in* 8°. « Les deux livres de St. Augustin, De la véritable religion et des mœurs de l'Eglise catholique, traduits en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres : par *Philippe Goibaud du Bois.* »

VIII. — *De Utilitate credendi.*

1602. *Moguntiæ*... S. Augustini liber de Utilitate credendi ad Honoratum. Argumentis, notis atque analysi illustratus a *Justo Calvino*. Exstat in ejusdem sub ementito nomine *Justi Baronii Præscriptionum adv. Hæret. Tract.* a. p. 423. In *Cat. Bibl. Bodl.* eumdem librum laudatum invenio a. 1605.

1680. *Lovanii, per Hieron. Nempeum*; *in*-12. D. Augustini liber unus ad Honoratum, de Utilitate credendi; ejusdem libellus de Catechizandis rudibus. *Cat. Bibl. Reg. Paris,*

IX. — (19) *De Sermone Christi in monte.*

1683. *Paris, chez André Pralard; in*-12. « Les Commentaires de S. Augustin sur le Sermon de N. S. sur la montagne, qui contiennent toutes les règles de la morale chrétienne, traduits en françois par *Pierre Lombert.* » Capita singula argumentis sunt instructa. Cf. *Journal des Savans* 1683, n. XXIII. p. 273.

1767. *Mantova, in*-8° « I due libri di S. Agostino, per ispiegare il *Ragionamento del Redentore a' Discepoli sul Monte*, etc., trad. in Ital., con note del *P. Agostino Nicolo Bianchi.* » *Cat. Bibl. Firm.*

Plura de his libris disputare *Rich. Simonium* in *Hist. Crit. Commentat. N. T.* cap. 17 monent Colonienses; non item *Bælii* sunt in librum observata, quæ iidem laudant ex Dictionario ejus v. *Septimius Acindynos*; sed ibi simpliciter exponitur historiola, quam Constantii temporibus Antiochiæ sub Acindyno præfecto accidisse Augustinus narrat cap. 50 lib. I.

X. — (23, 24, 25) *Augustinus in Epistolas Pauli.*

1499. *Parisiis, per Udalr. Hering et Berth. Rembolt.* » Divi Augustini in sacras Pauli Epistolas nova et hactenus abscondita interpretatio : per venerabilem *Bedam* ex innumeris illius codicibus mira industria summoque labore collecta, ubi quid primum ammirari debeas, non facile judicabis : divinumve interpretis ingenium : aut singularem Bedæ in excerpendo pariter et expingendo sollertiam. Utcumque sit : Abissalem ibi comperies eruditionem. Porro interpretationi præfatæ septem aureas Chrysostomi omelias sapientes addere curaverunt impressores: quibus clarissimas Pauli laudes, dotes et præconia parvo labore, sed non mediocri fructu facile deprehendet lector studiosus. » Hæc titulus; cui insuper insigne Remboltianum et epigramma in operis commendationem impressa. In fine Commentariorum in Ep. ad Hebræos, post epilogum, operis summam iterum verbis complectentem : *Impressum est autem præsens opus ad omnipotentis Dei gloriam et fidelium salutarem eruditionem opera et impensa Udalrici Hering et magistri Bertholdi Rembolt sociorum. Parrhisiis in Sole Aureo vici Sorbonici. Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. Die vero XXVIII Novembris.* Præcedunt cum indice alphabetico rerum ac verborum admodum copioso, qui aversa statim tituli pagina incipit, præfationes *Gaufridi Boussardi theologorum minimi, ad Petrum Securabilem* (*sacrarum litterarum interpretem archidiac. Rothomag.*) *adque omnes viros studiosos et litt. amantes in sequens Bedæ et Augustini opus, et sancti Hieronymi in omnes Epistolas Pauli.*

Vetustam hanc *Flori* Lugdunensis *Excerptorum* editionem commemorare visum est, non solum quia

(*a*) Auctorem Bibl. Siculæ non satis curiose inspexit auctor hujus articuli in *Bibl. Eccl. Coloniensi.* dum duplicem hujus epistolæ editionem, alteram seorsim a. 1700 *Ven. in-fol.*, alteram in laudato *Diario* fingit, cum potius hoc ipso anno et loco eaque forma tertium volumen Diarii illius editum sit.

paucis innotuisse eam cognovimus, sed maxime etiam propterea, quod mss. ejus collectionis codices haud raro cum fructu a PP. Maurinis consulti sunt.

—

Ad Epistolam ad Romanos spectat opus a Coloniensibus laudatum: *Augustinus, Pauli ad Romanos interpres apostolico - romano - catholicus, seu Via Veritatis et Vitæ, in unitate fidei salvificæ, per genuinum interpretationem S. Augustini super Epistolam ad Romanos, perque varias deductiones Theologico-polemicas, contra Atheos, Paganos, Judæos, Mahometanos, Hæreticos et Infideles quoscumque, novissime ac perspicue demonstrata per* Barthol. Fibus *Doc. Jesu, S. theol. doctoris.* Coloniæ Agripp. 1695, *in-fol.*

XI. — (27) *de Continentia.*

Versionem hujus libri *Gallicam* v. infra n. xvii.

XII. — (29) *De diversis Quæstionibus VII libri duo.*

Editi sunt in collectione *Qnæstionum* Augustini, Lugduni 1497, *in-fol.*, quam vide inter *Opuscula ejusdem.*

XIII. — (32) *De Doctrina Christiana.*

Sæc. XV. — *Sine anno et loco, in-fol.* S. Augustini ep. de Doctrina Christiana libri IV. Profert *Ge. Pray* in *Indice libr. rar. Bibl. Budensis* typum vetustissimum dicens, quod ex defectu numeri paginarum, item custodis et aliorum signorum recte conjectaverat. Addit ibi sententias singulas uno puncto esse discretas, litteram *i* ubique caudatam apparere, etc.; præterea litteras initiales exemplaris illius picturatas esse. Adeo autem obtusus est voluminis hujus character, ut vir laudatus litteras magis ad ligneas, quam ex ære fusas accedere prodiderit. Insuper, quod longe etiam memoratu dignissimum est, insignem hujus voluminis a reliquis, quæ vulgo præstant, illius libri editionibus discrepantiam notavit ejusdemque specimina aliquot ab initio et fine librorum desumpta proposuit, quæ nec nos omittenda duximus. Itaque initium libri I sic se habet: *Hoc opus nostrum, quod inscribitur de Doctrina Christiana, in duo quedam fueram prima distribucione partitus. Nam post prohemium quo respondi eis qui hoc fuerant reprehensuri. due sunt res inquam quibus nititur omnis traetacio scripturarum. modus inveniendi que intelligenda sunt, et modus proferendi que intellecta sunt. De inveniendo prius de proferendo postea disseremus. quia ergo de inveniendo multa jam diximus, et tria de hac una parte volumina absolvimus. adjuvante domino de proferendo pauca dicemus, ut si fieri potuerit uno libro cuncta clamamus* (claudamus): *totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.* Finis libri iv autem: *Longius evasit liber hic quam volebam. quamque putaveram.... Ego tamen domino nostro ihesu christo gratias ago. quod in his quatuor libris. non qualis ego essem cui multa desunt. sed qualis esse debeat qui in doctrina sana. non solum sibi sed et aliis eciam laborare studet. quantulacumque potui facultate disserui. Explicit quartus de doctrina Christiana beati Augustini episcopi.*

Sine anno et loco, in-8° maj. B. Augustini.... liber de Doctrina Christiana divisus in quatuor, partes. Incipit statim a prologo libri primi. In fine: *Finit opus egregium aurelii augustini ipponensis epi de doctrina xīsiana in quatuor libros distinctum valens ōmode pro ītellectu scripturarū et serie proferēdi easdem qualis* (sic) *doctorem decet catholicū... Deo gracias.*

Impressum est volumen charactere Gothico luculento in charta pura et densa. In superiori margine libri, in inferiori vero plagulæ numerus notatur, sed custodes et foliorum numeri desunt.

Sine anno et loco [*Argentorati apud Jo. Mentelinum*]; *in-fol.* Augustini liber de Arte prædicandi (qui quartus est ejusdem de Doctrina Christiana). Editor anonymus cum valde utilem prædicantibus hunc librum fore existimaret et propter totius operis magnitudinem vix paucis innotescere eum videret, bene mereri de aliorum studiis hoc voluit, quod a reliquo corpore segregatum typis multiplicandum daret. Nec levem etiam, si fides ipsi habenda est, operam in corrigendo et emendando ex pluribus exemplaribus posuit, qua de re ipsa ejus verba non indigna judicamus, quæ memoriæ serventur, quæ sic sonant: *Feci ergo. deo teste magnam per ejus correctionem diligenciam. ita. quod omnia exemplaria. quæ in studio heidelbergensi nec non in spira et in wormacia. atque tandem eciam in Argentina in ullis librariis reperire potui. diligenter proinde respexi. Et, cum inter hec. experimento discerem. quod idem liber augustini. raro invenitur eciam in magnis et preciosis librariis. Et adhuc rarius. de ullo ex eisdem librariis ad rescribendum potuit. haberi. Atque eciam quod pejus est. rarissime correctus sive emendatus inibi queat reperiri. Idcirco permotus fui. ad hoc studiose laborare, ut secundum exemplar meum. tanto nunc studio et labore quantum saltem potui correctum. dictus libellus taliter in brevi tempore multiplicari posset. ut ad pluriumorum usum et ad omnem profectum ecclesiasticum. faciles et cito perveniret. Quapropter. cum nullo alio modo sive medio. id expedicius fieri posse judicarem. discreto viro* Johanni mentelino *incole argentinensi impressorie artis magistro. modis ommibus persuasi. quatenus ipse assumere designaretur. onus et laborem multiplicandi hunc libellum. per viam impressionis. exemplari meo ante oculos habito,* etc. Inscripta est hæc præfatio: *Canon pro recomendatione hujus famosi operis sive libelli sequentis. de arte predicandi S. aug.* Volumen impressum est foliis 21 charactere Gothico minuto, obtuso et oculis ingrato lineis latis, quarum 39 paginam faciunt. Absunt vero omnes cujuscumque generis chartarum et paginarum notæ. Prima atque ultima pagina nudæ sunt relictæ atque seorsim adjicitur duabus plagulis rerum notabilium index bene instructus. Dirigitur nimirum juxta litteras, quibus omnis textus, continuus ceteroquin, in plurimas sectiones juxta alphabeti ordinem (A-LL.) est descriptus, ita quidem, ut mediis lineis ab initio particulæ cujusvis eæ sint insertæ. Quocirca ipse editor in

præfatione: *Intermixtæ sunt*, inquit, *operi litteræ majusculæ tam simplices quam duplicatæ. deserviunt pro ejusdem libelli tabula alphabetica. in fine ejus posita. quæ tabula ad easdem litteras remittit per singula puncta. Et quisque cui placuerit. poterit eas facilitcr manu sua per pennam. eciam in marginibus nigro vel rubrico colore signare. correspondetur ad istas intra litteram positas. quod non parum utile erit. quia cicius in margine positæ occurrent quærenti. Et sic. per remisiones tabulæ ad ipsas easdem litteras. unumquodque ex hoc libello contentorum. ad vota cum placuerit, cito potuerit reperiri.* Cæterum experta est hæc editio diligentiam bibliographorum doctissimorum cl. *Morelli* in *Bibl. Pinell.* T. 1. p. 87, seqq., et *Placidi Braun* in *Notitia Hist. Litt. libr. ab artis typogr. inventione ad a.* 1479 *impress. in Bibl. Monast. ad S. Udalr. et Afram Aug. Vind.* p. 3.

— [*Moguntiæ per Jo. Fust.*] *in-fol.* Idem liber ex præcedenti editione fideliter expressus, adeo ut in præmonitione impressoris tantum nomen mutatum sit atque hic legatur: *Discreto viro Johanni Fust incole maguntinensi impressorio artis mgro. modis omnibus persuasi*, etc. Cæterum constat hoc volumen foliis 22, quorum duo priora occupat præfatio, dehinc textus protenditur ad medium folium 17, tandem tabula materiarum sequitur, postremo denique foliis duobus, altero aversa, altero adversa pagina impressis tractatuli duo: *De tribus precipuis operibus predicatoris*, et *De tribus generibus dicendi, quibus uti debet predicator* claudunt. Plura vide apud *Deburium* in *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 174. Obiter eumdem commemorat *Cat. Bibl. Bunav.* Cf. *Mémoires de Trévoux* 1765, *Juin* p. 1454, et cl. *Steigenberger* l. I. p. 47. Quod ætatem hujus et superioris editionis attinet, Deburio jam animadversum est, *Fustinam* vel ipso anno 1466, ante eum expressam esse debuisse, quoniam compertum est, *Jo. Fustum* post hunc annum artem suam exercere desiisse. Utra vero antiquior sit, hæc, an Argentoratensis, de eo dubitat *Morellus*, minus ambigit *Gerh. Steigenberger*, Argentinensi primum locum assignare inductus, primum, argumento duorum opusculorum, quibus Moguntina Argentinensi est locupletior, quæ quidem de novo potius illi accessisse, quam in hac fuisse omissa censet; deinde etiam, quod præfatio Moguntinæ quatuor] lineis, quæ nova est ejus observatio, sit prolixior. Quibus addimus tertium, quod litteræ, quibus textus in sectiones distinguitur, in Moguntina non jam mediis lineis inspersæ, sed in margine interiori collocatæ conspiciantur, quo artificii aliquem progressum agnoscere mihi videor. Jam vero optaverim, ut vir doctus aliquis, cui Fustinæ editionis sit copia, præfationem excutiat, animumque intendat ad hoc, num iisdem verbis ibi legantur, quæ in Argentinensi de litteris illis calamo in margine privato studio pingendis erant monita. Quod si nihilominus factum cognoscet, negligentia in istius temporis editionibus non adeo rara accidisse oportet.

— *Ibidem, per eumdem*; *in-fol.* Idem liber ejusdem editionis, priori valde, nec tamen per omnia similis. — Testatur se vidisse apud amicum quemdam *Morellus* l. 1, p. 9, atque in bibliotheca Canon. Regular. Rottenbuchii deprehendit *Cl. Gerhoh. Steigenberger* in tr. *üb die zwo alleraelteste gedr. deutsche Bibeln.* (*Münch.* 1787, *in*-4°), p. 48.

Sæc. XVI. — 1527. *Coloniæ, apud Heronem Alopecium* (*impensis Godefr. Hittorpii*), *mense Julio in*-8°. D. Aur. Aug. de Doctrina Christiana libri quatuor, omnibus sacram Scripturam vel recte intelligere, vel fructuose populo proponere volentibus, perquam et utiles et necessarii.

1534. *Venetiis, per Joa. Patavinum et Venturinum de Buffinellis*; *in*-8°. D. Aur. Aug. de Doctrina Christiana libri IV, etc., ut in præcedenti.

Sine anno. Coloniæ, in-8°. S. Augustinus de Doctrina Christiana. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neopoli.*

Sæc. XVII. — 1601. *Antuerpiæ, in*-8°. Laudant Colonienses.

1604. *Wittembergæ, typis Cratonianis*; *in*-8°. S. Aur. Augustini de Doctrina Christiana l. IV. Cf. præf. *Sal. Gesneri.* Cf. *M. Bibl. Eccles. Colon. Cat. Bibl. Thott.*

1629. *Helmstadii*; *in academia Julia, typographeo autem Calixtino, excudit Henningus Mullerus*; *in*-8°. Sancti Patris et Doctoris Aurelii Augustini, ep. Hipp. de Doctrina Christiana libri IV, de Fide et Symbolo liber unus: Vincentii Lerinensis commonitorium. *Georgius Calixtus* recensuit et edidit. — Laudatissimus ille theologus cum forte occasione, quam recusare ægre poterat, sibi oblata typos Græcos et Latinos una cum prelo et reliquis ad artis typographicæ exercitium necessariis armis emisset, justam domi officinam instruxerat, ex qua et propriæ delectationis et a serioribus studiis relaxationis causa et in studiosorum, quibus angusta domi res esset, gratiam, annuente principe Brunsvicensi, complures ab hoc inde anno utiles libellos inque iis prima hæc Augustini et Vincentii volumina foras dedit. Ipse instituti hujus rationem in epistola his præmissa ad Petrum Tuckermannum (Theol. Doct. Aulæ et Ditionis Brunsvicensis protoecclesiasticen et abb. Riddageshusanum) uberius explicavit. Quod librorum vero horum edendorum concernit consilium, de eo ita in subjecto ad lectorem procemio præcepit, ut simul universam eorum indolem et descriptionem patefaceret et laudaret. Nec vero cavere sibi potuit, quin apud multos tunc temporis religiosæ opinionis homines ob Vincentii de Ecclesiæ traditione dogmatis commendationem male traduceretur. Cum reliquas aliquot in calce libri superfuturas cerneret plagellas *Paciani Ep. ad Sympronianum fratrem epistolam tertiam* iis inscribere placuit.

1643. *In Venezia, in*-4°. S. Augustinus de Rhetorica ecclesiastica (qui est liber IV de Doctrina Christiana). Exst. in *Autori de ben parlare*, vol. XII, part. ult., p. 57.

1655. *Helmstadii, ex typogr. Calixtino, opera Henningi Mulleri, in*-4°. « Aur. Aug. de Doctrina Christ. libri IV, etc. Ge. Calixtus recensuit et edidit. Editio

prima prodiit anno clɔlɔCXXIX ; nunc succedit altera anno clɔlɔCLV. » Accessit in hac altera editione titulo *Admoniti ad lectorem* disputatio Calixti *de Symbolis et Confessionibus veterum Christianorum*, cui temporum injuria insigne aliquod momentum conciliabat.

Sæc. XVIII — 1769. *Lipsiæ, sumptu Jo. Frid. Langenhemii* ; *in*-8°. Aur. Augustini, Hipp. ep. de Doctrina Christiana libri IV, e recensione Benedictinorum e congregatione S. Mauri. Varietate lectionum animadversionibusque brevibus illustravit, atque cum præfatione S. R. *Joh. Frider. Burscheri, Th. D. et P. P. O.*, etc. edidit *Joh. Christ. Beniam. Teegius, Schol. Sangerhus. Colleg. III.* — Ad elegantiam hujus descriptionis accedit insignis a munditie chartæ ac typorum commendatio, quæ optare facit, ut plura optimorum Patrum Græcæ ac latinæ Ecclesiæ scriptorum exemplaria pari cura instructa et æque luculenter excusa venalia redderentur. Theologus Lipsiensis interpretem suscepti ab editore negotii agens, ipsum a præfandi necessitate liberavit. Secutus vero est *Teegius* textum Benedictinorum ex Antuerpiana Clerici iteratione descriptum et varietate *Amerbachianæ* et *Erasmianæ* anni 1569, nec non utriusque Helmstadiensis mactatum. Commode etiam harum et Benedictinæ simul recensionis partitiones diversis numeris sunt expressæ, additusque est index non contemnendus.

Versiones.

Duæ *Gallicæ*: *Colletetii* altera, altera a *Villefortio*, unaque *Germanica* Hedionis de qua supra in *Collectionibus egimus*.

1636. *Paris, chez Jean Camusat, in*-12. « La Doctrine Chrestienne de S. Augustin divisée en IV livres, avec le manuel adressé à Laurentius, le tout traduit en francois par *Guillaume Colletet.* »

1701. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard, in*-8°, *II voll.* « Les livres de la Doctrine Chrétienne de S. Augustin et les livres de l'Ordre et du Libre Arbitre, du même. Traduits en françois sur la nouvelle édition latine des PP. Bénédictins de la Congrégation de S. Maur. » Auctor est Dn. de *Villefort*, qui plures Augustini libros insigni cum laude in linguam Gallicam transtulit. De præsenti enim traductione auctores *Diarii Eruditorum Paris.* 1702, p. 195, sic testantur : « Les matières que S. Augustin traite dans ces trois ouvrages, et particulièrement dans le livre de l'Ordre, étant abstraites. ils étoient très-difficiles à traduire d'une manière intelligible et agréable. C'est cependant ce que *M. de Villefort* a fait, ayant trouvé le moyen, en rendant exactement le sens de son auteur et s'attachant à la pureté des termes, d'égaler la beauté et la liberté de l'Original. » Præterea tenendum est, utrumque hujus versionis tomum etiam separatim haberi, adeo, ut de Doctrina Christiana libri IV, itemque reliqua peculiari volumine constent. Cf. *Cat. Bibl. Reg. Paris.* T. I, p. 379 sq., n. 724 et 727. Nescio vero, quid sit, cur ibidem versio hæc nomen *Philippi Goibaud du Bois* ferat. Fuerat is Academiæ Parisiensis socius anno 1694 vita functus haud inceleber. Nec me fugit nomen ejus ementitam esse versionem aliam, nempe libri spurii *Soliloquiorum*, ut suspenso hoc signo merx esset vendibilior. Sed hujus auctor nec latuit, nec latere voluit, immo maximopere famæ traducendis pluribus Augustini libris studuit. Quocirca equidem de errore confectoris Regii Catalogi jam vix dubito.

Compendium Doctrinæ Christianæ ex Augustini libris excerptum edidit *Theod. Bibliander* episcopocellensis, *Theol. Prof. Tigurinus*. Basil. 1550, *in*-8° *Lipen.* et ex eo *Colonienses*. Juxta eosdem quartum hujus operis librum, qui de eloquentia sacra potissimum tractat, diligenter excussit, ejusque sententiam non alia esse eloquentiæ Christianæ præcepta, quam Civilis, pluribus astruxit *Balth. Gibert*, rhetorices quondam in collegio Mazariniano professor, in *Jugemens des Sçavans sur les Auteurs qui ont traité de la Rhétorique*. T. II, p. 115-135. Paris. 1716, quem librum indicarunt *Acta Erudit. Lips.* 1721, p. 257.

XIV. — (35) *Augustini Confessionum libri tredecim.*

Sæc. XV — 1475. *Mediolani, in*-4°. S. Aurelii Augustini Confessionum libri XIII. Folii ultimi pagina adversa impressi versiculi cum subscriptione:

Quam lætum augustina ferat confessio fetum
Præsens fratre refert pagina pressa suo.
Theutonicis delatus enim bonus ære Joannes
Hoc mediolani fertile pressit opus.
Anno Incarnationis Domini M° CCCC° LXXV° :
XII° Kalendas Avgvsti :

Character rotundus est, elegans, lineæ per paginam latæ 26. Desunt numeri, signaturæ, custodes. *Saxius* tribuit *Joanni Wurster de Campidonia*. Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.* Duo exempla illius servabat *Bibl. Pinelliana.*

1482. *S. l. in*-8° *min.* Confessionum libri XIII. Eadem voluminis descriptio est idemque character, quem in libris *de Doctrina Christiana* simili forma sine l. et a. excusis notavimus, solo libri numero in superiori margine deficiente. Incipit a locorum quorumdam obscurorum in his Augustini libris annotatione, quæ alteram folii primi paginam replet, drima vacua relicta. In fine : *Explicit ꝑfessionū beati augustini liber XIII. Anno dñi MCCCCLXXXII, in ꝑfesto laurēcij.*

Editio Veneta, a. 1484, *in*-4°, quam *Colonienses* laudant, non est unius hujus libri, sed opusculorum plurium, quam suo loco latius descripsimus.

Sine anno et loco, in-fol. min. B. Augustini episc. libri Confessionum. Volumen est foliorum impressorum 152, quibus in aliis exemplaribus, ut in eo, quod cl. *Braun* manu versavit, præcedit unum non impressum, in nostro deperditum. Incipit a particula *Ex libro Retractationum sancti augustini episcopi*. Formula finalis desideratur, miniatori ascribenda relicta, id quod in nostro exemplari tam in fine totius, quam singulorum librorum, factum est, Nec initia librorum magnis spatiis a fine præcedentium, sed una tantum linea, *Sancti Augustini liber....*

Incipit, discreta comparent. Character est gothicus medius obtusior (*a*). paginæ lineas latas 32 complectuntur amplis marginibus circumdatas. Distinctionis signa punctum, colon et interrogationis nota. Absunt omnino custodes, signaturæ, numeri et tituli paginarum. Meminere hujus rarissimi libri *Deburius in Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I. p. 168. Cl. *Morellus* in *Bibl. Pin.* T. I, p. 90 sq., ac nuper iterum descripsit *Plac. Braun* in *Notitia Hist. Lit.* (1788) p. II. Ac hic quidem ad insignem ejus vetustatem confirmandam observat, in *exemplari Tegernseensi* a calligrapho ascriptum esse annum 1470.

Aliam horum librorum editionem, quaternis, nulla apposita *loci, anni* et *typoyraphi*, aut editoris nota, quam tamen Romanum putat, sæculi XV certe, notavit *Audiffredus* in *Cat. Bibl. Casanat.* Adde *Cat. Bibl. Pinell.*

SÆC. XVI. — 1531, *Coloniæ, in*-8°. Augustini Confessionum libri tredecim. *Cat. Bibl. Bernens.* T. I, p. 15.

1563. *Lovanii, in*-12. S. Augustini Confessionum libri XIII, *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neapoli.*

1567. *Antuerpiæ, in*-8°. Iidem libri. *Possevinus* in *App.* T. I, p. 154, ex eoque *Hendreich* in Pand. Brandeburgicis, *Lipenius* et *M. Bibl.Eccles. Col.*

1568. *Ibidem, in*-16. Iidem libri. *Possevinus* et ex eo *Colonienses.*

1569. *Coloniæ, in*-12. Iidem libri. *Hendreich.* Sed nescio, an idem sit liber, quem e *Possevino* laudant *Colonienses, Confessionum S. Augustini libri XIII. in Epitomen redacti a* Jo. SCHWAYGERO *in-fol.* SCHWEIGERO, *collegii ad B. Virginem Francofurti Scholastico, Coloniæ apud Cholinum.*

1573. *Lovanii, in*-8°. S. Augustini Confessionum libri XIII. *Hendreich.*

1578. *Basileæ, in*-8°. S. Hilarii et Augustini Confessiones. *Coloniens.*

1581. *Wirceburgi, in*-12. S. Augustini Confessionum libri XIII. *Hendreich.*

1588. *Turoni, apud Claudium Michaelem* (....) Iidem libri. *Possevini App.* T. I, p. 154.

SÆC. XVII. — 1604. *Coloniæ Agrippinæ, in officina Birkmannica. in*-12. D. Aur. Augustini libri XIII Confessionum : ejusdem confessio theologica et expositio succincta missæ Romanæ : omnia ex ms. cod. emendata, opera et studio theologorum Lovaniensium. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1606. *Lugduni, in*-12. S. Augustini libri XIII Confessionum juxta Lovaniensium correctionem. *Hendreich.*

1607. *Duaci, in*-8. S. Augustini Confessionum libri XIII, editi per H. Sommalium, *Cat. Bibl. Bodl.*

1668. *Lugduni, in*-12. Iidem libri ex recensione Lovaniens. *Hendreich.*

1610. *Ibidem, in*-12. Iidem libri *Hendreich.*

1619. *Coloniæ Agrippinæ, in*-12. D. Augustini Confessionum libri XIII, per II. Sommalium. *Cat. Bibl. Mus. Britt.*

1628. *Duaci.* 16. Iidem libri ex ejusdem recensione. *Lipen.* et *Colon.*

1629. *Coloniæ Agrippinæ, ap. Corn. ab Egmond., in*-24 (vulgo *in*-12). D. Aur. Augustini libri XIII Confessionum ad tria ms. exemplaria emendati opera et studio Henrici Sommalii. S. J.

1630. *Ibidem, in*-24. Iidem libri. *Hendreich.*

—*Dilingæ, in*-8°. S. Augustini Confessionum libri X priores cum notis et summariis Henr. Wagnereck Soc. J. *Colonienses ex Alegambii Bibl. SS. S. J.*

1631. *Coloniæ Agripp., in*-8°. S. Augustini Confessionum L.XIII, per Henr. Sommalium.

1632. *Ibidem, in*-16. S. Augustini Confessionum libri X priores, per Henr. Wagnereck. Occurrit ejusdem a. et l. editio apud *Hendreichium.* Nos addidimus titulum libri, cum certum sit, nonnisi X libros a Wagnereckio esse in lucem editos.

1637. *Coloniæ Agr., sumpt. Corn. ab Egmond. et soc. in*-12. D. A. Augustini.... libri XIII Confessionum. Editio Sommalii.

1638. *Ibidem, in*-12. Iidem libri. *Hendreich.*

1640. *Ibidem, in*-8°. Iidem libri. *Hendreich.*

1645. *Lugduni, ap. Sim. Rigaud, in*-16 (vulgo *in* 12). Eadem Sommaliana recensio.

1646. *Cotoniæ, apud Jodoc. Kalcovium et socios, in*-12. D. A. Aug. Conf. libri X, cum notis R. P. Henrici Wagnereck Soc. Jesu. Præter notas cuicumque capiti *usus* suus subjectus est. Ad hanc editionem quodammodo pertinet et cum exemplari quidem, quod manu terimus, compactus est liber hoc titulo munitus : *Rei Pœnitentis Simplex et Humilis Confessio, cum Sermone de S. Augustino.* Ibid. apud eumd.

1647. *Ibidem.* Iidem libri X, per eumdem. *Hendreich.*

1649. *Coloniæ Agr., sumpt. Egmond. in*-16 vel *in*-24. D. A. Aug. Confess. l. XIII, opera Sommalii.

1650. *Antuerpiæ, ex off. Plant. Balthazaris Loreti, in*-8°. D. Aur. Aug. libri XIII Confessionum. Hendreichius editionem Antuerpiensem tamquam repetitionem editionis Wagnerechianæ profert. Sed perperam, nisi forte plane diversam viderit. Argumento sint ea, quæ ex diligentiori ejus inspectione referunt Colonienses. « Typographus monet se, cum audiret præ cæteris laudari exemplar a R. P. *Sommalio* recensitum, varias ejus editiones conquisivisse, earumque facta comparatione, multos errores typographicos emendasse, ac postea exemplar contulisse cum editione Operum S. Augustini a *Christophoro Plantino* excusa, idque in multis discrepare animadvertisse, attamen in quibusdam P. *Sommalii* recensionem, in aliis *Plantinianum* editionem præferendam censuisse. *Quod ne temere fecisse culpares adhibui codicem ms. antiquissimum, qui ante plura sæcula conscriptus cum*

(*a*) Eodem, inquit *Braunius*, quo impressa fuerit Epistolarum S. hujus Doctoris absque anni locique professione editio, ut adeo ex eadem officina utraque prodierit.

aliis multis mss. codicibus in hoc Plantiniano typographeio asservatur. Hunc codicem fidelissimum expertus, ex ejus auctoritate emendavit exemplar a *Sommalio* recensitum, idque gaudet, quod viri docti, quibus correctiones suas ostenderit, non improbaverint. »

1652. *Duaci, in*-12. Iidem libri ex ed. Sommalii. *Cat. Bibl. Thuaneæ.*

1661. *Coloniæ in*-12 Iidem libri. *Hendreich.*

1665. *Lugduni, in*-24. Iidem libri. *Cat. Bibl. Nic. Rossii.*

1675. *Lugd. Bat., ap. Elzevir in*-12. S. Augustini Confessionum libri. Profert *Debure in Bibliogr. instr.* T. I, p. 249. Adde *Cat. Ducis de la Valière.*

1679. *Bruxellis, in*-8°. Iidem libri per eumdem Sommalium recensiti

1685. *Augustæ Vindelicorum.....* S. Augustini Confessionum liber octavus ex Sommalii recensione. Exst. in pio litterati hominis secessu *Theoph. Spizelii* a pag. 42.

1687. *Parisiis, ap. Jo. Bapt. Coignard in*-12. S. Aur. Augustini libri XIII Confessionum emendatissimi et notis illustrati, cum novis in singula capita argumentis.

1699. *Antuerpiæ, vel Coloniæ Agr. apud Corn. ab Egmond, in*-24. Iidem libri. Ita plane proferunt Colonienses.

SÆC. XVIII. — 1740. *Antuerpiæ, apud Gotthard. Joan. Püttnerum, in*-8°. D. A. Aug. Confess. I. XIII, studio Sommalii. Binis columnis paginæ impressæ sunt.

1743. *Antuerpiæ..... in-fol.* S. Augustini Acta priora sive prima vitæ pars S. Doctoris ab infantia usqae ad 33 æt. annos excerpta ex IX prioribus libris Confessionum. Exst. in Actis SS. Augustini tomo VI, p. 387 sqq.

1757. *Florentiæ, ex typographio Petri Cajetani Viviani, ad insigne Jani.* S. Aur. Augustini, Hipp. ep. confessionum libri tredecim vario Commentariorum genere illustrati, ab æmulorum obtrectatorum vel datis, vel dandis seu conviciis, seu censuris, seu etiam cavillationibus vindicati et expediti, opera et studio *Fr. Archangeli a Præsentatione,* sacerd. professi Carmelitæ Excalceati Theol. et S. S. lectoris.

1776. *Parisiis, typis Philippi-Dionysii Pierres, via San-Jacobæa, in*-16. Divi Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Confessionum libri tredecim. Ad calcem additæ sunt variæ lectiones. Editio nitidissima, accuratissima atque emendatissima, in qua nihil omissum, quod ad partes typographicas et emendationem pertinet. Quippe non solum ad impressa melioris notæ exacta fuit, sed collata est etiam cum codicibus manuscriptis bibliothecarum, Regiæ ac San-Genovefanæ, quorum omnium *variantes* copiosissimæ diligentia insuperabili viri cujusdam docti *L. St. Rondet,* cujus eximias in hoc genere virtutes in præfamine debita laude prosequitur typographus, excerptæ ad calcem exstant. Interspersæ etiam sunt notulæ quædam : addita *librorum et capitum summaria* summa cura confecta, ut et ab initio *Augustiniani Annales, sive Compendiosa D. Augustini Vita cum suis annorum notis.* Idem typographus pollicitus erat, se, si lectores huic ejus suscepto et specimini faverent, ad alia Patrum Latinorum scripta minora simili nitore ac castigatione foras danda perrecturum : quod ejus promissum successum habuerit, necne, ignoro. Codicum vero, qui hoc loco usum præstiterunt, elenchum infra dabimus.

Versiones.

Exstant *Italicæ, Hispanicæ, Lusitanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ.* Nec vero mirabitur quispiam viri tam eximie, ne dicam tanta adoratione culti vitam ab ipso tam insigni arte ingenioque superante perscriptam a multis cum voluptate esse lectitatam. Immo summis etiam per proxima abhinc tempora viris adeo placuit sancti doctoris institutum, ut imitari non indignum ducerent, id quod Petrarcha, Huetius, et nuperrime, qui nomen etiam traduxit, Russavius, quisque pro ingenio suo, modo pressius, modo ex longinquo Augustinum secuti, effecerunt, Singulas ergo ordine indicato enumerabimus.

Italicæ. — 1564. *In Venetia, presso Bolognino Zaltieri, in*-4°. « Le divote Confessioni del Divino Padre S. Agostino tradote (*sic*) per l'eccellente medico M. *Vincenzo Buondi.* » Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.*

1595. *Roma, nella tipografia Medicea, appresso Giacomo Luna, in*-4°. « Confessione di S. Agostino tradotti di Latino in Italiano per il S. *Giulio Mazzini* nobile Bresciano. Ed con alcune annotazioni dal medesimo illustrati cosi nelle margini, come nel fine de' capitoli, etc. » *Cat. Bibl. Casanat.* et *Crevennæ noviss.*

1620. *Milano, per Gio Batt. Bidelli in*-4°. « Il tredici libri, etc., » ejusdem versionis. Cf. *Bibl. degli Aut. volg.* sæpius a nobis laudata.

1760. *In Venezia, appresso Marzellino Piotto, in*-4°. « Delle Confessioni di Sant' Aur. Agostino Vesc. di Bona, libri tredeci da copiosi Commentarj illustrati e dalle censure degli aversari difesi : e volgarizzati del P. *Giangiuseppe da S. Anna,* Carmelitano scalzo della provincia di Venezia. » Immensa notarum ex omni Commentatorum populo colluvies. Imprimis Coloniensem interpretem Henr. Wagnereck studiose excerpsit.

Philippus Alegambius ex S. I. in *Bibl. SS. Soc Jesu* novissime Romæ 1676, a *Nathanaele Solvello,* edita p. 830, in recensu librorum tacitis auctorum nominibus a commilitonibus S. I. editis notat etiam *Confessiones Augustini Italice redditas,* auctore *Jacobo Fuligato,* idque transcripserunt Hendreichius in Pandectas Brandeb, et Colonienses in M. Bibliothecam Ecclesiasticam; sed neuter illam vidit, neque ego quidem ejusmodi versionem, quæ intra annos 1624-1653 prodire debuisset, uspiam memoratam inveni.

Hispanicam versionem Confessionum Meditationum,

Soliloquiorum et Manualis D. Augustini curavit *Petrus Ribadeneira* Toletanus ex S. I. Matriti 1598, II tomis, quæ repetita est in *Operibus ejusdem* Matriti 1604 in-fol. editis, part. III, p. 633 spp. Hendreich in Pand. Brandeb. Hispanicam commemorat *Bruxellis* 1674, in-24. Sed illius auctoritatem parvi pendendam esse crebro usu edoctus sum.

Lusitanice convertit *Sebast. Toscano* sive *Tuscanus* eremita Augustinianus Portuensis, cujus versionis duas editiones *Antuerpiæ* 1555, et *Coloniæ* 1556, prodidit *Nic. Anton.* in *Bibl. Hisp.* t. II, p. 186. Hendreich l. I, perperam tamquam Hispanicam citat.

Gallicæ. — *Primam* laudant Colonienses *Parisiensem* 1609, *in*-8°, cum Annotat. *Hernequinii*. Hanc subsecuta est versio *Renati Ceriserii* (*René de Ceriziers*) ex S. I. quam *Lugduni* 1649, *in*-12, et 1658, *in*-24, prodiisse iidem referunt. Nos recentiorem deinde ostendemus. Successerunt *Arnaldus Andilliacensis* eodem a. 1649, et novissimus *Duboisius*, qui absque codicum mss. subsidio sola ingenii sagacitate et eruditione accurataque sententiarum Augustini cognitione fretus, plurima feliciter correxisse dicitur. Utriusque opera frequentissime typis est descripta, ex quibus ea, quæ nobis disquirentibus se obtulerunt, jam enumerabimus.

1649. *Paris chez veuve Jean Camusat, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en françois par *Robert Arnauld d'Andilly*. » Eædem repetitæ apud eosdem bibliopolas a. 1651.

1659. *Paris, chez Pierre le Petit, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en françois par *Robert Arnaud d'Andilly*, septième édition avec le latin à côté, reveu et corrigé sur douze anciens mss., et des notes à la fin, où l'on rend raison des principales corrections par Antoine Arnauld, docteur de Sorbonne. » Eamdem ab eodem typographo a. 1656, in-12. excusam laudat *Cat. Bibl. Casanat. Hendreichius* quoque repetitiones annorum 1653, 1660 et 1665, notat,

1675. *A Paris, chez Pierre le Petit, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin traduites en français par *Arnaud d'Andilly*, nouv. éd. » *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* commemorat versionem factam *par les Messieurs de Port-Royal*, et impressam hoc anno Bruxellis in-12. Editiones item a. 1671 Parisiis in-12, nec non Bruxellis 1691 in-8°, factas se vidisse testantur Colonienses, p. 734, n. 68.

1688. *Paris, chez Jean Bapt. Coignard in*-4°. « Les Confessions de S. Augustin, traduction nouvelle sur l'édition latine des PP. Bénédictins, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres par *Philippe Goibaud du Bois*. » Prima lucem vidit a. 1686. Eadem vero apud eosdem bibliopolas repetita a. 1700 et 1716.

1690. *Bruxelles, chez François Foppens, in*-8°. « La Conversion de S. Augustin décrite par lui-même » (libre VIII et IX Confessionum).

1703. *Paris, chez Charl. Robustel, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin abrégées, ou l'on n'a mis que ce qui est le plus touchant et le plus à la portée de tout le monde, traduction nouvelle par *Simon Michel Treuvé*. »

1709. *Paris, chez Nic. le Gras, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en français par le *P. René de Ceriziers*. »

1719. *Paris, chez Phil. Nic. Lottin, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin abrégées, etc. » Vid. ad a. 1703. Sed nomen interpretis abest. *Journal des Sçav., mai* 1719, *Bibl. Colon.*

1722. *Paris chez Jean Bapt. Coignard, in* 12. Repetitio superioris quartæ editionis versionis Duboisianæ.

1740. *Paris, in*-8°. Iidem libri per *Arn. d'Andilly*.

1743. *Paris, chez P. G. le Mercier, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin traduites en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins de la Congrégation de Saint-Maur, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres par M. *Du Bois, de l'Acad. Franç.* Nouv. éd. »

Anglica. — 1650. *London, in*-12. « Saint Augustines confessions translated and with some marginal notes illustrated : by *William Wats* : ou Confessions de S. Augustin, traduites en anglois, avec des notes par Guil. Wats. » *Cat. Bibl. Reg.* — Eamdem versionem jam a. 1631 Londini octonis editam prodidit. *Cat. Bibl. Bold.*

Germanica. — 1673. *Colln, b. Willh. Friessen, in*-12. « Des heyligen und Hocherleuchten Vatters Augustini Bischoffs zu Hippon und furtreflichen Kirchenlehrers Dreyzehn Bucher der Bekandtnüssen. » Titulum justo verbosiorem, quantum licuit, contraximus.

Codices, qui in novissima eaque elegantissima Parisiensi horum librorum descriptione sunt adhibiti

Codices Regii : I, num. 1807, *Colbertinus*. Libros XIII integros complectitur, sed ultimus cæteros præcedit. Tribuitur sæc. XIII. — II, num. 1911. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — III, num. 1912. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — IV, num. 1913, *Colbertinus*, complectens libros XIII, sed deficientibus foliis a libro VII, cap. 6, n. 4, ad librum VIII, cap. 5, n. 3. Tribuitur sæc. IX. — V, num. 1913 A, *Colbertinus*. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — VI, num. 1914, *Colbertinus*. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XI. Hunc integrum legisse se testatur Rondetius. — VII, num. 1915. *Colbertinus*. Libri XIII ; sed deficiunt folia priora usque ad Libri I, cap. 16, n. 3. Tribuitur sæc. XII. — VIII, num. 1916, *Colbertinus*. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIII. — IX, num. 1917. Libri XIII, sed deficientibus foliis aliquot libri IX, a cap. 4, n. 2, ad cap. 6, n. 1. Tribuitur sæc. XIII. — X, num. 1918, *Tellerianus*. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIII. — XI, num. 1919, *Colbertinus*. Sub titulo *Confessionum* aliud opus est, majorem habens affinitatem cum libro *Meditationum* ; sed ab utroque pariter diversum. — Sed cum inserta quædam Confessionum fragmenta in eo re-

perirentur, ex iisdem singularia quædam haurire licuit. Tribuitur sæc. XIV. — XIII, num. 1948. Libri tredecim in fine mutili, in cap. 36 libri ultimi. Tribuitur sæc. XIV. — XIII, num. 2375. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIV. — XIV. num. 2694. Libri XIII, sed ab initio et in fine truncati. Tribuitur sæc. XIII. XV. num. 5296, *Colbertinus*. Fragmentum libri I ab initio usque ad cap. 11, n. 1. Videtur tribuendum sæc. IX.

Codex Genofevanus: — XVI, num. 34. Libri tredecim, sed lacunis quibusdam libro X, XI, XII, XV, et ultimo, affecti. Tribuendus sæc. XIV. Etiam hunc totum legisse affirmat *Rondet*.

S. Augustini Confessionum Flosculi resectis rerum difficilium spinis et in sex areolas distributi. Lugduni 1618, in-24, et Coloniæ 1620, in-12. *Coloniens.* et *Heindreich.*

XV. — (38) *De Natura boni liber.*

Gallice versus juxta Benedictinorum editionem insertus est in libro, cui titulus : *La Distinction et la nature du bien et du mal*, etc. Paris, 1704, in-12. Vide *Colonienses*, qui de eodem libro lectores ad sequentem bibliothecæ suæ, qui numquam prodiit, tomum remittunt.

XVI. — (41) *Quæstionum Evangelicarum XCVIII, libri duo.*

Insunt in opere *Quæstionum D. Augustini* edito *Lugduni* a. 1497, de quo supra. *A Coloniensibus* affertur hoc loco *Augustinus in Novum Testamentum*, Paris 1619, nec non Gallica ejusdem versio in *Explication de St. Augustin et des autres Pères Latins sur le Nouveau Testament.* Paris 1675, in-8° nec non alia, modo recte mentem eorum ceperim, versio gallica edita *Lugduni apud Plaignard* 1694, in-8. IV voll.

XVII. — (43) *De Catechizandis rudibus.*

1678. *Paris, chez André Pralard*, in-12. « Les livres de S. Augustin, de la manière d'enseigner les principes de la religion chrétienne à ceux qui n'en sont pas encore instruits ; de la vertu de continence et de tempérance ; de la patience et contre le mensonge : traduits en français. »

XVIII. — (44) *De Trinitate libri quindecim.*

1489. *Mediolani, per Leon Pachel, in-fol.* S. Augustini libri XV de SS. Trinitate. In fine : *Mediolani impressus per magistrum Leonardum Pachel. Anno a nativitate domini nostri Jesu Christi milesimo quadringentesimo octuagesimo nono septimo Kalendas junii.*

Excusi sunt hi libri una cum Hilario de Trinitate unoque plerumque volumine inclusi occurrunt. Cf. T. 1, p. 269. Aversa nempe ultimi ejus voluminis quod Hilarium complectitur, pagina registrum chartarum utriusque operis præbet. Impressa vero sunt charactere Gothico minusculo duabus columnis in charta nitida ac firma. Initiales litteræ parvæ. Paginarum foliorumve notæ desunt. Describit Braunius l. I. T. II, p. 187.

1489. *Basil., per Jo. Amerbach., in-fol.* Augustinus de Trinitate. In fine libri XV : *Aurelii Augustini de Trinitate liber explicitus est. Anno domini MCCCC LXXXIX.* Sequitur proxime *tabula* in libros præcedentes, in cujus calce decem disticha, quorum initium :

Æquora si penetrat Cyclops, etc.

Postremum ita sonat :

Numine sancte tuo, pater o, tueare Joannem
De Amerbach ; presens qui tibi pressit opus.

Charactere Gothico binis columnis impressum est, ut pleraque Amerbachii. Plerumque una cum libris de Civitate Dei per eumdem h. a. impressis compactum cernitur.

1490. *Basil., per Jo. Amerbach., in-fol.* Augustinus de Trinitate. Concordant omnia cum præcedente accuratissime. Character luculentior et æqualior. Commemorant eamdem *Denis Garell. Bibl.* p. 135, et *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197, *Gesner Lübeck. Stadtbibl.*, p. 51. Uberius descripsit *Masch Beytrr. z. Gesch. merhw. Bb.* St. II, p. 73 sq.

1494. *S. loco, in-fol.* Augustinus de Trinitate. Editionem Amerbachianam refert, sed versus in fine tabulæ desunt. Nisi me fallit judicium Friburgi, hi libri excusi sunt per eosdem typographos, qui hoc anno quoque opus *de Civitate Dei* dederunt.

Sine anno, loco, in-fol. « Augustinus de Trinitate. » Incipit statim a *Sententia B. Augustini de libro Retractationum.* In fine : *Aur. Augustini episcopi liber de Trinitate finit feliciter.* Volumen charactere gothico magno admodum eleganti ac nitido, lineis late, æqualiter tamen distantibus impressum est. Charta candida ac densa, folia maximi moduli sunt, columnæ binæ, margines lati. Absunt omnes signaturæ ac numeri.

Sine anno, loco et typographo, in-fol. max. B. Augustini de Trinitate liber (libri XV). In fine : *Aurelii Augustini episcopi liber de Trinitate finit feliciter.* Vetustissimi hujus juxta quam rarissimi libri descriptionibus, quas primus omnium *Denisius* in *Bibl. Garell.* p. 37, et post eum *Seemillerus in Incunabb. typ. Ingolst.* Fasc. I, p. 34, harum deliciarum amatoribus obtulerunt, adeo satisfactum cognoscendi eorum studio vidimus, ut quid a nobis addi ultra posset, quantumvis, curiosa comparatione vix inveniremus. Constat autem volumen hoc foliis 105 maximi moduli, impressum paginis sectis, lineis 47 quas margines amplissimi et lata interstitia condecorant. Chartæ densæ sunt, sed paulo crudiores, nec candidæ satis. Character Gothicus grandis et aliquanto pinguior. Desunt numeri, signaturæ, custodes, item litteræ initiales librorum et capitum, quas quidem nostrum exemplar minio habet appictas. Capita tamen unius aut duarum linearum spatiis inter se distant, eorumque argumenta ante libri cujusque initium summatim indicantur. Incipit totum a *Sentencia beati augustini de libro retractionum* (sic), quam *Epistola augustini aurelii yponesis episcopi ad aurelium episcopum cartaginensis ecclesie*, mox *capitulis* præmissis, ipsius libri primi initium sequitur. Exemplo, quod celeb. Denisius describit, coævi cujusdam manus apposuerat annum 1471 : illud vero, quod See-

millerus manibus versavit anno 1478. Doctos Georgius Fingel. prof. theol. Ingolst. octo florenis comparaverat. Cæterum plures lectiones ab editione Benedictina et Antverpiensi discrepantes hanc editionem exhibere Denisius significavit et exemplis quibusdam additis comprobavit, nec non procemiorum ratione et distributione capitum differre utramque observavit, quod, quoniam omnes hactenus bibliographos fugerit, non negligendum est. *Cf Braun. Not. H. Lit.* p. 82.

Sine anno. Venetiis, per Paganinum de Paganinis, in-4°. S. Augustini de Trinitate libri XV, adjectis ejusdem argumenti libri Hilarii. Cf. T. I, p. 280.

Sæc. XVI. — 1515. *Basil., per Jo. Ad de Langendorff; in-fol.* « D. Aug. Hipp. ep. de summa Trinitate *que deus* (sic) : *Ad Aurelium*, Carthaginiensem episcopum : *Libri quindecim :* opus prorsus divinum : *et cui laus omnis inferior*, ubi perversa hærecticorum *dogmata* disputationibus doctissimis *confutans*, profunda mysteria *inattingibilis divinitatis* mira ingenii claritate aperuit. Cui *Theologice veritates* illuminati *doctoris Francisci Maronis* aptissime connectuntur. » Juxta insigne typographi : *Anno M.D.XV.* Infra *Directorium.* Vide ed. librorum *de Civitate Dei* per eumdem typographum, ubi quæ dicta sunt, de hac etiam dicta putes. In subscriptione notatus annus *M.D.XIIII. Calendæ Juniæ.* In aversa tituli pagina brevis Jo. Amerbachii ad lectorem præfatio exstat, sed quæ solas librorum Augustini laudes tractat.

1520. *Lugdun., ære et impen. Jo. Koburger ; arte tamen ac cura Jac. Saccon., in-fol.* S. Augustini de Trinitate libri XV, quibus theologicæ veritates illuminati doctoris Francisci Maronis connectuntur. Una cum libris Augustini de Civitate Dei plerumque circumferri solent. *Cat. Bibl. Casanat.* T. I, pag. 342.

Versiones.

Græce convertisse dicitur hoc libros Maximus Planudes, cujus *capita nonnulla*, quæ probant Sp. S. etiam ex Filio procedere, exstant inter *Opuscula Aurea theologica quorumdam* (sequiorum) *Græcorum* de Process. Sp. S. collecta a P. *Arcudio*, edita *Romæ typis S. C. de propag. fide, in-4°*, a pag. 187. Eadem jam a. 1630 ibidem edita esse, quin etiam multo prius 1578 Basileæ *in-8°* Gr. lat. per *Leunclavium* fuisse publicata ex *Whartoni ad Caveum* Supplementis, monent Colonienses. Sed Leunclavii opus dubito an huc trahi possit, quod aliunde memoria teneo ibidem capita aliquot de Trinitate ex libro *de veræ vitæ cognitione* exstare, quæ ab Arcudio pariter in opus laudatum p. 672 relata sunt.

De Gallica versione, cujus *Crucius Cenomanensis* meminit, recte statuunt Colonienses, libros de Trinitate cum libris de Civitate Dei, ad quos versio ista spectat, ab eo esse confusos.

XIX. — (45) *De Consensu quatuor Evangelistarum libri quatuor.*

Sine anno, loco et typogr., in-fol. De Consensu quatuor Evangelistarum. Volumen charactere Gothico admodum luculento et æquali, in charta candida et densa, binis columnis amplo spatio secretis impressum, quod in duplo servat bibliotheca Regia Academiæ quercense, unde Italiam patriam agnoscit. Incipit ab ipsius Augustini super hoc opere in libris Retractationum testimonio, quod statim libri primi initium subsequitur. Secundo autem, tertio et quarto libro præmittuntur *capitula*, id est summaria cujusvis capitis. In fine : *Explicit feliciter liber quartus Aurelii Augustini yponiensis episcopi De cosensu sanctorum quatuor Evangelistarum. Deo gratias.* Plagulas quaternas numerat a-l. Aliæ notæ desunt. Litteris initialibus spatium plane vacuum est relictum.

1473. *Lavingæ absque typogr. indicio, in-fol. Liber beati yponensis episcopi Augustini de Consensu Evangelistarum in quatuor libros incipit feliciter.* Sic in ipsa libri fronte legitur. In fine : *Liber. Beati. Augustini. Yponensis episcopi de Consensu Evangelistarum. explicit feliciter. In civitate. Laugingen Impressus. Anno a partu Virginis salutifero. Millesimo. quadringentesimo septuagesimo tercio. Pridie. Idus. Aprilis.* Constat hæc editio foliis 105 litteris rotundis ac nitidis impressum, absque custodibus, numeris, signaturis, litteris initialibus ac titulis. Descripsit cl. *Braun* in *Not. H. Lit.* (1788), p. 154. Rarissimam esse complures testati sunt bibliographi, quos etiam Braunius laudat.

1538. *Paris, in-12. D.* Aur. Augustinus de Consensu Evangelistarum. *Mus. Britt.*

1539. *Coloniæ, ex off. Heron. Alopecii, in-8°. D.* Aur. Aug. de Consensu Evangelistarum libri quatuor, *Catal. Bunav.*

Versio.

Gallicam hujus operis *versionem* Lugd. 1526, *in-8°.* memorat *Jac. le Long* in *Bibl. Sacr.* p. 649. *Colon.*

XX. — (52) *De S. Virginitate.*

1562. *Romæ, ap Paul. Manutium....* S. Augustini liber de S. Virginitate. Exst. inter Opuscula SS. DD. Ambrosii, Hieronymi et Augustini de Virginitate.

Versiones.

1638. *Paris, chez Jean Camusat, in-8°.* « De la sainte virginité, discours traduit de S. Augustin, avec des remarques pour la clarté de la doctrine par *Claude Seguenot* » (cujus sub nomine latuisse ferunt *Joannem du Vergier de Hauranne* abbatem *San-Cyranum*). Pertinet ad hunc librum : *Censura S. Facultatis theologicæ Parisiensis, lata in librum, qui inscribitur : De la sainte virginité*, etc. *Paris, apud Adrian. Tapuinort*, 1638, *in-4°* Cf. *Bibl. Jansen.* p. 198, a. 1722.

Huc etiam referas :

1680. *Paris, chez Helie Josset ; in-12°.* « Traitez de morale de S. Augustim, pour tous les états, qui composent le corps de l'Eglise, sçavoir, 1° de la Ste virginité, pour les vierges ; 2° du bien de la viduité, 3° de la manière dont on doit prier Dieu pour les veuves ; 4° du bien de mariage ; 5° du mariage et de la concupisence : traduits en françois par M. *Jean Hamon.* »

XXI. — (55) *De Unitate Ecclesiæ.*

1602. *Moguntiæ...* S. Augustini liber seu Epistola de Unitate Ecclesiæ contra Petiliani Donat. Epistolam, argumentis, notis atque analysi illustrata, studio *Justi Calvini*. Exstat in ejusdem *Præscriptionum adversus Hærett. Tractt.* a *pag.* 249. In *Cat. Bibl. Bold.* idem liber præfixo a. 1605 laudatur, ut semel jam a nobis monitum.

1657. *Helmstadii ex typogr. Calixt. in*-8°. SS. Cypriani et Augustini de unitate Ecclesiæ tractatus. Accedit *Georgii Calixti*, S. theol. doct. et in Acad. Julia prof. primarii, in eorumdem librorum lectionem *Introductionis* fragmentum, edente *Frid. Ulrico Calixto, Georgii filio.* »

1690. *Ultrajecti apud viduam Guil. Clerck, in*-4°. Aurelii Augustini, episcopi Hipponensis, liber de Unitate Ecclesiæ contra Donatistas. Exst. cum Commentariis uberrimis et utilissimis in *Melchioris Leydeckeri Historia illustrata Ecclesiæ Africanæ*, cujus totum pene tomum secundum constituit inscriptum : *Tomus secundus* ad *Librum Augustini de Unitate Ecclesiæ contra Donatistas, de Principiis Ecclesiæ Africanæ, illiusque fide in Articulis de Capite Christo et Ecclesia, de Unitate et Schismate, plurimisque Religionis Christianæ capitibus agit.*

Versio.

Gallice vertit notulasque ad difficiliorum locorum intelligentiam aspersit *Jac. Tigeou*, Andegavensis, theol. doctor et canonicus Ecclesiæ cathedralis Metensis, quæ illius versio prodiit *Rhemis* 1567, in-8°. sub tit. : *Epistre ou le Livre de S. Augustin de l'Unité de l'Eglise, Contre Petilien, evesque Donatiste, avec certaines observations pour entendre les lieux plus difficiles : imprimé à Reims par Jean de Foigny.* Cf. *Duverdier* ed. *de Juvigny*. t. IV, 314.

XXII. — (67) *De Spiritu et Littera liber.*

Sæc. XV. — *Sine anno, loco et typogr., in*-4°. S. Augustini liber de Spiritu et Littera. Adjectus est *Tractatus* anonymi *de periculis, quæ contingunt circa Sacramentum Eucharistiæ, cui annexa est resolutio quæstionis : utrum suffragia facta pro multis æqualiter prosint singulis?* Exhibet cl. *Seemiller* fasc. I, p. 191. Totum volumen foliis 38 conficitur, exscriptum charactere Gothico, quem alius comparatione ibidem propius declaravit. Lineæ 28 paginam faciunt. Numeri, signaturæ, custodes, initiales litteræ et tituli desunt, nisi quod ab initio legitur : *Incipit prologus beati Augustini episcopi in libro* (sic) *de Spiritu et Littera* : et fine libri, qui in primam paginam folii 35 incidit : *Explicit liber Beati Augustini episcopi de spiritu et littera.*

Sæc. XVI. — 1524. *Norimbergæ...* D. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus. Laudant *Colonienses.*

1527. *Coloniæ, apud Heronem Alopecium*; *in*-8. D. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus. Eamdem editionem sub anno 1528 profert *Ossinger* in *Bibl. Augustin.*

1538. *Parisiis. apud Joan. Riogny*; *in*-16. Idem liber. *Ossinger.*

A — *Paristis, apud Anton. Augarellum, sub intersigno D. Jacobi, via ad S. Jacobum....* S. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus una cum epistola ad Sixtum presbyterum adversus Pelagianorum argumenta.

1542. *Parisiis..., in*-8°. Idem liber. Vidisse se testatur auctor Coloniensis.

1545. *Wittembergæ, impressit Josephus Klug, in*-8°. Augustini, *Hipponensis* (*sic*) episcopi, liber de Spiritu et Littera. Cum præfatione et præmonitione lectoris. Nescio an fallitur *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* p 341, editionem Vitebergensem a. 1548 laudans.

1368. *Antuerpiæ*, in-16. S. Aur. Aug. de Spiritu et Littera ad Marcellinum liber unus. Ejusdem de natura et gratia. Item de fide et operibus, *Colonienses* B ex *Lipenio* et *Becmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35, quibus adde *Hendreichium l.l.*

Sæc. XVIII. — 1767. *Lipsiæ, apud Jo. Frid. Witzleben*; in-8°, Aur. Augustini. Hip. ep. de Spiritu et Littera ad Marcellinum liber unus e recensione Benedictorum e Congreg. S. Mauri, varietate lectionum animadversionibusque brevibus illustratus ab *Jo. Christ. Beniam. Teegio.* S. S. Theol. Cult. — In præfatione pauca de occasione libelli hujus itemque de editionibus ac recensionibus ejus monentur, ubi etiam ad aliorum librorum singulatim editorum mentionem decurrit. Inscripsit Erdm. Rudolpho Fischero, theologo Coburgensi.

1770. *Lipsiæ, apud Joh. Frid. Langenhemium*; C *in*-8°. Aur. Aug... de Sp. et Litteriis ad M. liber unus... Iterum edidit rel. *Jo. Christ. Beniam. Tee. gius.* Scholæ Sangerh. Col. III. Correctiorem sese profitetur altera editio, aucta insuper indice rerum memorabilium.

Versiones.

Italica. — 1543. *Venezia, per Comin da Trino*; *in*-8°. « Opera utilissima del B. Agostino V. I. *de Spiritu et Littera* chiamata, al B. Marcellino, novamente di latino in volgare tradotta. »

Gallicæ. — 1547. *Lyon, par Jean Pitier, in*-16. « Le livre de l'Esprit et de la Lettre de S. Augustin, traduit par *Jacques Le Conte.* » Cf. *Duverdier* ed. nova, T. IV, p. 274.

1551. *Paris, de l'Imprimerie de Mich. Vosca*; D *in*-4°. « Opuscule de S. Augustin, évêque de Hyppone en Afrique, de l'Esprit et de la Lettre, traduit par *Valentin du Caunoy.* » *Maitt.* part. II. t. III, p. 598. *Duverdier* ed. nova, T. IV, p. 439.

1700. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard*; *in*-12. « Le Livre de S. Augustin de l'Esprit et de la Lettre, traduit en françois sur l'édition des PP. Bénédictins, par *Philippe Goibaud du Bois.* »

XXIII. — (68) *De Fide et Operibus, liber unus.*

1473. *Coloniæ. . . . in*-4°. B. Augustini liber de Fide et Operibus. *Cat. Bibl. Boldei.*

1523. *Argentorati, ex officina litteraria ingeniosi viri Jo. Grieninger, in*-4°. Divi Augustini libellus aureus de Fide et Operibus. Exstat cum *Ysidoro de sectis et nominibus hæreticorum*, item Hieronymi *libro de*

Perp. Virg. Mariæ et *Epistola ejus contra Vigilantium* junctim editi ab *Hier. Gebwiler*, cathedralis ædis Arg. Litterarii Ludimagistro. Fol. v-xxvi.

— *Augustæ Vindelic.*, *in*-8°. D. Aur. Aug. liber de Fide et Operibus *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737.

1528. *Coloniæ. Excudebat Eucharius Cervicornius*; *in*-8°. D. Aur. Augustini de Fide et Operibus liber unus. » Occurrit subinde compactus cum libro ejusdem *de Natura et Gratia* ex eadem officina.

1534. *Paris, apud Joannem Roigny*, *in*-16. D. Aug. liber de Fide et Operibus. *Maitt.* T. II, p. II, p. 799, ed. 2.

1539. *Lipsiæ*, *in*-8°. B. Aug. liber de Fide et Operibus cum præfatione *Georgii Wicelii*. Cf. *Beckmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35. Unde jam laudarunt *Hendreichius* et *Colonienses*.

1552. *Coloniæ, apud Petrum Horst*; *in*-8°. Idem liber cum *Enchiridio* ejusdem vide suo loco.

1568. *Antuerpiæ*, *in*-8°. Idem liber laudantibus *Coloniensibus* l. l.

1652. *Francof. ad M. et Rintelii*, *in*-8°. S. Aur. Augustini... liber de Fide et Operibus. Edente *Joan. Hennichio*. Cum dissertatione ejusdem argumenti eodem auctore. *Hendreich. in Pand. Brandeb.*, p. 342.

Versiones.

1545. *Venezia, per Comin da Trino*, *in*-8°. « Il libro del B. Agostino V. I. della Fede e d'ell' opere, di latino in volgore novamente tradotto. »

XXIV. — (*12*) *De Natura et Gratia.*

1524. *Norimbergæ*, *in*-8°. D. Aur. Augustini de Natura et Gratia liber unus. Notatur a *Coloniensibus*.

1528. *Eucharius Cervicornius excudebat.* In fine : *Apud S. Coloniam impensa M. Godefridi Hyttorpii, civis Agrippinensis celeberrimi*, *in*-8°. D. Aur. Aug. de Natura et Gratia liber unus. Præfatus est paucis verbis *Jo. Petreius.*

1568. *Antuerpiæ, ap. Gymnicum*, *in*-8°. « D. Aur. Aug. liber de Natura et Gratia. » *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737, quæ si vera prodidit, accenseri debet hæc editio rarissimis, paucis nimirum libris iis, quos Antuerpiæ Joannis Gymnici celebris quondam typographi Coloniensis impensis impressi sunt. Sic enim statuere malim, quam cum Maettario Gymnicum ipsum Antuerpia Coloniam migrantem facere, cum ex Annalibus etiam constet, eum jam anno 1535 Coloniæ prelum exercuisse, adeoque non post annum 1540, demum, cujus anni editionem Antuerpiensem Maettarius commemorat, domicilium ibi figere potuit.

Versio.

1545. *Venezia per Comin da Trino*, *in*-8°. « Il libro del B. Agostino vescovo Ippon., di Natura et Grazia, contra Pelag ; di latino in volg. novamente tradotto.»

XXV. — (*74*) *De Civitate Dei Libri XXII.*

Sæc. XV — 1467. *E. Monasterio Sublacensi f. max.* S. Aur. Augustini de Civitate Dei XXII. In calce : Aurelii Augustini, *Doctoris egregii atque episcopi Ypponensis de Civitate Dei liber vicesimussecundus explicit contra paganos. Sub anno a nativitate Domini M.CCCCLXVII. Pontificatu* Pauli *papæ secundi anno ejus tertio. Tertio regnante Romanorum imperatore* Friderico. *Indictione XV, die vero duodecima mensis Junii. Deo gratias. GOD AL.* — Impresserunt Conradus Sw. et Arnoldus Pannartz juvante haud dubie viro aliquo solerti, cujus nomen in litteris *GOD AL.* insidere tam facile sibi omnes persuadent, quam operam in explicandis eorum mysteriis perdunt (*a*). Paginæ in duas columnas linearum 44 impressæ sunt, quas ampli margines ambiunt. Præcedunt xii rubricarum folia. Cf. *Audiffr.* p. 6. Recensent etiam *Debure Bibliogr. instr.* T. I, p. 243. Exstabat in *Bibl. Ducis de la Valière.*

1468. *Romæ in domo Petri de Max.*; *in-fol. max.* S. Augustini de Civ. Dei libri XXII. In calce : *Hoc Conradus opus*, etc. *In domo Petri de Maximo. M.CCCC.LXVIII.* « Hujus editionis character, mea quidem sententia, nitidior est, quam in Lactantio ejusdem anni. Sed textus inquinatior est et mendis scatet fœdissimis. Præcedunt xiv folia rubricarum. » Cf. *Debure Bibl. instr.*, *Cat. Bibl. Smithianæ* (Venet. 1755, *in*-4°), p. 27, et *Bibl. Pinell.* T. I, p. 86.

1470. *Romæ, apud eosdem*; *in-fol. max.* S. Augustini de Civ. D. libri XXII. *In calce* : *Aspicis illustris.*, etc. Audiffredus diligenti trium editionum Romanarum inter se comparatione citra omnem dubitationem posuit, diversas invicem esse atque singulatim iteratas. Atque hæc, tertia etiam præcedente, emendatior est et pleraque vitia ejus abstersit. Exstabat in *Bibl. Pinell.*

— *Venetiis, per Jo. de Spira et Vindelinum fratrem*; *in-fol.* Augustini libri XXII de Civitate Dei. In fine :

Qui docuit Venetos exscribi posse Joannes,
Mense fere trino centena volumina Plini,
Et totidem magni Ciceronis Spira libellos
Ceperat Aureli, subita sed morte peremptus,
Non potuit cœptum Venetis finire volumen.
Vindelinus adest ejusdem Frater et arte
Non minor Hadricaque morabitur urbe.
M.CCCC.LXX.

Præcedit rubicorum tabula xiv foliis. « *Debure Bibliogr. instr. Biblioth. Smithiana, Cat. Bibl. Bunav.* Laudant eamdem *Cat. Bibl. Reg.* et *Bibl. Pinell.* »

1475. *Moguntiæ, per Petr. Schoeffer de Gernsheim*; *in-fol. II vol.* B. Aur. Aug. libri XXII de Civitate Dei cum *Thomæ Valois* et *Nic. Triveth* commentariis. In fine rubris characteribus : *Igitur Aurelii Augustini*, etc. (cf. edit. Hieroymianam ib. a. 1470 per eumd. typogr. excusam), *consummatum per Petrum Schoiffer de Gernzheim, anno Domini M. CCCC. LXXiij. die V. mensis Septembris presidibus ecclesie katolice Sixto tercio pontifice Summo, sedi Ant. Moguntine Adolfo secundo presule magnifico tenente autem ac gubernante Christianismi monarchia imperatore serenissimo Frederico tercio Cesare semper Augusto.* Incipit a tabula capitum libri primi, quæ una cum exemplari monuit. Probabilior *Petri Scriverii* sententia, *Godeschalci* seu *Godofredi Alemani* nomen substituentis, videri possit.

(*a*) Lairius *Gratias Omnipotenti Deo a Laudembachio* interpretatus. Sed huic omnino obstare videntur verba *Deo gratias*, ut recte etiam Audiffredus

cerpto ex libris Retractatationum uno folio comprehenditur. Tum sequitur ipsum Augustini opus totum intra hoc primum vol. absolutum inque fine legitur: *Finito libro sit laus et gloria Christo.* Deinde minio impressum: *Textus sancti Augustini de Civitate Dei, Moguntiæ impressus, explicit feliciter, anno LXXiij.* Alterum volumen complectitur commentaria supra laudata cum indice alphabetico. Ad utramque voluminis calcem finita subscriptione, more consueto, insignia typographi minio impressa cernuntur *Debure Bibliogr. instr. Seemiller.* fasc. I, pag. 49, *Braun Not. Lit.* (1788), p. 159.

Auctores vero horum Commentariorum, quæ prima vice hic excusa sunt, Angli uterque fuerunt et de Prædicatorum ordine ambo. *Nicolaus Treveth* seu *Trivet* vel etiam *Traveth*, origine Nortwicensis erat, natus circa annum 1258, vitaque functus a. 1328. Commentatus est in omnes libros XXII: *Thomas Walleis* vero seu *Vallensis* aliis *Gualois* vel corrupte *Valois*, haud dubie quod ex principatu *Wallia* oriundus esset, theologiæ doctor Oxoniensis, diem suum obiit a. 1340, scripsitque Expositionem in decem primos libros e XXII de Civitate Dei, quæ finitur in libro x, cap. 29. Utriusque operam magni olim factam esse testantur innumera mss., quæ adhuc in bibliothecis Parisiensibus potissimum supersunt exempla, de quibus vid. *Echard* in SS. Ord. Præd. tom. II, pag 561 et 597. Creditum est aliquando, Trevethum et Thomam conjuncto studio istas lucubrationes composuisse, falso tamen. Nam ista conjunctio, quemadmodum etiam in hac prima editione obtinet, notariis debetur et omnibus codicibus mss. est solemnis. Nicolai autem Trevethi expositio in X priores libros numquam prodiit atque hoc casu fortasse in perpetuum luci subtracta est. Cf. præter laudatum Echardum locupletissimum in his auctorem, Fabric. Bibl. Med. et Inf. Lat.

1474. *Romæ, ap. Udalr. Gallum; in-fol. max.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In calce: *Presens Aurelii Augustini Hipponēn Epī de Civitate Dei preclarum opus: Alma in urbe Roma totius mundi regina et dignissima imperatrice: que sicut ceteris urbibus dignitate preest: ita ingeniosis viris est referta: non attramento plumali calamo neque stilo ereo: sed artificiosa quadam adinventione seu caracterizandi sic effigiatum ad dei laudem industrieque est consummatum. per Udalricum Gallum Almannum et Symonem Nicolai de Luca. Anno Domini M CCCC.LXXIIII. die vero IIII. mensis Februarii, Pontificatu vero Sixti divinina* (sic) *providentia Pape quarti, anno ejus tertio.* Antecedunt rubricarum folia XIII, cum foliis duobus puris. Character non omnino tam luculentus est et magnus ac Romanarum editionum, sed longe contra æqualior.

1475. *Venetiis ap. Nic. Jenson., in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In fine: *Aurelii Augustini opus de Civitate dei feliciter explicit: confectum venetiis ab egregio et diligēti magistro Nicolao ienson: Petro Mozenicho principe: Anno a nativitate domini milesimo quadringentesimo septuagesimo quinto: sexto nonas octobres.* Impressum est columnis binis; incipit a *tabula capitum* IV folia complectente. *Cat. Bibl. Ducis de la Valière*, it. *Bibl. Smithianæ.* Servabat eamdem olim *Bibl Pinellii*, itemque una cum sex præcedentibus *Bibl. Crevennæ.* Vid. *Cat. noviss.*

— *Venetiis, per Gabrielem Petri de Tavisio; in-fol.* Augustini de Civitate Dei libri XXII. In fine: *Aurelii Augustini de Civitate Dei Liber XXII. et ultimus feliciter finit. Impressumque est opus hoc a diligenti Magistro Gabriele Petri de Tarvisio. M. CCCC. LXXV. existente Petro Mocenico Duce Venetiarum. Venetiis. Cat. Bibl. Bud.* T. I, p. 89, ubi merito *rarissimis* libris accensetur. Ex Catalogo vero *Bibl. Ducis de la Valière* discimus, binis columnis volumen esse impressum, præcedere materiarum tabulam XIV foliis, signaturas esse *a*... ad *D* secundi alphabeti. Memoratur etiam in Catalogo Bibl. Bodleianae ed. recent. p. 88, apud *Denis.* in *Bibl. Carell.* T. I, p. 135. Addatur cl. *Reuss* in *Bibl. Tubing.* (1780), p. 69.

1477. *Neapoli, per Matthiam Moravum; in-fol. min.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII In fine: *Aurelii Augustini de Civitate Dei liber XXII. et ultimus feliciter explicit. Impressumque est opus hoc Neapoli a diligenti magistro Matthia Moravo. Anno Christi. M.CCCC.LXXVII. Cat. Bibl. Ducis de la Valière.*

1479. *Basileæ, per Mich. Wenszler; in-fol.* Iidem cum commentariis Thomæ Valois et Nicolai Triveth. In fine charactere rubro impressum: *Iqīt aurelij augustini ciuitatis orhodoxe sideris p̄fulgidi de ciuitate dei opus praeclarissimum. binis sacre pagine pfessoribus eximiis id commentantibus. rubricis tabulaque discretum p̄celsa in urbe Basilica. partium alemanie. quam non solum aeris clementia et fertilitas agri verum etiā impmentium subtilitas reddit famantissimā. ad laudem trinitatis indiuidue ciuitatis dei psidis ingenio et industria Mihahelis Wenzsler. Anno salutis nostre post M. et CCCC.LXXIX. Viij kl. aprilis operose est consummatum.* Subter his insigne typographi minio pariter refulget. Incipit a *Sententia Augustini ex libris Retractationum*, quam statim *tabula* capitum libri primi sequitur, cujusmodi unicuique libro est præfixa. Post textum legitur subscriptio rubro item charactere exarata additoque infra typothetæ insigni: *Textus sancti Augustini de civitate dei Basileu impressus Explicit feliciter. Anno LXXIX.* Adhibiti sunt characteres Gothici luculentæ formæ, in textu majores, in Commentariis, qui pone sequuntur, longe minores. Columnæ binæ, prorsus absunt numeri, signaturæ, custodes, litteræ initiales titulique. *Debure in Cat. Bibl. Ducis de la Valière, Seemiller Incunab. Ingolst.* Fasc. II, p. 36 sp.

1482. *Romæ... in-fol.* Augustinus de Civitate Dei. Hujusce editionis memoria sola perstat apud *Labbeum Nova Bibl. mss.* p. 347, num. 689; unde *Maettarius* in forulos suos retulit T. I, p. II. p. 435. *Laerius* laudabat insuper ejusdem libri paginam 354, n. 1029; sed perperam, ut dudum solita acerbitate monuit *Audiffr.* p. 252.

1484. *Lovanii... in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei cum Comment. Th. Valois *Maitt.* T. I, part. II, p. 455, addito *Heidam* testimonio ex *Cat.* p. 6, n. 121, absque uberiore declaratione. Incertum ergo eumdemne typographum, qui a. 1488 prelo eum commisit, an alium auctorem agnoscat.

1486. *Venetiis, per Bonet. Locatellum*; *in-4°* B. Augustini libri XXII de Civitate Dei. In fine: *Opus de civitate Dei feliciter explicit: confectum Venetiis per Bonetum Locatellum, impemdio et sumptibus Octaviani Scoti Modoetiensis.* 1486. *quinto Idibus Februarii. Cat. libr. rarior. Bibl. Budens.* et *Bibl. Pinell.*

1488. *Tholosæ, per Henricum Mayer Alamanum (die XII Octobris). in-fol. min.* Thomæ Valois et Nicolai Triveth Commentaria in libros S. Augustini de Civitate Dei, una cum complemento fratris Nicolai Cerseth. Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.*

— *Lovanii, per Joannem Westfalenseu*; *in-fol* Augustini de Civitate Dei l. XXII, cum Comment. Th. Valois et Nic Triveth. In fine: *Impressum in alma Vniuersitate Louaniensi, quæ Brabantiam yaud parvum præ ceteris ornatam reddit, ingenio et industria Ioannis Westfalensis. Anno M.CCCC.LXXXVIII. XIIII. Calendas Octobris. Maittaire* T. I, p. II, p. 493. Apud alios tamen bibliographos mentionem ejus non invenimus, nititurque adeo solius Maettarii fide, ex qua eamdem editionem laudant Colonienses, Ossingerus aliique.

1489. *Venetiis, typis Vincent. Octaviani Scoti*; *in-fol.* Augustinus de Civitate Dei cum commentariis *Thomæ Valois*, sive *Walleis* et *Nicolai Triveth. Cat. Bibl. Casanat.*; unde suppleri poterit Maettarius T. I, p. II, p. 510.

— *Bibl., ap. Jo. Amerbachium*; *in-fol.* Augustinus de Civitate Dei cum commento. In fine:

Hoc opus exactum divina arte Joannis
Amerbacensis: lector ubique legas
Invenis in textu glosis seu margine mirum
Quo merito gaudet urbis Basilea decus.

Anno salutiferi virginalis partus octogesimo nono supra millesimum quaterque centesimum idibus Februarii.

Commentarii, sunt *Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth*, sacræ paginæ professorum ord. Prædicat. Ac illius quidem notæ in cap. 29 libri X deficiunt: reliqua per Nicolaum Triveth sunt conscripta. A *Nicolao* quoque profecta est tabula seu index. Character est Gothicus, columnæ duæ, sed *Commento* utrinque apposito quatuor plerumque paginam faciunt. In interiore tituli pagina Augustini effigies ligno impressa cum alia figura emblematica, inscriptione et versibus couspicitur. Descripsit eamdem *Braunius Not. II, Litt.* T. II, p. 182.

1490. *Basileæ, ap. Jo. Amerbach.*; *in-fol.* Editio anni præcedentis accurate iterum expressa, *finita idibus Februariis. Denis Garell. Bibl.* p, 134. *Gemeiner Regensburg. Bibl.* p. 197. Exstabat etiam in Bibl. *Ducis de la Valière. Gessner Lübeck. Bibl.* p. 51, Curiose descripsit *Masch Beyt.r. z. Gesch. merkw. Bb.* St, II, p. 73 sq.

1494, *Friburgi, in-fol.* Amerbachianæ iteratio. In fine: *Finitum est hoc opus in friburga. Anno incarnationis Anni MCCCCXCIIII.* Exst. etiam in *Cat. Bibl. Bodl.* et *Crevennae noviss.*

Sine anno, loco et typogr.; *in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei l. XXII, cum Commentariis *Thomæ Valois* et *Nic. Triveth.*

Hujus editionis rarissimæ juxta quam antiquissimæ notitiam suppeditant cl. *Morellus in Bibl. Pin.* T. I, p. 86; *Seemiller* fasc. I, p. 120; iterumque non minori diligentia descripsit *Plac. Braun in Notitia Hist. Lit.* p. 9. Constat, ut editio a. 1473, duabus quodammodo partibus, quarum prior textum, majoribus litteris, posterior commentarium minori charactere columnis duabus impressum sistit. Ac textus quidem pagina 47, commentariorum vero 57 lineas complectitur. Litteras Germanicas appellat *Morellus; Seemillerus* plane similes esse vult iis, quibus recusus est Augustini liber quartus de Doctrina Christiana per Jo. Mentelin Argentinensem, cui idcirco acceptam referre nullus dubitat. Qui cum jam a. 1478 diem obierit, ante hunc certe expressa esse deberet. Sed longe vetustiorem putat nec ab anno 1470 valde remotam, adeo, ut princeps forte cum commentariis laudatis statuenda foret, quam sententiam jam Morellus amplexus fuerat. Caret omnibus, quas sequior ætas per artis progressum sensim introduxit, foliorum paginarumque notis numerisve, item litteris initialibus, nec non titulis tam in fronte operis, quam singulorum librorum aut capitum initiis, quæ solo spatio vacuo, nec eo admodum amplo inter se distinguuntur, præterquam quod ad calcem libri XVIII subscriptio, et dehinc a libro decimo nono inscriptiones librorum et capitulorum inveniantur. Nihilomius occurrunt frequenter marginalia decurtatis textus lineis apposita, quod in Basileensibus quoque eorum librorum editionibus deprehendere me memini. Denique in fine textus legitur: *Finito libro sit laus et gloria Christo*; post commentaria vero tabula materiarum decem foliis non omnino integris comprehensa desinit subjecto: *Explicit Tabula.*

SÆC. XVI. — 1515. *Basileæ, per Ad. Petri de Langendorf*; in-fol. Divi Aurelii Augustini, Hipponensis episc. ad Marcellinum de Civitate Dei contra paganos libri duo et viginti: opus dignissimum: humanarum divinarumque litterarum disciplinis clarissime refertum. *Cum Commentariis Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth*: nec non additionibus *Jacobi Passauantii* atque theologicis veritatibus *Francisci Maronis.* Porro impressum est titulo insigne Adami Petri addito *Anno M. D. XV.* Infra: *Directorium in singulos totius operis libros indice certo congestum.* In pagina aversa eadem, quæ in Amerbachiana habentur. Præfigitur deinde præfatio *Fratris Conradi Leontorii Malbonnensis* (sic) charactere Romano impressa, qua rationem et institutum operis Augustiniani docet. In fine ejusdem *Conradi Leontorii Malbronnensis* (sic) subjicitur epilogus, in quo ingen-

tem textus emendationem, multorum mss. collatione perfectam pollicetur, nec non subscriptio, quæ Joannem Koburger, Nurimbergensem bibliopolam, impensas imprimendi voluminis fecisse significat. Hæc quoque rotundo charactere, reliquum volumen litteris Gothicis quatuor plerumque, interdum etiam quinque columnis et crebris sectionibus impressum oculos et hoc ipso et vario characterum genere in eadem pagina obvio offendit. *Casp. Barthius Advers.* LIX, cap. 10, p. 2795, hanc editionem multis mss. meliorem vocat.

1520. *Lugduni impensis Jo. Koburger, arte Jac. Saccon.*; *in-fol.* Augustinus de Civitate Dei *una cum libris* de Trinitate, quos vide. Plane expressa est præcedens Basileensis.

1522. *Basileæ, apud Jo. Froben.; in-fol.* D. Aur. Augustini opus absolutissimum de Civitate Dei, ad vetera exemplaria collatum et commentariis illustratum studio et labore *Jo. Lud. Vivis. Cat. Bibl. Reg. Mus. Britt. et Budens.* Prima hæc est editio cum Vivis commentariis. Post dedicationem ad *Henricum VIII.* Angliæ regem, dat. *Lovanii nonis Juliis M. D. XXII* præfatio occasionem operis Augustiniani docens et singularis præterea *de veteribus interpretibus hujus libelli* deque *Gothis qui Romam ceperint* dissertatio est adjecta.

1554. *Paris., in-fol.* S. Aur. Aug. de Civitate Dei. edente *Lud. Vive. Cat. Bibl. Bern.* T. I, p. 16.

1555. *Parisiis. apud Carolum Guillard; in-fol.* Iidem libri cum eodem Commentario. Laudat *Colonienses* p. 739. Si præcedens editio recte se habet, non dubito quin ex eodem bibliopolio profecta sit ac hæc.

— *Bas., ap. Hier. Froben. et Nic, episcop.; in-fol.* « D. Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria denuo collati eruditissimisque insuper Commentariis per undequaque doctiss. virum *Jo. Lud. Vivem* illustrati et recogniti. Accessit index fecundissimus. » In aversa tituli pagina Henrici, Angliæ regis, epistola legitur, qua Lud. Vivi pro oblatis sibi Augustini libris gratias agit, data *Grenuici die XXIIII Jan.* 1523.

1570. *Basileæ, per Ambrosium et Aurelium Frobenios fratres*; *in-fol.* « D Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria jam iterum post virum undequaque doctissimum *Joannem Ludovicum Vivem* summo studio collati ac ejusdem commentariis eruditissimis illustrati. Accessit *Index* multo, quam antea fuerat, fecundior. »

Videantur quæ de hac editione in *Annalibus Collectionum* notavimus. In toto volumine nihil est præter præfationem, quod ad integram operum editionem respicit et impedire potuit, quominus separatim hic tomus venderetur.

1596. [*Genevæ*] *excudebat Jacobus Stoer; in-8°, II tomis.* D. Aur. Aug. Hipp. ep. de Civitate Dei l. XXII. Tomum *quintum* Operum omnium h. l. et a. excusorum efficiunt. Vid. supra in *Annalibus Opp.*

Sæc. XVII. — 1600. *Antuerpiæ, apud Plantin., in-fol.* Iidem libri. *M. Bibl. Colon.*

1610. *Genevæ... in-8°.* Iidem libri. *Iisdem sponsoribus.*

1613. *Parisiis, sub insigni urbis: in-fol.* « S. Augustini l. XXII. de Civitate Dei, recogniti per theologos Lovanienses: cum comment. *Leon. Coquæi* et *Jo. Lud. Vivis.* » *Cat. Bibl. Thott.*

1624. *Francof., typis Wechel. ap. Dan. et Dav. Aubrios et Clem. Schleich.*; *in-fol.* Cap. Barthii Commentariorum in D. Aur. Augustini Civitatem Dei liber primus seu Adversariorum Comment. lib. LX. Exstat cum *Adversariis* a pag. 2816 sqq. Præcedit hæc ejus admonitio: *Eccum tibi amice lector, specimen Commentariorum nostrorum in Civitatem Divinam Augustini, multis expetitum. Sequentur ipsa Commentaria, si Deus vitam dederit*; *Opus immensum, et licet ominari, æternum. Reliquinus autem, ut scripsimus; non sublatis iis, quæ ex Adversariis in hunc Commentarium transtulimus; idque consilio, ut quale ipsum opus sit, eo facilius perspiciatur.* Quæ ipsius Barthii verba eo lubentius huc transcripsimus, quod nuper demum *Lipenii*, sublestæ non raro fidei testis, auctoritati tantum dedisse Colonienses vidimus, ut refragantibus licet *Christ. Daumii*, Barthio quondam familiarissimi, aliorumque, quos ipsi in medium producunt, melioris notæ scriptorum testimoniis gravissimis, non prorsus tamen de integri hujus Barthiani commentarii editione, qualem Halæ Sax. a. 1620 in-fol. lucem vidisse Lipenius prodiderat, desperarent. Imposuerat illis etiam hoc, quod ipse Barthius in suis ad Statium Animadversionibus sæpius hujus commentarii in Augustinum meminisset. Sed quæ ibidem ex iis proferunt verba, tantum scriptum jam fuisse eum probant, non item, ut ipsi volunt, editum. Cæterum ingens tunc temporis apud doctos homines hujus commentarii fuit desiderium imprimis quoniam ipse auctor de eo tam magnifice locutus erat, et oppido pauci erant, qui non eximie reconditam istius viri doctrinam admirarentur. Hodie non majorem in eo jacturam orbem eruditum fecisse credimus, quam in eo, quem Salmasius super Arnobium meditabatur.

1636. *Parisiis, sub insigni Magnæ Navis, in-fol.* « S. Aurelii Augustini, Hipp. ep. De Civitate libri XXII. Ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus per *theologos Lovanienses* ab innumeris mendis repurgatus. » Quorum diligentiam attestatur sub finem tomi, castigationum ratio et lectionum varietas majori ex parte annotata. Cum Commentariis novis et perpetuis. R. P. F. *Leonardi Coquæi*, Aurelii Eremitæ, Augustiniani, Doct. Theol. Paris. et *Jo. Lud. Vivis.*

Inscripsit *Leon. Coquæus* Christianæ a Lotharingia Magnæ Etruriæ Duci Matri a sacris Confessionibus. Notæ ejus æque copiosam theologicam eruditionem ostendunt, quam Lud. Vivis commentarius omnigena antiquitatis doctrina illustris est. Ipse quoque *de inscriptione, occasione, partitione, dignitate et*

utilitate horum librorum, quod haud perfunctorie Vives egerat, denuo commentatus est.

1651. *Parisiis...*. *in-fol.* Iidem cum Coquæi commentariis. Ita *Colonienses*.

1661. *Hamburgi, sumpt. Zach. Hertelii* ; *in*-4°, *II tomis*. S. Aur. Aug. Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, in duos tomos divisi, ex vetustissimis mss. exemplaribus emendati, juxta novissimam editionem Coloniensem. Accedunt Commentarii eruditi et integri quidem, Jo. Lud. Vivis, Hispal. ac Leonn. Coquæi Aurelianensis. Cum indice gemino, altero locorum Sc. S., altero rerum ac verborum locupletissimo.

Sæc. XVIII. — 1748. *Neapoli... in*-4°. S. Augustini libri XXII de Civitate Dei cum notis monachorum S. Mauri *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neap.*

Versiones.

Versionum quoque hujus Augustiniani operis non exiguus est numerus. Nam et vario idiomate redditum est, et sæpius eodem, sed nullo frequentius, quam Gallico. Ex pluribus autem qui huc studium suum contulerunt Francogallis, nemo laude sua apud populares caruit, studioseque excepta sunt et prelo multiplicata *Radulphi de Prællis*, *Gentiani Herveti, de Ceriziers*, *Ludovici Giry* et *Petri Lomberti* conanima. Sed singula brevi indiculo complectamur.

Italicæ. — *S. l. et a., in-fol.* « Il libro di S. Augustino, de la Cita di Dio, il quale è diviso in XXII libri, tradotti in lingua volgare. » *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 381, n. 786, apposito lemmate *vetus editio*. In *Bibl. Smithiana*, p. 28, legitur : *La Città di Dio: tradetta (forse) da Iacopo Passavanti. Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valière* circa annum 1480 excusam existimat scripsitque characterem esse romanum minorem, binas columnas, signaturas a-H secundi alphabeti, tabulamque materiarum ad initio XI foliis præfixam. Erat eadem penes *Crevennam* olim, teste *Cat. Bibl.* ejus novissimo. Cf. *Biblioteca degli Autori volgarizz.* in *Raccolta d'Opusc. scient. e filol.* T. XXXII, pag. 342.

De auctore hujus versionis inter ipsos Italos haud convenit, dum alii, in quibus *Fontaninus* (in opere suo *de Eloquentia Italica*), *Nicolao Piccolomineo* eam asseruerunt, quos tamen refellit Apostolus Zenus in Annotationibus ad Fontanini librum ; alii, veluti Jacobus Corbinellus, *Jacobum Passavantium* auctorem statuerunt ; utrisque adversatus est Petrus Bassaglia in editione Veneta a. 1742, a Florentino quodam anonymo eam profectam et Venetiis circa a. 1480 elaboratam esse dicens.

1734. *Roma, per Antonio de Sossi, in-fol.* « La Città di Dio, opera del gran Padre S. Agostino vescovo d'Ippona tradotta nell' idioma Italiano dal *P. D. Cesare Benvenuti* da Crema abbate generale dei Canonici Regolari della Congregazione Lateranense. » Plurima commendant hanc operam, versionis elegantia, index copiosus, splendor artificii, ipsumque denique P. M. Benedicti XIV, cui dedicata est, nomen, teste *Bibl. degli Aut. volgarizz.* in *Raccolta d'Opusc. scient. e filol.* T. XXXII, p. 343.

1742. *Venezia, appresso Piet. Bassaglia e Franc. Hertzhauser.* ; *in*-4°. « Della Città di Dio di S. Aurelio Agostino. Tomo primo, che comprende gli XI primi libri. » Hæc est recens editio antiquæ illius versionis, de cujus auctore editorem Petrum Bassagliam prolixius in epistola dedicatoria huic tomo præmissa disputasse diximus. Alterum tum (a. 1745) nondum absolutum fuisse diserte monet auctor *d. Bibl. degli Aut. volg.* l. l. Sed postmodum additus esse debet. Nam Audiffredus in Cat. Bibl. Casanat. *duos* citat. Textus Latinus versioni adjungitur, insuperque Vita Augustini a Possidio scripta Latine accessit.

Gallicæ. — 1486. *Abbeville, chez Jean du Pré et Pierre Gérard*; *in-fol., II vol.* « Dix premiers livres de Monseigneur S. Augustin de la Cité de Dieu translatés par *Raoul de Preulles.* » In fine tomi I : « Imprimé en la ville d'Abbeville par Jean du Pré et Pierre Gérard marchans libraires, achevé le XXVIII de Novembre, l'an mil quatre cens quatre vingt et six. » Tomo II : « Les sept derniers livres. » In fine : » Imprimez *par tes mêmes* à Abbeville. VII d'Avril, mil quatre cens quatre vingt et six, après Pasques. » — Commemorant hanc editionem *Maittarius, Debure Bibliogr. instr.* T. I p. 248, *Deburius sen.* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valière* T. I, p. 167. Notatur etiam in *Cat. Bibl. Reg. Paris.* Primus liber est ex paucis, qui Abbatisvillæ sunt impressi. Superat tamen editionis vetustatem ipsius versionis ætas. Auctor enim, cujus nomen diverse, modo *de Preulles*, modo *de Prælles*, *Præsles*, *Presles*, quin etiam *de Praieres*, Latine vero *de Prællis*, *de Praieriis*, *Preslæus*, efferri solet, Caroli V Franciæ regis temporibus floruit, penesque eum magistri libellorum supplicum officio functus est, natus ex illicito cuncubitu *Radulphi de Praellis*, Philippi Pulchri quondam consiliarii a. 1315, cum iniqua custodia pater ejus detentus esset. Sed filii legitimi jura Radulphus noster jam senex regis sui beneficio a. 1376 est consecutus. Diem obiit mense Novembri 1382. Variis ille scriptis tam vernaculo, quam Latino, sermone compositis, ætate jam devergente, inclaruerat, cum singulari regis mandato stipendiaque ad conficiendam Augustini hujus libri versionem adigeretur, quam inchoatam anno 1371, die 1 Novembris, seu festo omnium Sanctorum, anno 1375, die 1 Septembris absolvisse fertur (*a*). Præsto erant 30 codices, quos ita tamen secutus est, ut parcius verborum quam sensus explicationi studeret, et regis jussui obtemperans sententiæ veritatem claritatemque per ambages orationis sectari mallet, quam eamdem eidem regi in litteras propenso debetur. Cf. *Lancelot* in *Mém. de l'Ac. des Inscr.*, T. XIII, p. 656.

(*a*) Ab eodem auctore profecta est Bibliorum versio Gellica, quam specimine proposito accurate descripsit P. *le Long* in *Bibl. sacra* p. 318, quæque

verbis insistendo periclitari. Ut vero commodius sua legerentur, singulos libros in capita plura dispescuit, quacum descriptione nescio an hodierna Latini textus divisio concordet. Nec contentus, Augustinum Gallicani sermonis eloquio civibus suis admovisse, ejusdem etiam ubi doctius locutus esse videretur, interpretem egit, subjuncta singulis capitibus *expositione*, in qua de mythicis, historicis, philosophicis aliisque reconditioris scientiæ capitibus, prout quidem eruditionis tunc temporis conditio ferebat, disseruit, ut tamen ostenderet, se hominum doctorum ævi sui longe esse excellentissimum. Nempe auctores, unde sua deprompsit, si a paucis discesseris, sæculo VII non antiquiores sunt, siquidem frequenter imprimis laudat *Isidorum Hispalensem*, *Orosium*, *Paulum Diaconum*, *Hugonem*, *Papiam*, *Fulgentium*, *Catholicon*, *Nicolaum Triveth*, *Vincentium Bellovacensem*, *Alanum* de Complanctu Naturæ, *Joannem Sarisberiensem*, *Guliel-* B *mum Paris*, *Petrum Comestorem*, *Helinandum* aliosque, aliquoties *Paulum Diaconum* de Mirabilibus Mundi, *Coranum Mohamedis* et *Joannem Magdunensem* (*Jean de Meun*) tamquam auctorem fabellæ Gallicæ *de Rosa* appellat. Plura etiam ex historia tum sui temporis, tum antiquiori Franciæ admiscuit, nec non traditiones passim vulgique superstitiones varias aspersit, ex quibus speciminis loco nonnulla proposuit *Lancelotus, Academiæ Inscriptionum et litter. elegantior. Paris.* quondam Socius, cujus binæ de Radulpho Presiæo ejusque scriptis C commentationes insertæ sunt *Memoriis* ejusd. Academiæ T. XIII, a pag. 607 ad 665. Illius enim viri laudabili diligentia effectum est, ut quæcumque auctorem versionis hujus concernunt juxta documentorum optimorum fidem explorata nunc habeantur, simulque tenebræ istæ, quibus *Crucius Cenomanensis* (*La Croix du Maine*) in *Bibl. Gall.* p. 427 hæc obsepsit, quibusque dispellendis non admodum profecerunt conjecturis suis auctores *M. Bibliothecæ Coloniensis* (p. 740, n. 157) clarissima luce sint collustratæ. Præ cæteris autem illius scriptis hunc librum paucissimis visum, inspectum vero, quantum equidem scio, nemini, diligenter examinavit, præcipuasque ejus dotes cum judicio exposuit. Enumerat præterea p. 634 insigniores aliquot codices D mss. qui ad unum omnes in Bibliotheca Regia Parisiis asservantur et numeris suis sunt notati. Cæterum non minus rara hac principe hujus versionis editione est altera diu postea facta.

1531. *Paris* (*chez Galiot du Pré*), *par Nicolas Savetier*; *in-fol.*, *II tomes.* « La Cité de Dieu de Monseigneur Saint Augustin, translatée de latin en françois par *Raoul de Præsles* ; » cujus splendidum exemplar olim inter ornamenta *Bibliothecæ Ducis de la Valière* numerabatur. Cf. *Cat.* T. I, p. 168, n. 458. Laudat eamdem *Cat. Bibl. Musei Britt.* Tenendum est autem, Lancelottum etiam æque ac Colonienses hujus editionis mentionem facere, sed ita, ut apud *Galiotum du Pré* prodiisse affirment, cum tamen A Deburius l. I. Nicolao Savetierio tribuit. Quocirca nos conjecturam secuti utramque in titulo posuimus, alterum redemptoris, alterum impressoris partes gessisse suspicati.

1570. *Paris. chez Nic. Chesneau*; *in-fol.* « La Cité de Dieu du Saint Augustin traduite en françois par *Gentian Hervet.* » *Cat. Bibl. Mus. Britt.* Cf. *M. Bibl. Col.*

1585. *Paris, chez Mich. Sonnius* ; *in-fol.* « Saint Augustin de la Cité de Dieu, illustré des commentaires de Jean-Louis Vivés, traduit en françois par *Gentian Hervet*, avec les annotations et observations de *François de Belleforest*. Troisième edition, augmentée. » *Cat. Bibl. Reg.* Eamdem repetitam *Parisiis* 1610, *en-fol.* tradunt Colonienses.

1655. *Paris, chez Pierre le Petit* ; *in-fol.* « Saint B Augustin, de la Cité de Dieu, traduit en françois par *de Cereziers*, aumônier du Roy. » *Cat. Bibl. Reg. et Casanat.*

1665 et 67. *Paris, chez Pierre le Petit*; *in-8°*, *II voll.* « Saint Augustin de la Cité de Dieu. traduit en françois par *Louis Giry*, tomes I et II, contenant les dix premiers livres. » *Cat. Bibl. Reg.*

1675. *Paris, chez André Pralard, in-8°, II voll.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin, traduite en françois et revue sur plusieurs anciens mss. avec des remarques et des notes, contenant des corrections du texte par *Pierre Lombert.* » *Cat. Bibl. Reg. Ducis de la Valière.* Eadem repetita est eodem anno *Bruxelles*, et 1693 *Paris II voll.* (*Cat. Bibl. Thott.*)

1701. *A Paris, chez Nicolas Pepie*: *in-8°*, *en II* C *tomes.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin ; traduite en françois et revue sur l'édition des PP. Bénédictins, avec des remarques, etc. »

1736. *Amsterdam, chez Pierre Mortier, in-8°, IV tomes.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin ; traduite en françois et revue sur plusieurs mss. : avec des remarques et des notes qui contiennent quantité de corrections importantes du texte latin : et la Vie de *M. Lombert.* » Notæ imprimis de versione tractant ejusque licentiam ex eo, quod elegantiæ sensui traductor debeat et quod linguarum invicem abhorrens ingenium postulet, excusant. Hinc nec ubique eadem iterum inculcare, sed ad priores tantum XI libros talia monere satis visum est. Emendationes, quas D in titulo profitetur, ex 10 circiter aut 11 mss. Gallicanis nonnullisque Vaticanorum, quas Benedictini PP. ipsi concesserant, lectionibus haustas esse monet. Eadem versio totidem voluminibus in-12 *eodem anno ibidem apud Jac. Rollin* excusa, quæ similiter ac præcedens vitam traductoris in titulo gerit, memoratur in *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 379. Eamdem *duodenis IV voll. Parisiis* 1737 excusam laudat. *Cat. Bibl. Firmianæ.*

Hispanicæ. — 1614. *Matriti, in-fol.* S. Augustinus de Civitate Dei l. XXII, Hispanice per *Ant. Roys de* et *Rozas*. Laudant *Colonienses.*

1676. *Amberes* (Antuerpiæ), *in-fol.* Iidem ejusdem versionis. *Cat. Bibl. Thott.* Iterumque ibidem repetiti dicuntur a. 1696 *in-fol.* in *Bibl. Eccl. Colon.*

Belgicam versionem impressam *Lugduni Bat.* 1621, ex *Cat. Bibl. Traject.* T. II, p. 3, proferunt Colonienses.

Germanicam Joannis Godfridi de Odernheim, qui circa a. 1495 Oppenheimensis Ecclesiæ pastor fuisse perhibetur, ex *Eisengrenii* fide commemorat *Possevinus App. Sacr.* T. I, p. 889. Aliam auctore *Hans Nicolao Sigmaro a Schlusselberg*, excusam *Ratisbonæ* 1666, *in*-4° laudat *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197 : attamen non nisi librum primum eam complecti significat.

XXVI. — (75) *De Bono Viduitatis liber.*

1517. *Paris, chez Jean Petit, in*-4°. « De l'Etat de Veuvage ; de la Manière de prier Dieu ; la Vie de Sainte Monique ; Opuscules de Saint Augustin, traduits par *Adrian Gemelli* (Jumel), prêtre docteur en theologie et grand archidiacre de Laon en Picardie. » *Du Verdier* recent., T. I, p. 7. Tractatus *de Orando Deo* inter epistolas censetur 130.

XXVII. — (79) *De Gestis Pelagii liber.*

1611. *Augustæ Vindelicorum, in*-8°. D. Augustini liber de Gestis Pelagii, nunc primum editus studio *Marci Velseri.*

Fæsulis (urbe agri Florentini, quam hodie *Fiesoli* dicunt) inventus erat in bibliotheca abbatiæ S. Bartholomæi canonicorum regularium Lateranensium. Hinc ejus antigraphum cardinalis *Scipio Cobellutius*, tunc ab epistolis et secretis summi pontificis, Roma ad *Marcum Velserum* duumvirum Augustanum transmiserat : qui quidem aliquamdiu editiones, quæ Romæ Florentiæque accuratissime parari ferebantur, cupide exspectavit; sed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, gratiam apud viros pios et eruditos, antiquæ doctrinæ amantes, Romanis Florentinisque editoribus ipsis non invitis, se initurum esse ratus, si nuda interim Augustini verba utenda fruenda proponeret, exemplum Romæ transmissum cum fide exprimendum curavit, lectionibus variantibus, quæ ad marginem ejusdem comparaverant, pariter in ora ascriptis, subjectis vero in ima pagina aliis, quas maximam partem *Marco Velsero*, canonico tunc Frisingensi, deberi editor significat, easque conjectura fere subitaria inter legendum notatas, paucas etiam paulo audaciores ab auctore improbatas scribit. Nullas vero quantavis probabilitatis specie blandientes in contextum a se receptas esse asseverat. Præfationem hanc repeti fecit *Joannes Clericus* in Append. Augustinianea (T. XII ed. Antuerp.). p. 607. Exspectatæ xero illæ Romanorum Florentinorumque editiones lucem non viderunt, sed Parisiis paulo post cum libro *contra secundam Juliani responsionem* cura *Menardi* iterum prodiit, quem vide n. 98. Nec dubito, quin inter *Opuscula Augustini discipulorumque ejus* editus sit, quæ supra a nobis sunt in medium producta.

XXVIII. — (80) *De correctione Donatistarum liber.* Edidit seorsim hunc librum *Nic. Bergius* Revalensis *Holmiæ* 1696, in-8°, sub. tit. : *D. Augustini liber de moderate coercendis hæreticis ad Bonifacium comitem*

XXIX. — (82, 83) *Augustinus in Evangelium Joannis et Epistolam ejus I, ad Parthos. Sine anno loco et typogr.* in-fol. *Augustinus super Joannem.* Hæc verba tituli loco litteris majoribus folio primo cæterum vacuo sunt impressa. In limine textus : *Divi Aurelii Augustini Hipponensis episcopi : in Evangelium secundum Joannem Tractatus primus feliciter incipit. Ab eo quod scriptum est : In principio erat Verbum : et verbum erat apud deum : et deus erat verbum. usque ad id quod ait : Et tenebre eam non comprehenderunt.* In fine : *Divi Aurelii Augustini hipponensis episcopi expositio in evangelium secundum Joannem feliciter explicit.* Præcedunt *Annotatio seu Inventarium principalium sententiarum*, nec non *tituli seu rubricæ tractatuum*, x foliis. Impressio facta est litteris Gothicis minoribus, duabus columnis. Chartæ litteris signatæ sunt, desiderantur tamen foliorum numeri et custodes. In summa pagina non solum tractatus, sed et capita indicantur. In ipso contextu autem verba Evangelii aut alia loca biblica commentariorumque initia, illa medio, hæc majori charactere distinguuntur. Addita sunt marginalia, in quibus vel loca parallela, vel lectiones variæ locorum Biblicorum ab Augustino laudatorum producuntur. His consideratis, nemo non insignem hujus editionis similitudinem cum impressis Amerbachianis, quorum exemplaria passim a nobis inter Augustiniana proferuntur, agnoscet. Lubens tamen concesserim in cl. *Braunii* sententiam, qui tomo II Not. H. Litt. p. 33, *Norimbergæ* per *Antonium Kobergerum* excusam esse statuit, modo non in sola typorum similitudine, sed totius operis descriptione nitatur illius judicium. Unum accedit, Cobergerum plura, Amerbachium contra vel nulla, vel pauca admodum absque nomine suo emisisse.

Versiones.

1670.

Romæ typis S. C. de propag. F. in-4°. Capita nonnulla ex diversis tractatibus in Evangelium Joan. de Sp. S., Lat. et Gr. interpr. *Max. Planude*; *inter* opuscula aurea collecta a *P. Arcudio* a pag. 631. In Bibl. Eccl. M. Coloniensi laudatum invenio librum *de Spiritu S.* ex diversis Augustini tractat. *super Joannem* collectum, qui prodiisse dicitur Basileæ 1578 Gr. Lat. Ex his intelligere mihi videor, non alium indicari librum, quam *Leunclavii Legationem Manuelis Comneni ad Armenios*, cui aliquot capita de Trinitate ex Augustino gr. conversa sunt inserta. At si hunc voluit quem testem laudat *Lipenius in Bibl. Theol.* T. II, p. 783, fallitur ille quidem; nam ista prorsus ibidem non leguntur. Nescio vero an huc forte pertineat *liber Augustini de Spiritu Sancto. Genevæ* 1540, *in*-8°, quem profert *Cat. Bibl. Bernens.* T. I, p. 16.

1670. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard*; *in*-12. « Homelies de S. Augustin sur la premiere Epistre de S. Jean ; traduction nouvelle.

1700. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard*; *in*-8, *IV voll.* « Les traitez de S. Augustin sur l'Evangile du

S. Jean et son Epistre aux Parthes, traduits en françois sur l'édition des PP. Bénédictins, avec des sommaires à la marge, par *Philippe Goisbaud du Bois.* »

XXX. — (84) *De Gratia Christi et Peccato originali contra Pelagium et Cœlestium.*

1687. *Moguntiæ, typis Petri Hermans, in-8°.* Liber Divi Aur. Augustini, Hipp. episc. contra Pelagium et Cœlestium de Gratia Christi, Commentario brevi et continuo illustratus a R. P. *Carolo Josepho Tricassino*, ord. Fratr. Min. Capucin. S. Francisci Cf. *Act. Erud. Lips. Suppl.* T. I, p. 134.

Ad hunc Augustini librum spectat editoris liber, *Gratia efficax refutata ex libris S. Augustini*, per eumdem typographum hoc ipso anno excusus, quem recensent *Acta Erud.* vol. eod. p. 128-133, idque intendisse auctorem declarant, Pelagianos ab Augustino propterea hæresos fuisse insimulatos, quod nullam omnino gratiam Dei admitterent in voluntate necessariam, non vero ob id, quod gratiam eam indifferentem, seu talem, cui voluntas humana, seu obtemperare, seu resistere posset, statuerent. Idem fore *Tricassinus* jam ante in libro *De Natura peccati originalis, secundum mentem S. Augustini*, etc. edito *Parisiis* 1677, in-4°, docuerat. Cæterum Auctor Colensis non *Moguntiæ*, sed *Trecis*, unde oriundus erat *Tricassinus*, eum impressum existimat.

Versio.

1738. *Paris, chez Franc. Babuty, in-12.* » Les deux livres de S. Augustin, de la Grâce de J. C. et du Peché originel, traduit en françois sur l'édition des PP. Bénédictins de la Congrégation de S. Maur. »

XXXI. — (93) *De Conjugiis adulterinis libri II.*

1698. *Ienæ, per Joan. Bielkium ; in-4°.* D. Aur. Augustini libri duo de adulterinis conjugiis ad Pollentium, cum notis jurisconsulti celeberrimi, quibus dogma Ecclesiæ de matrimonii dissolutione illustratur.

Auctor notarum fertur *Joannes Schilterus*, antecessor quondam Argentoratensis, ingenio æque ac doctrina inter jurisconsultos eminens, edidit vero et præfatus est *Georgius Schubartus*, humaniorum litterarum tunc temporis apud Ienenses professor. Occasionem libro causamque simul cur latere Schilterus voluit, dedisse ferunt *Ulricum Obrechtum*, virum eleganti doctrina et multis editis scriptis tunc apud Argentoratenses insignem. Qui cum Argentorato urbe in potestatem Ludovici XIV redacta Jesuitarum captionibus in castra Pontificia esset pellectus, idque deinde præmii tulisset, ut senatui Argentoratensi præsidis nomine a rege præficeretur, morem in judiciis receptum, matrimonia adulterii causa dissolvendi, patrum istius societatis placitis haud dubie obtemperans, aboleri fecit ejusque rei gratia etiam hunc Augustini librum Germanice vertisse traditur. Cf. *Morerius* in *Dictionario* (*ed. Amst. in Suppl.*). Tametsi vero posterius asserere non ausim, arbitror tamen, Augustini sententiam a causæ hujus patronis fuisse jactitatam, idque ipsum Schilterum impulisse non ut eludendam sibi sumeret, quod a tali viro exspectari non poterat, sed ut denuo sub judicium eamdem revocaret et ab omni parte perpensam proponeret. Facile tamen temporum ratio suadere poterat ut nomen invidiæ subtraheret. Liceat nunc brevem disputationis ejus conspectum, quemadmodum a *Frib. Bened. Carpzovio* per examen hujus libri in *Actis Erud. Lips.* 1798, p. 340, delineatus est, subjungere. « Primum, inquit, animadvertit Schilterus, controversiam esse duplicem : alteram *de jure divortiorum*, quæ Augustinus nisi ex causa adulterii negabat esse permissa ; altera *de jure iterum nubendi*, quod Augustinus, vivente altera parte, concedit nemini, ne quidem ex causa adulterii : nisi quod cap. 6 innuit, Christianos tantum conjuges hoc præcepto teneri ; unde colligas, ab adultero non Christiano discedenti nuptias secundas minus fuisse interdictas. Pollentium vero in priori quæstione labi docet notarum auctor, abreptum Hebræorum Romanorumque moribus ac legibus, quibus divortiorum licentia invaluerat. In hac ergo parte triumphare Augustini facundiam et disputandi subtilitatem, licet argumentis ejus non id semper conficiatur, quod illis colligere velit. Sic locum illum Paulinum I Cor. VII, 10, 11, nec ab Augustino, nec a Pollentio recte capi et explicari observat. Augustinum ex præjudicata opinione mulierem, quæ discedat a viro, accipere de ea, quæ ob adulterium divortat aut repudietur, atque adeo, ut scholæ loquuntur, petere principium. Pollentium contra, quæ Apostolus in eam conditionem conferat, si fiant, pure accipere, ac si licite fieri possunt, atque adeo, quæ *de facto* dicuntur, perperam *de jure* intelligere. In altera vero parte controversiæ, qua de jure iterum nubendi, si factum est divortium, quæritur, Augustinum sine causa ab apertis Christi verbis Matth. v, 32, discedere, eisque vim inferre notat ; cum ea, quæ particulis exceptivis regulæ eximuntur, non in vim exceptionis, sed exempli valere velit, invito sensu communi, rectisque interpretandi regulis, ad Grammaticæ, Logicæ, subjectæque materiæ principia revocatis. Neque reliquas ejus rationes ita esse comparatas, ut nos cogant ad contortam interpretationem verborum perspicuorum confugere, evoluto cujusque argumenti paralogismo demonstrat. Hæc fere sunt, quæ priori libro disputantur et notantur. Altero libro eadem controversia discutitur, a Pollentio denuo et luculentius exposita, novisque rationibus munita, quibus Augustinus occurrit, suamque sententiam tuetur et expolit. Doctissimus vero Schilterus et hic Augustinum κατὰ πόδα sequitur, et quid sit in controversia, cujus ponderis sint rationes aut responsiones allatæ, quæ inter se consentaneæ sint aut dissentanea, magno judicio examinat : sub finem ex lib. II Retractat. cap. 57 observans, in hæc sententia ipsum sibi non satis fidere, nec satisfacere Augustinum. » Hactenus Carpzovius. Restat, ut observemus, rarissime jam occurrere Schilterianam hanc opellam, quippe qua nostra etiam Bibliotheca caret cujusque mentionem

in Catalogis præcipuarum bibliothecarum, præterquam in Catalogo Bibl. Regiæ Parisiensis, frustra quæsivimus.

XXXII. — (98) *Contra secundum Juliani responsionem*, Operis imperfecti *libri VI.*

1617. *Lutetiæ Paris., apud Sebast. Chappelet, in*-8°. « S. Aur. Augustini, Hipp. ep. contra secundam Juliani responsionem, Operis imperfecti, libri duo priores. Nunc primum ex manuscriptis codicibus editi. Additus est et ejusdem Augustini *de Gestis Pelagii* liber ante paucos annos editus. Nunc primum in lucem editus cura *Cl. Menardi*, Juliomagi Andium proprætoris. » Paucas, sed selectæ doctrinæ notas editor haud inceleber aspersit. Nuncupavit autem archiepiscopo Lugdunensi Dionysio de Marquemont ep. d. pridie non. Aug. 1616. Exstat eadem editio hoc ipso anno ab iisdem typographis in-folio excusa. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1642. *Lovanii, apud Cornel. Cœnestenium, in*-4°. S. Aur. Augustini contra secundam Juliani responsionem, Operis imperfecti, libri duo priores, restituti a F. *Mich. Paludano*, Gandaven. O. Eremit. S. Augustini. Præmittuntur iidem libri, quales a 1617. Parisiis editi fuere. *Cat. Bibl. Casanat.*

— *Lovanii apud Jacobum Gezers*; *in*-4°. « S. Aur. Augustini libri duo priores, Operis imperfecti, contra Juliani secundam responsionem : ex recensione *Michaelis Paludani.* » *Cat. Bibl. Reg. Paris.* In hac iteratione prioris editionis errata innumera sola conjectura correcta esse, ex Riveto monent Colonienses.

1654. *Parisiis sumptu Simeonis Piget; in-fol.* S. Augustini episcopi catholici contra Julianum hæreticum Pelagianum operis *perfecti* libri sex. In *Suppl. Hieror. Vignerii*. T. II, p. 1322.

Octo libris opus secundæ responsionis Juliani constabat. Eam vero Augustinus sic refutare aggressus est, ut singulis libris librum opponeret. Sed morte præventus nonnisi sex libros absolvere potuit, atque imperfecta adeo hæc ejus responsio mansit, ut Possidius etiam testatur. Ex his diu nonnisi *duo* habebantur editi per *Claud. Menardum*, Paris. 1617. Enimvero a. 1654 *Hieronymus Vignier* ex Soc. J. *supplementis* ad editiones Augustinianas anteriores hoc anno editis clarus, non solum quatuor de novo ex codice ms. abbatiæ Claræ-vallensis eruit, sed sibi etiam persuasit et aliis persuadere conatus est, integrum hisce VI libris Augustini opus a se exhiberi. Argumentis utebatur, *primo*, quod nullus a se inspectus sit Possidii codex, in quo vox ista, *imperfectum*, exstet; *secundo*, quod in ms. Claræ-vallensi sexto demum libro vocula *explicit*, non item reliquis sit addita, unde colligit, finem totius operis eo indicari; *tertio* denique, id quod longe foret gravissimum, si probasset, sextum librum cæteris esse longiorem atque tam Juliani invectiones, quam Augustini responsa cæteris prolixiora; quocirca concludit, probabile videri, sexto hoc libro tres Juliani simul esse collectos idque ex ipsius verbis finalibus astruere nititur, in quibus omnia ad generalem ex illatis conclusionem apprime conspirent. Enimvero Benedictini tomo X, p. II, omnia hæc vana esse pronuntiant atque exemplis contrariis luculenter demonstrarunt. Præmisit editor disputationem de Juliano ejusque in B. Augustinum scriptis et testimonia veterum, qui horum sex librorum meminerunt et locos ex iis in suos commentarios retulerunt.

Versio.

1736. *Paris, chez Franc. Barbuty*; *in*-12, *II voll.* « Les VI livres de S. Augustin contre Julien, défenseur de l'hérésie pélagienne, traduits en françois sur l'édition des PP. Bénédictins. »

XXXIII. — (99) *Enchiridion ad Laurentium.*

Sæc. XV. — *Sine anno et loco, in-fol. min.* S. Augustini Enchiridion. Constat foliis XXXIII. Exordium capit ab ipso statim prologo verbis : *Incipit liber enchiridion sācti augustini de fide, spe et charitate.* In fine textus folii XXXI, pagina aversa : *Deo gracias.* Dein, post *capitulorum titulos* folio XXXII incipientes, folio XXXIII pagina prima : *Amen.* Describit hanc editionem antiquissimam sane cl. *Seemiller* fasc. I, p. 156 sq., inter eos libros de quorum typographis ne conjectura quidem experiri ausus est. Quod ætatem attinet, ante annum 1477 excusam esse non dubitat, litterasque, quibus expressa est, non fusas, sed sculptas propter inæquabilitatem sibi videri edixit, genus tamen earum declarare oblitus est. Unicum ab eo interpunctionis signum, punctum nempe, atque id ipsum rarissime observatum. Deerant signa quævis paginarum foliorumve, nec non litteræ initiales, capita tamen numero Romano distinguebantur. Lineas per paginam numerabat 34.

Sæc. XVI. — 1527. *Augustæ Vindelic.* seu *Coloniæ; in*-8°. S. Aur. Augustini Enchiridion de Doctrina Christiana ad Laurentium urbis Romæ primicerium, nec non libellus de essentia Divinitatis ejusdem. Laudat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* p. 341, sed adeo negligenter locum, ubi impressa sit, editio indicat, ut in medio relinquam, *Augustam* an *Coloniam* voluerit.

1552. *Coloniæ, ap. Petr. Horst., in*-8°. « S. Aur. Augustini Enchiridion de fide, spe et charitate, accedit ejusdem liber de Fide et operibus. » *Cat. Bibl. Thott.*

1575. [*Genevæ*] *apud Eustath. Vignon; in*-8°. D. Aur. Augustini Enchiridion ad Laurentium, sive summa et præcipua totius Christianæ religionis capita. Liber utilissimus iis omnibus, qui brevissimam Augustinianæ doctrinæ epitomen ex ipso Augustino, et quidem jam sene, habere desiderant, multis mendis et glossematis, quibus antea scatebat, ex veteri manuscripto repurgatus et commentariis illustratus. Per *Lamb. Danæum*. Accessit operi triplex index.

Divinas plane Augustini scriptorum virtutes *Lamb. Danæus* in epistola dedicatoria ad Edzardum

Frisiæ Orientalis principem prædicat, indeque progressus ad querelas de iniquo eorum paulo post auctoris sui excessum fato, dum partim temporum injuria perdita, partim hominum improborum malevolentia corrupta et interpolata fuerint, ansam capit operam suam utcumque commendandi, quippe qua non solum verborum vulnera sanasse, sed Augustinum ipsum sui testem et interpretem produxisse gloriatur. De manuscripto, quo ad emendandum textum usus sit, nihil amplius ab eo proditum est. Præmittuntur vero præter dictam epistolam, *de methodo librorum Augustini et de eorum evolvendorum ratione disputatio*, nec non *Prolegomena* ad librum jamjam editum, in quibus *de titulo, utilitate, ætate operis* ac *de Laurentio, ad quem dirigitur*, præcepit. In Commentariis dogmata cum Augustiniana, tum Calinistarum latissime explicantur. et quod ista ætas in deliciis habere cœperat, contra dissentientes strenue defenduntur.

1579. [*Genevæ*] *apud Eust. Vigno; in*-8°. Idem liber, secunda editio aucta et ab ipso auctore recognita.

1583. *Genevæ, in-fol.* Eadem libri hujus recensio recusa in *opusculis theologicis Lamb. Danæi* pag. 729 896.

1597. *Ibidem, in*-8°. Eadem recensio. Laudante *Hendreichio* in *Pand. Brandeb.*

Sæc. XVII. — 1604. *Witebergæ, sumpt. Pauli Helwichii typis Cratonianis; in*-8°. « D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium urbis Romæ primicerium, nec non libellus de Essentia Divinitatis. qui inter opera Augustini exstat tomo quarto : In gratiam studiosorum theologiæ seorsim edita, cum præmissa ad illustres et generosos Barones, Dom. Richardum et Dom. Joannem a Tschernemel, *de vera patrum lectione et lectionis utilitate*, præfatione et dedicatione *Salomonis Gesneri*, Vheol, Witeb. »

1641. *Lugd. Bat., in*-12. Idem liber. Notat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* l. l.

1656. *Helst., in*-4°. Idem liber. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* Sed in his omnibus adeo desultorius est viri hujus labor, ut, quamvis providus, metuam tamen, ne male eum intellexerim. Vereor ne, quod hanc editionem attinet, in errore versetur, diversa Augustini scripta, Enchiridion Doctrinæ Christianæ cum libris IV de Doctrina Christiana. a. 1655 hac forma Helmstadii editis, confundens.

1665. *Paris., apud Steph. Loyson...* Augustini Enchiridion ad Laurentium V, Romæ primicerium. Exst. in *opere Spirituali* a pag. 129.

Sæc. XVIII. — 1705. *Lipsiæ, sumpt. Joan. Heinichii viduæ, litteris Jo. Heinr. Richteri*, in-8°. D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium, urbis Romæ primicerium, in usum studiosæ juventutis, cum præfatione *de studio theologico D. Adami Rechenbergi* recusum.

Versiones.

Demetrium Cydonium in *Græcam* linguam Enchiridion Augustini transtulisse tradunt, inquit *Possevinus App. S.*, T. I, p. 153. Sed unde hanc notitiam hauserit tacet. Edita certe hæc versio non est, et si exstitit umquam, in *Bibl. Vaticana* latere etiamnum debet (*a*). Ex *Gallicis* duabus alteram *Colletetii* jam supra, cum librorum *de Doctrina Christiana* editione recenseremus, commemoravimus. Superest altera *Antonii Arnaldi*, quæ prodiit.

1648. *Paris, chez Anton. Vitré : in*-8°. » Le livre de S. Augustin, de la Foy, de l'Esperance et de la Charité, traduit en françois par *Antoine Arnauld*, docteur de Sorbonne, avec le latin ensuite, reveu sur *six* anciens mss. » Addit Hendreichius hujus versionis repetitiones annorum 1652 et 1656.

1681. *Kiobenhav, in*-8°. Idem liber *Danice*, novers. af. *Henr. Olafsen.* » Cf. *Cat. Bibl. Thott.*

Pertinet ad hunc Augustini librum peculiariter opusculum absque auctoris nomine hoc titulo editum *Theologia Moralis S. Augustini, in qua præceptum de amore Dei plene pertractatur*, etc., per *E. B. S. M. R. D.*, de quo v. *M. Bibl. Eccl. Col.* p 744. *XXXIV.* — (100) *De Cura pro mortuis gerenda liber.*

1543. *Parisiis, ex officina Joannis Palieri, in*-8°. « D. Augustini de Cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum liber unus ; item de Chrysostomi Homilia, Latine, quod pro defunctis lugendum non est, sed orandum. » Maitt, T. III, p. 1, p. 345. Laudant *Germanicam* hujus libri versionem, auctore *Vito Mileto* (*Moguntiæ* 1604 et 1634, *in*-12) Lipenius in *Bibl. Theol.* T. II, p. 329, T. I, p. 498, et ex eo Colonienses, apud quos præterea egregias quasdam super Augustini de mortuis et sanctorum cultu sententia observationes ex doctorum theologorum scriptis collectas h. l. invenies.

XXXV. — (102) *Regula ad servos Dei*, seu verius *Regula Sanctimonialibus scripta*, alias *Epistola CCXI vel CIX.*

Bernardus Vindingus et *Prosper Stellartius*, ambo ex familia Augustiniana, primi viderunt, *Regulam ad servos Dei* ex epistola laudata fuisse depromptam virisque aptatam. Quo, quibus id factum sit auctoribus, ignoratur. Sed mature admodum factum esse appa ret. Observant enim Benedictini, eam perantiquæ Tarnatensis regulæ potissimam partem facere et laudari in Concordia regularum a Benedicto Aniano abbate et in codice etiam Corbeiensi, mille annorum, viris accommodatam, et cum ea quæ inscribitur *Regula secunda*, in unum corpus compactam exhiberi. Tenendum est autem, hac transmutatione priorem epistolæ partem a verbis initialibus : *Sicut parata est severitas*, etc., usque ad illa, *Sed potius lacrymas Petri pastoris*, penitus esse abjectam : cujus loco pauca hæc præmitti solent adscitilia : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista*

(*a*) Hendreichius in *Pand. Brandeb.* p. 342 manuscriptam Demetrii versionem laudat, adducto teste *Hottingero* in *Bibliothecario* p. 372. Ubi tamen altum de ea silentium.

præcepta sunt principaliter nobis data. Atque hac forma sæpius separatim ab Operum collectionibus, ita ut vel sola adjectis nimirum *Hugonis de S. Victore* aut *Lairveltzii* commentariis volumen efficiat, vel cum aliis ordinis Augustiniani constitutionibus excusa est. Sed cum latissime hic ordo pateat, totque diversæ eo nomine comprehendantur congregationes, quarum omnium constitutiones, quæ plus minusve hanc regulam respiciunt, sæpius quidem sunt impressæ, sed natura sua paucorum manibus teruntur et fere delitescunt: intelligitur, quam lubricum sit accuratum aut plenum *editionum* hujus *regulæ* indicem contexere. Equidem oppido paucas ipse vidi, nec quos, cessantibus illis, sequi potuissem nobilium bibliothecarum scriptores satis fidos hac in re expertus sum. Collegi tamen, quantum potui, atque hoc saltem assecutus mihi videor, ut quod desit, aut minus recte se habeat, si tanti putatur ab aliis suppleri aut corrigi facilius possit (*a*).

Sæc. XV. — 1481. *Romæ in-fol.* Regula S. Augustini cum commentario *Ambrosii Coriolani. Orlandi* pag. 284 et 316.

1490. *Argentinæ; per Martinum Schott*; *in-fol.* Canones *Aurelii Augustini juxta triplicem quam edidit regulam omni statui modum vivendi præstantes.* (Hæc litteris majusculis, sequentia minoribus tituli instar in prima pagina :)

Prelati. regendi copiam nanciscuntur
Hic Subditi. suis curatis obsequendi debitum
prestare docentur.
Mores accipiunt xpi fideles universi.

Ad calcem : *Opus canonum Aurelii Augustini cum nova ac præclara interpretatione* Ambrosii Choriolani *viri prestantissimi. generalis magistri totius ordinis heremitarum divi Augustini. per spectabiles viros* Tilmannum limperger. *ordinis heremitarum sancti Augustini fratrem.* Jacobum fedderer. Joannem scherrer. *artium liberalium professores et sacre theologie bachalarios formatos exquisitissime castigatum atque revisum est. Impressumque* Argentine *arte et impensis solertissimi viri* Martini schott. *Anno salutis MCCCCXC.*

His omnibus denique subjecta sunt *monimenta ad lectorem* sex distichis constantia subsignataque litteris: *F.D.L.* Ab initio occurit *Tilmanni Limperger* præfatio ad *Nicholaum Friess,* theologum Augustinianum, episcopum Tripolitanum. Deinde a folio inde primo usque ad octavum præmittuntur *Vita Augustini per Coriolanum*, et *commendatio regulæ ejusdem.* Tandem folie IX incipiunt *Commentarii super regula divi Augustini.... editi ab Ambrosio Coriolano.... per modum Dialogi;* continuantur vero usque ad folii CXVIII finem. Dehinc separatim folio CXX usque ad finem fol. CXXXIII excusi sunt *Commentarii Ambrosii Choriolani in primam regulam sancti Augustini* cum tribus ejus in laudes et doctrinas quasdam hujus doctoris orationibus. Præfatio, quæ huic parti fol. CXIX, pag. altera præmittitur *Oliverii Servii Tholentinatis* ad *Guillermum de Estoutevilla episcopum Ostiensem et cardinalem*, in qua se primum hæc foras mittere scribit, ad aliam, quæ hanc præcesserit, editionem spectare videtur. Cæterum sedulo cautum est a typographis, ne vacuas paginas admitterent; quocirca passim, veluti fol. VIII pagina altera, nec non eadem pagina tituli, item prima fol. CXIX Augustini effigiem ligno impressam videbis. Conferri etiam de hoc opere poterit *Braun Not. H. Lit.*, T. II, pag. 195.

1500. *Venetiis, impensis Giuntæ, arte Joannis de Spira; in-4°.* S. Augustini Regula una cum Vita ejus. Inter *Regulas quatuor primum approbatas*, de quibus ad *Benedictum* dicetur, simulque hanc editionem latius descriptam dabimus.

Sæc. XVI. —1516. *Lugduni, in-8°* (†) S. Augustini Regula.

[1517.] *Sine loco et typographo, in-8°.* B. Augustini episcopi Regula. Exstat in *Constitutionibus* fratrum Heremitarum Sancti Augustini ad Apostolicorum privilegiorum formam pro reformatione Alemanniæ. Præmittitur *ad omnes ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini per Alemanniam Conventus adhortatio* Joannis de Staupitz. *prioris generalis ad negotium dictæ reformationis tunc vicarii*, signata a. 1517.

1526. *Parisiis.... Hugonis a S. Victore* in Regulam D. Augustini expositio, edita in prima integra *Operum ejusdem* collectione h. a. facta. Num ipsa quoque *Regula* una expressa sit, ignoro. Hugonis vero Commentarius postea pariter recusus, est in editione *Veneta* (*apud Jo. Bapt. Somascum*) 1588, et Coloniensi 1617, nec non novissima, quam singulatim indicabimus.

1550. *Venetiis, in-4°.* S. Augustini Regula ad Servos Dei, *seu verius* Regula Sanctimonialibus præscripta : *cui præmittitur* Regulæ clericis traditæ fragmentum cum Regula secunda (supposititia). Exst. inter quatuor primum approbatas Regulas, collectore *Jo. Francisco Brixiano*, congreg. S. Justinæ O. S. Benedicti;... *circa finem.*

1561. *Venetiis, per Bernardinum Fasianum, sumptibus Canonicorum Regularium Lateranensium. Mense Aprili; in-4°.* S. Augustini Regula, cum expositione *Hugonis de S. Victore Latine et Italice. Cat. Bibl. Pinell.* cf. *Fabric.* in *Bibl. M. et Inf. Lat.* ed. Mansi T. III, pag. 301.

1575. *Coloniæ Agripp., in-8°.* S. Augustini Regula et Constitutiones fratrum ord. Prædicatorum. *Cat.*

(*a*) Quæ *cruce* notantur, eas solummodo in *Catalogo Bibl. Bodleianæ* laudatas reperi, qui ut inter præstantissimos bibliothecarum publicarum indices merito numeratur, ita haud raro bibliothecariorum usibus magis quam communi utilitati est accommodatus, librosque quibus aliqui tractatus inserti sunt, non verbis indicat, sed ubi in forulis reperiantur, signis declarat. Cæterum nescio etiam an omnes ordinis Augustiniani Constitutiones editiones *regulam* hanc a limine præferant. Alias numerus earum ex Lipenio (*Bibl. Theol.* t. I, pag. 118 sqq.), Hendreichio (*Pand. Brandeb.*, pag. 343.) ex Catalogo Bibliothecæ Casanatensis (v. *Constitutiones*) facile augeri posset.

Bibl. Bold. cui addatur *Hendreich* in *Pand. Brandeb.*

1581. *Dilingæ*, *in*-4°. S. Augustini Regula cum Commentario *Hugonis a S. Victore. Lipen. Bibl. Th.* T. I, p. 119.

1582. *Venetiis.* (†) S. Augustini Regula.

1585. *Mantuæ*, *in*-4°. Regula S. Augustini et Constitutiones Eremitarum congregationis Observantiæ Longobardicæ. Laudat *Greg. Rivius* Puritanus (i. e. *Ge. Burch. Lauterbachius*) in *Historia Monastica Occidentis*, T. I, pag. 45.

Sæc. XVII. — 1601. *Venetiis*.... S. Augustini Regula, cum Comment. Hugonis. Teste *Lipenio.*

1605. *Comi*, *apud Hieron. Froiræ*; *in*-8°. Eadem cum Expositione Hugonis a S. Victore. *Possevin.*

1614. *Coloniæ Agrippinæ*, *in*-8°. Eadem cum Commentario seu *Optica Regularium Servatii de Lairvelts.*

1736. *Gandavi.* *in*-8°. S. Augustini Regula et Constitutiones fratrum Ord. Prædicatorum. *Hendreich.*

1618. *Coloniæ Agrippinæ*, *in*-8°. Eadem cum *Comment. Lairveltzii*, laudante *Lipenio* T. II, pag. 647.

1620 *Barcinonæ*, *in*-8°. S. Augustini Regula et Constitutiones Fratum Prædicatorum. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli.*

1625. *Parisiis*, *apud Seb. Chappelet via Jacobæa sub signo Rosarii*; *in*-8°. Regula S. Augustini episcopi et Constitutiones FF. et sororum ord. Prædicatorum. Cum declarationibus ex Actis Capitulorum Generalium, etc., etc.

— *Ingolstadii.* (†) S. Augustini Regula.

— *Romæ*..... S. Augustini Regula cum expositione Hugonis a S. Victore. *Fabric. Bibl. M. et I. L.* I. I.

1648. *Rothomagi*, *in-fol.* Hugonis a S. Victore Expositio in Regulam Augustini in *Operibus* ejusdem T, II, p. 5.

1660. *Monachii*, *in*-12. Augustini Regula. Accesserunt Constitutiones canonicorum regularium ejusdem S. Augustini congregationis Gallicanæ. Anno 1638. *Lipen.* T. I, p. 118.

1661. *Romæ* *in*-4°. S. Aur. Augustini, Hipp. ep. Epistola CIX, Regulam Sanctimonialibus præscriptam continens. Exst. in Codice Regularum *L. Holstenii*, parte III (in qua SS. PP. regulæ ad Virgines) a pag. 1.

1663. *Parisiis*, *apud Ludov. Billaine*; *in*-4°. Eadem Epistola : *Ibidem* in eadem Collectione Regularum hic recusa.

Sæc. XVIII. — 1759. *Augustæ Vindelicorum*, *in-fol.* S. Aur. Augustini Hipponensis Epistola CIX, Regulam Sanctimonialibus scriptam continens; in *p.* III *Cod. Regular. Holstenii* ed. denuo a *P. Mariano Brokie.* T. I, pag. 347 sqq.

Versiones.

Versionum indicem ad annorum seriem componere visum est. quam juxta *Anglica* primas tenet, sequuntur proxime *Hispanicæ* et *Italicæ*, ultimumque locum *Gallicæ* tenent.

Anglica. — 1525. *London*, *in*-4°. « The Exposicyon of Saynt Augustynes Rule after the great Clerke and holy Saynt, Saynt Hugh, called de Sancto Victore, by the Wretche of Syon *Rychar de Whytforde* : *Imprynted at London in Fletestrate by me Wynkyn de Worde* M. CCCCCXXV. the XXVIII. of November. » *Maittaire.*

Hispanicæ. — 1600. *Cordoba* ... « La Regla de San Agostino declarada... por *Juan de Montoya* » (Matritensi Dominicano).

Italicæ — 1613. *Firenze*, *per Bartolommeo Sermartelli*, *in*-4°. « Regola di S. Agostino. » Aliam antiquiorem translationem adjuncto textu Latino ad a. 1561 notavimus.

1635. *Viterbo*, *in*-8°. S. Agostino Costituzioni delle Monache di penitenza. » *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

1654. *Venezia*, *per il Giolito*, *in*-4°. « La Regola di S. Agostino vescovo e dottore di S. Chiesa cattolica, posta nel libro dell' Epistole nell' epistola 109, tradotta di latino in lingua volgare fedelmente da *Bernardino Scardeone*, canonico di Padova, insieme coll' esposizione di Ugone di S. Vittore. »

1687. *Brescia*, *per il Rizzardi*, *in*-4°. « Regola data dal P. S. Agostiuo alle monache ; e qui per maggior loro istruzione, e profitto spirituale dal P. maestro fra Paolo Richiedei de' Predicatori volgarizzata, ed esposta. »

Gallicæ. — 1691. *Paris*, *chez Guillaume Desprez.* *in*-12. « La Règle de saint Augustin expliquée par le vénérable docteur Hugues de Saint-Victor. » Auctor fuit *Jo. de la Grange*, Canon. Reg. et subprior ejusdem abbatiæ de S. Victore, cui nomen Hugo ille debet. Regulam ipsam juxta Benedictinorum recensionem interpretatus est. In præfatione uberius disserit super pauca illa verba, quæ in mutata regula Augustiniana assuta esse supra monuimus, quæque a Hugone nondum lecta fuisse docet. » Cf. *Journal des Sçav.* an. 1691 (Amst. 1692, in-8°) pag. 353 et 56.

Prosperi Stellartii (prioris cœnobii Tornacensis † 1626) Nucleus historicus Regulæ S. Augustini *Tornaci apud Guil. a Tongris* 1618, *in*-8°.

« Discorsi claustarli sopra la Regola del gran Padre S. Agostino recitati a' suoi Religiosi dal Padre *Prospero da Sam Giuseppe* » (vicario gen. Augustinianorum Discalceatorum). *Bibl. M. Eccl. Col.*

XXXVI. — (103) *De Gratia et libero Arbitrio.*

1563. *Fiorenza*, *a istanza di Giorgio Maresotti per Bartolomeo Sermartelli*; in-12. « Libro della grazia e del libero arbitrio di S. Agostino vescovo d'Ippona a Valentino e Monaci che eran con lui ; tradotto da *Lodovico Domenichi.* » *Bibl. degli Aut. volg.*

XXXVII. — (185) *Retractationum libri II.*

Nonnisi unicam horum librorum editionem seorsim factam hucusque comperi *Lugduni apud Frellonios* 1536, *in*-8°, quam ex Gesnerianis Pandectis laudat *Maettarius* T. II, p. II, pag. 836.

Germanice eos vertit et annotationibus necessariis instruxit *Christ. Frid. Roesler* in tomo V *der Bibliotheck der Kirchenvaeter* (Leipz. 1785), pagg. 237-416.

XXXVIII. — (106) *De Hæresibus*

1576. *Genevæ,* apud *Eustathium Vignon*; *in*-8o. « D. Aur. Augustini, Hipp. ep. liber de hæresibus, ad Quodvultdeum. *Lamberti Danæi* opera emendatus et commentariis illustratus, a quo eodem additæ sunt hæreses ab orbe condito ad constitutum Papismum et Mohametismum, etiam eæ, quæ hic erant ab Augustino prætermissæ. Accessit operi quadruplex index, ut non modo chronologiæ hæreseon ratio, sed etiam, quæ ex illis utilitas percipi possit, intelligeretur, et a quibus in unoquoque Decalogi præcepto, Symboli apostolici articulo, item disputatione de Sacramentis sit erratum. In calce operis addita est arbor hæreseon, ex qua quomodo aliæ ex aliis natæ sint et propagatæ, et ut sæpe una quædam hydra plura capita produxerit, perspicue docetur. Per eumdem *L. Danæum*. Additus est præterea tractatus de Ecclesia, ubi, quibus sensim gradibus illa tandem in Papisticam tyrannidem inciderit, ostenditur. » Digna est ævo isto et imprimis hujus eximii hæreseon genealogistæ ingenio epistola ad senatum Genevensem ab eo scripta, qua sortem sibi gratulatur divinitus concessam, quod in ea civitate vivere contigerit, quam nulli gloria in exstirpandis igne ferroque hæresium auctoribus secundam censeri oporteat, atque lætabundus supplicia ab hæreticis Genevæ sumpta recenset.

1578. *Ibidem, apud eumdem, in*-8°. Eadem plane editio. *Cat. Bibl. Thott.*

1583. *Genevæ, in-fol.* Idem liber in *Opusculis Theologicis Lamb, Danæi.* pagg. 897-1048.

1595. *Genevæ, in*-8o. Idem liber cum iisdem commentariis. *Cat. Bibl. Bodl.*

1621. *Helmstadii, typis hæredum Jacobi Levi*; *in*-4o. D. Aur. Augustini liber de Hæresibus ad Quodvultdeum. Item S. Philastrii ejus coætanei Catalogus hæresium pene omnium, quæ a condito mundo ad illud usque sæculum notæ fuerunt. Accessit utriusque scripti supplementum et index genuinus : unus chronologicus, alter alphabeticus. »

1631. *Oxoniæ, in*-8°. S. Augustini liber de Hæresibus. *Cat. Bidl. Bodl.*

1673. *Helmstadii, ap. Jo. et Frid. Luderwald, in*-4°. Idem liber cum commentariis et supplementis Lamb. Danæi, cura *Gebhardi Theodori, Meieri.* Vid. *Cat. Bunav.*

1687. *Cantabrigiæ, in*-12. Idem liber *cum* Vincentii Lirinensis Commentario pagg. 169, 269. *Cat. Bunav.* Addit Cat. Bibl. Bodleianæ : *cum notis Baluzii.*

1721. *Oxonii, e theatro Sheldoniano*; *in*-8°. « D. Aur. Augustini, Hipp. ep. liber de Hæresibus ad Quodvultdeum, una cum Gennadii Massiliensis appendice. Edidit notisque illustravit *Eduardus Welchmann*, Eccl. Anglic. presb. Coll. Merton quondam socius. » Notæ sunt aptæ, sed doctis nequaquam scriptæ.

« Commentarii historico-dogmatici in librum S. Augustini de Hæresibus ad Quodvultdeum Digesti atque illustrati labore et studio *P. Laurentii Cozza* A *a S. Laurentio*, ord. Min. Reg. Observantiæ lectoris jubilati, ejusd. ord. scriptoris, in Romana provincia ministri provincialis, diœcesis Viterbiensis examinatoris synodalis, sacræ congregationis Indicis consultoris. Oblati eminentiss. et Reverendiss. S. R. E. cardinalibus, ejusdem S. congregationis Indicis. « Opus omnigena eruditione refertum. Utile Theologis, philosophis, scriptoribus, historicis, concionatoribus confessariis, curam animorum habentibus, humanarum divinarumque litterarum atque rerum Ecclesiasticarum studiosis. *Pars prima continens hæreses XII a Simone Mago usque ad Marcionem.* Adjecta ad calcem cujuscumque hæresis Collatione ejusdem cum recentiorum Evangelicorum hæresibus. *Romæ* 1707, *typis Ge. Plachi, sumptibus Val.* B *Fregianti.* (5 Alph. 7 plagg. et Præf. plagg. 6.) — Augustini verba velut *rari nantes in gurgite vasto* apparent. Potiorem voluminis partem collatio in titulo prædicata occupat. Cæterum ignoro, utrum plus viri ardor morte sit exstinctus, an vero bibliopola juvenilem jubilati scriptoris impetum represserit. Cf. *Mém. de Trévoux, Juin* 1707, pag. 1110, *et Acta Erud., Lips.* 1708, *Nov.*, p. 489.

XXXIX. (110. 111.) *De Prædestinatione sanctorum libri duo, quorum alter inscribi solet de Dono Perseverantiæ.*

Cf. *de Gratia et libero Arbitrio n.* 103; item *Opuscula selecta.*

1711. *Parisiis, apud Guil. Desprez; in-fol.* S. Au- C gustini de Prædestinatione et de Dono perseverantiæ libri. Exst. in *Opp. S. Prosperi* a p. 23.

Versiones.

Italicæ. 1537. *Brescia, per Lodovico Britannico*; *in*-4o. « Della Predestinazione de' SS. e del bene della Perseveranza; » absque nomine traductoris.

1544. *Venezia, al segno del Pozzo*; *in*-16. « Del bene della Perseveranza, tradotto da *Lodovico Domenichi.* »

1547. *Venezia, per Comin da Trino*; *in*-8°. « Libro del bene della Perseveranza composto dal B, Agostino vescovo Ipponense, di latino in volgare novamente tradotto. » Est versio superior, quicquid titulus venditet; id quod etiam de sequenti valet.

— *Ibidem, in*-8o. « Il libro del B. Agostino V. I della D Predestinazione de' Santi, di latino in volgare novamente tradotto. » Laudantur istæ versionum editiones in *Bibl. degli Aut. volg.* Inserta in *Racc. d'Opusc. sc. e filol.*, T. XXXII, p. 349. Ei vero potissimum Fontaninus auctor fuit.

Gallicæ. — *Gallicam* utriusque libri, editam *Lugduni* 1619, commemorant Colonienses. Notior est, quæ, longo abhinc spatio, prodiit auctore *Dubois*, ut proditum est in Bibl. Eccl. Coloniensi (p. 746). Sed aliam indigitat Catalogus Bibl. Reg. Parisiensis hoc titulo :

1676. *Paris, chez Guil. Desprez in*-12. « Les deux livres de S. Augustin, de la Prédestination des saints et du Don de la persévérance, avec les lettres 105, 106 et 107 de ce saint docteur : le tout

traduit en françois par *Jean Segui.* » Ephemerides Paris. (*Journ. des Sçav.*) h. a. num. XIV, pag. 92, de auctore omnino tacent.

1715. *Paris, chez Jacq. Estienne; in*-12. « Les deux livres de S. Augustin, de la Prédestination des saints et du Don de la persévérance, avec les lettres 105, 106 et 107 du même saint; le tout traduit en françois. »

S. Augustini sententia de Prædestinatione et Perseverantia excerpta, cum scholiis *Georgii Cassandri Belgæ*. Parisiis 1616. Eadem *Anglice* per *I. Scory*, *in*-8°. *Lipen. Bibl. Th.*, T. I, p. 525.

XL. — (113) *Speculum ex utroque Testamento.*

Diversi sub hoc nomine editi exstant libri, qui utique ab editoribus suis Augustino vindicantur: unus, qui in omnibus hactenus operum Augustini editionibus vulgatus prostat, et in novissima Benedictionibus Antuerpiæ recusa recensetur, Tomo III, a pag. 507 ad 612, juxta seriem librorum V. et N. T. compositus; alter, qui ab *Hieronymo Vignier* in supplem. T. I, a pag. 515 ad 545, ex autographo Bibliorum mss. *Theodulphi Aurelianensis* episcopi, qui circa a. 820 obiit, est prolatus, in quo ad capitula certa moralia Bibliorum sententiæ referuntur, absque præfatione. Hunc plane spurium censent Benedictini, quod et minus cum *Possidii* verbis et cum præfatione Augustini exemplari a se edito præfixa conveniat. Præfationem autem istam nemo non Augustinianum calamum sapere profiteatur. Nec vero assensum eis quemquam in hoc negasse comperio, nisi quod textus biblicos concernit, qui non ex antiqua, qua procul dubio Augustinus utebatur, sed ex Hieronymiana seu vulgata versione sunt descripti. Augustini manum a sciolo aliquo monacho temeratam esse, non improbabiliter viri aliqui doctissimi, refragantibus tamen Benedictinis, contendunt (*a*).

1679. *Romæ, apud Josephum Vanuccium*; *in*-8°. D. Aur. Augustini Speculum, ut in eo, quam obediens Deo, inobediensque sit, facilius quisque agnoscat, hac minori forma primum editum. Accessit ejudem doctoris Psalterium, quod matri suæ composuit. Edidit et præfatus est tacito tamen nomine *Josephus Maria Tommasi* (forte *Tommasius*), Alicatensis in Sicilia clericus Regularis, idem qui postea (Romæ 1709-12, III voll., *in*-8°) titulo *Theologicorum antiquiorum Patrum* selecta Græcorum et Latinorum opuscula evulgavit (*b*).

XLI. — (114) *Enarrationes in Psalmos Dovidis CL.*

1489. *Basileæ, per Joa. de Amerbach*; *in-fol.* Aurelii Augustini prima, secunda ac tertia Quinquagena. In fine tertiæ: *Post exactam diligentemque emendationem* (auctore Deo) *perfectum est insigne atque præclarum hoc opus explanationis Psalmorum*; *divi ac magni doctoris Augustini. opus re vera majori commendatione se dignum exhibens legentibus, quam quibusvis verbis explicari possit: ut et in præfatione et prologo ipsius evidenter colligi potest. Quanto vero studio et accuratione castigatum, emendatum et ordinatum sit: hi judicent, qui illud aliis similibus sibi: sine manu scriptis: sive ære impressis litteris contulerint. Consummatum Basileæ per magistrum Joannem de Amerbach. Anno dni M.CCCCLXXXIX.* impressum est charactere Gothico in duabus columnis. Adsunt signaturæ, litteræ initiales parvæ et paginarum tituli, non item custodes et foliorum numeri. In prima folii primi pagina charactere Gothico magno impressum: *Aur. Augustini Prima Quinquagena.* Præcedit index rerum alphabeticus XIV foliis. Exempla hujus ed. exstant in Bibl. Bodleiana et Acad. Ingolstadiensis. Cf. *Seemiller* fasc. III, p. 164. Adde *Braunium* l. l., T. II, p. 181.

1493. *Venetiis, per Bernardin. Benalium*; *in-fol.* Augustinus in Psalmos. *Orlandi* p. 284.

— *Basileæ, per Jo. Amerbachium*; *in-fol.* Augustini opus in Psalmos. *Maitt.*, T.I, p. II, p. 563.

1494. *Ibidem. in-fol.* Augustinus in Psalmos. *Eodem teste* l. l.

1495. *Ibidem, per eumdem*; *in-fol.* Idem opus.

1497. *Basileæ, per Jo. de Amerbach*; *in-fol.* Idem opus *Consummatum anno dni M.CCCC.XCVII.* Sed loco exilis, quem in priori editione notavimus, indicis, seorsim hic adjecta est *principalium sententiarum annotatio*, quæ sola in volumen modicæ magnitudinis excrevit. Ejus exemplar memoratur quoque inter rariora Bibl. Reg. Budensis.

1519. *Lugduni, in-fol.* B. Augustinus in Psalmos. Laudatur a *Hendreichio*, in *Pand. Brandeb.* p. 342. Asservatur in Bibl. monasterii Ord. Eremit. S. Augustini Monachii. teste *Ossingero* in *Bil. Augustin.* pag. 11.

1529. *Basileæ, in-fol.* Idem liber, commemorante *Hendreichio*. Sed haud dubie pertinet ad editionem primam Operum omnium ex recensione Erasmi. Apud eumdem solum laudatas invenio sequentes editiones: 1543 et 1555, *Parisiis*; 1555, *Lugduni*; 1556, *Basileæ*; 1561, 1562, 1563, *Lugduni*: haud graviori fide.

1569. *Basileæ, per Frobenium, in-fol.* Augustinus in Psalmos. Sic quidem exstat in *Georgii allg. Europ. Biicherlex.* Suppl. I, p. 21. Sed perperam omnino, si de sinhulari descriptione intelligendum sit: non item si inter Opera quæras. *Genevensem* ejusdem anni editionem notat *Hendreich.* Vereor autem, ne in anni indicio erraverit. Exstat enim ed. Operum Augustini Genevæ 1596, non 1569, facta, ad quam hæc fortassis referenda est.

1570. *Venetiis, in-fol.* Idem opus. *Hendreich.* Qui ed. Venet. Operum omn. h, a. novarit, intelliget quantum in eo veri sit.

1571. *Lugduni, apud Seb. Honoratum, in*-8° II

(*a*) Cf. *Cavens*, *Dupinius* et *Rich. Simon* in *Crit. Bibl. Eccl.*, T. I, p. 143.

(*b*) Purpura a. 1712 a Clemente XI donatus, obiit 1713.

voll. Augustini Enarrationes in Psalmos. Laudant *Hendreich* et *Colonienses*. Tu vide, quæ supra in *Annalibus edd. Operum omnium* ad h. a. notavimus. Similiter autem se habet cum ed. *Parisiensi*, quam ibidem notat.

1576, 1577 et 1579. *Antuerpiæ*... Augustini Enarrationes in Psalmos, Sponsore *Hendreichio*. Nescio vero pluresne tomos diversis annis editos, an diversas editiones totius operis indicare voluerit. Illud autem scio, non seorsim, sed cum Operibus a Lovaniensibus editis hanc exstare. Unus idem profert editiones, *Venetam* 1584, et *Parisiensem* 1586, de quibus idem valet. Sed Lugdunensis ed. 1586, quæ sit, non contendam.

1653. *Rothomagi, typis Dav. et petri Geoffroy; in*-8°, tomis III. Augustini Enarrationes in Psalmos cum præfatione recentioris cujusdam (inserta etiam ed. Benedictinorum.)

1662. *Antuerpiæ, in-fol.* Idem opus cum indice concionatorio. *Hendreich.* in *Pand. Brandeb.* l. 1. *Colonienses.*

1680. *Antuerpiæ*... Idem opus, curante *Jacobo Willemant.* Eremita Augustiniano.

Versiones.

1521. *Hagenau, bei Thom. Ansshelm*; *in*-4°. « S. Augustinus Auslegung über den CXXVI Psalm. durch Georg. *Spalatinum* vertetscht. »

Eumdem Psalmum *Italice* conversum exstare monet *Hendreich*, qui in notandis variis horum commentariorum versionibus satis est confusus.

1683. *Paris, chez Pierre le Petit*; *in*-8°, *VII voll.* « Sermons de S. Augustin sur les Psaumes, traduits en françois par *Antoine Arnauld.* » Tom. I-VII. *Cat. Bunav. Bibl. Reg. Paris.*

—

Recueil des consolations et instructions salutaires de l'âme fidèle, extrait du livre de St. Augustin sur les Psalmes, par *Jacques de Billy. Paris chez Claude.*

Instructions Chrétiennes sur les Psaumes. *Bruxel.* 1662, *in*-8°.

Règles de S. Augustin pour l'intelligence des Psaumes : *Paris* et *Bruxel.* 1685, *in*-12.

XLII. — (115) *Epistolæ.*

Variæ Augustini epistolæ passim editæ sunt cum aliorum Patrum, veluti *Hieronymi, Paulini, Prosperi Aquitani*, etc., operibus, quibus indicandis hoc loco supersedere lubet, dum nonnisi collectiones omnium pluriumve, vel sicubi seorsim singulæ editæ sint, enumerare instituerimus, quarum elenchus est sequens.

Sæc. XV. — 1493. *Basileæ, per Joh. Amerbach.* ; *in-fol.* Liber Epistolarum beati Augustini episc. Hipponensis Ecclesiæ. In fine: *D. Aur. Augustini H. Ep. liber Epist. vigilanti accuratissimo studio emendaturum et impressarum*: *Argumentorum quoque novorum prænotatione succincte et dilucide expositarum : atque opera magistri Joannis de Amerbach civis Basilien. perfecturum* : *Anno dni*, etc. XCIII. *Feliciter explicit.* — Character Romanus est præterquam in titulo, qui more Amerbachii Gothicis litteris exaratus est. Epistolas continet CCVI. Præcedit VII foliis brevis annotatio singularum epistolarum, initia, materiam atque ordinem exponens. Post subscriptionem index sententiarum et materiarum copiosissimus succedit. Eamdem in Bibl. Ratisbonensi notavit *Gemeiner* p. 213, nec non in Lubecensi *Gesner* p. 56, In *Catalogo Bibl. Bernensis*, T. I, p. 15, laudatur Epistolarum editio Amerbachiana de anno 1483.

1494. *Basileæ, ap. Joh. de Amerbach.* ; *in-fol.* Idem liber. Exstat in Bibliotheca Lubecensi. Cf. *Gesner*, p. 58.

— *Venetiis, per Bernardinum Benalium*; *in*-4°. Idem liber. *Cat. Bibl. Pinell.*, T. I, p. 92.

Sine anno, loco et typographo, in-fol. magno. S. Augustini episc. liber Epistolarum. Editio princeps Epistolarum Augustini a Cl. *Braunio* primum detecta et descripta in *Notitia Hist. litt.*(1788), pag. 11. Volumen est foliorum CCLXIII, impressum charactere majusculo, duabus columnis, in charta munda et firma. Columna quævis lineas 50 continet ; desunt signa quævis paginarum foliorumve, nec non litteræ initiales. Interpunctiones habet, punctum, colon et interrogandi signum. Ab initio : *Liber Epistolarum sancti Augustini. Incipit feliciter ;* terminatur vero absque ulla subscriptione pagina ultima, in columna prima, epistola ad Asellicum. Epistolæ, quæ partim ipsius Augustini sunt, partim aliorum ad ipsum, numerantur CXCVII, in quibus etiam illæ *Africanorum episcoporum ad Innocentium I* hujusque ad illos leguntur.

Sæc. XVI et XVII. — 1541. *Bononiæ.* S. Augustini Epistola decima ad Xystum presbyterum de Gratia Dei. *Hendreich* in *Pand. Brandeb., p.* 342.

1604. *Moguntiæ, apud Balthas Lippium; in*-4°. S. Augustini Epistola de S. Martyribus et de Inimicis diligendis cum notis *Gerardi Vossii.* Lipen. in *Bibl. Th.* T. II, pag. 254, quasi seorsim editam laudat. Enimvero inserta est *operibus Gregorii Thaumaturgi* (Neocæsariensis episc. (ab eodem Vossio una cum aliis Patrum opusculis editis p. 228. Erat vero Vosssius ille præpositus Ecclesiæ Tungrensis, qui plura id generis scripta tunc emisit, deinque obiit a. 1609. Vid. *Foppens Bibl. Belg.*, T. I, pagg. 362, 63.

1638. — *Flexiæ* (La Flèche), *in*-4°. S. Aur. Augustini Epistolarum selectarum libri III. Recensuit primum, argumentis uberioribus explicavit, atque observationibus illustravit *Rolandus Phigerius*, Soc. Jesu, Armoricus. — Liber primus didacticas, secundus ethicas et paræneticas, tertius mistas et familiares complectitur. *Colonienses.* Exstitit etiam in *Bibl. Thottiana.*

1662. *Lovanii*, in-12. D. Augustini Epistolæ selectæ, cum appendice suppositititiarum. *Hendreich.*

1678. *Francof., sumpt. Uo. Crameri ; in*-4°. S. Aur. Augustini et aliorum quorumdam ad ipsum vel ejus causa scriptæ Epistolæ CCLXXVIII, cum appendice suppositititiarum, variis lectionibus aliis-

que marginalibus et indicibus utilissimis seorsim accuratissime editæ cura *Lucæ Friderici Reinhurti*, Norimbergensis S. Theol. in Universit. Altdorfina prof. publ.

Cypriani Epistolas ab eodem viro docto aliquot annis post editas in tomo primo commemoravimus· Non segniorem operam Augustino præstitit, in eo præcipue laudandus, quod plures ejus epistolas, quæ eo usque temporis nondum cum reliquis colligi, sed per reliquos tomos operum ejus sparsim pro rerum similitudine exhiberi consueverunt, conjunctim primus proposuit. Commode factum est, quod aliorum ad Augustinum scriptæ epistolæ Italico charactere exscriberentur, dum ipsius Augustini epistolis rotundus adhibitus est. In margine tum variæ lectiones, tum Allegationes Scripturæ S. itemque Codicis Theodosiani, Juris Canonici, Lombardi et Thomæ Aquinatis loca, quæ vel ex Augustino illustrari possent, vel verba ejus exhiberent, sunt notata.

SÆC. XVIII. — 1721. *Parisiis in-fol.* S. Augustini ..... Epistolæ duæ ; prima ad Bonifacium papam ; secunda ad Cœlestinum. Exst. inter *Epistolas Rom. Pontiff.* per *Coustant.*, T. I, pagg. 1023 et 1051.

1732. *Viennæ Austriæ. typis Jo. Petri van Ghelen. in-fol. maj.* S. Augustini, Ep. Hipp. ad Optatum episcop. Milevitanum de Natura et Origine Animæ Epistola secunda. Accessit ejusdem S. Augustini epistola de pœnis parvulorum, qui sine baptismo decedunt scripta ad Petrum et Abraham. Prodeunt nunc primum ex Bibliotheca Liberæ et Exemptæ Ordinis S. Benedicti Inferioris Austriæ abbatiæ Gottwicensis. Eædem *sequenti anno, ibidem* apud *Joannem Adamum Schmidium*, Bibliop. Norimbergens. typis descriptæ sunt. — In præfatione ad lectorem abbas Godefridus de occasione utriusque epistolæ erudite commentatus est. *Codex*, in quo repertæ sunt, unicus ut jure suo existimasse videtur eruditissimus abbas, exaratus est in membranis, in-folio, et ad sæculum minimum duodecimum ab illo refertur, reperiundus in illius abbatiæ bibliotheca, *Lit.* 6, *N.* 10. Nuncupavit κειμηλίαν hæcce fortuito detecta cardinali Passioneo, magno, tunc temporis in Italia litterarum statori et bibliothecæ Vaticanæ aliquando summo præfecto.

1734. *Parisiis, apud viduam Reymundi Mazieres*; *in-fol.* S. Aur. Augustini epistolæ duæ, recens in Germania repertæ, notis criticis, historicis chronologicisque illustratæ, opera et studio *D. Jacobi Martin*, presb. congreg. S. Marci. *Cat. Bibl. Reg.*

— *Paris, chez veuve Mazières* ; *in*-8°. « Lettres nouvelles de S. Augustin, traduites en françois, avec le latin à côté et avec des notes critiques, historiques et chonologiques, et un traité de l'origine de l'âme tiré de ses écrits, nouvellement trouvées dans un ms. de l'Abbaye de Gottwic, près la ville de Vienne en Autriche.

Versiones.

1473. *Paris, chez Mathur. Prevost* ; *in*-8°. « La XLVIIIe epistre de St. Augustin, adressée à Vincent evesque, de l'heresie Rogatiane, fort convenable pour remettre à l'unité de l'Eglise catholique les separez et heretiques, comme pour y maintenir et conserver ceux qui y sont demeurez et retournez, par *Clement Vaillant* » (Bellovacensem in suprema curia Causarum patronum). — Epistola in ed. Bened. numeratur 93. Pertinet ad eamdem quodammodo *Disquisitio Theologica de sententia, an hæretici et schismatici vi ad fidem sint cogendi* ? Ubi simul ingens discrimen ostenditur inter causam Donatistarum et Protestantium. Auctore D. *Elia Veielio*, Ulmæ 1689, in-4°, scripta occasione persecutionis Reformatorum in Gallia, cujus fautores Augustinum etiam in partes trahere conati erant.

1574. *A Reims, par Jean de Foigny ; in*-8°. « La forme et manière de bien prier Dieu : qui est œuvre principale du bon Chrétien ; écrite premièrement en latin par saint Augustin, en son épitre 101, à Probe, veuve, et traduite en françois par *Nicolas Chesneau*, » (Retelensem decanum et canonicum S. Symphoriani Rhemensis). *Duverdier par Juvigny*, T. V, p. 109.

1653-59. *Paris, chez Pierre le Petit* ; *in*-12, *V voll.* « Epistres choisies de S. Augustin, traduites en françois par *Louis Giry*. » Tomus I et II, 1653 ; III, 1656 ; IV, 1658 ; V, 1659, exscriptus est. *Hendreich* in *Pand Brandeb.* aliam, interprete *de la Cande*, a. 1653 producit.

1684. *Paris chez Jean Bapt. Coignard* ; *in-fol. II voll.* « Les lettres de S. Augustin, traduites en françois sur l'édition nouvelle des Bénédictins de la congr. de Saint-Maur, où elles sont rangées selon l'ordre des tems. Revues et corrigées sur les anciens manuscrits et augmentées de quelques lettres, avec des notes sur les points d'histoire, de chronologie et autres qui peuvent avoir besoin d'éclaircissement, par *Philippe Goibaud du Bois*. » *Cat. Bibl. Reg. Paris.* Eamdem VI voluminibus, octonis, habet *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* Vide etiam *Journ. des sçav. Paris.* a. 1685, n. II, et *Novelle de Rep. delle Lettere. m. Novembre* 1684. Ex codd. mss. loca aliquot editionis Benedictinorum correxit. Notas *Tillemontii* esse aiunt. Cf. quæ Colonienses adduxerunt testimonia.

1690. *A Lyon...* « Lettre XXXIX (ed. Lovan.) de S. Augustin à un jeune homme (Licentius) qui avait été son disciple et qui s'était engagé dans le siècle. » Exst. in *la Solitude Chrétienne*, T. I, p. 471.

1700. *A Cologne.* « Lettre de S. Augustin au comte Boniface (secunda ex tribus ad eumdem scriptis), de la traduction de M. *du Bois*. » Exst. in *le Soldat Chrétien instruit*, etc., par le *P. Henri Godefroy*.

1707. *A Lille, chez Jean-Bapt. Brodellio ; in*-12. *VI voll.* « Les lettres de S. Augustin, traduites en françois sur l'édition nouvelle des PP. Bénédictins de la congrégation de S. Maur, où elles sont rangées selon l'ordre des temps, revues et corrigées sur les anciens manuscrts, et augmentées de quelques lettres qui n'avaient pas encore paru, avec les notes, par M. *du*

Bois. Troisième édition. » *Cat. Bunav.* et *Bibl. Reg. Paris.* Hæc ipsa fortasse est repetitio, quam h. a. Colonienses Amstelodami facta prodiderunt.

Anglicam versionem *Epistolæ XLVIII* sub titulo : «Judicium S. Augustini de Legibus pœnalibus adversus conventicula et de unitate religionis propositum in ep. 48, *Londini* 1670, *in*-4°, memorant Colonienses, addito testimonio *Lipenii* in *Bibl. Philos.* v. *Conventicula*.

Denique *Epistolæ de pœnis parvulorum, qui sine Baptismo decedunt*, versio esse videtur, quæ in *Cat. Bibl. Firmianæ* memoratur hoc titulo : *Sermone di S. Agostino, in cui si tratta della pena de fanciulli morti senza Battesimo, trad. con annotazioni da G. G. Pavia*, 1778, *in*-8°.

— Insigniorum Augustini Epistolarum argumenta modo brevia, modo prolixiora cl. *Roeslerus* inseruit tomo V *der Bibliotheck d. Kirchenvaeter*, pag. 417 usque ad fin.

XLIII. — (116) *Sermones et Homiliæ.*

Sæc. XV. — 1475. *Augustæ, per Antonium Sorg ; in-fol. min.* S. Augustini liber, qui vocatur *Quinquaginta* sive *Homiliæ L.* In fine : *Anno dm. M.CCCC.LXXV. circiter Kal. Februarii impressus est liber iste ad honorem dei, per Antonium Sorg. In Augusta.* Incipit a registro homiliarum, quod primum folium implet. Character Gothicus est, sed elegans. Nec foliis, nec paginis numeri notæve sunt ascripti, teste cl. *Zapf.* in *Annal. Typ. August.* p. 32, *Seemillero* fasc. I, p. 70. Adde *Braunium Not. H. Lit.* (1788), p. 179.

1477. *Mutinæ, per Balthassarem de Struciis ; in*-4°. S. Augustini Sermones ad Fratres in Heremo. Nusquam nisi in *Cat. Bibl. Pinell.* T. I, p. 92, laudatam invenimus.

1482. *Spiræ, factore Petro drach juniore (in vigilia nativitatis marie virginis) ; in-fol.* B Augustini sermones varii ; in *Omeliario Karoli Magni* hujus ed.

1484. *Mediolani, per Teutonicos : in*-4°. S. Augustini Sermones ad Fratres in Heremo. *Cat. Bibl. Pinell.* T. I, p. 92.

— *Paduæ per Mathæum Cerdonis in*-4°. B. Augustini sermones tres de Clericorum vita et moribus. — Editor est *Eusebius Corradus* Mediolanensis, Canonicus regularis Congreg. Lateranensis, a cujus *epistola ad Sixtum quartum, pontificem maximum : pro auferendo de Ecclesia errore scribentium : Augustinum Ecclesiæ doctorem fuisse heremitam* volumen exorditur. Præter dictos tres sermones, quorum primus incipit, *Charitati vestræ*, etc. ; secundus, *Propter quod volui et rogavi*, etc. ; tertius, *Ante omnia fratres*, etc. ; inest etiam *Vita Augustini* a *Possideo* (sic) conscripta et, nisi mendax fuerit, contentorum tabula post epistolam dedicatoriam statim subjecta, etiam *Epistola Augustini, si liceat clericis populum et gregem sibi commendatum persecutionis tempore relinquere.* Eam vero in exemplari, quod manibus teneo, non invenio, nec mancum illud videtur, sed illius loco exstat editoris ad Sixtum IV et ad patriarcham Aquileiensem, cardinalem et sancti Marci protectorem, cæterosque cardinales *Annotatio brevissima in errorem scribentium sanctum Augustinum fuisse heremitam.* Atque hæc ipsa omnia in epistola dedicatoria libro huic inesse Corradus dicit, nec ibi quidem epistolæ illius mentionem facit, cum contra in laudata tabula hæc *annotatio* non sit indicata. Ad calcem tamen legitur : *Finis adest trium sermonum beati Augustini de Clericorum vita moribusque una cum vita S. Augustini, nec non cujusdam epistole ipsius* : An clericis, *etc., que omnia impressa fuere Padue per magistrum Matheum Cerdonis. Anno Domini* 1484. Colophonem addit *Oda in laudem Augustini*, incipiens : *De profundis tenebrarum.* Absolvitur hæc editio foliis 36 lineis per paginam impressis. Character est Gothicus luculentus. Præter chartarum numeros notæ cujuscumque generis foliorum paginarumve desunt. Sunt tamen litteræ initiales formulis ligneis expressæ. Meminit ejus quoque *Braunius Not. H. Lit.* T. II, p. 111.

1486. *Brixiæ, per Jacobum Britannicum Brixianum ; in*-8°. S. Augustini episcopi Sermones ad fratres Heremitas. In fine : *Impressum Brixiæ* per *Jacobum Britannicum Brixianum. Anno domini. M.CCCC. LXXXVI. die V Januarii.*

Editionis hujus nulli bibliographorum antea cognitæ notitiam solus præbet *Braun Not. H. Dit.* T. II, p. 130, significans volumen esse XXI plagularum fasciculis contentum, charactere Romano ac pereleganti impressum, deficientibus quibuscumque foliorum paginarumve notis, parvisque litteris loco initialium miniatoris gratia appositis. Continet omnia eademque serie ac sequens, ne sermonum tabula quidem excepta.

1487. *Venetiis, per Paganinum de Paganinis ; in*-8°. S. Augustini Sermones ad Eremitas. Ab initio : *Incipiunt sermones sancti Augustini. ad Heremitas : nonnulli ad sacerdotes suos : ad aliquos alios. Et primo de istitutiõe regularis vite ssmo p* (sic) In fine : *Impressum Venetiis per Paganinum de paganinis Brixianum. Anno Domini : M. CCCC. lxxxvii. die xxvi Maii.*

Præter sermones LIX, accedunt : 1° *de sancta Monica sermo LX* ; 2° *Calisti narratio de conversione S. Augustini ;* 3° *Sigiberthi de eodem narratio ex epistola ad Macedonium* ; 4° *Excerpta quædam ex Chronico Bedæ ;* 5° *Relationes aliæ incertorum auctorum ;* 6° *Oratio de Passione Domini, a nonnullis S. Augustino ascripta, quam per quadraginta continuos dies recitantibus Bonifacius VIII plenariam concessit indulgentiam.* Textum præcedit tabula sermonum duo folia non integra complectens. Impressio facta est duabus columnis charactere Gothico. Initiales litteras parvas typographus interdum addidit et omisit alibi. Chartæ signatæ sunt *a-r.* Custodes, numeri, paginarumque tituli desunt. *Seemiller* fasc. III, p. 92.

1492. *Venetiis, apud Vincent. de Benaliis ; in*-8°. S. Augustini Sermones ad Heremitas et ad alios. Exst. cum D. Bernardi ad Sororem modo bene vivendi. Venet. 1493. Sic *Audiffr.* in *Cat. Bibl. Cas.*

1493. *Basileæ, factore Nicolao Kessler (pridie Cal. Octobris)* ; *in-fol.* B. Augustini Sermones varii; in *Homeliario Doctorum*, qui *hoc a. et l.* cura *Joannis Ulrici Surgant AA. et Decretorum D.*, etc., prodiit, ut præmissa epistola ejus ad Nic. Kessler testatur.

1494. I. *Basileæ per Jo. de Amerbach. in fol.* « Sermones divi Aurelii Augustini ad fratres suos in heremo commorantes, et quosdam alios. » Quamquam neque locus, neque annus, neque typographus disertis verbis in hoc volumine sit editus : nequaquam tamen dubitanter illos indicavimus, cum alia Augustini scripta, in unum volumen cum præsenti opere compacta, quæ ista omnia veluti a nobis posita præferunt, similitudine characteris, descriptionis et dispositionis, judicium nostrum tueantur. Litteræ videlicet sunt Gothicæ, paginæ columnis binis impressæ. Ab initio (*a*) carmen elegiacum *Sebastiani Brant ad Divum Aurelium Augustinum*, Romano charactere exscriptum, præmittitur satis prolixum : cui brevior *de ortu, ingenio, eruditione, errore, conversione ac sacra baptismali regeneratione ejus narratio* subjicitur. Hæc excipit *Hymnus Ambrosianus, sermo ejusdem B. Ambrosii super conversione Augustini*, item *tres hujus regulæ monachales et forma, secundum quam communem sobrietatem eis dederit, qui suo fratrumque suorum consortiis conjungi optabant.* Tandem prævia contentorum tabula, ipsi *sermones LXXVI*, cum appendice variarum de Augustino narrationum, ex diversis auctoribus, quorum nomina ex parte etiam prodita sunt, veluti Calixti, Sigeberti, Antonini, exhibentur. In fine : *Expliciunt collecta quædam ex diversis et ad gloriam b. Aug. sermonibus ad fr. in h. subjuncta : feliciter.* Postremo index materiarum et sententiarum amplissimus x foliis volumen claudit.

II. *Ibid., per eumdem* ; *in-fol.* Divus Aurelius Augustinus de verbis Domini (*Sermones* LXIV). In fine : *Explicitus est liber sermonum .. Bas. per magistrum Jo. de Amerbach. Anno salutiferi partus virginalis nonagesimo quarto supra millesimum centesimum.* Consonant omnia cum præcedentia operis adornatione etiam quoad materiarum et sententiarum tabulam et sermonum indicem.

III. *Ibid ., per eumdem; in-fol.* Divi Aur. Aug. Sermones de verbis Apostoli (XXXV). In fine : *Explicitus est liber Sermonum... D. A. Aug. Basileæ. A D. M. CCCC. XCIV.* Nihil a superioribus discrepat.

IV. *Ibid., per eumdem* ; *in-fol.* Expositio divi Aur. Aug. in Epistolam beati Joannis.

(*a*) Ita plerumque conspicitur. Tenendum vero, integrioribus exemplaribus præfixum esse titulum sequentem litteris Gothicis exaratum : *Plura ac diversa divi Aurelii Augustini Sermonum Opera videlicet* : (huc usque characteres grandiores ; reliqua minoribus absolvuntur.)

Ad fratres in heremo commorantes : Sermones LXXVI.
De verbis domini : Sermones LXIV.
De verbis Apostoli : Sermones XXXV.
In epistolam Canonicam beati Joannis primam ; Sermones X.

V. Ibid., per eumdem ; *in-fol.* Opus quinquaginta homeliarum divi Aur. Aug. In fine : *Basileæ. M. CCCC. XCIIII.*

1495. *Bas. ap. Jo. de Amerbach.* ; *in-fol.* Sermones sancti Augustini de tempore (CCLVI) ; subscriptionis formula eadem atque in sermonibus de verbis Domini anni præcedentis. Sermonum contentorum tabula diligentissime est composita. Scd index materiarum et sententiarum minus copiosus videtur pro hujus voluminis mole, si cum indicibus superiorum collectionum comparaveris. Cæterum interior tituli pagina effigiem emblematicam ligno impressam et disticha latina in hanc editionem parata offert.

Sine anno, per Conradum de Homborch ; in-fol. B. Augustini Sermones varii in dies dominicales et festos ; in *Omeliario Caroli M.* hujus ed.

Sine anno et loco, in-4°. Sermones sancti Augustini ad Heremitas. Hæc in titulo litteris grandibus expressa. Sermones sunt CLIX, cum additamentis quibusdam, charactere Gothico, binis columnis impressi, sine ullo loci et anni indicio. Quapropter nescio, quibus argumentis inductus fuerit, qui nostro exemplari appinxit, circa a. 1490 lucem aspexisse. In *Bibliotheca Ratisbonensi* teste *Gemeiner* l. l. p. 276, exstat horum sermonum editio absque loci et anni indicio quaternis impressa, quæ foliis 108 constans sermones exhibet LIX. Editionis Venetæ a. 1490 obiter mentionem facit *Gemeiner* I. l. p. 277 ; adde *Braunium* in *Not. H. Lit.* T. II, p. 53.

Sine anno et loco ; *in-4°. Sermones duo* (hæc litteris Gothicis grandiuseulis, sequentia charactere Romano majori exscripta sunt) *Aurelii Augustini episcopi de Vita et Moribus clericorum.* Sunt duo priores ex tribus, qui in editione Paduana a. 1484 eduntur. Additur vero ex Retractationum libro animadversio ejus in librum de vera Religione. Impressum est charactere Gothico minori admodum nitido, duabus columnis. Voluminis argumentum litteris Romanis scriptum per singularum paginarum margines supremos decurrit.

Sæc. XVI. — 1513. *Parisiis...* Editionem hanc *Sermonum ad Eremitas fratres* obiter laudat *Gemeiner* I. l. p. 277. (*Clementio* et *Ossingero* sponsoribus, ut jam conjicio).

1516. *Lugduni, per Joannem Clem. Alemannum* (D. septimo idus Augusti) *in-fol.* B. Augustini Sermones varii ; in *Homiliario doctorum* edito, si recte ex præfixa epistola concludimus, curante *Joanne Thiery* Lingonensi V. I. professore.

Homelie : id est Sermones populares L.
De tempore ; Sermones CCLVI.
De sanctis : Sermones LI.

Unde simul proditur, plura hanc sermonum collectionem ab initio fuisse complexam, quam nunc exemplaria pleraque retinuerunt, nec vero pro integris habenda esse, quæ, ut nostra, in Homiliis deficiunt. Cæterum aversa folii pagina effigiem episcopi pro concione dicentis ligno impressam sistit, subscriptis versiculis : *Salve, gemma confessorum : Augustine lux doctorum.*

— *Parisiis, per Berthold. Rembolt: in-fol. max.* » Præclarissima et inæstimabilis doctrinæ atque utilitatis divi Aur. Augustini Sermonum opera: nuper summa cura et diligentia magistri Bertholdi Rembolt impressa. Apud impessorem ipsum sub Sole Aureo in via Jacobæa Parisii: et in officinis Joannis Coberger ac Jodoci Badii venalia comperies quæ hoc ordine in hoc continentur volumine. Videlicet:

Ad fratres in Eremo commorantes. *Sermones LXXVI.*

De verbis Domini, *Sermones LXIV.*

De verbis Apostoli, *Serm. XXXV.*

In Epistolam Canonicam beati Joannis primam, *Tractatus X.*

Homeliæ, id est *Sermones populares L.*

In Evangelium secundum Joannem, *Tractatus CXXIV.*

De Tempore, *Sermones CCLXVI.*

De Sanctis, *Sermones LI.*

Cum tabulis et repertoriis amplissimis. » In fine: *Explicit Parisiis in Edibus Magistri Bertholdi Rembolt. Anno Domini..... Die vero XIX Decembris.*

Litteræ sunt Gothicæ, paginæ columnis sectis sunt impressæ, nec alius ornatus deest.

1521. *Hagenoæ, per Henr. Grau; in-fol.* B. Augustini præclarissima sermonum opera: summa nuper diligentia revisa atque recognita, tum plerisque locis emendata. In fine: *Impressum est præclarum hoc opus in officina industrii Henrici Grau: civis imperialis oppidi Hagenow: sumptibus et expensis probi viri Joannis Rynman de Oringaw archibibliopole, mense Octobri anno a nato Christo* 1521.

1525. *Lugduni*, per *Joannem Crespin* (*die X Januarii*); *in-fol.* B. Augustini Sermones varii in Dies dominicales et festos; inter *Homelias præclarorum doctorum in Evangelia dominicalia*, quas jussu Caroli M. collegisse fertur Alcuinus, editas h. l. et a. cum præfatione Fr. *Lamberti Campestris*, theol. ad Simphorianum Camperium Patritium Lugdunensem.

1564. *Lovanii*, apud *Hieron. Wellæum*; *in-4.* D. Aur. Augustini sermones, et Possidii, Calamensis episcopi, indiculus operum D. Augustini: ex editione et cum scholiis marginalibus *Joannis Vlimmerii. Cat. Bibl. Reg.* Confer, quæ supra ad editionem operum Basileensem a. 1569 tradita sunt.

1576. *Coloniæ Agripp. in-fol.* S. Augustini Homiliæ variæ. Exst. in *Collectione Fr. Alcuini.*

1588. *Lugduni, in-fol.* S. Augustini Homiliæ quædam in *Bibliotheca Homil. Cumdii.*

SÆC. XVII. — 1631. *Parisiis, apud Sebast. Cramoisy*; *in-8°.* S, Aur. Augustini Sermones novi XL, cum quinque aliis ex antiquis exemplaribus collecti, cum notis, studio et opera *Jacobi Sirmondi. Cat. Bibl. Reg. et Casanat.*

1644. *Romæ, per Franc. Monetum; in-4°.* Sermones aliquot S. Aur. Augustino adscripti, ex bibliothecis Vaticana et Barberina excerpti, nunc primum in lucem editi et quibusdam notis illustrati studio et opera *Joannis Baptistæ Mari*: *Cat. Bibl. Reg.*

1647. *Romæ, apud Ludovic. Grignanum*; *in-4°* S. Aur. Augustini Sermo in natali S. Joannis Baptistæ, nunc primum in lucem editus, cum observationib. *Joannis Baptistæ Mari. Cat. Bibl. Reg.*

1648. *Matriti, typis Regiis*; *in-fol.* S. Augustini Sermones *aliquot* de B. Virgine. Exst. in *Bibliotheca Virginali P. de Alva*, T. III, a pag. 448. *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Casanat.*

1685. *Parisiis*, chez *P. de Laulne*; *in-8°.* S. Augustini Sermonum ad Eremitas fragmenta tria, quibus præmittitur Syllabus Sermonum ad FF. in Eremo, Sermonum ad presbyteros Hipponenses et Sermonum ad populum ex autographo Jordanis de Saxonia. Exst. in *Supplem. PP. Jac. Hommey*, a pag. 644.

Versiones.

1493. *Firenze, per Maestro Antonio Miscomini*, (*A di XXVIII di Giugno*) *in-4°*, *min.* « Sermoni Volgari del Venerando dottore Santo Aurelio Augustino, Padre della regola eremitana, molto devoti, e spirituali ad acquistare la gloria spirituale del Paradiso. » *Cat. Crevennæ noviss.* T. I, p. 107.

1546. *Venezia, per Gabriel Giolito de' Ferrari*; *in-4°.* « Varj sermoni di S. Agostino, e d'altri cattolici ed antichi Padri utili alla salute dell' anime messi insieme e fatti volgari da Monsign. Galeazzo vescovo di Sessa, con due tavole, la prima de' Sermoni ed Omilie; e la seconda delle cose più notabili. » *Bibl. degli Aut. volg.* in *Raccolta d'Opucul. scient. e filol.* T. XXXII, p. 345.

1553. In *Vinegia*, presso *G. Giolito de' Farrari Fratelli*.... « Alcuni Sermoni di S. Agostino delle Parole Signore e dell'Apostolo, fatti volgari da Monsr. *Galeazzo Florimonte* Vescovo d'Aquino. » Exst. in *Varj Sermoni di S. Agostino ed altri dottori* volgarizzati dal medesimo. Cf. *Cat. Bibl. Casanat.* In *Cat. in-4°. Bibl. Smith.* a. est 1588, *in-4°.*

1567. *Venezia, per il Giolito*; *in-4°.* « Varj, Sermoni, etc. »

1568. *Venezia, per il Sansovino*; *in-4°.* « Varj Sermoni di S. Agostino e d'altri cattolici ed antichi dottori, ne quali trattandosi diverse materie sopra diversi luoghi della Sacra Scrittura del vecchio e del nuovo Testamento si contiene Cristiano desideroso di vivere puramente fra le persone, e della salute dell' anima sua, messi insieme e fatti volgari da monsignor Galeazzo, vescovo di Sessa, con due tavole, l'una de' Sermoni, e l'altra delle cose notabili. »

1572. *Fiorenza, per i Giunti*; *in-4°.* « Libro III de' varj Sermoni di S. Agostino..... raccolti insieme e fatti volgari da *Raffaello Castruccio* monaco della badia di Firenze a imitazione di monsign. Galeazzo, vescovo di Sessa. » Prodiit etiam liber quartus, sed in quo nihil Augustini contentum fuit. Secundam vero partem impressam invenio a. 1654 h. tit.:

1654. *Venezia, per Girolamo Scotto*; *in-4°.* « Seconda parte de' Sermoni di S. Agostino.... tradotti in volgare da Msgn. Galeazzo Florimonzio, vesc. di

Sessa, con alcuni Omilie del medesimo. » Hæc omnia nobis suppeditavit *Bibl. degli Aut. volg.* l. 1.

1694 et 1700. *Paris chez veuve Jean-Bapt. Coignard*; *in*-8°, *IV voll.* « Les sermons de S. Augustin sur le Nouveau Testament, traduits en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins, par *Philippe Goibaud du Bois.* »

1731. In *Firenze* presso *Dom. M. Manni*; *in*-4° « Volgarizzamento de' XL Sermoni falsamente attribuiti a S. Agostino, fatto da un Religioso dell' Ordine detto di S. Agostino, nell' anno 1300, e, come si crede, da Fr. Agostino da Scarperia. » *Cat. Bibl, S. Ang. ad Nidum Neapoli, Audiffredi* in *Cat. Bibl. Casanat.*, it. *Cat. Bibl. Smith.*

XLIV. — (119) *De decem chordis liber.*

Hujus *versionem Hispanicam*, auctore *Gundisalvo Garzia de Sancta Maria*, Cæsaraugustano, editam a. 1494, *in*-8°. *Los Tratados de las diez cuerdas de la vanidad del mundo* commemorant ex *Nic. Anton. Bibl. Hisp.* p. 425 Colonienses.

ARTICULI SECUNDI SEQUENTIA.

Annales editionum singulorum Augustini librorum.

§ II. *Spuriorum scriptorum.*

I. — (6) *De Musica libri sex.*

Nescio equidem, an huc spectat, qui in Catalogo Bibl. Bobleianæ memoratur *S. Augustini libellus de Musica. Basileæ.* 1511, *in*-4°

II. — (18) *De Grammatica liber.*

1605. *Hannoviæ*, *in*-4°. Augustinus de Grammatica. Exst. inter Auctt. Antiqq. de Grammatica Lat. collect. ab *Helia Putschio*, a pag. 1975.

III. — (19) *Principia Dialectices et Rhetorices libri duo.*

1479. *Florentiæ, apud S. Jacobum de Ripoli*; *in*-4°. Augustini Logica. *Cat. Bibl. Casanat.*

1599. *Parisiis*, *in*-4°. Augustini principia Rhetorices. Exst. inter *Antiquos Rhetores* a pag. 290.

1643. *In Venezia, nella Salicata*; *in*-4°. « S. Agostino della Retorica. » Exst. *Auctori del ben parlare* Tomo XXX, pag. 21.

IV. — (34) *Liber de Fide ad Petrum Diaconum.*

Prodiit seorsim *sine loco et anno, in-fol.* Sed vide *Fulgentium* tomo III. Cf. supra in Opusculis ad a. 1473, n. 1.

V. — (35) *De Spiritu et Anima.*

1472. *S. l. et typogr.*; *in*-4°. S. Augustini liber de anima et spiritu, de ebrietate, ad virgines de castitate et sobrietate, de quatuor virtutibus charitatis. de contritione cordis. In fine : *Finitus est liber beati Augustini, ep. Yponensis cum ceteris tractatulis ejusdem. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo quinto Idus Nov.* Exstat in Bibl. Lubecensi *Gessner.* l. 1, p. 26. Is vero ex litterarum similitudine et chartarii signo (capite taurino) jure aliquo suo concludere sibi videtur, *Moguntiis apud Petrum Schœfferum*, qui eadem forma absque loci et anni indicio libros *de vita Christiana* et *veræ vitæ cognitione* excudit, fuisse impressum. Ibi tamen insignia Schœfferi non, ut in hoc volumine, desunt.

VI. — (36) *De Amicitia.*

1510. *Lipsiæ*, *in*-4°. « D. Aur. Augustini, Hipp. episc. de amicitia liber, in quo Ciceronis errata castigantur, cunctis, qui pacem, concordiam et veram atque perfectam diligunt amicitiam, utilis et summe necessarius. » Subjiciuntur huic titulo statim disticha sequentia :

Augustinus in hoc aphorum (*sic*) gloria gentis
Quæ sit vera libro narrat amicitia
Magnus Aristoteles callens arcana capaci
Naturæ ingenio : nescius hujus erat
Nescius eras hujus Plato tu divine magister
Hanc veterum ignorans ethnica turba virum.

In fine : *Impressum Lyptzk p. Baccalaureum Wolffgangum Monaceu. Anno* 1510. — Character est Gothicus. Præfatus est *ad studiosos et eruditos bonor. artium in acad. Liptzen. Amatores Magnus Hundt parthenopolitanus, theologorum*, ut quidem se appellat, *infimus*, ep. data *in collegio principis die Calixti.*

VII. — (39) *Soliloquia.*

1473. *S. l. in-fol.* Augustini soliloquium de Arrha animæ. Ab initio : *Incipit soliloquium beatissimi Augustini episcopi yponensi* (sic) *de Arra animæ.* In fine : *Raptus est finis hujus tractatus Augustini de arra anime feria tertia post festum sancti Dyonisy Anno dni lXXIII XC* (sic). Ejusdem est editionis ac *Soliloquia* genuina s. l. et a. et Hieronymiana *de essentia div.*, etc. Conf. dicta ad librum Augustini *de Quantitate animæ.* Extremæ raritatis esse exinde discas, quod nemini hactenus bibliographorum cognitus fuerit. Summum vero in eo ad ætatem illorum opusculorum definiendam situm esse momentum nemo facile negabit, si ne minimum quidem ab illis differre dixero. Quod si igitur vere ea Guntheri Zaineri a quibusdam sunt credita, ut equidem nullus dubito, sequitur, Hambergeri sententiam, Zainerum post annum 1472 charactere gothico uti desiisse, postquam primum mense Novembri ejus anni Romanos typos Isidoro imprimendo adhibuisset (*a*), ipsum fefellisse, quod plerisque accidere solet, qui nimis exactis formulis limites ac tempora eventuum ant institutorum quorumdam circumscribere amant. Ac quænam causa tam repentini fastidii Gothici characteris in eo viro cum verisimilitudine fingi possit ?

Versiones.

1489. *Sine loco et typogr. A di* XX *di giogno* (sic) *in*-4° *min.* « Li Soliloquj del divo Padre santo Agostino. » Character rotundus est. Florentiam natales ejus esse suspicatur editor *Cat. Crevennæ noviss.* T. I, p. 111.

1491. *Firense. A di Novembre*; *in*-4°. « Soliloquj di santo Augustino volgari. » *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.* l. l.

1492. *Mediolani*..... *in*-8°. Hujus anni, loci ac formæ versionem Italicam horum librorum commemorat *Denisius Garell. Bibl.* p. 235.

(*a*) *Zuverlass. Nachrr.* T. IV, p. 806, ubi de Zaineriana ed. Thomæ Kempisii præcipit.

1663. *Paris, chez Charl. Savreux, in*-12. « Les Soliloques, le Manuel et les Méditations de S. Augustin, traduits en françois par D. L. C. C. F. »

1671. *A Lyon, in*-8°. « St. Augustin : les Soliloques, le Manuel. » *Cat. Bibl. Bern.*

1684. *Paris chez Pierre le Petit, in*-12. « Les Soliloques, les Méditations, le Manuel de S. Augustin, traduits en françois par le *P. Nicolas Regnier.* »

1691. *Paris, chez Guil. Desprez*; *in*-12°. Eadem, « traduction nouvelle, revue sur le latin : édition augmentée de l'Esprit du même saint, tiré de ses Confessions. »

— *Paris, chez Jean-Bapt Coignard; in*-12. « Les Soliloques, les Méditations et le Manuel de S. Augustin, traduits en françois sur l'édition latine des Pères Bénédictins, avec des notes, par *Philippe Goibaud du Bois.*

1696. *Paris, chez Jean Couterot, in*-8°. « Les Soliloques de S. Augustin, mis en vers françois, avec le latin et une Méditation, sur le jugement dernier, en vers. »

1704. *Paris, chez Nic. le Gras*; *in*-12. « Les Soliloques et les Méditations de S. Augustin traduits en françois par le *P. René de Ceriziers.* »

Plura de variis horum librorum *Gallicis versionibus* attulit auctor hujus articuli in *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 729, num. 4, de quibus, quoniam aliunde haud quicquam recognovi, sollicitari me non sinam.

VIII. — (40) *Meditationes.*

Sine anno loco et typogr.; *infol.* Liber S Augustini de Meditatione. A prima statim pagina legitur : *Incipit liber p. locutionis beatissimi patris nostri Augustini et ejus ctemplatione.* In fine : *Explicit liber de meditatione beatissimi patris nostri Augustini. Deo gratias.* Laudat hoc opusculum cl. *Seemiller* fasc. I, p. 112, inter eos libros, quos absque loci et anni commemoratione a Christophoro Valdarsero, Ratisbonensi, qui intra annos 1471-1476. Venetiis et Mediolani impressit, excusos esse sibi persuasit, et quorum plures ibidem eosdemque omnes invicem charactere et descriptione reliqua valde similes proposuit. De nostro vero prodidit, litteris oblongis paulo majoribus exscriptum folia tredecim integra et paucas in decimo quarto lineas complecti, sine numeris ac notis paginarum foliorumve, absque itidem litteris initialibus.

Sine anno et loco; in-4°. B. Augustini Meditationes. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 376, ubi additur : *Vetus editio circa annum* 1500.

Sine anno. Parisiis per Antonium Cayllaut, in-4°. Meditationes Beati Augustini, *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 175.

Sæc. XVI et XVII. — 1516. *Venetiis... in*-8°. « S. Augustini Meditationes. Soliloquiorum animæ ad Deum liber unus. Manuale. Exst. in *Opusculo multarum bonarum rerum referto*, ab initio. » Sic *Audiffr. in Cat. Bibl. Casanat.*

1608. *Duaci, per Balth. Bellerum*; *in*-24. D. Aur. Augustini Meditationes, Soliloquia et Manuale, etc. Plenum titulum vide in sequenti.

1613. *Duaci, per Balthazar Bellerum in*-24, « D. Aur. Aug... Meditationes, Soliloquia et Manuale. Meditationes *B Anselmi* cum tractatu de humani generis redemptione. Meditationes *D. Bernardi. Idiotæ* viri docti contemplationes de amore divino. Omnia ad mss. exemplaria emendata et in meliorem ordinem distributa : opera et studio R. P. *Henrici Sommalii*, Soc. Jesu theol. »

1614. *Coloniæ apud Conrad Butgenium.* Idem liber ejus. ed.

1631. *Lugduni, in*-24. S. Augustini Meditationes. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

— *Coloniæ Agrippinæ, sumpt. Corn. ab Egmond.; in*-12. Idem liber ex ed. *Henr. Sommalii.*

1637. *Ibidem, per eumdem*; *in*-12. Eadem editio.

1649. *Ibidem, in*-12. Idem liber per eumdem.

1650. *Parisiis, apud Claudium Cramoisy*; *in*-12. D. Aur. Augustini Meditationes, Soliloquia et Manuale : omnia ad mss. exemplaria emendata, opera et studio *Henrici Sommalii.*

1672. *Romæ, per Barthol. Lupardum in*-4°. Eadem.

Sine anno. Dilingæ. apud Sebald. Mayer; in-8°. D. Aur. Aug... Meditationes, Soliloquia, Manuale. Aliam horum librorum editionem *Dilinganam* an. 1571 commemorant obiter Colonienses p. 729, ad n. 4.

Sæc. XVIII. — 1701. *Antuerpiæ, in*-8°. Divi Aur. Aug... Meditt., Soliloquia et Manuale, ad mss. exemplaria emendata et in meliorem ordinem distributa, op. et studio *R. P. Henr. Sommalii.*

Versiones.

Sine anno et loco, in-12. S. Augustini Soliloquia in Græcum vulgare translata. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 377.

1671. *Paris, chez la veuve Charles Savreux, in*-12. Eadem *Gallice.* « Par le sieur D. L. C. C. E. »

1679. *A Paris, chez Guill. Desprez*; *in*-8°. « Les Soliloques, le Manuel et les Méditations de S. Augustin. Traduction nouvelle, revue très-exactement sur le latin. Nouv. éd. à laquelle sont ajoutés quelques fragmens de piété tirez des Confessions de ce mesme *saint*, qui feront voir quel estoit son esprit. » Postrema sub titulo, « L'Esprit d'Augustin tiré de ses Confessions » addita sunt.

1714. *Bruxelles, in*-8°. Idem liber Gallice c. notis. *Cat. Bibl. Thott.*

1604. *Madrid...* Eadem *Hispanice* reddita a P. *Ribadeneira.* Exst. in ejusdem Opp. p. III, pag. 933 sqq.

1600. *Francf. a. d. Oder*; *in*-8°. Idem liber *Germanice* per *Henr. Raetell.*

1717. *Gent., in*-8°. Idem liber, *Belgice* per *Andr. van Loo. Cat. Bibl. Thott.*

—

Ex Meditationibus excerptum esse *S. Augustini Rhythmum de gloria et gaudiis Paradisi* versibus politicis compositum, qui exstat inter *Ge. Fabricii*

Poet. Christ. Basil. 1564, *in*-4°, p. 815, monet *Audiffredus in Cat. Bibl. Casanat.*

IX. — (42) *Manuale.*

1471. *Turvisii per Gerardum Lisam de Flandria, in*-4° *min.* S. Augustini liber de Salute, sive de Aspiratione animæ ad Deum. Ad calcem litteris uncialibus excusum visitur

In laudem scriptoris epigramma.
Gloria debetur Girardo maxima lisae.
Quem genuit campis Flandria picta suis.
Hic Tarvisina nam primus cœpit in urbe,
Artifici raros aere notare libros.
Quoque magis faveant excelsi numina regis.
Aurelii sacrum nunc MANUALE dedit.
TARVISII
N. CCCC. LXXI.

Constat hocce opusculum, a quo typographiam Tarvisinam initium duxisse suspicatur Morellus (*a*), foliis xx, impressum charactere rotundo eleganti, lineis 22 per paginas. Complectitur sola XXIV priora capita juxta sequiorum editionum distributionem. *Audiffredi in Cat. Bibl. Casanat.* Adde *Crevennæ Cat. novissimum.*

X. — (44) *Speculum peccatoris.*

Sine anno, loco et typogr.; in-4°. B. Augustini Speculum peccatorum. *Vetus editio circa annum* 1500. Sic *Cat. Bibl. Reg.*

Sine anno, loco et typogr.; in-fol. S. Augustini Speculum peccatoris. Vide quæ ad libellum *de Quantitate animæ* ejusdem editionis sunt notata.

XI.— (47) *de veræ Vitæ cognitione.*

Sine anno. Moguntiæ, apud Pet. Schœffer, ut ex insigni illus ad calcem minio impresso apparet. *in*-4° Incipit a capitulorum tabula tres pene paginas occupante, cujus versiculi novem præfixi sunt hoc exordio :

Augustine pater, aquilino more Joannis
Ingenii velis petis alta recondita celis, etc.

In fine : *Augustini de v. v. c. libellus explicit.* Character plane idem est cum præcedentis libri formis. Anno circiter 1470 procusam suspicatur *Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val.* T. I, p. 176 Exstat etiam in Bibl. Lubecensi. V. *Gessner* p. 14, a quo *Schelhornius* in *diatriba ad Quirin.* (Lindav. 1761, *in*-4°), p. 37, et *Schwindelius* in Not. hist. crit. libr. vet. rar. l. XXXVII, laudantur.

1578. *Basileæ...* S. Augustini de Trinitate fragmentum ex libro qui inscribitur de Cognitione veræ vitæ (*cujus Auctor Honorius Augustodunensis*) *Gr. Lat. I. Leunclavio inteprete.* Exst- cum Legatione imp. Cæs. Man. Comneni ad Armenos, etc.

1670. *Romæ... Idem cum levi aliquod discrimine.* Exst. inter Opuscula Aurea Theol. quorumdam Græec. collecta a *P. Arcudio a pag.* 672. Sic *Audiffredus in Cat. Bibl. Casanat.*

XII. — (48) *De Vita Christiana.*

Sine anno et loco (*Moguntiæ, apud Petr. Shœffer*); *in*-4°. *Incipit prologus beati Augustini de vita X piana.* In fine : *Explicit liber b. Aug. de v. Chr. Hec faciendo quisque vitam obtinebit eternam.* Extremo loco signum Schœffierianum minio, ut solet, impressum conspicitur. Character ex Gothico ad rotundum deflectit, sed perquam exilis et rudis est. Signaturæ et numeri foliorum plane absunt. Cf. *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 174. Laudatur quoque in *Catal. Bibl. Bunav.*, itemque in Bibl. Lubecensi exstat.

Sine anno Parisiis, apud Joan. Lambert; *in*-8°. Liber beati Augustini de Vita Christiana. Hæc in suprema paginæ parte, reliqua signum officinæ pro more typothetarum Parisiensium exeunte sæculo XV, et sub initium XVI occupat. In fine : *Explicit*, etc. *Impressus parisiis per Johānem lambert in vico sancti jacobi commorantem p. Dyonisio Roce.* Litteræ sunt Gothicæ minutæ.

1467. *Per Olricum Zel de Hanow; in*-4°. Beati Augustini liber de Vita Christiana. Ejusdem liber de singularitate clericorum. In fine posterioris : *Explicit Liber beati augustini epī. de singularitate clericorum. Per me Olricum Zel de hanau clericu dioces. Moguntinen. Anno millesimo quatercentesimo sexagesimo septimo.* Prior tractatus XIX folia, alter XXXIII complectitur, quorum singulæ paginæ lineis 27 constant. *Debure* in Cat. Ducis de la Val. T. I, p. 173. Supra sub *opusculis* plures invenies Augustini tractatus huic editioni valde similes, ab eodem haud dubie typographo, circa annum 1470, ut putant, impressos.

XIII. — (50) *De XII abusionum gradibus.*

Sine anno et loco; *in-fol.* « Aurelii Augustini Iponensium presulis dignissimi liber de XII abusionibus seculi, incipit feliciter. » In fine : *Laus deo.* Separatim vero folio ultimo impressa sunt *Augustini de origine animæ electissima auctoritas* et *Augustinus de divinatione dæmonum.* In fine iterum : *Laus deo.* Hinc est, quod in duobus hujus editionis exemplis apud *Seemillerum* fasc. I, p. 190, alterum non nisi opusculum primo loco commemoratum exhibeat, alterum præter reliqua duo uno folio comprehensa præbeat etiam *B. Anselmi libros duo de eo, cur Deus homo?* viginti novem foliis impressos. — Plagulæ sunt quatuor. Characteres Gothici rudiores et inæquales lineis latis impressi, in quibus imprimis frequens syllabarum *de. be. po. bo. vo. co. ho.* in unam figuram contractio, Nec desunt crebra syllabarum compendia.

1514. *Lipsiæ, in*-4° D. Aur. Aug. Hipp. ep. de duodecim abusionum gradibus in mundo : liber utilis atque delectabilis. In fine, post tituli repetitionem : *Lypssck per baccalaureum Martinum herbipolensem diligenter impressus : anno a nativitate Christi Millesimo quingentesimo quarto decimo.* Subjiciuntur insignia typothetæ in ipso fine.

1521. *Augspurg, durch Sigism. Grimm und Marx Wirsung; in*-4°. « Augustinus von den zwoelff Stapffein der Myssbrauchung von dem neuen Gesang, wie man das Reich der hymel erlangen mag, verteutscht durch *Georg Spalatinum.* »

XIV. — (55) *De Antichristo.*

1522. *Parisiis....* S. Augustini fragmentum ex

(*a*) In *Cat. Bibl. Pinell.*

tractatu de Antichristo (qui inter Alcuini et Rabani opera reperitur). Exstat in *Mirabili libro, qui Prophetias*, etc., demonstrat. *Audiffred.* in *Cat. Casanat. Bibl.*

XV. — (75) *De essentia Divinitatis.*

1510. *Lipsiæ per Wolffgangnm Monacens.; in-4°.* « D. Aur. Aug. Hipp. episc. liber de essentia divinitatis, quo Anthropomorphitarum et Vadianorum errores ex falsis quorumdam philosophorum opinionibus exortos præcipue reprobat: luce clarius explicans corporalia et humana membra. non carnaliter sed spiritualiter in sacris litteris, divinitati attribui. Annexis quisbusdam annotationibus. a doctore *Magno Hundt* Parthenopolit. in Academia Liptzen. ex tempore collectis: Studiosis et philosophiæ et sacrarum litterarum amatoribus admodum proficuis. » — Præmissa est editoris ep. ad Paulum Schillerum, philos. et SS. litt. profess. data. in Colleg. Princip. 1508 decima septima Octobris. Verba Augustini et Annotationes alternis se invicem excipiunt. In Bibl. Colon. laudatur editio Hundii Lipsiæ 1509, ex Becmanni Cat. Bibl. Francof. p. 35.

ARTICULI SECUNDI SEQUENTIA.

Annales editionum singulorum S. Augustini librorum

§ III. *Scriptorum prorsus dubiorum.*

I. — *In Matthæum Comm.*

Sine anno et loco S. Augustini commentarii in Matthæum. Per omnia editioni librorum de doctrina Christiana absque loci et anni indicio expressæ similes esse tradit *Ge. Pray* in *Cat. Bibl. Bud.* T. I, p. 89. Uterque liber etiam uno volumine in ista Bibliotheca comprehendebatur et Praius descriptnrus erat accuratius, ni mutilum hujus exemplum fuisset. Nescio an sit particula *Quæstionum Evangelicarum* quæ inter genuina n. 41 recensentur.

II. — *De Vanitatibus sæculi.*

Sine anno, loco et typogr.; *in-4°*. S. Augustini, episcopi Hipponensis, 1° de Vanitatibus sæculi, 2° de Vita Christiana.

Hujus editionis memoriam, ut tot aliarum, quæ rarissime alias obtingunt, servavit cl Seemiller fasc. II, p. 150. Separari duo hæc opuscula non possunt, atque una constant foliis XXIII, lineis 25 per pagi-D nam, charactere Gothico paulo majori, oblongo et luculento, eodem, quo Conradus Finer Esslingensis usus est (*a*), impressis. Absunt custodes, signaturæ, numeri et inscriptiones paginarum. Attamen duæ initiales litteræ horum opusculorum formis ligneis impressæ sunt. Initium: *Incipit liber Augustini de Vanitatibus seculi.* Sub finem folii quinti pagina aversa duabus lineis: *Explicit liber sancti Augustini de Vanitatibus seculi feliciter.* Tum in fronte folii sexti: *Prologus libri beati Augustini de Vita Xpiana incipit feliciter;* atque in extrema tandem pagina tribus lineis: *Explicit liber sancti Augustini de Vita* A *Christiana feliciter*. Cæterum nescire me fateor, quo primum tractatum referam, suspicor tamen, eumdem esse cum sermone, qui vulgo *de Vanitate* sæculi inscribitur, inter dubia relatus num. 9.

III. — *Expositio Symboli et Orationis Dominicæ.*

Sine anno, loco et typographo, in-fol. S. Augustini 1° Expositio Symboli. 2° Ejusdem expositio Orationis Dominicæ.

Commemorat duo hæc opuscula, cum aliquot Thomæ Aquinatis et Henrici de Hassia, idem pene argumentum concernentibus et iisdem typis expressis, compacta, cl. *Seemiller* fasc. I, p. 152 sq. Impressa sunt charactere Gothico nonnihil majori et oblongo. Interpunctionum signa sunt punctum, comma supra et infra lineam prominens, cui interdum punctum in B formam signi exclamandi subjici vir laudatus animadvertit. Lineæ triginta per paginam integram numerantur: numeri, signaturæ, custodes, nec non initiales litteræ desunt.

Sine anno, loco et typogr.; in-4° min. S. Augustini 1° sermo super oratione Dominica, 2° Expositio Symboli, 3° Sermo de ebrietate cavenda.

Tria hæc opuscula, quorum penes eumdem virum doctum fasc. I, p. 163, memoria est prodita, uno volumine VIII foliorum, ita, ut separari nequeant, comprehenduntur. Characteres, eodem teste, sunt Gothici, minuti, sed admodum pingues, non absimiles iis quos imprimis Udalricus Zel frequenter adhibuit, minores tamen. Distinctionis signum laqueus C hac forma | ∽ | . Numeris, signaturis, custodibus et litteris initialibus caret. Pagina juxta lineas 27 complectitur.

IV. — *De virtute Psalmorum.*

Sine anno, loco et typogr.; *in-4°*. In fronte: *Incipit Augustinus De virtute psalmorum.* In fine: *Explicit Augustinus de virtute psalmorum.* Cl. *Seemiller* fasc. II, p. 163. Impressum est volumen, hoc teste, Gothico charactere singularis formæ et justæ magnitudinis in charta alba ac nitida, absque custodibus, numeris, etc. nisi quod priora quinque folia typographus signavit.

Sine anno. Parisiis per Dionys. Roce; *in-8°*. Augustinus de Virtute Psalmorum. Typographus ex signo titulo impresso noscitur. Vid. ex eadem officina librum *de Vita Christiana.* In *Cat. Bibl. Bodl.* hujus libri editio quaternis *sine l. et a. indicio* facta memoratur.

CAPUT IV.

Defloratores et Commentatores præcipui Operum S. Augustini.

Casimirus Oudinus in Commentario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Tomo I, pag. 990, absoluta jam notitia de vita, scriptis et editionibus S. Augustini, singulare caput *de Defloratoribus vel Commentatoribus D. Augustini, tam antiquis, quam recentibus præcipuis* perscripsit et reliquis tamquam *septimum ultimum*

(*a*) Cujus gratia lectores ablegat ad *Gerhohi Steigenberger literarisch-krit Abh. üb. die zwo alleraelteste gedr. deutsche Bibeln*, etc., qui Tab. III, n. 3 et 4, eumdem ære incidendum curavit.

adjecit. Quem secuti *Auctores M. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Coloniensis*, totum pene servata etiam epigraphe in commentarios suos, voce AUGUSTINUS num. VI, pag. 767, retulerunt, ita tamen, ut resectis iis, de quibus alio loco commodius verba fecissent, auxerint etiam non pœnitendis additionibus. Optimum institutum a nobis non sine lectorum detrimento deseri posse videbatur. Sed intelleximus etiam, quæ ab illis novissime congesta erant, paucis tantum in locis emendationem aliquam desiderare et pauciora inesse, quæ nostræ tractationi apta non essent. Nec sperandum fuit, ut ipsi ampliora quodammodo daremus, quinimmo, quæ in proprias schedulas digesseramus ad hocce argumentum spectantia, ad unum omnia ab illis occupata esse cognovimus. Quapropter nullatenus dubitavimus, quidquid in tota hac Oudini et Coloniensium dissertatione nobis probaretur, ipsis eorum verbis huc transferre, dummodo non alieno merito quidquam subtraxisse videremur.

Primus fuit S. *Prosper Aquitanus*, qui circa annum 450 librum *Sententiarum ex S. Augustino delibatarum* confecit, studio *Jo. a Fuchte* aliquoties seorsim editum, de quo nos suo loco. Colonienses, titulo libri non satis integro inducti, memoriam ejus tamquam ipsius editoris opellæ post *Lumnii Thesaurum* inseruerant. Proximus ætate fuit, cui primum locum in hac serie dederat Oudinus.

Eugyppius abbas et presbyter Africanus sæc. VI, qui *sententias*, *quæstiones*, etc., ex S. *Augustini* scriptis defloravit et in unum corpus, cui *Thesauri* nomen fecit, collegit. Hic cum ad nostrum etiam censum pertineat, plura de eo in sequenti tomo dicta invenies.

Inter mss. codices bibl. Venetæ cardinalis Bessarionis, exstat *Petri* abbatis Tripolitani nomine *Expositio in Epistolas D. Pauli ex divi Angustini Sermanibus*, in membrana, de qua loquitur Baronius ad annum 562, post Cassiodorum *Divinarum Institutionum* cap. 8. Sed an legitimum opus Petri Tripolitani abbatis sit, caute discutiendum est: licet hoc scribat Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo bibliothecarum Venetarum publicarum et privatarum quem anno 1650, Utini, in-4° imprimendum curavit. *Oud.*

Venerabilis *Beda*, natione Anglus, professione monachus et presbyter, qui anno 710 et sequentibus floruit. Exstant inter Opera Ven. Bedæ *Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli, ex Auguslini operibus ut plurimum excerpta*, de quo opere Baronius in Annalibus ad a. 562 litem Bedæ movet, ac Petro abbati Tripolitano, de quo Cassiodorus *Divinarum Institutionum* cap. 8, ascribendum censet. Verum Joannes Mabillonius litem intentatam præclare diluit, qui T. I *Analectorum*, Dissertatione singulari p. 12, nec Bedæ, nec Petro, sed *Floro* magistro, Lugdunensis Ecclesiæ diacono, deberi demonstrat. Verum interim *Commmentarium Bedæ* (nam S. Pauli Epistolas ab eo explicitas esse, ips in *Indiculo* Operum suorum fidem facit) ejusque *Collectaneum in Apostolum ex Operibus Augustini decerptum*, grandi satis volumine nondum impressum, penes se habuisse testatur Lupus, Ferrariensis abbas, epistola 76 ad Hincmarum, p. 118. Exstat autem in duobus mss. exemplaribus apud Joannem Mabillonium, ex bibliotheca S. Germani Pratensis, ut idem testatur. Vide quæ habet Stephanus Baluzius in Notis ad Lupum Ferrariensem p. 405. *Oud.*

Magister *Florus*, Lugdunensis Ecclesiæ diaconus, circa a. 850 inclytus, scripsit *Commentarium in omnes S. Pauli Epistolas ex S. Augustini Scriptis contextum*, qui habetur tomo VI Operum Bedæ, ei falso ascriptus. Nam *Flori* istius esse ex pluribus mss. codicibus docuit Joannes Mabillon, Disquisitione hac de re composita *Analectorum* T. I, p. 12 seqq., qua etiam ostendit, genuinum Bedæ Commentarium ab evulgato esse opus diversum, idque nondum typis editum penes se habere, aliquando in lucem proferendum. Alibi tamen observat in 3 mss. codicibus abbatiæ S. Galli in Helvetia, qui annorum 800 et 700 sunt, hanc ipsam Bedæ expositionem sub nomine *Flori presbyteri* contineri, de qua vide quæ annotavit erudite T. IV *Analectorum* p. 630. Abbreviavit prolixum *Flori Commentarium in Epistolas Pauli* circa a. 1180 *Robertus de Torinneio*, in Normannia, abbas S. Michaelis de Monte, diœcesis Abrincensis, quem arbitratus est spectasse ad Petrum Tripolitanum, quamque sententiam ad annum Christi 562 Baronius amplexus est, cujus *Abbreviatio* ms. exstat inter mss. codices bibliothecæ S. Michaelis de Monte. Exstat autem *Epistola et Prologus in Abbreviationes Epistolarum Apostoli secundum Augustinum*, in Appendice ad Guiberti Opera a Luca Dacherio edita Parisiis in-fol. 1651, p. 715, quam ex ms. codice produxit. Hæc *Oudinus*, copiosius alibi de iisdem in recensu operum *Bedæ* et *Flori* Lugdunensis disserens. Nos supra singularem eamque vetustissimam horum *Commentariorum* editionem produximus.

Bonizo. Sutrii ac Placentiæ episcopus, circa a. 1073 composuit *Augustinianam Epitomen* seu *Excerptum Sententiarum Mirifici doctoris Augustini* libris VIII distinctum, quod S. Joanni Gualberto, fundatori et primo abdati Vallis Umbrosæ dedicavit, exstatque ms. in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter mss. codices ex arce Ambrosiana illuc allatos, codice 85, ut testatur Petrus Dambecius illius inspector et custos T. II *Commentariorum* hujus bibliothecæ cap. 8, p. 790 sqq. *Oud.*

Guillelmus abbas S. Theodorici prope Remos, in Gallia, ordinis S. Benedicti, tum ex abbate factus monachus ordinis Cisterciensis apud Signiacum in eadem diœcesi, sæculo XII, cujus inter Collectanea habetur opusculum *Sententiarum de Fide ex S. Augustini* Operibus collectum, quod a se ex autographo ms. Bibl. Signiacensis ord. Cisterciensis transcriptum testatur Oudinus traditumque *Thomæ Blampino* Bened. Congreg. S. Mauri, qui hanc Collectionem sub Auctoris proprii nomine in Append. ultimi voluminis Operum S. *Augustini* edendam promiserat.

quod tamen non præstitit. *Colonienses ex Oudino.*

Rob. Kilwardby Ord. Prædic. natione Anglus, Cantuariensis archiepiscopus, et cardinalis episcopus Portuensis sæc. XIII, libros S. *Augustini* fere omnes, aliorumque plurium Ecclesiæ doctorum per parva capitula distinxit, sententiam singulorum sub brevibus annotando. Cujus laboris varia in Bibl. Regia Paris. supersunt monumenta ms. quæ recenset *Echardus* in Script. Ord. Præd. ad a. 1279, p. 379, ubi et alia memorat ex Catal. Anglic. *Colonienses.*

Bartholomæus Urbinas episcopus circa medium sæc. XIV, eremita Augustianianus, S. *Augustini* et *Ambrosii* Operum lector assiduus, sententias utriusque insigniores excerpsit, quas in alphabeti ordinem digestas, *Milleloquium* appellari voluit. Atque ab *Augustino* quidem *Triumpho* ejusdem Ordinis (vulgo *de Ancona* dicto) ejus præceptore, *Milleloquium Augustini sententiarum* incœptum, a discipulo absolutum, *Lugduni* a. 1555 impressum est. *Milleloquium Ambrosii* ibid. a. 1556, in-fol. *Colon. ex Oud.*

Antonius de Nomis Florentinus (*aliis* Maciallensis) eremita Augustinianus, qui a. 1438 decessit, e libris S. *Augustini* capita omnem fere litterarum Divinarum tractationem continentia digessit et inscripsit, *Flores Doctoris S. Patris Augustini*, quæ exstare dicuntur in Bibl. S. Spiritus Florentiæ. *Colon.*

Joan. Frid. Lumnii (*a*) *Thesaurus Christiani hominis* ex scriptis S. *Augustini* collectus, *Antuerp.* 1588. *Colon.*

Dulciloquiorum. S. Augustini libros tres, ex vetere ms. exemplari Bibl. *Romersdorpianæ* primum editos *Herbonæ* 1592. in-12, a viris fide dignis se accepisse testatur Labbeus (*b*), sed nondum vidisse scribit. *Colonienses.* In *Cat. Bibl. Reg. Paris.* dictus liber exstat editus *Herbonæ Nassoviorum* 1614, in-12, h. t. *Aur. Augustini libri tres Dulciloquiorum e bibliothecæ Romerstorpianæ vetere manuscripto exemplari nunc primum editi studio Guil. Rolichii.*

Jo. Gastius, Brisacensis, Commentarios in universa Biblia ex Augustini operibus collectos edidit *Basileæ apud Hervagium* 1542, *II tomis in-fol.* Laudat *Cat. Bibl. Bodlei.* Ejusdem operi tomum I, Vetus Testamentum complexum, editionis *Venetæ* ex *officina Erasmiana* 1543 profert *Cat. Bibl. Thott.*

Hieron. Torres seu *Torrensis*, Soc. Jesu Hispanus, *Confessionem Auyustinianam* in libros IV distributam, et certis capitibus locorum theologicorum comprehensam, ex omnibus S. *Augustini* Operibus magno studio collectam, edidit Dilingæ 1568, et rursum auctiorem ac emendatiorem, 1569, *in-fol.* (*c*) Eam *Augustanæ Confessioni* opposuit; *quo in opere* (ait *Alegambius* Bibl. Script. S. J. p. 188) *duo egregie præstat: alterum, quod catholica dogmata mirifice probat, et confirmat, refutatque hæreticorum errores ex* Augustino; *alterum, quod locos ipsius* Augustini, *vel male intellectos, vel malitiose detortos, atque ab hæreticis depravatos, adamussim revocat, atque sincere interpretatur. Oud.* et *Colon.*

Joannes Piscatorius Lithopolitanus, qui Epitomen omnium Operum Augustini diligentia nequaquam sordida composuit, cujus editionem factam *Augustæ Vindelicorum apud Heinricum Steyner* 1537, in-fol., præsentem intueri licet. Ejus vero hic est titulus: *Omnium Operum Divi Aurelii Augustini episcopi, undecumque doctissimi, Epitome: Et quid vir ille, de Ecclesiæ Sacramentis, nec non sacræ Scripturæ locis communioribus insignioribusque senserit, scripserit, simul atque docuerit per* JOANNEM PISCATORIUM *Lithopolitanum hoc libro fidelissime et compendiaria quadam via diligentissime comportatum.* — Accedit in titulo brevis admonitio ad lectorem, in qua præsentissima atque ipsissima Augustini verba exhibuisse se affirmat, et *Steph. Vigilii* Pacimontani Decastichon in laudem libri. Ejusdemque Vigilii præfatio ante ipsius auctoris præfationem est inserta. Dividitur autem opus in tres tomos, quorum primus Augustini sententias juxta doctrinæ Christianæ capita ordinatas proponit, alter varia et miscellanea offert, tertius integros Augustini libros quos supra in *Annalibus editionum Operum* indicavimus, præbet.

In hanc *Piscatorii* operam manus temerarias immisit et convicia gratiarum loco rependit Joannes Pesselius. Prodiit enim.

Joannis Pesselii, ord. Prædic. Tilani in Geldria, *Omnium Operum S. Augustini Epitome, primum quidem copiose ac sinistre collecta a* Joanne Piscatorio *hæretico, et a* Joanne Pesselio *recognita, aucta duplo, et catholico sensu reddita; cui accessit ejusdem opera ex eodem Augustino collectus de septem Sacramentis tomus quartus* Colon. Agrip. 1539, 1542, 1549, in-fol. (*d*)

Jac. Tribesci (*a*) Brixiani, canonici regularis Lateranensis, *Responsiones ad mille Quæsita in omni fere facultate* ex omnibus S. *Augustini* libris excerptæ, *Venet.* 1583, in-5°. Alibi deprehendimus signatas: *Venetiis ap. Bernh. Juntam* 1586, in-4°.

Jo. Bapt. Masculi, Soc. Jesu Neapolitani, *Ponderationes Concionales in opera S. Augustini*, Neap. 1652, in-fol. (*e*). Forte idem opus, quod apud *Toppium* (*f*) inscribitur: *Eruditarum lectionum S. Augustini libri Acroamatici ad Conciones, decem tomis contractis in unum*, Neap. 1656, in-fol. *Colon.*

(*a*) Male *Lunicii* apud *Lipen.* Bibl. Theol. II, 916. *Colon.*

(*b*) *Dissert. de Script. Eccles.* in addend. et corrigendis p. 714, apud *Oudinum* col. 952. *Colon.*

(*c*) Ita Alegambius *MDLXIX.* Lipenius vero Bibl. Theol. I, 117, habet 1596, uti et *Oudinus* in Comment. col. 993, *ad multam usque senectutem.* ait, *provectus correxit, ablatis iis, quæ tamquam* S. Augustini *attulerat* ex lib. *de Fide ad Petrum*, quem *S. Fulgentii* esse compertum est: et ex libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui est *Gennadii* Massiliensis. *Colon.*

(*d*) Ex *Echard.* in *Script. Ord. Præd.* ad a. 1549, p. 135. *Colon.* Sed ed. a. 1535, quæ apud eosdem notatur, falsa est; nam *Piscatorii Epitome* primum a. 1537. lucem aspexit.

(*e*) Ex *Lipen.* Bibl. Theol. I, 118.

(*f*) *Bibl. Napol.* p. 137.

David. Lenfant Parisiensis ord. Præd. *Concordantiæ Augustinianæ, sive collectio omnium sententiarum, quæ sparsim reperiuntur in omnibus S. Augustini Operibus ad instur Concordantiarum Sacræ Scripturæ* Tom. I, Paris, 1656, in-fol.; II. 1665.

Ejusdem *Biblia Augustiniana, sive collectio et explicatio omnium locorum Sacræ Scripturæ, quæ sparsim reperiuntur in omnibus S. Augustini Operibus, ordine Biblico*. Paris, 1661, 1670, tomis II.

Albertus, Dux Luinensis (*de Luines*) Parisiis demortuus d 10 Oct. a. 1690. æt. 69, edidit *Sententias et Instructiones ex S. Augustino excerptas*. Parisiis 1677. Hæc *Colonienses* p. 214.

Hactenus omnino de Augustino dictum esto.

VARIORUM * EXERCITATIONES

IN

S. AUGUSTINI OPERA.

IN TOMUM PRIMUM.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN LIBROS RETRACTATIONUM ET CONFESSIONUM.

Erit fortasse qui miretur cur his duobus operibus primum dederimus locum. Is rationem accipiat: Duæ res sunt quæ vehementer et accendunt ad lectionem, et conducunt ad intellectum voluminis, vita auctoris cognita et operis non ignotum argumentum. Plurimum enim refert, quam existimationem, quem animum afferas ad legendum: nec facile dictu sit quantum in judicando momenti habeat præsumpta de homine opinio. Frequenter exosculamur dictum ab eo profectum quem amamus, de quo magnifice sentimus, consputuri si ab alio quem odimus venisse crederetur. Utramque commoditatem vir sanctus juxta ac prudens Augustinus his duabus lucubrationibus nobis procuravit. Libris Retractationum omnium operum suorum argumenta contexuit, et Confessionum libris vitam omnem suam depinxit, quorum utrumque tam diligenter ab illo factum est, ut iniquior aliquis suspicari possit non prorsus abfuisse humanum affectum κενοδοξίᾳ seu φιλαυτίᾳ cuipiam affinem. Verum res longe secus habet, si qui optimi viri consilium expendat. Olim solemme erat præstantium virorum gesta libris et orationibus celebrare. Hoc exemplum a militia ad studia, a Græcis ad Latinos et barbaros, a ducibus ac philosophis ad episcopos demanavit. Perspiciens itaque frequenter in historiis hujusmodi multum falsitatis inveniri, sive immodico studio, sive errore scriptoris, sive etiam inopia fidei ac laudis amore, maluit ipse sui historiographus esse: nimirum, sibi conscius quam non assentaretur sibi, deinde probe cognitum habens se nulli mortalium notiorem esse posse quam esset sibi. Nam, ut omittam animorum abstrusos sinus, quos quisque suos novit, nec quilibet tamen pernovit, quotam vitæ portionem noverunt qui nobis arctissima familiaritate juncti sunt? Porro famæ quanta levitas, quanta vanitas? Ad hoc quantum humanæ memoriæ perfluvium? Cum duo rem aut orationem eamdem, cui pariter interfuerunt, referunt, quanta narrationis diversitas? Jam quid istos memorem qui fabulis impudenter vanis et confictis miraculis memoriam eorum quibus favent, studeant vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes quæ laudatus nec fecit, nec probavit? Et arbitror fuisse qui pium existimarint hujusmodi fucis animos ad religionis studium accendere. Ego pestilens hoc rabularum genus inter Christianos semper sum exsecratus, qui neque sciunt veram pietatis imaginem adumbrare, nemo novit nisi vere pius, quales si essent illi, nunquam talibus mendaciis fallerent discipulos illius qui veritas est et hujusmodi technis hoc efficiunt ut nec vera narrantibus habeatur fides. Horum ne quid accidere posset, Augustinus suo penicillo seipsum nobis depinxit, idque ut majore cum fide faceret, nec mala sua reticuit, nec hominibus ista loquitur, sed Deo confitetur, cui mentiri nec pium

Cæterum quis nesciat quædam hæresiarcharum et paganorum opera studiose sæpius fuisse collecta tum ne si quid intermisceretur boni, deperderetur, tum etiam ut quod errorem sapiebat novum historiæ ecclesiasticæ suppeditaret monumentum. Hujus rei testes sunt scholiastæ, commentatores collectoresque duorum quæ præcessere sæculorum, atque in primis Benedictini quibus heterodoxorum omnis generis, v. g., Celsi, Porphyrii, Juliani, Pelagii et aliorum erramenta suis editionibus quasi suscitasse, a nemine unquam vitio versum est. EDIT.

* De his auctoribus lectorem monitum volumus, non omnes pari orthodoxiæ laude commendari. Nemini enim non notum est, Erasmum Roterodanum necnon et Phereponum, seu potius Joannem Clericum (le Clerc) sud hoc fictitio nomine latentem, in multis heterodoxiæ reos a viris catholicis haberi. Verumtamen, cum satis multæ illorum in S. Augustinum annotationes non mediocris sint momenti, has reticere noluimus, propter locos aliquot non penitus irreprehensos aut etiam erroneos, a quibus studiosus quisque facile præcavere poterit.

est, nec tutum. Jam in voluminibus quanta fuerit inscriptionum vel impostura vel infelicitas reputans, dum vel incuria multæ celebrium scriptorum lucubrationes intercidunt, vel inscitia studiove fraudatis auctoribus in alienum nomen plagio transferuntur, vel sub gratioso piorum hominum titulo supposititii nugonum, ne dicam hæreticorum libelli sparguntur in vulgus, libris Retractationum his malis occurrit tanta cura, ut singulorum operum et titulos et tempora et argumenta et occasiones et initia notarit, adeo nihil prætermittens, ut nec ea quæ prælusit catechumenus, quæ vix orsus fuerat, quæ non agnoscebat, denique nec psalmum vulgari rhythmo scriptum in Donati factionem præterierit. Patiar ut hanc diligentiam reprehendas, si prius supputaris quantum egregiorum voluminum nobis aliorum indiligentia perierit, quantum næniarum mendacibus titulis obtrusum sit orbi Christiano. Atque utinam pari diligentia quod cœperat absolvisset! Recoguovit enim quidquid aliquo pacto libri nomen meretur. Supererant epistolæ et tractatus, quas ipse testatur ab aliis homilias vocari, hos dividit bifariam, in dictatos, et dictos ad populum Quædam enim sic dicebantur, ut ex consensu dicentis ad preces amicorum a notariis exciperentur quæ dicebantur. Idem nonnunquam fiebat et apud populum, velut in actis solemnibus. Quanquam id temporis fere notariorum celeritas excipiebat quidquid publicitus apud multitudinem dicebatur. Quod quidem ut ubique facere molestum sit, ita in seriis disputationibus aut concionibus facere vehementer conducibile fuerit. Nunc quidem apud multitudinem quamlibet frequentem dicunt quidquid animo collubitum fuerit : cum urgentur, dejerant se nihil ejusmodi dixisse : ex adverso nonnullis exhibetur negotium, quasi dixerint quod non dixerunt Hic si qnis citet testem populum, bellua multorum est capitum, ut ait ille : scriptura manens certius litem dirimit. Recognita certum habent parentem. De epistolis et tractatibus aliunde sumendum est judicium. Neque tamen protinus adulterinum haberi debet quidquid in catalogo non recensetur, cum nec epistola sit nec homilia. Quanquam enim senex hoc opus accuravit, tamen certum est illum postea quædam dedisse in hunc ordinem accersenda, veluti librum de Hæresibus ad Quodvultdeum. Aliis igitur argumentis docendum est quædam esse ambigui partus, quædam certo notha. Porro libri Confessionum non solum huc conducunt ut avidius legamus illius scripta, cujus et sincerissimam erga Deum pietatem et flagrantissimam erga proximum caritatem cognovimus; verum habent et aliam utilitatem, eamque geminam. Altera est, qua hinc cognitis personis rectius intelligimus dialogos illius et epistolas; altera, qua qui familiariter noverant ingenium, sensum ac dictionem hominis, multis non offenduntur quibus graviter erant offendendi, si hæc ignorarent : id esse verissimum abunde docet vitæ communis experientia Quosdam natura tristiores, parum amicos crederes, ni perspectum haberes ingenium. Alios blandiores vel adulari vel ridere credas; rursus alios occulta naturæ vi proclives ad jocandum, parum graves arbitrere, ni propius ac doc mestice nosses. Nec dubito quin hoc multis usu veniat eorum qui recens ad Augustinianorum voluminum lectionem velut in colloquium illius veniunt. Offendit species quædam loquacitatis, offendunt in longum productæ periodi, ostendit oratio nonnunquam ad popularem sermonem degenerans, offendit earumdem rerum crebra repetitio ; dicas alicubi quiddam esse subinane, et affectum hominis sibi plus æquo placentis. Cæterum ubi diutina lectione factus sis familiarior, sermonis copiam, et eadem subinde iterata facile excusat docendi studium, et quod docuit penitus animis hominum infigendi : circuitus prolixiores quibus comes esse solet obscuritas, arguunt admirandam memoriæ felicitatem et ut ingenio fecundissimo plurima sese confertim offerunt, multa paucis complectendi studium: dictionis humilitatem excusat caritas, οὐχ ὑψηλοφρονοῦσα, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγομένη. Paulinis enim verbis libenter utimur. Quemadmodum autem erat alienarum virtutum candidissimus æstimator, ita mire φιλόστοργος fuisse videtur erga cognatos et amicos, quod ipsum eximiæ cujusdam humanitatis, indicium est. Suas vero dotes nec ignoravit ob stultitiam, nec odit ob putiditatem. Verum hactenus, ut ea res nihil officiat hominis insigni modestiæ. Non aliter amat, non aliter prædicat in se dona Dei, quam amaret ac prædicaret in aliis : « Ignorare tua bona, stupiditatis est; non prædicare Domini benignitatem, ingratitudinis est; non expendere in utilitatem proximi quod acceperis, impietas est; non gaudere de fructu fraterno quem Dominus per te contulit, impii simul et ingrati livoris est. Quomodo depromes talentum in usuram si non agnoscas quod tibi traditum sit? Quomodo possis inde tollere cristas, quod intelligas totum esse gratuitæ Dei benignitatis? Quoties autem divina bonitas te velut organo dignatur uti, ad juvandos alios, non habes quod insolescas, sed habes unde gratulere fratribus, unde gratias agas Deo, tuo pariter et illorum nomine. » Sic amavit, sic prædicavit suas dotes vir sanctissimus. Quanquam in iis libris quos scripsit catechumenus, deprehendas nonnihil humanæ gloriæ, quem affectum minime malum generosiasimis quibusque ingeniis potissimum videmus insitum esse. Non enim excusare conabor quod ipse putavit accusandum, dicens eos libros quos scripsit rudis adhuc ac velut infans in philosophia Christiana, ita servisse Christo, ut adhuc resiperent scholam superbiæ, magisque spirarent Platonis dogmata, quam divinarum Scripturarum mysteria. Habet Africa suum quoddam ingenium, et habebat omnino quiddam suæ gentis Augustinus, nisi Christus illum in alium virum transformasset. Porro Confessionum libri quos et otiosus et otiosis scripsisse videtur, habent quiddam peculiaris molestiæ. Primum in hoc quod multa de seipso commemorat, partim minutiora, quam ut ea severiore præditus ingenio commemoranda putaret, par-

tim ad gloriæ speciem accedentia. Quid autem fastidiosius quam humani livor ingenii, si quis quid quamlibet modeste de seipso prædicet? Ad hæc, dum de rebus humilioribus, ne dicam sordidioribus, velut de infantia, de ephebia, de affectu libidinis, deque similibus verba faciens, studet iis quæ dicuntur orationis honorem addere, veluti pudorem sententiarum hoc velo tegens, fit hac occasione nonnunquam obscurior. Verum hæc tædiola si devoraris, reliqua cum majore tum fructu, tum voluptate perleges.

ANIMADVERSIONES *

IN LIBROS RETRACTATIONUM.

Prol. § 1. *Tractatibus.*] Hoc est *sermonibus* seu concionibus, quibus populo Scripturam interpretatus est: nam *tractare*, eo ævo, erat concionari, et *tractatores* dicebantur Scripturæ interpretes. Quarum vocum non rara sunt apud *Cyprianum* exempla.

Ibid. *Denotem.*] Id est gravi improbantis *nota* inuram, ut censoris erat mores malorum *notare*. Frequenter ea notione apud Tertullianum verbum hoc occurrit, ut initio lib. de Pallio, *habitus denotare*. Vide indicem Glossarum Turtulliani.

§ 2. *Absit ut multiloquium deputem* etc.] Expressit Augustinus hæc Philemonis comici, quæ et alii imitati sunt.

Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδέ ἓν
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
Τὸν δ' εὖ λέγοντα, μή, νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλά, καὶ πολύν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λάβε.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκε μακρόν.

Longum censeto dicentem nihil eorum quæ dici debent, vel si duas dixerit syllabas. Bene vero dicentem ne existimato longum esse, ne si multa quidem dixerit et multo tempore. Argumentum certum hujus rei ex Homero accipe. Hic enim nobis multas myriadas versuum scribit; at nemo Homerum dixit longum. Exstat locus tit. 36 Florilegii Joan. Stobæi. Vide et epist. 20 lib. I Plinii.

Libro I. Cap. 1, § 2. *Cujus ratio et causa secreta est.*] Si hæc tantum *casui* tribuerentur et dicerentur *fortuita*, essent hæc duntaxat nomina quibus ignorantiam nostram velaremus. Sed *fortuita* etiam recte dicantur, quæ scholastico sermone vocantur *contingentia*, hoc est quæ non evenire et evenire æque possunt: qualia sunt quæ pendent a libertate naturarum intelligentium, quæ interdum ut velint nulla, non modo necessitate, sed ne ratione quidem aut affectu ullo, vel certe ineluctabili adducuntur. Quanquam hæc quoque pendent a divina providentia, qua inscia aut invita nihil contingit; et quæ mutationem quamvis rebus omnibus potest afferre. Igitur cum nulla sit necessaria causa cur nonnulla velimus, illa ideo *fortuita* dici possint; non vero duntaxat quia eorum *causa et ratio secreta est.* Verum hic locus non est hac de re agendi.

Ibid., § 3. *Amorem pulchritudinis.*] Φιλοκαλία duo significat, elegantiæ quidem atque munditiarum amorem, in rebus corporeis; studium vero rerum honestarum, ubi sermo de rebus ad animum pertinentibus. Docebunt hæc quævis lexica. Ideoque minus commode vertas *amorem pulchritudinis*, quibus verbis significatur tantum amor formosorum puerorum, aut formosarum mulierum. Fateor φῶον esse *amicum* et καλὸν *pulchrum*, æque ac *elegantem* aut *honestum*. Sed ex usu, non ex etymologia sunt explicanda verba. Interea merito damnat suam philocaliam Augustinus, quia sumitur illic pro amore munditiarum. Vide lib. II contra Academicos, cap. 2. Si vero philocaliam vocasset amorem rerum honestarum, non esset cur nomen hoc damnaret, quasi idem significaret ac philosophia; nam quævis philocalia non est philosophia, si hoc vocabulum ex usu recepto interpretemur. Certe Basilius Cæsariensis et Gregorius Nazianzenus non vocassent philosophiam, nisi improprie, excerpta ex Origene quibus philocaliæ titulum fecerunt.

Ibid., § 4. *Laus quoque ipsa*, etc.] Retractasset ergo quod de Academicis dixit initio epist. 1, si epistolas suas recensuisset. Sed et hoc obiter tangit Confessionum lib. IX, cap. 4, num. 7.

Cap. 3 *Bene viventes facillime exaudiet.*] Si vocibus *bene viventes* intellexisset Augustinus peccati omnis immunes, eosque solos a Deo exaudiri dixisset, sine dubio graviter errasset; sed si intellexerit eos *qui optimis moribus operam dant*, hoc est qui Dei timentes sunt, et conantur in dies meliores fieri, quanquam subinde peccant, infirmitate non nequitia, nescio quare retractaverit hunc locum. Nam certum est impios, in sua impietate manentes, a Deo minime exaudiri. Vid interpretes ad Joan. IX, 31, et Jac. IV, 3.

Cap. 7, § 6. *Nemo fere de scarabæis dubitat*, etc.] Recte hac de re multi dubitabant, quam nunc pernegant accuratissimi physici. Vide Franc. Redum de Insectis. Nec minoris potentiæ ac sapientiæ est effîcere culicem quam camelum.

Cap. 10, §2. *Quod omnes homines possunt, si velint.*] Necesse erat hanc locutionem explicari ab Augustino; quia solet ita vulgo intelligi, ut statuantur ii de quibus ita loquimur *posse velle*. Quis enim non horreret, si quem audiret dicentem, *Christus homo potest, si velit, a Patre suo deficere?* Nimirum, ea locutione statui solet, posse fieri ut velit is de quo sermo est.

Cap. 13, § 3. *Res ipsa quæ nunc dicitur Christiana religio erat apud antiquos.*] Hæc intelligenda sunt ex iis quæ dicuntur cap. 21, num. 2. Alioqui minus vera essent quam quæ retractantur.

Ibid., § 6. *Vendentes et ementes flagellando ejecit de templo.*] Non videtur tamen proprie hæc *vis* potuisse dici, qua vires mercatorum victæ sint. Auctoritati potius proheticæ cesserunt, quam vi qua ascribendum est quidquid non est alio nomine signatum. Edit.

* In hac Animadversionum collectione, Pherepono

expulsi fuerint. Nimis severus censor fuit in se Augustinus, qui credidit propter hoc Christi factum, minus vere a se dictum fuisse Christum *nihil egisse vi, sed omnia suadendo et monendo.* Verum hæc eo spectabant, ut opinioni quam postea amplexus est, de persecutione licita, patrocinaretur; ut liquet ex epistolis ad Bonifacium et Vincentium. Qua in re δεύτεραι φροντίδες non fuere σοφώτεραι.

Cap. 17. *Competentibus.*] Hoc est catechumenis, qui *una petunt* baptismum, quam ob rem *competentes* dicuntur. Vide tomo VI librum de Fide et operibus, cap. 6; 11, 9.

Cap. 22, § 4. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem.*] Clarius, ex sententia quam propugnat Augustinus, dixisset *in potestate hominis, quem Deus gratia donat,* etc. Sed incautius locutus fuerat contra Manichæos, nam ut valeat ratiocinatio, ejus hic debet esse sensus: *Nisi* quisque *voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra* (quorumvis nempe) *potestate esse positum alio loco docet,* etc. Atqui non quibusvis datam gratiam censuit postea.

Libro II. Cap. 13. *De frontibus codicis.*] Hoc est ex marginibus libri Jobi, quibus Augustinus hasce Adnotationes alleverat.

Cap. 20. *Unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat.*] Recte quidem fecit Augustinus, cum rem incertissimam retractavit; sed tamen hæc fuit Judæorum vulgaris opinio, ut multis eorum testimoniis ostendit Joan. Buxtorfius, in Exercitatione de Manna.

Cap, 32. *Porphyrium Siculum.*] Porphyrius fuit Tyrius, non Siculns; sed Siculus a nonnullis creditus, quod diu vixerit in Sicilia, in qua etiam libros contra religionem Christianam edidit. Vide Lucam Holstenium in ejus Vita, subjecta operi de Abstinentia animalium.

Cap. 37. *At carendo appellatas cerimonias.*] Aliæ sunt multo versimiliores sententiæ, de origine hujus vocis, quas legere est in Etymologico, G. J. Vossii. Sed quæcunque sit ejus origo, mirum est Augustinum ab ea abstinuisse voluisse, *quod non sit in usu Litterarum sanctarum,* hoc est interpretationis Latinæ Scripturæ; quot enim aliæ voces in ea non exstant, quibus tamen Christiniani scriptores passim D utuntur? Quot vocibus ipsum abstinere oportuisset in contentionibus cum Arianis et Pelagianis, si hanc suam legem observasset? Satis fuit res esse in Scriptura, quæ vere sic dici poterant. Itaque nimis severum censorem sui egit.

Cap. 55, § 2. *Cum haberet necessitatem bis in die ingredi sancta sanctorum.*] Dnabus in rebus ab accuratissimis Mosis interpretibus, et ipsa veritate dissentit hic Augustinus. Alterum est quod credit suffitum quotidie bis oblatum fuisse in sanctissimo adyto, quod solet *sancta sanctorum* dici; cum fieret hoc duntaxat in sanctuario in quo erat altare thymiamatis, soleretque pontifex maximus semel duntaxat quotannis *sancta sanctorum* ingredi. Alterum vero A quod suffitum quotidianum semper a pontifice maximo oblatum censeat, cum a quovis sacerdote posset offerri, ut vel exemplo Zachariæ patris Joannis Baptistæ constat. Fateor Exord. xxx, 7. munus suffitus offerendi tribui Aaroni; verum illic nomen Aaronis pro cujusvis sacerdotis nomine sumitur. Vide ad eum locum interpretes, et ad Lev. cap. xvi.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS CONFESSIONUM.

Libro I. Cap. 1. *Et laudare.*] Τὸ *et* perinde hic est ac *tamen*, ut sequens repetitio hujus membri orationis ostendit.

Ibid. *Ad te.*] Hoc est propter te, vel ut *ad te,* tanquam ad summæ beatitudinis unicam atque ultimam B cuusam, contenderemus.

Cap. 4. *Stabilis et incomprehensibilis.*] Sunt incomprehensibilia nonnulla, propter summam instabilitatem, ut venti variabiles, quorum ratio ideo intelligi non potest; at Deus, quanquam semper idem est et absque ulla mutationis obumbratione, nihilo magis comprehendi potest. Ideo Augustinus cum *incomprehensibili* hic *stabilem* conjungit.

Cap. 5, § 5. *Moriar, ne moriar, ut eam videam.*] Scio hic posse quæri ὀξύμωρον, quale est illud animi beatitudinem sitientis: *morior, quia non morior;* attamen suspicarer sic locum interpungendum: *Noli abscondere a me faciem tuam. Moriarne? moriar ut eam videam.* Respicit nempe Augustinus ad historiam quæ exstat Exod. xxxiii, 17 et seqq., ubi Mosi *gloC riam* vel *faciem Dei* videre cupienti hoc editur responsum: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet.* Igitur postquam a Deo petiit ne abscondat sibi faciem suam, illico subjicit, *moriarne?* si, nimirum, eam videam; remque secum reputans tantique esse intelligens, ut propterea vitam amitteret, *moriar,* inquit, si ita tibi videtur, *ut eam videam.*

Cap. 7, § 11. *Me commemorat.*] Hoc est mihi in memoriam revocat; quo sensu, apud Augustinum, cum accusativo personæ conjungitur; at significatu narrandi construitur cum dativo. Sic Græci dicunt, ἀναμιμνήσκω σέ τινος *commemoro te alicujus,* hoc est ejus tibi memoriam revoco. Igitur recte ex mss. hic restituerunt accusativum viri docti.

Cap. 20, § 18. *Terram,* etc.] *Terram* vocare videtur Augustinus naturam humanam corruptam, quæ nihil nisi terrestria spirat; *effigiem* vero imaginem Dei, per baptismum renovatam atque instauratam. Vide num. 21 sub finem.

Cap. 16. *Flumen,* etc.] Collatio depravatæ consuetudinis cum flumine frequens apud optimos quosque scriptores, etiam ethnicos. Hinc *brachia contra torrentem dirigere,* perinde est ac pravæ consuetudini adversari. Juvenalis sat. 4, 89.

> Ille igitur nunquam dixerit brachia contra
> Torrentem

Cap. 16, § 26. *Supra mercedem salaria.*] Hoc est præter minerval, a singulis pueris solvi solitum, privato ære, grammaticis publice constituta erant *salaria,*

endia ex publica pecunia solvenda. Aut forte A Carthaginiensis, vide quæ habet infra lib. v, cap. 8,
ede pecuniaria distinguitur *salarium*, ut hac quæ confer cum cap. 12.
gnificentur sal publice præbitum, carnes, vi- Cap. 5, § 21. *Quinque antra tenebrarum*, etc.]
leum, etc. Sic in epistola Valeriani, quæ le- Deliramenta hæc Manichæorum copiosius exponit et
Vita Probi, a Flavio Vopisco conscripta, me- confutat Augustinus in lib. contra Epist. Manichæi,
vestibus et pecunia quas præfectus prætorio cap. 15. qui liber est tom. VIII.
ur dare Probo: *Item in salario diurno, bu-* Cap. 7, § 13. *Nunquid justitia varia est et mutabi-*
ndo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, *lis*, etc.] Hæc accuratius excussit Augustinus, in
eum per biduum, olei per biduum sextarium libris contra Manichæos, qui adeundi ab iis qui re-
ini veteris diurnos sextarios decem, cum larido sponsum hoc probe intelligere cupiunt. Collecti sunt
; salis, olerum, lignorum quantum satis est. ii libri in unum corpus, tom. VIII.
hunc locum Intt. et ad Vitam Clodii Albini LIBRO IV. Cap. 3, § 5. *De pagiuis poetæ cujuspiam*
m, ubi *stipendium a salario* etiam distingui- etc.] Consulturi deos de eventu consilii cujuspiam.
et in Cod. lib. X, tit. 52, de Professoribus et interdum in eorum templis, aut privatim aperie-
, Constantinus jubet eis *mercedes et salaria* bant volumen celebrioris poetæ, ut Homeri, vel Vir-
o facilius liberalibus studiis multos instituant. B gilii; et primum versum, qui occurrebat, responsum
§ 26. *Vinum erroris, quod nobis propinabatur* deorum putabant. Vide Intt. ad Vitam Adriani a
s doctoribus.] Quamvis non ignorem *vinum* Spartiano conscriptam, non procul ab initio. Chri-
tis et *compunctionis* in Scriptura memorari, stiani etiam, simili ratione, Scriptura sacra abute-
crediderim hic respicere Augustinum ad bantur, ut videbimus lib. VIII, cap. 12 hujusce Operis.
, Platonici celeberrimi, Tabulam, in qua Cap. 5. *An fletus res amara est*, etc.] Delectamur
seu *Impostura* inducitur pueros omnes in vi- tristitia et luctu, ut cæteris omnibus affectibus, qui-
gredientes ποτίζουσα τῇ ἑαυτῆς δυνάμει hoc est, bus libenter indulgemus, ægre obsistimus; quia ut eos
πλάνης, *poculo erroris*. Vide ejus initium. vincamus, vis inferenda est perturbationi animi et
18, § 29. *Scripta conscientia.*] Respicit Au- corporis. Minuitur etiam sensim tristitia, dum eam
s ad Rom. II, 15, ubi dicuntur ethnici *osten-* libere in lamenta et lacrymas effundimus. Verba
us legis scriptum in cordibus suis, testimonium sunt Euripidis in Œnomao, apud Stobæum Florileg.
illis conscientia ipsorum, etc, tit. 123.

20, § 31. *Secretissimæ unitatis*, etc.] Hoc est
jus voluntas est veluti secretissimum vincu- C
lo universi unitas sarta ac tecta conservatur.
. IV de Genes. ad litteram, cap. 12, ubi agit
ervatione rerum omnium. Cæterum Platonici
μονάδα passim Deum vocitant. Adi Procli
iam Platonicam.
II. Cap. 2. *Obsurdueram.*] Qui ediderant
eram credebant *o* et *u* hic esse mista, ut in
undus pro *jucundo*. Respicere autem videtur
nus ad id quod fertur de catarractis Nili, ubi
præcipitans se fragore auditum accolis aufert,
itur Plinius Hist. nat. lib. VI, cap. 29.
6, § 14. *Potuitne libere quod non licebat*, etc.]
nequitiæ magister affirmat, nec falso, Amor.
l. 19:

licet ingratum est, quod non licet acrius urit;
sequitur fugio, quod fugit usque sequor.

III, el. 3:

mur in vetitum semper, cupimusque negata,
c interdictis imminet æger aquis.

e, nullam rationem legum habere, sed ita
ere, quasi iis soluti essemus, nescio quid am-
c magnificum videtur humanæ superbiæ.
III. Cap. 3, § 6. *Eversores.*] Videntur ita dicti
tiores juvenes, qui scholas rhetorum, a qui-
docebantur, irrumpentes omnia illic ever-
ludibrioque habebant magistros. Ejus ne-
meminit iterum Augustinus lib. de Vera Rel.,
), num. 75. De petulantia vero juventutis

Θνητοῖς ὀδυρμοί, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί.
Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καί καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους.

Verum in malis voluptati sunt hominibus, lamenta et defluxus lacrymarum. Hæc levant tristitiam animi, et nimiis doloribus cor liberant. Alia sunt ibidem et alibi in eamdem sententiam.

Cap. 7. *Diligere homines humaniter.*] Hoc est, eo amoris modo, qui rebus perituris tribui potest. Sic et Græci usi sunt voce ἀνθρωπινως, et quidem in re simili Menander apud Stobæum Floril. tit. 125.

Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε·
Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

Humane oportet calamitates ferre, o hospes, communia par est tolerare communiter.

D Cap. 12, § 18. *Ecce ubi est, ubi sapit veritas.*] Si ita legas, sic videtur interpungendum, *Ecce ubi est? ubi sapit veritas*. At forte melius legamus, *Ecce ubi est, ibi sapit veritas*; hoc est ejus animi palato, ut ita dicam, sapida est veritas, cui Deus adest.

Cap. 14, § 21. *Hierium.*] Estne Fl. Hierius, qui anno Christi 427 cum Fl. Ardaburio consul fuit? Certe interdum viris eruditis collata ea dignitas, propter solam eruditionem, ut Ausonio poetæ, aliisque. Non puto tamen, propter alias viri dignitates quas vide apud Jacobum Gothofredum in prosopographia codicis Theodosiani.

Ibid. § 23. *Ob os comtemplationis.*] Si hæc vera est lectio, perinde est ac *ob oculos mentis*.

LIBRO V. Cap. 9, § 16. *In cruce phantasmatis.*]

Hoc est in cruce e qua pependisse phantasma, non Christum ipsum, credebant Manichæi. Vide quæ contra hoc dogma habet Augustinus tom. VIII, aut, si paucioribus, rem descriptam cupias, libellum ejus de Hæresibus, ad hæresin Manichæorum.

Cap. 10, § 18. *Quos electos vocant.*] Hi apud eos veluti primariæ virtutis, aut commentis ejus sectæ addistissimi erant; minus perfecti dicebantur *auditores. Nam,* ut verbis utar Augustini ex memorato libello, *his duabus profectionibus, hoc est, electorum et auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt.*

Ibid. § 20. *Nisi carni concernentur.*] Qui voce *concerni* pro misceri primi usi sunt, videntur voluisse exprimere vocem Græcam συγκιρνᾶσθαι, quæ idem significat, nec sono a Latina abludit.

Cap. 13. *Dilexit.*] Crediderim legendum *direxit,* hoc est peregrinum episcopalibus consiliis adjuvit.

Cap. 14, § 14. *Cum ad litteram acciperem, occidebar,* etc.] Augustinus in declamando probabilia sequi, non explorata solitus, similibus ratiocinationibus in interpretatione Scripturæ satisfieri sibi passus est. Nam alioqui constat Ambrosium plus æquo allegoriis deditum fuisse.

Ibid., § 25. *Sicut existimantur.*] Vide quæ de vera Academicorum sententia suspicabatur Augustinus lib. III de Academicis, cap. 17.

LIBRO VI. Cap. 2. *Quo jam non solum aquatissimo sed etiam tepidissimo, cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur.*] Conjiciunt in margine viri docti, *quod non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum.* Sed minore mutatione sanabitur hic locus si legamus *potaretur*; ut suadent etiam sequentia: *quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.*

Cap. 3, § 3. *Quolibet tamen animo,* etc.] Si alloqueretur homines, qui cuperent scire qua ratione vitam instituisset Ambrosius, superior narratiuncula forte non displicuisset; sed Deo minuta illa, qualia passim occurrunt, narrare, nescio quomodo decorum putaverit Augustinus. Sed magis hominum causa hæc narrabat, quam Dei; at præstitisset amicum alloqui, quam Deum.

Cap. 8. *Gladiatorii spectaculi.*] Nefandi hi ludi, a sapientibus etiam ethnicis damnati, facti etiamnum videntur in gratiam ethnicæ plebis. Sed mirum est episcopos non impetrare potuisse ab imperatoribus, ut dira illa consuetudo abrogaretur.

Cap. 9, § 14. *Æditimi fori.*] *Æditimus* idem est ac *edituus,* nempe, νεωκόρος sed hic sumi videtur pro apparitoribus, qui custodiæ causa in foro versabantur, aut pro iis qui curiam servabant.

Cap. 10, § 16. *Comiti largitionum Italicianarum.*] Sic loquebantur eo ævo. Vide codicem Theodosianum, lib. VI, tit. 19, leg. de Consularibus et Præsidibus.

Cap. 13. *Discernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te et animam suam somniantem.*] Itaque Monnica sibi suas, ut opinabatur, revelationes servare debebat, quarum discrimen a somniis dicere non poterat. Quam facile est homines imperitos, religionis specie, in talibus aberrare! Ad eventum somniorum quod attinet, idem dixeris quod de Genethliacorum prædictionibus, interdum non vanis, dixit Augustinus lib. VII, § 8. Sed honorificum erat Monnicæ filio, ipsius conversionem fuisse somnilis θεοπέμπτους præsignificatam; quod tamen alii pudentius commemorassent.

Cap. 16. *Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem et dura sunt omnia.*] Metaphora desumpta ex ægro, vel insomnia laboranti. qui in lecto se jactat, et quamcunque in partem in se vertat duram culcitam experitur. Sic animus anxius, dum quærit veritatem in qua conquiescat, nec eam invenit, omnia fastidit quasi noxia.

LIBRO VII. Cap. 6, § 9. *Dealbatiores vias.*] Viæ munitæ opere publico, quadrato lapide, calce interlito, stratæ erant, quæ cum reficiebantur, nova calce hiantibus lapidum rimis immissa, dealbatæ videbantur; quamobrem *dealbatiores viæ* dici vulgo poterant, quæ diligentius curabantur, ac proinde commodiores erant. Hinc translata videtur hæc metaphora. Vide, si vacat, Nicolaum Bergierium, de publicis et militaribus imperii Romani Viis, lib. II, cap. 18.

Cap. 9, § 13. *Ibi legi quod in principio erat Verbum,* etc.] Similitudine verborum aliquot et sententiarum deceptus Augustinus, ut et multi Græci scriptores, cum doctrina Christiana miscuit Platonismum, qui merus erat, hac in parte, Arianismus; ut ostendit Joan. Clericus epist. critic. 7 et 8. Fortasse intelligit hic Augustinus Plotini opera, quem vehementer laudat lib. III contra Academicos, num. 41, et de Civitate Dei lib. IX, cap. 10.

Ibid., § 15. *Legebam ibi etiam immutatam gloriam,* etc.] Quamvis de summi Numinis natura rectius sentirent Platonici, quam alii philosophi miscebant tamen idololatriam turpissimam iis dogmatibus, erantque infensissimi hostes Christianorum, ut liquet vel ex Porphyrio, Jamblicho et aliis, qui sub imperatoribus Christianis floruerunt.

LIBRO VIII. Cap. 2, § 3. *Victorinus quondam rhetor urbis Romæ.*] *Victorinus,* inquit Hieronymus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, *natione Afer, Romæ sub Constantino principe rhetoricam docuit; et in extrema senectute Christi se tradens fidei scripsit adversus Arium libros, more dialectico, valde obscuros, qui ab eruditis modo intelliguntur, et commentarios in Apostolum.* Eum in præfat. Comment. in Epist. ad Galatas *C. Marium Victorinum* vocat, aitque eum *Scripturas omnino sanctas ignorasse.* Sed rhetorica, ut ita dicam, ingenia, ob loquendi facultatem, putant se scire omnia de quibus, plebe plaudente, loqui possunt.

Ibid. *Omnigenum deum monstra,* etc.] Respicit ad Virgilii locum Æneid. VIII, 698, ubi Ægyptios deos, pro Antonio et Cleopatra contra Augustum ad Actium pugnantes, describit poeta:

Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam,
Tela tenent.

ex decori legibus talia apud Deum dici possint
), quamvis a pugnante cum ethnicis recte pro-
potuerint.

l., § 5. *Quæ verbis certis conceptis retentisque,* symbolum quod apostolicum dicebatur, aut si-quidpiam.

. 3, § 6. *Pater plus gaudes.*] Deus *gaudere* et *audere,* nunquam aliter, nisi ἀνθρωποπαθῶς di-a Christo hominum imbecillitati sese attempe-Nec potest hoc urgeri aut inquiri cur Deus gaudeat. Cæterum, ut ad grammatica trans-non intelligo cur in sequentibus verbis viri *pœnitentem* et *pœnitentiam* ut et alibi, scri-ber æ, cum constet esse a nomine *pœna,* quod co ποινή. Quod non observarem, nisi viderem rum minutiarum curam non abjecisse, cum graphiam priorum editionum passim emendent, putant rectius esse. Sic vocem *jucundus* scri-perpetuo *jocundus,* quasi esset a *joco,* non a sed *o* et *u* frequenter miscebantur a veteri-atinis. Vide Quintilianum Institut. orator. lib. 4, et Vossium in Etymologico, ad hanc vo-

. 4. *Cum Paulus proconsul per ejus militiam,* nquirant alii, an deceret narrare Deo histo-et quidem de quarum veritate minime con-; qualis hæc erat de ratione cur Paulus di-erit, qui patria lingua *Saulus* erat appellatus; multi doctissimi viri falsam esse putant. Me-se conjecturam, *quam nulla scriptura memo-*genue fatetur Hieronymus ad Epistolam ad nonem.

. *Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini*] Nolim vocem *gratius* notare accentu, quasi erbium, ut fecit editor Parisinus. Est enim adjectivum, hac sententia: Quanto Victorini um gratius atque acceptius futurum Ecclesiæ batur: tanto abundantius exsultare oportuit fi-os.

. 5. § 10. *Ex perversa voluntate facta est libido;* servitur libidini, facta est consuetudo; et dum tudini non resistitur, facta est necessitas.] Op-describit quibus gradibus vitium obrepat, at-ugeatur. Sed iisdem paulatim imminui potest, *arium* enim hic dicitur difficile victu, nec ulla te peccandi consuetudinem necessitas delin-li. Vide et finem § 12.

l., § 11. *Pugnatior.*] Legendum *pugnacior,* ut sileensi, nam est a *pugnare;* aut *pugnantior,* te ita habent mss. codices.

. 6, § 15. *Agentes in rebus.*] Hi erant principis per provincias, negotiorum causa, de quibus uidonem Pancirollum ad Notitiam dignitatum tis, cap. 65.

. VII, § 18. *Humerisque liberioribus pennas re-t.*] Hæc Augustinus ex Platonismo suo. Plato in Phædro docet ὅτι ψυχὴ τελέα μὲν οὖσα καὶ μένη μετεωροπολεῖ τε καὶ ἅπαντα τὸν κόσμον ἡδὲ πτεροῤῥυήσασα φέρεται ἕως ἂν στερεοῦ τινος ἀντιλάβηται, *animam perfecta dum est et alata, in sublimi volare, et universum mundum administrare; cui vero alæ defluxerint, eam ferri donec solidum quidpiam arripuerit.* Non multo post pag. 345 ed. Gen. Ficini: Εἰ τὸ γὰρ αὐτὸ, ὅθεν ἥκει ψυχὴ ἑκάστη, οὐ καθικνεῖται ἐτῶν μυρίων (οὐ γὰρ πτεροῦται πρὸ τοσούτου χρόνου) πλὴν ἡ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως, ἢ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας, καὶ τὰ ἑξῆς: *In idem enim, unde profecta est, unaquæque anima non redit, decem millibus annorum (neque enim recuperat alas ante tantum tempus), excepta ejus qui philosophatus est sine fuco, aut cum sapientiæ studio pueros amavit.* Sic postea ejus discipuli vulgo locuti sunt, eosque imitati Christiani resipiscentiam vocarunt ἀναπτέρωσιν, seu *novarum alarum exortum,* ut hic Augustinus. Hinc et Chrysostomus usurpavit ἀναπτεροῦν, pro *incitare, impellere.* Vide Thesaurum Ecclesiast. Joan. Gaspari Sulceri.

Cap. 8, § 19. *Pede post pedem.*] Vestigia mea proxime secutus, Græce κατὰ πόδα, quasi dixeris, singulis pedibus in antecedentis vestigiis positis.

Cap. 12, § 28. *Cras et cras.*] In animo Augustino observabatur locus Persii sat. 5, 66, ubi sic describitur cunctator, qui reditum ab bonam mentem in dies differt.

> Cras hoc fiet; idem cras fiet; quid quasi magnum,
> Nempe, diem donas? Sed cum lux altera venit,
> Jam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras
> Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.

Ibid., § 29. *Audio vocem,* etc.] Redolet hoc superstitionem ethnicam, ex fortuitis vocibus omina captantem; quod nemo paulo humanior ignorat. Si quis singulari providentia divina factum hoc putet, ita ut æstuanti Augustino editum cœlitus sit monitum; oportebit ut ostendat opus fuisse ejusmodi miraculo, quo Augustinus intelligere posset sibi legendam Scripturam sacram, ut ex ea resciret quid sibi agendum esset. Quod cum quotidie audiret a catholicis, cum in Ecclesia, tum alibi, non video cur confugiendum sit ad miraculum. Sed rhetor noster, quod cum pace ejus dictum sit, omnia exaggerat, quibus persuadere poterat agi hic de homine vulgari, sed singulari vocatione divinitus ad Ecclesiam allecto; quæ tamen ex alius calamo rectius fluxissent.

Ibid. *Utrumnam solerent pueri,* etc.] Quasi vero necesse fuisset solas ludentium puerorum solemnes cantilenas audiri! Annon potuit ludens aliquis de projecta charta crebro hoc repetere? Oportuisset apud vicinos quærere quis eam vocem misisset, antequam non sine Deo missam judicaret.

Ibid. *Audiveram enim de Antonio.*] *Athanasius* in Vita Antonii, § 2, cujus verba brevitatis causa duntaxat ex Evagrii versione proferam: *Ad Ecclesiam, ut solebat, accurrens recordabatur quomodo et apostoli omnibus spretis, secuti fuissent Salvatorem; et multi, in Actibus apostolorum, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve aut quanta spes iis reposita esset in cœlis. Talia secum volvens intravit in ecclesiam et accidit ut tunc Evangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad divitem:*

Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua, quæcunque habes et da pauperibus et veni, sequere me et habebis thesaurum in cœlis.

Quo audito, quasi divinitus hujusmodi ante memoriam concepisset, et veluti propter se hæc esset Scriptura recitata, ad se dominicum traxit imperium, statimque egressus possessiones, quas habebat, vendidit.

Ibid. *Arripui, aperui*, etc.] Hoc non multum aberat a sortibus Virgilianis, aut ab iis quibus ex Scriptura temere aperta futura quærebantur, quod damnat ipse Augustinus epist. 55 ad Januarium. An opus præterea erat temere aperire Scripturam, ut sciretur quod ne ethnici quidem honestiores ignorabant? Vide hac de re Ant. van Dale, virum eruditum, de Divinationibus idololatricis sub V. T. Cap. 4.

Libro ix. Cap. 2, § 3. *Ne in ima vergeremus*, etc.] Recte viri docti hanc lectionem prætulerunt alteri, *mergeremur*; solet enim verbum *vergere* ut et *devergere* dici de iis quæ pondere suo deprimuntur. Apuleius de Deo Socratis: *Quod si manifestum flagitat ratio debeere propria animalia etiam in acre intelligi, superest ut quæ tandem et cujusmodi ea sint, disseramus. Igitur terrena nequaquam*; *devergunt enim ponderc.* Vide, si opus est, alia exempla apud Nicolaum Heinsium, in notis ad Valerium Flaccum lib. i, vers. 289.

Cap. 3, § 6. *Quidquid illud est quod illo significatur sinu.*] Desumpta est locutio ex Luc. xvi, 52, ubi tamen *sinus Abrahami* non tam sedes beatas quam locum in illis insignem significat, ut recte animadvertit Hugo Grotius ad Lucam. Augustinus intellexit sedes quietas, qualescunque sint in quibus animi piorum resurrectionem corporum exspectant. Lib. xii de Genesi ad litteram, § 63: *Neque enim Abraham, vel ille pauper, in sinu ejus, hoc est in secreto quietis ejus, in doloribus erat.* Sermone 14 ad populum in vers. 14 psal. ix: *Contigit*, inquit, *mori inopem illum et auferri ab angelis. Quo?* In sinum Abrahæ, *id est in secretum ubi erat Abraham.* Vide, hac de re, eruditam dissertationem Ludovici Capelli, quam inscripsit Νεκρῶν Βίου, inter opera ejus Amstelodami edita.

Cap. 7, § 16. *Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii*, etc.] Si hæc aliæque ejusmodi inventiones sanctorum cadaverum, non fuissent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum qui ea effoderunt, multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facile detraherent. Hæc inventio, exempli causa, non parum auxit existimationem auctoritatemque Ambrosii; quandoquidem ea Justinæ principis Arianæ *animus*, ut habet noster, *etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, a persequendi tamen furore compressus est.* Duo præterea hic obiter observari possunt. Alterum est, Augustinum hic et de Civit. Dei lib. xxii, cap. 8, dicere *per visum* revelata esse hæc corpora Ambrosio, Ambrosium vero ipsum de hoc plane tacere ep. 22 class. 1, ubi hanc inventionem narrat. Alterum est ita Ambrosium rem describere, ut narrationem suspectam reddat: *Invenimus*, inquit, *miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat.* Quæ vero ætas? Heroicane, postquam homines descrescere cœperunt? *Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.* An etiam tribus sæculis, quæ a Christo nato ad Constantini tempora fluxerunt, grandioris erant staturæ homines quam quarto aut quinto sæculo? An augustior erat statura martyrum quam aliorum, vel an major fiebat post mortem? Nemo, ut opinior, credet. Sed lege cætera, ubi torti diaboli, ope horum martyrum, Arianos opportunissime damnant; nec amplius miraberis esse qui stratagema hoc Ambrosianum fuisse censeant, quo plebem sibi devinciret, Justinamque et Arianos perterrefaceret, excogitatum.

Cap. 8, § 17. *Agens in rebus militaret.*] Vide dicta ad lib. viii, cap. 6, § 15.

Ibid., § 18. *Per homines præpositos.*] Hoc est, quos tibi *præponis*, ut post eos veluti lateas, ac per eos occulte agas. Nihil ergo mutandum. Cæterum hic Augustinus, vere, quod aiunt, fluctus in simpulo excitat.

Cap. 10, § 25. *Phantasiæ terræ*, etc.] Hoc est species omnium rerum terrestrium, quæ sese animo nostro offert. Lib. iii, cap. 6, § 10. De iis Lucretius lib. iv.

Ibid. *Sonitum nubis.*] Hoc est vocem e nube emissam, qualem audivit Moses.

Ibid., § 26. *Servum ejus videam.*] Hoc est cælibem vitam agere aggressum. Sic passim Augustinus κατ' ἐξοχήν Ecclesiæ ministros *servos Dei* vocat, ut supra vocatur Monnica *serva servorum* Dei, § 22.

Cap. 12, § 32. *Visum etiam mihi est ut irem lavatum quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci* βαλανεῖον *dixerint, quod anxietatem pellat ex animo.* Sic revera Græci, quanquam absurda hæc est etymologia. Scriptor Etymologici magni: Βαλανεῖον τὸ λουτρόν· τινὲς δὲ λέγουσι παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας· καὶ Ὅμηρος παρετυμολογεῖ λέγων·

ἀρ' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο
Ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμόφθορον εἵγετο γυίων.

Οὐ λέγουσι δὲ καλῶς, εἰ γὰρ ἦν ἐκ τούτου, ὤφειλε γράφεσθαι διὰ τῷ Ι. ἀλλ' ἔστιν εἰπεῖν ὅτι ἀπὸ τῶν βαλάνων εἴρηται. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι βαλάνους εἶχον ἔθος ὑποκαίειν. παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, τουτέστι τὰς δρῦς. οὕτω γὰρ καλοῦνται αἱ δρῦς, καὶ ἄλλο τι φυτόν. Ἐπαφρόδιτος δὲ παρὰ τὸ αὖω τὸ σημαῖνον τὸ καίω — ἵνα μὴποθεν ἄλλοθεν αὖοι. At hæc omnia meræ sunt Græculorum nugæ, quibus Augustinus assensus non fuisset, si etymologicam artem calluisset. Βαλανεῖον originem ducit a voce Hebraica בלל *ballal*, quæ significat *perfundi* psal. xcii, 11, et unde בלהה *ballahah*, nebula. Sic et apud Arabas בלה significat *irrigari*, *madefieri*.

Cap. 13, § 35. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te*, etc.] Species forte pietatis aliqua hic inest, at ea consuetudo nec ratione ulla, nec revelatione nititur. Vide librum de cura gerenda pro mortuis tomo VI

Libro x. Cap. 3. *Quid mihi est ergo cum homini-*

ut audiant confessiones meas etc.] Videtur hæc A acuto homini in mentem non venisse, fore ut Donatisse Augustinus, non tantum post scriptos, sed
a post editos priores libros Confessionum; quos
videntur lectitasse ii quibus notus erat, et quo-
hominum nonnulli Augustinum semet ipsum
atius describere optabant. Sunt qui suspicentur,
multa Augustino, ob priorem vitam, ab adver-
, quos non paucos habuit, objicerentur, eum
essiones hasce scripsisse; quasi apologiam quam-
obliquiorem, in qua fateretur, veluti apud
n, quod negare non poterat; cætera vero præ-
itteret aut emolliret, et quæcumque ad honorem
facerent quasi aliud agens exaggeraret. Quæ
ciones, quamvis forte iniquiores sunt, ex inusi-
lamen nascuntur ratione qua Augustinus cum
garrit atque argutatur, rhetoricoque fuco quo B
sunt hæ Confessiones. Dum tandiu de se apud
n, imo apud homines, loquitur, et tam multa per-
momenti, ad alios quidem quod attinet, nar-
nemo est qui non quærat, *Cui, bono?* et sunt
proniores ad male judicandum, qui φιλαυτίαν
item, religionis specie tectam, hic videre se pu-
Sed præstat nimis indulgentes nos esse, quam
severos; si modo meminerimus in Evangelio,
ne auctore Christo, quærendam esse vivendi
am, non in hominibus; qui et ipsi ad eam sunt
ndi, nec imitatione unquam effingendi, nisi qua-
et ipsi sunt Christi imitatores.

p. 11, § 18. *Cogenda rursus ut sciri possint, id est ex quadam dispersione colligenda, unde dictum gitare.*] *Cogo* est quasi *coago*, ut ostendit Ger. nes Vossius in Etymologico, et *cogitatio* est quasi *tatio*. Festus: *Cogitatio dicta velut coagitatio, id nga ejusdem rei agitatio in eadem mora consilii candi.* Vide et Varronem de L.L. lib. v. Cum stino addendum non tantum esse agitationem, imul plurium rerum collationem, quæ est vis ositionis *cum*, ex quo inseparabiles *con* et *co*.

p. 31, § 47. *Ebrietas longe est a me, crapula autonnunquam subrepit servo tuo.*] Non erat quidem sus, ita ut vino esset deditus, sed aliquando tasatis vini bibebat, ut crapula ei esset molesta. *crapula* idem est Latine quod Græce κραιπάλη, est dolor capitis qui ex hesterna compotatione rest. Thomas Magister: κραιπάλη ἡ ἐκ τῆς χθὲς D ἕνης οἰνοποσίας κάρωσις, μέτη δὲ ἡ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ς. *Dolor capitis ex compotatione heri facta*, μέτη ipsius *diei*.

p. 35, § 57. *Curiositas quotidie nostra tentatur.* Nemo est qui hæc peccata habeat, si modo cæ- efficiis suis non desit. Corpus enim et animus ation quadam indigent; neque semper seria re ac meditari animus potest, aut corpus labori abere. Si quis hodie talia inter delicta numera- rederetur, dum humilitatem præ se fert, su- e se gerere ac dissimulare majora. Diceretur as percolare et deglutire camelos. Quod tamen ugustino suspicari nefas habetur.

p. 38, § 64. *Qui placent sibi de se*, etc.] Miror tistæ, Manichæi, aliique ejus adversarii dicerent eum non displicere sibi, qui tandiu non tam apud Deum quam apud homines, de se et suis loquatur, et dum gravia peccata, quæ negari non poterant, aut minutiora ambitiose proloquitur, laudes suas interea minime omittit. Miror etiam eum veritum non esse, ne iidem adversarii hic desiderarent confessiones eorum quæ baptismum ejus secuta sunt, et quæ in ejus vita habentur. Maligni homines facile dicere poterant, non esse usque adeo mirum eum valedixisse arti rhetoricæ, inter pueros docendæ, exiguis cum emolumentis et tenui honore; ut eam, in multo ampliore theatro, et multo fructuosius exerceret; in Ecclesia nimirum, sacrosancta auctoritate instructus, et in cujus administratione eloquentia sua magnas laudes populi, magna a divitibus munera referre facile poterat, dum paupertatem præ se ferret. Commodissimum fuisse, sine magno labore homini eloquenti, prout tempora ferebant, piis liberalitatibus aliorum sustentari. Non exiguam fuisse voluptatem non omni imperandi cupiditate exuto, plebem veluti nomine Dei regere, adversantes Ecclesiastica societate ejicere, damnare, proscribere. Ducem partium agere propter dicendi facultatem, et longe inter pares eminere. Fuisse cur a Deo veniam peteret, quod loquendi duntaxat facilitate instructus, tumultuaria lectione Scripturæ in linguam Latinam conversæ, sine ulla Hebraicæ aut Græcæ linguæ cognitione, presbyter et episcopus C contra canones Nicænos factus, interpretari aggressus est quod non intelligebat, et tot volumina de Scriptura scribere, antequam necessaria præsidia ad eam intelligendam sibi comparasset. Nam quæ dici possunt, eum invitum factum esse presbyterum et episcopum, canonem Nicænum quo vetabatur episcopus sibi vivo successorem sufficere, ignotum fuisse, pauperem vitam egisse, etc., ea maligni homines dixissent partim simulationem esse, partim satis esse divitem, qui haberet quod aliis largiretur, et inde tantum sibi sumeret, quantum vellet; ac denique notas dudum eas esse artes, quæ ad quam potentiam evexerint homines humiles scilicet et mundi contemptores jam videmus. Ad me quidem quod attinet, ut non sum credulus ejusmodi criminationibus; sic non diffiteor me defensiones Augustini, hisce de rebus, libenter lecturum fuisse.

Cap. 42, § 67. *Ambiendum mihi fuit ad angelos? Qua prece? Quibus sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc*, etc.] Videtur omnino respicere ad theurgica Platonicorum sacra, quibus se angelos et archangelos elicere, Deoque singularem in modum se conjungi putabant. Qua de re multis scripsit Jamblichus in libro de Mysteriis Ægyptiorum, præsertim sectione v et x. Ejus ævi Platonici, mirum in modum, superstitiosis id genus sacris erant dediti. Vide Vitam Procli, a Marino scriptam, quam Joan. Albertus Fabricius, vir eruditus, integram edidit Hamburgi anno 1700.

Libro xi. Cap. 2, § 3. *O Domine prefice me et revela mihi eas.*] Religiosa profecto et digna episcopo oratio, sed cum qua conjungi debuerant studium linguarum quibus conscripta erat Scriptura, et comparatio omnium aliorum præsidiorum ; quibus demum adhibitis, Scriptura intelligi potest, ita ut intelligenda est ab eo qui eam pro concione, atque editis scriptis, interpretaturus est. Auxilium enim Dei eo non pertinet, ut sine facultatum nostrarum usu nos interno afflatu doceat quæ scire cupimus ; sed ut vires animi et corporis nobis sufficiat, quibus utamur, et in iis quæ humana industria perfici nequeunt, si ita ei videatur, auxiliator adsit. Si hæc intellecta in usum revocasset Augustinus, exauditus sine dubio fuisset. Nunc vero cum ea neglexerit, illa duntaxat in Scriptura intellexit, quæ potuit homo linguarum et criticæ imperitus intelligere ; in cæteris ἀεροβατεῖ, et Platonismum nobis pro doctrina apostolorum propinat, aut argutias inanes magna verborum pompa nobis obtrudit. Loquor nimirum de iis quæ ei cum omnibus Scripturæ interpretibus non sunt communia ; hæc enim etiam catechumenus accepit ab iis a quibus edoctus est, non meditatione retexit. Quæ non eo dico, quod eloquentiam et acumen, in rebus præsertim metaphysicis, Augustino detraham, aut quod meritas laudes minus libenter tribuam ; sed quia video multos ejus auctoritate abuti, et eos præ illo contemnere, quibus nulla ratione conferri potest.

Cap. 10, § 12. *Quid faciebat Deus, antequam faceret cælum et terram,* etc.] Multo brevius respondeas huic quæstioni, si dicas te nescire, ac æternitatis immensitate ingenium humanum absorberi ; neque propterea fidem de creatione omnium rerum, aut religionem ullo in periculo versari. Etenim non profitentur Christiani se paratos esse omnibus quæstionibus satisfacere ; sed tantum se id quod affirmant gravissimis rationibus posse demonstrare. Possumus ostendere omnibus esse initium, præterquam soli Deo, et hanc nostram tellurem ab eo esse creatam ; quod satis nobis esse debet. Reliqua *quæ supra nos*, ut recte Socrates, *ea nihil ad nos.* Quæ hic Augustinus de æternitate et tempore, Platonico more et tam multis, argutatur, et quidem apud Deum, multo dilucidius sunt a recentioribus philosophis et theologis excussa. Adito vel Joannis Clerici Pneumatologiam. Non aggrediar enim expendere quæ de æternitate et tempore philosophatur Hipponensis episcopus, et quæ adeo tenuia sunt, ut vel tenuitate sua evanescant.

Cap. 32, § 29. *Circuitum illius ligneolæ rotæ.*] In qua, nimirum, sol, gnomonis ope, horas notabat. Tempus est ipsa duratio rerum, seu existentia continuata, sed eam existentiam metimur ope motus astrorum, et præsertim quidem solis ac lunæ.

Libro xii, § 1. *Promissa tua sunt et quis falli timeat, cum promittit veritas?* At verba : *Petite et accipietis,* etc., Matth. vii, 7, ita non sunt intelligenda, quasi quarumvis metaphysicarum quæstionum solutionem petenti eam tribuere necesse habeat Deus. Verum hæc intelligenda tantum de necessariis ad salutem, conditione etiam hac posita, ut qui ea intelligere cupit, non tantum precibus ad Deum confugiat, sed etiam omnia faciat quæ ratio suadet esse facienda, ut consequatur quod vult. Si quis a Deo peteret ut acciperet ab eo peritiam linguarum Græcæ et Latinæ, an propterea impetraret, si interea nihil faceret ad eam sibi comparandam? Sane neque illa peritia necessaria est ad salutem, neque sine labore acquiri nunc potest. Idem de aliis ejusdem generis dixeris. Nec sine periculo esset opinio ejus qui existimaret se id quod cogitat de re quapiam divinitus accepisse, quia Deum prius orasset, ut sibi veritatis cognitionem impertiretur. Merus hoc tandem enthusiasmus esset, cujus ope somnia quævis divinæ revelationi, etiam repugnante recta ratione, æquarentur. Vide ad lib. xiii cap. 25.

Cap. 3, § 3. *Ubi enim lux esset, si esset, nisi super esset eminendo et illustrando* ?] Crediderim legendum *emicando*, nam

> Ignea convexi vis et sine pondere cœli
> Emicuit, summaque locum sibi legit in arce

Ut utar verbis Ovidianis.

Cap. 17, § 24. *Nomine cœli et terræ totum istum visibilem mundum prius universaliter et breviter significare voluit, ut postea digereret dierum enumeratione quasi articulatim universa quæ sancto Spiritui placuit sic enuntiare*] Hi sane *contradictores*, quicunque sint, multo melius Mosem intelligebant quam Augustinus, qui, nisi fallor, cogitabat hic de Platonicorum suorum ὑπερκοσμίῳ τόπῳ, de quo Plato in Phædro. Interea dignum est notatu quod habet Augustinus cap. 9, cœlum hoc inconspicuum esse *æternitatis particeps*, quod ante tempus conditum esset. At mira est ratio explicandæ Scripturæ, quam postea proponit cap. 18: *Dum quisque conatur id sentire, in Scripturis sanctis, quod in iis sensit ille qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiamsi hoc non sensit ille quem legit, cum et ille verum, nec tamen hoc senserit?* Est hoc malum, quod ex quovis loco quævis veritas deduci possit, et paulatim nulla certa superfutura sit ratio explicandæ Scripturæ ; si nulla regularum criticarum habeatur ratio, et hoc unum quæratur an sit per se verum quod dicitur. Commodum quidem hoc est declamatoribus, sed plane contrarium recte instituto Scripturæ sacræ studio, quod eo spectat ut quid singula loca significent, quatenus licet, liqueat. Cæterum ubi ambigua est sententia, nec nulla arte intelligi potest quid spectaverit scriptor sacer, tum vero nihil affirmandum. Absimilia veris rejici possunt, sed nulla est causa cur æqua verisimili id præferas, quod ex omnibus artis criticæ canonibus verisimilius non est. Quærere vero in quopiam Scripturæ loco, quod nulla ratio grammatica ei inesse docet, hoc demum est Scripturam interpretari, ut campanarum sonitum pueri solent.

Libro xiii. Cap. 11, § 12. *Trinitatem omnipotentem quis intelligit ? Et quis non loquitur eam, si tamen eam?*

Mera anima quæ, cum de illa loquitur, scit quid loquitur. Et contendunt et dimicant, et nemo sine pace videt istam visionem.] Nihil verius dici potuit. Itaque multo præstaret parce loqui de iis quæ nescimus, nec scire debemus, cum non sint perspicue a Deo revelata; multum vero de omnibus vitæ officiis, quorum præstationem a nobis exigit Deus. Si de iis loqueremur duntaxat, quatenus nobis sunt revelata, atque, locutionibus Scripturæ contenti; ignota Deo relinqueremus, non tot essent contentiones; quibus ut nescio an illustretur veritas, sic video vehementer lædi Christianam caritatem.

Cap. 18, 23. *In principio diei.*] Legendum *in principia*, ut paulo post legitur in mss. codd. Respicit enim Augustinus ad Gen. I, 16, ubi LXX habent Deum fecisse luminare magnum εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, *in principia diei*, ut habebat versio Latina, quæ tempore Augustini legebatur. Vide tamen ad Geneseos locum Flaminium Nobilium.

Cap. 21, § 29. *Piscem manducet levatum de profundo.*] Respicit ad vocem ἰχθύς, quæ cum *piscem* significet, complectitur initiales litteras vocum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱός Σωτὴρ, *Jesus Christus Dei Filius Servator*. Ideo Tertullianus de Baptismo cap. 1 : *Sed nos pisciculi, secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur.*

Cap. 24. § 36. *Tibi confiteor credere me, Domine, non in cassum te ita locutum esse.*] Non in *cassum* induxisset ita loquentem Deum Scriptor sacer, quamvis non minus possit dici Deus benedixisse quadrupedibus quam piscibus aut avibus. Sed in simplicissimo Scripturæ stylo, multa adduntur aut omittuntur, non ut arcanum nescio quid innuatur; sed quia ea indoles est ejus styli, quæ patitur addimenta aut etiam omissiones, sine ulla sententiæ mutatione. Sic Gen. I, 8, in Hebraicis codicibus addita non sunt solemnia dierum aliorum verba : *et vidit Deus esse bonum;* quæ tamen non minus conveniunt secundo die creatis quam cæteris omnibus. In creatione vero tertii diei a vers. 9 ad 13 bis hoc legitur, quod si semel, ut in aliis diebus, additum esset nihil deesse animadverteremus. Qui in talibus argutabantur, Scripturæ styli nondum fuerunt satis periti. Nam allegorica figmenta qui probet, neminem eruditum nunc inventum iri puto.

Cap, 25, § 38. *Verum enim dicam, te mihi inspirante.*] Hoc est consectarium eorum quæ diximus ad lib. XI, cap. 1. Commenta allegorica, quæ quamvis veram doctrinam complectantur, non possunt tamen ex loco Mosis deduci, quasi revelationem divinam nobis obtrudit hic Augustinus. Rem ipsam, hoc est, pastoribus necessaria esse a gregibus præbenda, decnerat eum Paulus, et ipsa rei æquitas sine ulla revelatione; sed hanc doctrinam hic contineri non magis ei est revelatum, quam Philoni et Origeni quod allegoriarum fidiculis ex Scriptura, in alienos sensus contorta, deduxerunt.

Cap. 19, § 44. *Atque ita cum vos temporaliter ea videatis, non ego temporaliter video.*] Conjunctiones *atque ita*, si modo nullum hic sit mendum, debent significare *sed*, hoc est obtinere vim adversativam.

Cap. 33, § 48. *Speciem et privationem.*] Εἶδος καὶ στέρησιν, quod scholasticorum sermone nunc dicimus, *formam et privationem*, quæ sunt opposita.

Cap. 36, § 51. *Dies autem septima, sine vespera est, nec habet occasum.*] Si velimus argutari, diei septimi *mane* non magis memoratur quam *vespera*; nam *mane*, cujus mentio fit vers. 31, est diei sexti, cum Hebræi, Mose præeunte, νυχθήμερον incipiant a vespera, quam deinde sequitur dies. Sed septimi diei partes a Mose non attinguntur, quia eo die nihil fecit Deus.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS CONTRA ACADEMICOS.

Libro I. Cap. 1, § 2. *Si edentem te munera ursorum, et nunquam ibi autea visa spectacula civibus nostris, theatricus plausus semper prosperrimus accepisset*, etc.] Recte *ursorum* editum, nam agit Augustinus de ignotis in Africa spectaculis, qualia fuissent munera ursorum, nam, ut habet Plinius lib. VIII, cap. 36, *in Africa ursum non gigni constat.* Idem affirmat cap. 58.

Ibid. *Fortunatissimus, ut fuisti, jactareris.*] Falsum est Romanianum *fortunatum* potuisse dici, ut ostendit Augustinus in sequentibus. Igitur non potuit dicere *ut fuisti*, nec magis *ut suesti*, quemadmodum habent alii codd. mss. Malim ego *ut suevere isti*, hoc est eo sensu quo clientes, cives, populi beatum prædicant.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Cum ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celsinus, bonas res Arabicas ubi exhalarunt in nos*, etc.] Non intelligo qui libri *pleni* dici queant, nisi addatur qua re pleni sint. Igitur hic aliquid deesse suspicor, ut *sapientia*, ut aut simile quidpiam.

Ibid., § 6. *Adversario tuo.*] Cum quo, ut videtur, litem habebat Romanianus.

Ibid. *Ne ille et baias et amœna pomeria.*] Hic tria sunt menda, quorum primum et postremum ex prioribus editionibus desumpta sunt, medium huic proprium est. Primo pro *ne* legendum est *næ*, ναί, hoc est profecto; hoc enim vult Augustinus, si adversario Romaniani spectandam proponere potuisset speciem philosophiæ, illum profecto, rebus relictis, ad eam advolaturum. Sæpe hoc mendum in mss, codd. occurrit, quod utraque vocula eodem modo pronuntiaretur, Secundo, *Baias* debuit scribi, majusculo *B*, ut est in editione Erasmi, nam nomen est amœnissimi loci ad Puteolanum sinum, circa quem erant elegantissimæ Romanorum villæ, et de quo Horatius sæpe alibi et 1 epist. libri I.

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Denique non *pomeria*, sed *pomaria* legendum liquet, ex epitheto *amœna*.

Cap. 3, § 7. *Philocalia ista vulgo dicitur.* etc.] Vide notata ad lib. Retractationum, cap. 1, num. 3.

Ibid. *Sine pennis.*] Cui pennæ defluxerunt. Ex Platonicorum disciplina, ut notavimus ad Confess, lib. VIII, cap. 7.

Cap. 4, § 10. *Sine metro.*] Hoc est, ἄνευ μέτρου, *sine modo*. In ambiguitate ludit Augustinus, nec inter-

ea prætermittit occasionem pauca verba Græca, quæ norat, proferendi.

Cap. 6, § 14. *Archesilas*] Turpe mendum, omnes enim sciunt vocatum hunc philosophum fuisse Ἀρκεσίλαον, non Ἀρχεσίλαον. Itaque hoc quoque mendum antiquiorum editionum tollendum erat, et hic et in sequentibus, ubi iterum iterumque occurrit. Nam quamvis Græce nesciret Augustinus, habebat tamen veteres Ciceronis codices, in quibus hoc mendum ab eruditioribus grammaticis relictum non puto.

Cap. 15, § 34. *Ille autem casu planus erat de iis quos Samardacos jam vulgus vocat.*] Crediderim Africanam, aut potius Punicam esse vocem, a radicibus עמר *schamar*, observare, et דיק *douck*, inspicere, deductam, eaque significatos fallaces homines, qui ex observatione siderum, ominum, prodigiorum, etc., inspectioneque victimarum futura prænuntiare se posse sperabant, aut fingebant. Sic enim eos describit Scholiastes vetus Horatii ad vers. 113 sat. 6 lib. I, Fallacem circum *dixit propter Sarmadacos* (Scribe *Samardacos*) *et sortilegos mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant et imperitos sortibus et nugis fallebant.* Paulo post etiam *Samardacos et sortilegos* conjungit et divinos esse docet. At Jacobus Cruquius, qui eum Scholiasten emendatiorem edidit, suspicatur vocem esse compositam ex *Sarmata* et *Dacus*, qui populi olim non parum hujuscemodi ludibriis infames fuerint. Elige utrum volueris, et adi etiam Joannem Meursium, in Lexico Græco barbaro.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE VITA BEATA.

§ 3. *Quod ita nihil intus plenum atque solidum habet, ut inflatos sibi super ambulantes, succrepante fragili solo, demergat ac sorbeat.*] Legerim *inflato sibi*, nam hic montem nobis describit vento tumentem. S facile potuit ex sequente voce antecedenti adhærere.

§ 4. *Lectis autem Platonis paucissimis libris.*] Crederem legendum *Platonicis*, nam Augustinus habet Confessionum libro VII, cap. 9, § 15, *quosdam Platonicorum libros*; nisi quinque mss. hic haberent *Plotini* quam veram lectionem esse puto. Antequam hunc locum attentius legissem, jam suspicatus eram Platonicos illos libros, in quibus Augustinus similia Christianæ theologiæ invenisse se credidit, fuisse libros Plotini : in qua conjectura vehementer lectione hac mss. codicum confirmor.

§ 5. *Eloquentia tua territus non sum.*] Exstat elegans dissertatio de Vita Fl. Mallii Theodori, ab Alberto Rubenio conscripta, quæ edita est Ultrajecti anno 1693, ex qua quæ fuerit eruditio Theodori et ad quæ munera pervenerit intelligere licebit. Itaque ad eam lectorem amandamus.

§ 7. *Cum fateamur cuncti, neque sine corpore, neque sine anima, esse posse hominem, cibos propter, quid horum appetamus.*] Imo *appetimus ?* Est enim interrogatio Augustini, ad quam, *propter corpus*, respondet Licentius. Mendum hoc fuit Basileensis editionis, in hanc transfusum.

§ 35. *Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est beata vita, pie perfecteque cognoscere a quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quem connectaris summo modo.*] Etsi non difficile est intellectu quid velit Augustinus, attamen est cur queramur eum in hac tota disputatione metaphoricis vocibus ac locutionibus, quas aliis æque tralatitiis definit, perpetuo ferme abusum. Quo factum est ut nihil præter argutias ex ambiguitate captatas, et quæ dialecticam nimium redolent, hic habeamus. Cum pueris fateor, et muliercula loquebatur ; sed cum hæc ederet, tot verbis nihil dicere nescio quomodo sustinuerit. Quam facile ostendere potuisset beatitudinem proprie dictam esse eam animi affectionem qua in sorte nostra acquiescentes, nec quidquam cupimus, nec timemus ? Quam proclive fuit demonstrare hanc animi affectionem in hac vita non posse comparari, in qua semper multa sunt quæ timeamus, aut cupiamus ? Quibus dictis, collegisset beatam vitam nullam posse esse in hisce terris ; omnes homines esse miseros ; sed eos demum minus esse miseros, quam alios, qui possent, ex Evangelii legibus, sibi beatitudinem post hanc vitam mortalem polliceri. Verum vocum definitiones accuratæ, sermo simplex, et ordo commodus res erant rhetoribus illius ævi propemodum ignotæ.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE ORDINE.

Libro I. Cap. 1, § 2. *Quis tam cæcus est mente, ut quidquam in movendis corporibus rationis quod præter humanam dispositionem ac voluntatem est divinæ potentiæ, moderationique dare dubitet ?*] Transposita hic est vox *rationis*, quæ debet præponi proxime voci *divinæ*, ut series sit : *potentiæ moderationique Rationis Divinæ*, Græce, δυνάμει, καὶ διοικήσει Λόγου Θείου. Nempe, ex Platonicorum sermone desumpsit Augustinus *Rationem Divinam* ; de qua locutione vide quæ collegit Joan. Clericus ad Joan. I, 1. Benedictini docent decem a se mss. codd. inspectos, in quibus hic ordo erat observatus ; sed male habent *rationi*, si modo nullum sit in Benedictinorum notula mendum. Eadem voce in eumdem sensum utitur etiam postea Augustinus § 26, ubi memorat *pulchritudinem Rationis* (nempe divinæ) *cuncta scientia et nescientia modificantis et gubernantis, quæ inhiantes sibi sectatores suos trahit, quacunque atque ubicunque se quæri jubet.*

Cap. 3, § 6. *Nam et ipse in eodem conclavi lecto suo cubans vigilabat, nobis nescientibus ; erant enim tenebræ quod in Italia etiam pecuniosis prope necesse est.*] Sic loquitur in gratiam suorum Afrorum. Utinam etiam in gratiam posteritatis, addidisset cur in Italia, potius quam alibi, in tenebris jacerent. An in Africa copia erat specularium lapidum, qui Lunæ et stellarum lucem in conclavia admitterent, qui in Italia rariores ; quo fiebat ut, clausis ligneis fenestris, tenebræ essent in conclavibus ? Viderint doctiores.

Cap. 11, § 31. *Vir et ingenio et eloquentia et ipsis insignibus muneribusque fortunæ et, quod ante omnia est, mente præstantissimus Theodorus, quem bene ipse*

nosti, id agit, ut et nunc et apud posteros, nullum genus hominum de litteris nostrorum temporum jure conqueratur.] Vellem exstaret opusculum Theodori de Origine et natura mundi, quod latere in bibliothecis dicitur a Cl. Salmasio in præf. ad Ampelium. Ex eo enim intelligere liceret an hic ei aduletur, quod sane suspicor, Augustinus, pro more sæculi sui, quo, si unquam alias, immodicæ laudes in usu vulgari fuere : Is Theodorus, cum militasset inter Advocatos sedis prætorianæ in Italia, præfectus fuit parti Libyæ, tum parti Macedoniæ, deinde quæstor sacri palatii, post comes sacrarum largitionum, ac tandem præfectus prætorio Galliarum anno 380. His honoribus defunctus ad vitam privatam rediit, in qua scribendis variis opusculis operam dedit. Quo intervallo, circa annum 386, Augustinus hæc scribebat. Ad ampliora deinde munera pervenit, ut docebit Albertus Rubenius in libello antea memorato.

Libro II. Cap. 1, § 1. *Nobiscum erat etiam mater nostra, cujus ingenium... cum antea convictu diuturno, et diligenti consideratione perspexeram, tum vero in quadam disputatione non parvæ rei quam... in libellum contuli, tanta mihi mens apparuerat, ut nihil aptius veræ philosophiæ videretur.*] Si hæc in sermone familiari matri dixisset Augustinus, vituperari sane non posset, imo forte laudaretur, pietatis causa. Sed hæc nescio quomodo scribere sustinuerit ad virum eruditum atque edere, cum præsertim liber de Vita beata, ubi eximia illa Monnicæ responsa leguntur, edendus etiam esset. Eum enim si quis legat, facile intelliget filium præ amore matris ingenium invenisse in verbis bonæ anus, quod alii non facile animadvertant. Quæ mulier nunc paulo liberalius educata talia et meliora etiam aliud agens non effundat?

Cap. 2, § 4. *Defini ergo, inquam, si placet quid sit esse cum Deo... Odi ego, inquit, definire.*] At si hunc et superiorem librum legas, nullam definitionem paulo accuratiorem invenies; sed tantum descriptiones rhetoricas, re descripta sæpe obscuriores aut certe æque ac eam obscuras. Exempli causa *esse cum Deo*, quæ est locutio impropria et obscura, definitur *a Deo administrari*, aut *intelligere Deum*, etc. Sic talia hodie conscribillarentur, et in publicam lucem protruderentur, profecto eruditorum plausum non ferrent, uti nec innumeræ inanes argutiæ, quibus hæc opuscula scatent. Sed illo ævo verba pluris multo fiebant, quam res ipsæ; quo vitio et nostrum sæculum, plus quam optandum esset, etiamnum laborat.

Cap. 4, § 12. *Quid sordidius, quid inanius decoris et turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*] Itaque recte faciunt, si Augustini judicium sequamur, legislatores et principes qui lupanaria esse patiuntur; nam præstat paucas domos pollui quam omnes libidinibus turbari. Quamobrem aiunt in urbe omnium nobilissima ea ferri, ne in matronas et pueros passim grassentur homines sponte quidem sua cælibes, sed minime propterea castiores. Quanto satius erat dicere malas mulieres et libidinosos juvenes abuti libertate a Deo accepta, et alia quæ ab eruditis nunc dici solent? Si talia hodie scriberemus, nunquam sat graves pœnas dare possemus iis qui ea in veteribus mirantur Non expendam quomodo vitia faciant ad *ordinem*, nimis multis verbis opus esset, ut quæstio constitueretur, et in ordinem omnia digererentur. Verum orabo lectorem ut conetur ex iis quæ hic habentur apud Augustinum, conflare disputationem perspicuam et via ac ratione dispositam : quod si præstet, *erit mihi magnus Apollo.*

Cap. 9, § 22. *Aeriorum animalium mira fallacia*, etc.] Platonici ζῶα vocant, seu *animalia*, quæcunque anima prædita sunt, quales sunt dii illi inferiores, quorum sedem in aere ponebant. Hos cacodæmonas esse interpretabatur Augustinus. De sententia Platonicorum sat multa Apuleius, in libris de Mundo, de Philosophia naturali, et de Deo Socratis.

Cap. 12, § 35. *Quibus duobus repertis* (litteris et figuris numerorum) *nata est illa librariorum et calculonum professio, velut quædam grammaticæ infantia, quam Varro litterationem vocat, Græce autem quomodo appelletur non satis in præsentia recolo.*] Vocabatur γραμματιστικὴ, doctor vero γραμματιστής Philo de congressu eruditionis causa : Τὸ γε μὲν γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν γραμματικῆς τε ἀτελεστέρας ἀπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι : *scribere et legere grammaticæ est imperfectæ, quam nonnulli convertentes vocabulum grammatisticam vocant.* Martianus Capella lib. III de Nuptiis Mercurii et Philologiæ, sic grammaticam loquentem inducit: Γραμματικὴ *dicor in Græcia, quod* γραμμὴ *linea et* γράμματα *litteræ nuncupentur, mihique sit attributum litterarum formas propriis ductibus lineare, Hinc mihi Romulus* litteraturæ *nomen ascripsit, quamvis infantem me* litterationem *voluerit nuncupare, sicut apud Græcos* γραμματιστικὴ *primitus vocitabar, tum et antistitem dedit, et sectatores impuberes aggregavit.* Isidorus Orig. lib. I, cap. 3 : *Primordia grammaticæ artis litteræ communes existunt, quas librarii et calculatores sequuntur, unde et eam Varro* litterationem *vocat.* Plura hac de re veterum testimonia vide apud Joan. a Wower in tractatione de Polymathia, cap. 4, et Claud. Salmasium sub finem notarum in Pallium Tertulliani.

[Ibid., § 37. *Historiæ.* Non ea intelligenda a qua dicti historici Thucydides, Polybius, aliique id genus, sed philologia, cujus periti πολυίστορες dicuntur, unde Alexander Polyhistor, Apion Polyhistor, C. Julius Hyginus Polyhistor, quasi dicas *multiscium*, ἀπὸ τοῦ πολὺ et ἴσασθαι. Vide Cl. Salmasium ad titulum Solini Polyhistoris. Sic nomen *historiæ* pro quavis cognitione usurpatur ab Augustino lib. II de Musica, cap 1, § 1.

DESIDERII ERASMI CENSURA
IN SOLILOQUIORUM LIBROS.

Opus mire resipiens optimi viri infantiam in Christo. Nam Rationem ita loquentem facit cum Augu-

stino, quasi Ratio non sit potior Augustini pars. Tolerabilius Seneca fingit Rationis et Sensus dialogum. Ad hæc, quasi vero duo loquantur homines, in disputationes et libros dissecatur sermo, ne defatigentur : nonunquam et in sophistica, levicula que argutatione imploratur auxilium divinum. Lectorem requirit patientem et candidum.

J. PHEREPONI ANIMADVERSIONES

IN EOSDEM LIBROS.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Ait mihi subito, sive ego ipse, sive alius quis intrinsecus, sive extrinsecus nescio.*] Hæc redolent Platonismum, ex quo homines *rationales* sunt, quatenus divinæ *rationis* participes ; a qua non tantum acceperunt substantiam ipsam et facultates mentis, sed etiam cum bene ratiocinantur occulte monentur, quasi a magistro. Vide librum de Magistro. Imo et rationem, abstracte spectatam, more Platonico substantiam esse vult, de Immortalitate animæ § 11. Ideo Augustinus rationem a mente sua distinxit, eamque cum illa colloquentem induxit. Hæc observanda fuere, propter censuram Erasmi ; ne ineptior tum fuisse videatur Augustinus, quam revera erat. Alia possemus addere de ratione ex iis quæ ex Clemente profert Photius cod. cix. Cæteroqui quem non pigeat, tædeatque argutiarum, quas non sibi sed rationi ipsi tribuit ?

§ 2. *Deus qui malum non facis, et facis esse ne pessimum fiat.*] Hoc est qui sponte quidem tua malum non facis, sed tantum ne quid deterius eveniat. Quæ sententia, nisi fallor, digna erat quæ retractaretur. Quid enim a recta ratione, Scripturisque sacris magis alienum, quam *Deum facere ut sit malum ?* sed vide operis de Ordine lib. II, cap. 4, § 5. Potuit aliquo sensu dici Deus *pati mala*, ne deteriora ab hominibus fiant, cum se liberarum creaturarum affectioni attemperat ; ut cum in Judæis toleraret divortium et alia. Sed ea *facere* dici non potest ; nec sane mirum talia Deo ingerentem ab eo nihil impetrasse ; nam his duobus libellis, quibus ad divinam opem sæpius confugit, quid tandem est, quod te legisse gaudeas ?

Cap. 12, § 21. *Cogor interdum Cornelio Celso assentiri, qui ait summum bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis.*] Videtur esse is cujus habemus libros de Medicina, nam et de aliis artibus scripserat, ut docet Quintilianus Institut. orator. lib. XII, cap. ultimo.

Libro II. Cap. 3, § 4. *Absurdius dicitur falsitatem, quam veritatem esse non posse.*] Vere Erasmus, ad oram suæ editionis, hic apposuit : *Sophistica inductio.* Postea etiam ad initium capitis sequentis : *Sophisticatur et hic de vero et falso.* Profecto non sophista tantum, sed propemodum ineptus haberetur, qui talia hodie scriberet.

Cap. 6, § 12. *Mel thyminum a melle thymino.*] Erasmus hic habet in ora : « Virgilius : *Redolentque thymo fragrantia mella.* Alias *Himetinum* et *Hymeino*, sed altera lectio magis probatur. » Hæc ille. Miror varietatis hujus non meminisse editores Parisienses. Celebria fuerunt mella Hymettia, a monte Atticæ dicta ; et thymosa, sive e thymo collecta. Adi Plinium Hist. nat. lib. XI, cap. 13 et seqq.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

Cap. 1, § 1. *Si alicubi est disciplina, nec esse nisi in eo quod vivit potest et semper est, neque quidquam in quo quid semper est potest esse non semper, semper vivit in quo est disciplina.*] Quasi vero non possint esse in intellectu Dei ideæ disciplinarum, quamvis nullæ essent creaturæ ! Imo fuerunt, ante creationem. Præterea, quis nescit distinguendam abstractam cujuspiam rei ideam, ac veritatem : ab actuali cogitatione de ejusmodi idea, aut veritate ? Ideæ veritatesque abstractæ æternæ dicantur, quod sint natura sua immutabiles ; sed quis inde colligat animos de iis cogitantes esse æternos, præter meros argutatores ? Eadem opera, colligere potuisset animis humanis nullum fuisse initium. Sed talia ratiocinationum ludibria non moramur.

Cap. 7, § 12. *Nulla præcisio perducit ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet corpus est, et quidquid hoc est quantolibet spatio locum occupat.*] Vere et acute. Hinc colligere potuit substantiam corporis viribus humanis interire prorsus non posse, sed tantum mutari. Sic posset fieri ut a creaturis mutaretur nonnihil in substantia mentis, quæ tamen propterea deleri posse censenda non est,

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE QUANTITATE ANIMÆ.

Cap. 1, § 2. *Unde sit anima.*] Hujus quæstionis sensus erat, an a Deo creata sit anima, an æterna, an una cum corpore ex traduce nascatur. Sed Augustinus rhetorice eam solvit aut eludit, quasi quæreretur, quæ patria sit animæ ; quod quis unquam somniavit ?

Ibid. *Si pergeres quærere unde ipsa terra, vel aqua, vel aer, vel ignis constent, nihil jam quod dicerem reperirem.*] Omnibus tamen notum erat constare ea ficta elementa omnium rerum innumeris partibus, in quas resolvi possunt. Quo si dici posset de mente, actum esset de ejus immortalitate. Sed eorum, qui minus accurate philosophantur, comparationes ad vivum resecandæ non sunt. Quod hic faciendum non esse liquet, ex eo quod Augustinus, mentem extensam esse neget, in sequentibus.

Cap. 3, § 4. *Et hoc interim satis est.*] Facilis sane fuit Evodius, qui tam paucis sibi satisfieri passus est, de quæstione *qualis sit anima.* Sed eamdem invenies tractatam in altera quæstione, de quantitate animæ.

Ibid. *Ideoque bene præcipitur, etiam in mysteriis, ut omnia corporea contemnat, universoque huic mundo renuntiet.*] Bene in margine Erasmus adnotavit *in baptismo :* notum enim est renuntiare solitos, qui baptismum accipiebant, diaboli et mundi pompis. Quod faciebant etiam infantium susceptores, eorum nomine, ut testatur Augustinus lib. de Pec. origin., § 45, et lib. I de Nuptiis et Concupis., cap. 20, § 22.

Cap. 4, § 5. *Placetne tibi ut ipsam justitiam nihil esse credamus ?*] Est plane nihil, si conferatur cum

substantia; nam justitia in abstracto nusquam est, nisi in animo eam intelligentis. Sed Platonici de ideis loquebantur, quasi de substantiis.

Cap. 7, § 12. *Auctoritati credere magnum compendium est, et nullus labor*, etc.] Sed prius ipsa illa auctoritas expendenda est, quam ei fidem habeamus; ita ut ei per omnia credamus, quia nobis indubitatis argumentis constat eam nec falli, nec fallere. Alioqui stultum esset ei credulitatem suam addicere, a qua verum dici nulla ratione constaret. Sin minus, barbari omnes populi, qui sacerdotibus aut majoribus suis tam multa temere credunt, recte facere dicendi essent. Compendiaria via etiam progrediuntur, sed ut ad omnis generis errores perveniant, ex quibus nunquam sese expediunt. Itaque cavere omnes oportet, quibus cordi est Christiana religio, ne idem ei fundamentum ponant, quo maximi et turpissimi quique errores nituntur. Accuratius loquitur Augustinus in libro de Vera Religione, § 45: *Auctoritas*, inquit, *fidem flagitat et rationi præparat hominem*. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. *Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum; et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas.*

Cap. 30, § 39: *Sensus est corporis passio per se ipsam non latens animam.*] Post tot verba facta, de definitione sensus, mirum est meliorem non esse prolatam, cum præsertim Augustinus probe sciret animum sentire, non corpus. *Sensus* duplici significatione dicitur: est enim aliquando ipsa sentiendi facultas quæ inest menti; aliquando passio ipsa qua ea facultas afficitur, et quam barbare *sensationem* vocamus. Sensus, posteriori significatu, nihil est præter *animadversionem mentis natam ex occasione motus corporis sui*; priori est facultas qua mens talium animadversionum capax est. Paucis verbis potuit totum hoc negotium absolvi, quod hic tam multis intricatum est. Plura non addam, quæ sunt omnibus nota, ex quo philosophia, nostra et Patrum nostrorum memoria, feliciter instaurata est, et de quibus etiam in opusculis philosophicis sat copiose egi. Nec philosophicas notas in Augustinum scribere aggressus sum: alioqui multa dici possent, quibus sequentes ejus ratiocinationes confutarentur; in quibus verborum tam est prodigus, quam parcus rerum.

Cap. 33, § 76. *Vanitas vanitantium.*] Oportet, in quibusdam exemplaribus Græcis, lectum olim fuisse ματαίοτης ματαιούντων; quam vitiosam lectionem Latinus interpres, quo utebatur Augustinus, expresserit. In veteribus glossis est ματαιοῦμαι *vanor*, cujus frequentativum fuit *vanitor*.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE MUSICA.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Eo distat, quod in diversis locis habent acumen.*] Ita loquitur de *pone* verbo, et *pone* adverbio, et acumen sine dubio vocat accentum. Credibile est verbum habuisse accentum in prima, adverbium in secunda, discriminis causa. Hinc intelligere licet quam male hodie linguam Latinam omnes pronuntiemus, et quam prave versus præsertim legamus: quis enim inter loquendum aliter *pone* aut *pone* pronuntiare solet?

Cap. 10, § 17. *Sesque appellantur, ubi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte sui eum præcedit... Nominis autem hujus originem non facile dixerim, nisi forte* sesque *quasi* se absque *dictum, id est*, absque se, *quia quinque ad quatuor, absque quinta parte sua major hoc est quod minor.*] Sed non *quinque*, verum *sex*, est numerus *sesquatus*, si cum *quatuor* conferatur. Itaque merito hanc Augustini etymologiam reprehendit Jul. Cæs. Scaliger lib. II de Re poetica, cap. 26, qui putat *sesqui* dici pro *semis æquum*, quod idem sit ac ἡμιόλιον. Sed Ger. Joan. Vossius felicius conjecit *cesqui* (aut *sesque*, ut scribitur hic apud Augustinum) idem fuisse ac *semisque* seu *et semis*, ita ut *que* respectum habeat ad totum, cui *semis* superadditur, unde Græcis ἡμιόλιον, *totum et semis*.

Libro II. Cap. 1, § 1. *Scias velim totam illam scientiam, quæ* grammatica *Græce. Latine autem* litteratura *nominatur, historiæ custodiam profiteri*, etc.] *Historia* hic dicitur cognitio rei cujuspiam, quæ non pendet a ratiocinatione, sed ab hominum arbitrio. Paulo post grammaticus, docens syllabam esse longam aut brevem, dicitur esse *custos historiæ*, nimirum usus linguæ Latinæ aut Græcæ de quantitate syllabarum.

Libro III. Cap. 1, § 2. *Rhythmus, id est numerus*] Scio quidem id quod Græce ῥυθμὸς dicitur, a Latinis dictum *numerum*, sed vereor ne Augustinus miscuerit ῥυθμὸν cum ἀριθμῷ. Felicior hic est lingua Græca quam Latina, nam ῥυθμὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ῥέειν, *fluere*, estque id quod fit ut versus facile pronuntietur, et gratius ad aures accidat. Galli vocant *la cadence*, et *fluentes* (*coulants*) etiam *versus* vocant, in quibus nihil est asperum aut durum. Ex voce quidem *rhythmus* venit vox linguarum hodiernarum *rima*, sed hac significantur finis versuum ὁμοιοτελεύτων, quæ significatio a Græca voce plane aliena est. Non fuisset hoc observandum, nisi esset eruditus Gallus, qui hac in re peccavit; quem nomine non appellabo.

Libro V. Cap. 3, § 4. *Non mihi* versus *ex eo appellatus videtur, ut nonnulli putant, quod a certo fine ad ejusdem numeri caput reditur, ut nomen ductum sit ab iis qui se* vertunt, *dum via redeunt, nam hoc illi cum his etiam metris quæ* versus *non sunt, apparet esse commune.*] Ideo etiam non modo poetarum metra *versus* dicuntur, sed et quævis scripturæ *lineæ*, quemadmodum nunc loquimur, ut recte observavit Joan. Ger. Vossius in Etymologico, ad vocem Versus. Idem optime ostendit dubitari non debere quin singuli scripturæ sulci ex eo *versuum* nomen acceperint, quod ut agricola Vomere solum: sic scriptor stylo ceram *vertat*; ac ut ille, in terra, sulco uno absoluto, vertit aratrum, aliumque sulcum efficit: sic qui scribit, stylo sinistrorsum *verso*, prolatoque, novum in cera sulcum ducat. Cumque, ut docet, id non minus in prosa fiat quam in carmine, patet *versus* nu-

men natura sua, non minus solutæ quam ligatæ orationi convenire. Sed quia poetæ versus suos certo absolvunt pedum numero, et stylum proinde frequentius *vertunt*, hinc factum ut hi sibi *versus* nomen prope fecerint peculiare. Adde hisce *versum* revera in agricultura sulcum dictum, et apud Græcos vocem στίχος, qua *versum* scripturæ signant, esse etiam ex agricultura desumptam: quod erudite ostendit Joan. Croius part. 1 Observationum in N. T., cap. 9.

Ibid. *Sed magis fortasse e contrario nomen invenit, ut quemadmodum grammatici* deponens *verbum, quod* r *litteram non deponit, sicuti est* lucror *et* conqueror, *appellaverunt: ita quod duobus membris conflt quorum neutrum, in alterius loco, salva lege numerorum, constituitur, quia* verti *nono potest* versus *vocetur.*] Prior etymologia plane falsa est, ut sunt pleræque omnes quæ κατ' ἀντίφρασιν finguntur; nam multa *deponentia* olim in *o* et *or* exibant, eorumque catalogum contexuit Joan. Ger. Vossius Aristarchi lib. v, cap. 7. Credibilius est ea *deponentia* dicta, ut idem innuit capitis 6 initio, quia passivam significationem *deposuerint*, quæ etiam sententia fuit Franc. Sanctii summi grammatici. Sed et scriptor libri de Grammatica, qui solebat Augustino tribui, aliud nobis suppeditat etymon. Agens de verbis, *Restat*, inquit, *verbum* deponens, *quia* deponit *aliquid de quantitate communis verbi. Nam cum participia quatuor habeat verbum commune: præsens ut* criminans, *futurum* criminaturus, *præteritum* criminatus, *futurum* criminandus, *a passiva significatione, hoc non habet verbum deponens. Et ideo dicitur* deponens, *quia* deponit *unum participium futuri temporis, a verbo passivo quod exit* in dus *syllabam*; *ut* puta opinor *vel* miror *verba sunt deponentia.* Sed mihi magis Vossiana etymologia arridet. Quod habet Augustinus de *versu* multo coactius est, et plane etiam falsum, nam permulti versus converti queunt eo modo quo eos converti posse negat. Pentametri, exempli causa, non pauci sic possunt converti; omnes nimirum quorum prior pars ante cæsuram duobus dactylis constat. Possumus enim æque dicere:

Semivirumque bovem, semibovemque virum,
Aut:
Semibovemque virum, semivirumque bovem.
Dixeris perinde:
Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus,
Vel:
Sæpe legendus avus, sæpe tibi pater est.

Innumera talia occurrent elegiacum poetam evolventi. Itaque in fumum abit quidquid tam verbose de versibus non vertendis disputavit antea Augustinus. Sed bene est quod fatetur vir modestus, initio lib. VI: *Se satis diu pene, atque adeo pueriliter in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium, moratum esse.* Igitur hæc et alia ei ignoscamus, sed tempus melius collocandum in iis legendis, in quibus ferme nihil præter tædiosam et infelicem ingenii ostentationem videas, minime teramus.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE MAGISTRO.

Cap. 5, § 16. *In suis nobilissimis orationibus, quas Verrinas vocant,* coram *præpositionem sive illo loco adverbium sit,* nomen *appellavit.*] Non vacat, data opera, legere Verrinas, ut locum quæram. Fuisset hoc diligentiæ Benedictinorum, qui otio abundant, et a quibus margini locum, ut alibi factum, adlini oportuisset.

Cap. 9, § 28. *Idem Persius omnibus pœnis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere.*] Locus est satira 3, 35, cujus verba subjiciemus, quia et alibi, ad Confess. lib. XII, cap. 8, observavimus ad hunc poetam Augustinum respexisse:

Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum ira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant intabescantque relicta,
Anne magis Siculi genuerunt ora juvenci?

Cap. 10, § 33. *Saraballæ eorum.*] Cum in textu Chaldaico Dan. III, 27, scriptum sit סרבליהון *Sarballehon*, vix dubium videtur, quin scribendum sit *Saraballa*, aut *Saraballæ*, non *Sararabara*, ut habet versio Græca, in qua facillime mendum irrepere potuit in vocem barbaram, cum præsertim liquidas auris facile confundat. Sic scripta vox, per ל non per ר, usitata est apud Thalmudicos et Arabas, pro tunica, et verbum סרבל *sarbel*, significat *texit*. Itaque nomen vestis fuisse videtur, ut est etiamnum apud Arabas.

Cap. 14, § 16. *Didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem ut discat et perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet.*] Hoc est totius libri compendium. Mirum est quam Augustinus calluerit artem pauca et perspicua dogmata philosophica aut theologica multis verbis et obscuris dicendi atque impediendi. Sed hoc fuit vitium rhetoricæ illius ævi.

Ibid. *Utrum autem vera dicantur eum docere solum, qui se intus habitare, cum foris loqueretur, admonuit; quem jam faventa ipso, tanto ardentius diligam, quanto ero indiscendo provectior.*] Platonicum hoc est dogma, ex quo λόγος (quo nomine Christum vocavit Joannes) statuebatur quasi ratio universalis omnium hominum. Sic Justinus vult Christum partim fuisse Socrati notum, Λόγος γάρ ἦν, inquit, καὶ ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, *Ratio enim erat et est quæ est in rerum universitate.* Alia habet similia in sequentibus, in ea quæ dicitur Apologia 1 quæ non exscribam. Sed hæc diligenter notanda sunt iis qui Patres intelligere cupiunt; quos nunquam assequentur, nisi norint quæ eorum fuerit philosophia.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE LIBERO ARBITRIO.

LIBRO I. Cap. 2, § 4. *Nisi crediderltis, non intelligetis.*] Locus est Isai. VII, 9. Sed in LXX int. versione, quæ cum Hebraico textu non consentit, qui habet, ut recte vertit Hieronymus post Symmachum: *Si non crediderltis, non permanebitis.* Quo in loco, pro-

pheta alloquitur Judæos, eosque hortatur ad fiduciam in auxilio divino, contra molitiones Israelitarum et Syrorum, ponendam: quod si fecerint, pollicetur fore ut res eorum firmæ permaneant. Igitur nihil facit hic locus ad rem quam hic habet Augustinus, et pro sententia prophetæ laudat bonus vir figmentum Græcorum interpretum, si modo ita verterint. Unde vero hoc factum? Quia nimirum *credere* voluit antequam *intelligeret*. Credidit enim hunc esse sensum Scripturæ, antequam sciret an LXX interpretibus per omnia fidere liceret, aut hunc locum bene esse ab iis versum constaret. Sed et alibi hoc loco simpliciter abutitur, ut infra lib. II, § 6.

Cap. 3, § 8. *Libido in adulterio malum est.*] Dubium non est quin mala sit in adulterio libido; sed quare mala est? Quia adulterium ipsum est malum, quod illo societas humana plane perturbetur. Humanæ enim societatis fundamentum est societas viri et conjugis, quæ est omnium prima, nec incolumis esse potest, sine mutuo utriusque amore, et communi liberorum ac rei familiaris cura, quæ cum adulterio stare nequeunt. Præterea adulteria parentum sunt liberis efficacissimum scortandi exemplum; quod si promiscue fieret, actum quoque esset de societate humana. Talia ergo sunt vetita, hominum causa; quibus vehementer nocerent. Alioqui *libido*, seu cupiditas alterius sexus, nihil habet per se mali, si intra limites a Deo, imo et ab ipsa Ratione, præscriptos maneat. Quamobrem ita constituta sunt a Deo omnium animalium corpora, ut cum adoleverunt, ea cupiditas in iis, mechanico impetu, excitetur, non aliter ac cupiditas edendi aut bibendi. Consectarium est naturæ corporis, quale a Deo creatum est, ut ex brutis et ex ipso consilio propagationis generum intelligere est. Igitur vere dixit Evodius de adulterio: ***Non sane ideo malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege, quia malum est;*** sed Augustinus minus commode indicavit cur sit malum. Similiter est ratiocinandum de homicidiis, et furtis, de quibus postea noster, et quæ mala sunt, quia sunt prorsus humanæ societati contraria; ac proinde ipsius Dei consilio, qui homines in terris collocavit ut amice inter se agerent, eosque qui aliis nocent plectit, quippe qui est ejus societatis auctor ac vindex.

Cap. 12, § 25. A. *Quæro abs te, sitne aliqua in nobis voluntas?* E. *Nescio.*] Mirum est Evodium, qui passim sat acute ratiocinatur, et interroganti prudenter respondet, hic tam stupidum fingi ut scire se neget, an insit hominibus voluntas. Qui postea lib. III, § 3, dicere potest idem Evodius; *quid suum dicat prorsus non invenire, si voluntas qua vult et non vult non est ipsius?* Sed Platonicorum dialogorum ambages talia multa habent, quæ nescio cui rei apta sint, nisi ad creandum lectori tædium.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Ego demonstrarem quod cuivis facillimum, quanto esset æquius... ut etiam ipse tantorum virorum libris, qui se cum Filio Dei vixisse testatum litteris reliquerunt, esse Deum crederet*, etc.] Prius tamen ostendendum esset libros illos esse fide dignos, quod non brevius fieri potest, quam naturali ratione demonstrari Deum esse.

Ibid., § 6. *Frustra propheta dixisset:* Nisi credideritis, non intelligetis.] Jam antea ostendimus a propheta tale nihil dictum, ad lib. I, cap. 2.

Ibid. *Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit.*] Recte dicit *factis*, nam miraculis ostendit se esse fide dignum, antequam fidem sibi haberi exigeret. Sed verum est pleniorem cognitionem fidei esse sequelam, ita ut generalior cognitio fidem pariat, et fides vice versa accuratiorem generet.

Libro III. Cap. 3, § 7. *Non voluntate autem volumus; quis vel delirus audeat dicere?*] Vult Augustinus ostendere qui Deus libera possit præscire; sed ante omnia oportuisset definire *libertatem*, nec eam confundere cum *voluntate:* hæc enim non sunt semper conjuncta, ut postea videbimus.

Quamobrem quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur ut non voluntate aliquid velimus.] At distinguenda sunt duo genera rerum quæ *voluntaria* dici possunt. Sunt enim quæ *volentes* quidem facimus, sed minime tamen libere; nam *libertas* est ea animi facultas qua possumus aliquid facere aut non facere; sunt autem quædam quæ ita volumus, ut ea non possimus nolle. In judicio ferendo de dogmate quopiam, dum obscuris rationibus nititur, quæ neque manifesto falsæ videntur, nec manifesto veræ, possumus id dogma rejicere aut amplecti, libertateque adeo nostra utimur. Sed si nobis proponatur axioma quoddam mathematicum, aut propositio ex eo necessaria consequentia deducta, non est amplius in potestate nostra assensum negare, si modo verba quibus concepta sunt intelligamus. Hic quidem *volentes* assentimur, neque enim aliter fieri potest; sed non libere, nam assensum negare non possumus. De hisce actionibus non quæritur an eas præsciat Deus, sunt enim plane necessariæ; sed nec sunt ulla laude aut vituperio dignæ. Est et altera res, præter summam evidentiam, in quam volentes quidem, sed non libere ferimur, quam exprimit ipse Augustinus sequentibus verbis.

Nam et de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti quasi hoc ego negaverim; sed dico cum futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum.] At hic quoque nulla est *libertas*, omnes enim necessario optant summam beatitudinem, eamque consecuti non possunt in ea non acquiescere. Ideoque hoc exemplum ad rem nihil facit, cum sermo hic sit de *volitionibus*, ut loquuntur scholastici, non necessariis, sed prorsus liberis, ut sunt eæ quæ versantur circa bona singularia, quæcunque tandem sint.

Cum igitur præscius Deus sit futuræ beatitudinis tuæ nec aliter aliquid fieri possit quam præscivit, alioqui nulla præscientia est; non tamen ex eo cogimur sentire quod absurdissimum est et longe a veritate seclusum, non te volente beatum futurum.] Hæc a proposita quæstione sunt aliena; quæritur enim quomodo Deus præsciat an Evodius, verbi gratia, assensum sit præ-

biturus Evangelio, si Evodius eum assensum negare possit; non vero quæ sit futura voluntas ejus, cum beatitatem consequetur.

Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodieque de tua futura beatitudine certa est: sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit.] Deus prævidit Evodium volentem fore beatum, si beatitatem consequeretur, quia hæc voluntas est plane necessaria, adeoque nec laudanda, nec culpabilis. Verum hoc non quæritur, sed quomodo libere Evangelio crediderit et adhæserit Evodius, ita ut ei fidem detrahere, et ab eo deficere potuerit; et tamen hæc Deus præscire certo potuerit. Fac contra Evodium Evangelio non credidisse aut nuntium remisisse, idque libere, hoc est, ita ut contrarium facere potuerit; volens etiam fecerit, id quod fecit. Quæritur qui Deus eventum prævidere potuerit qui sua natura in alterutram partem determinatus non fuerit. Rem ipsam tractare non aggrediar, quæ sane difficillima est, sed dicam Augustinum non crediturum fuisse eam tam levi brachio se solvi posse, si rem intellexisset. Nunc autem vidimus eam acumen ejus plane fugisse, nisi rhetorica dissimulatione hic usus fuerit; qua forte etiam factum est ut multa aliena ab iis de quibus agere aggressus est misceat, ne nimis jejune eis de rebus agere videatur.

Cap. 10, § 29. *Nam et illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat ut ei quem cœperat non dominaretur.*] Si quis diceret æquum esse ut monarcha patiatur eos perduellionibus servire quos malis artibus ejus imperio subtraxerunt, profecto non magis ferretur quam si quis diceret iniquum esse ut fur iis spolietur quæ furte surripuit justis dominis. Quis igitur patiatur dici iniquum futurum fuisse si Creator, qui longe optimo jure creaturis suis imperat, eriperet cacodæmoni, creaturæ rebelli, quos malus ille spiritus fraude a Deo alieniores reddidit? Ad me quidem quod attinet, diaboli patronos Manichæos et omnes alios similia delirantes, non possem, nisi infelicissimos rhetores, ut mollissime loquar, habere.

Cap. 17, § 50. *Quæcunque ista causa est voluntatis* (scilicet, malæ), *si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur.*] Cum Pelagius hoc loco uteretur contra Augustinum, ut ostenderet non posse damnari eos qui nequeunt resistere nativæ corruptioni, reposuit Augustinus cap. 67, de Nat. et Gratia, ut observarunt Benedictini, posse ei causæ resisti *opitulante eo qui non potest falli.* At si qui non potest falli non opituletur, nisi perpaucis, atque ejus auxilium sit plane necessarium ad resistendum, quemadmodum putabat Augustinus; sequitur a cæteris peccandi causæ non posse resisti, ac proinde sine peccato ei cedi. Nam quisquis id non facit quod facere non potest, peccare dici nequit, aut certe pœnas nullas debet. Scio quæ dici hac de re soleant, sed profecto regulæ Augustinianæ, quam hoc in opere de Libero Arbitrio ponit, immutabili quippe justitia nixæ, tenebras offundere non possunt.

Cap. 19, § 53. *Nulli enim homini oblatum est scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur.*] Hanc plerorumque codicum lectionem esse testantur Benedictini. Sed omnino legendum est *ablatum*, non *oblatum*. Hæc enim est Augustini sententia, nemini esse hanc ablatam cognitionem, ea utiliter quæri, quorum non constat ignorantiam esse utilem. Sane ita hæc vox legitur in editione Basileensi, et forte typographico mendo laborat hic Parisiensis. Vide § 57.

Cap. 20, § 55. *Ut meliores gigneret quam ipse esset, non erat et æquitatis.*] Nec iniquum hoc erat, si ita Deo visum fuisset; nec etiam æquum, ita ut Deus, nisi contingeret, iniquitatis insimulari posset. Ordo duntaxat a Deo in omnium animalium propagatione institutus non patiebatur liberorum corpus melioris esse conditionis quam progenitorum corpora. Sed an æquum erat animos posterorum Adami pœnas lucre peccati ab ipsis non admissi, et quod ne committeretur nulla ratione impedire potuerunt?

§ 56. *Si una anima facta est, ex quo omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse, cum primus ille peccavit?*] Sed qui animam ex traduce esse voluerunt, non usque adeo delirarunt, ut putarint universam omnium animarum molem, ut ita loquar, in Adamo fuisse, quæ postea particulatim discerpta in posteros dividatur; sed nasci ut corpus, nec existere antequam nascatur. Sequentia verba obscurissima sunt, nec a scriptore ipso intellecta a me impetro ut credam. Quare non laborabo in iis explicandis.

Cap. 22, § 63. *Peccata, ut jam diu disseruimus, nonnisi propriæ voluntati earum* (nimirum, animarum) *tribuenda sunt, nec ulla ulterior peccatorum causa quærenda.*] Quin hæc rectissima sint ego quidem non dubito, sed quomodo consentiant cum iis quæ postea Augustinus docuit de pœnis quas posteri Adami, ut putabat, luunt ob peccatum ab Adamo admissum, non intelligo. Quare miror hæc ab eo retractata non fuisse, nisi fortasse dissimulare maluerit, ne Pelagianis gratificaretur, si fassus esset se in ipsorum sententia fuisse, antequam eos oppugnaret. Nam apparet ex recensione hujus libri, in Retractationibus, Augustinum voluisse videri Pelagianos oppugnasse antequam exorti essent; nedum ut se iis favisse ingenue profiteretur.

§ 64. *Ignorantia vero et difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri,* etc.] Hæc quoque dissentiunt ab iis quæ postea contra Pelagianos dixit; nam illas habuit pœnas primi peccati; absque quo fuisset, aliter plane essent homines nati.

Cap. 23, § 66. *Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum et sententia judicis media esse non possit inter præ-*

mum atque supplicium.] Hæc, quæ de infantium conditione habet, ut et sequentia, consentanea minime sunt iis quæ de pœnis peccati originis postea docuit. Volumen decimum ferme totum, et præsertim libri contra Julianum contraria omnia docent Itaque retractanda hæc fuissent. Sed vide dicta ad num. 63.

Cap. 24, § 71. *Ut ergo infans nec stultus, nec sapiens dici potest, quamvis jam homo sit; ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque stultitiam, neque sapientiam recte vocaveris: ita etiam, si quisquam tali affectione animatus esset, qualem habent illi qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum recte diceret, quem non vitio, sed natura talem videret.*] Sic describit Adamum primum creatum ut neque sapiens, neque stultus dici posset, sed sapientiæ capax; ex qua descriptione facile postea ostendit qui homo potuerit labi, dum ex media illa conditione ad stultitiam transiit. At propter hoc dogma, quod retractare noluit Augustinus, et cujus causa nunquam est damnatus, miris conviciis exagitati sunt sæculo a Christo nato XVII recentiores nonnulli theologi. Sic sæpe animadvertimus per latus recentiorum, quos oderant, gravissime vulneratam esse existimationem veterum ab hominibus imperitis; qui eos se revereri profitebantur, quorum scripta non legerant, aut oscitanter versaverant.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE GENESI.

Libro I, cap. 2, § 3. *His respondemus* Deum in principio fecisse cœlum et terram, *non in principio temporis sed in Christo... Dominus enim noster Christus, cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit*: Principium, qui et loquor vobis.] Locus est Joan. VIII, 25. Sed erravit Augustinus deceptus versione Latina; si enim Græca tunc legisset, vidisset Christum dicere accusativo casu τὴν ἀρχήν, ac proinde non posse hoc haberi pro Christi nomine. Hanc tamen suam interpretationem tueri conatur tract. 38 in Joannem, forte ne male a se intellectum hunc locum ignorantia Græcæ linguæ liqueret. Vide Joan. Maldonatum ad hunc locum.

Cap. 10, § 16. *Sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane.*] Fallitur, nam νυχθήμερα more Hebraico, constanter computantur a vespera ad vesperam, ita ut semper diem præcedat vespera. Res nunc omnibus nota est, sed eo tempore accurata Scripturarum interpretatio ferme ignota erat, ut liquet vel ex lectione horum librorum, quorum παρερμηνείας notare non aggrediemur.

Cap. 15, § 24. *Mons ille Macedoniæ qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant*, etc.] Multi hoc scripserunt, sed fabulam esse jam nemo dubitat: ut nec quisquam etiam physicæ paulo peritior vapores cum aere confundit. Itaque talia prætermittimus.

Libro II, cap. 24, § 37. *Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem* (naturæ) *interioris personæ, id est humanæ.*] Recte monachi Benedictini, ex auctoritate codicum manu descriptorum, expungunt vocem *naturæ* uncinis cinctam. Neque videtur ulla alia de causa addita, nisi quia theologiæ consentaneum non videbatur dici Verbum suscepisse personam humanam: cum, ex more recepto, dicatur humana natura a divina in unitatem personæ assumpta. Verum hic Augustinus, non sensu illo theologico, sed vulgari et latino usus est voce *persona*; quo significat, non ὑφιστάμενον, ut theologi Græci loquuntur, sed certam quamdam conditionem quam actionibus effingimus. Perinde ergo est ac si dixisset, Verbum, ante incarnationem sublimem personam Dei gessisse; sed, assumpta humana natura, inferioris personæ partes sustinuisse. Nemo nescit vulgo ita locutos Latinos. Augustinus ipse epist. 140, § 18, de Christo ita loquitur: *Hæc ex persona sui corporis Christus dicit quod est Ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfiguravit in eam, quam sumpsit ex Virgine, similitudinem carnis peccati. Hæc sponsus ex persona sponsæ loquitur, quia univit eam sibi quodam modo.* Igitur in hisce verbis Augustini eadem est sententia quæ inest verbis apostoli Philip. II, 6, 7, 8.

Cap. 29, § 43. *Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata; nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua.*] Ut hoc intelligatur legenda expositio doctrinæ Manichæorum, quæ habetur in libro de Hæresibus, ubi de origine mali et duabus animabus. Sane abusi essent hoc loco Pelagiani, si eum ad sententiam suam traxissent, sed non eadem est ratio locorum lib. III de Libero Arbitrio, quos tamen indictos prætermisit Augustinus, dum alios qui multo minus torqueri poterant explicat. Qua in re an ars aliqua fuerit, judicent alii. Candorem quidem et modestiam præ se ferunt retractationes; sed debent ingenue fieri, retractatis quæcumque falsa putantur, non paucis quibusdam exigui momenti, relictis gravioribus, ne forte adversarii objiciant se similia sentire. Sed Augustini animum noverat Deus.

DESIDERII ERASMI CENSURA
IN LIBROS DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET MANICHÆORUM.

Duo opuscula quæ sequuntur, alteri loco fuerant destinata, prius πολεμικῶν, posterius διδακτικῶν. Verum quoniam altero fortissimus tiro velitanus est in hæreticos, altero mirandus doctor futurus prælusit in expositionem mysticarum Scripturarum, quæ juxta varios sensus tractantur, visum est huic tomo clausulam addere. Mox ut nomen dederat imperatori Christo, quo commilitonibus suis certissimam fidem faceret se bona fide a Manichæis transfugisse, sub quorum signis novem annis militaverat, prodit illorum mysteria. Idque facit admirabili sermonis elegantia, qua utinam illi licuisset in cæteris uti lucubrationibus. Hoc sane opere declaravit, si quid offendit eruditos in ipsius dictione, non fuisse inscitiæ sed caritatis, qua stylum demisit ad imperitorum intelligentiam. Quandoquidem et textores et textrices id temporis intelligebant Latinam orationem simpli-

cibus verbis ac sensibus contextam, qualis est divi Gregorii, non intellecturi dictionem Hilarii. Itaque quo latius pateret lectionis utilitas, ad vulgi captum mutavit stylum in opere posteriore, quod idem in plerisque suis operibus fecisse videtur. Tandem usus, ut fit, in naturam abiit. Ita denique factum est, ut hodie nec a tenuiter litteratis satis intelligatur, et a politioribus non sine tædio legatur, nisi pietas excludat fastidium.

ANIMADVERSIONES
IN EOSDEM LIBROS.

Libro I. Cap. 2, § 3. *Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas.*] Nempe, si pueri magistrum discendi causa adimus. Ei enim tantisper credere nos par est, donec per nos ipsi res expendere possimus. Verum in controversiis tali instituto locus nullus est, cum nentra contendentium pars alteram pro magistro habeat. Itaque mirum est addere Augustinum: *Sed quoniam cum iis nobis res est qui omnia contra ordinem et sentiunt et loquuntur, nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse suscipiam.* Atqui absurdum et iniquum erat aliter se gerere: quis enim patiatur ex auctoritate contra se disputari, cujus pondus minime agnoscit? Vide notata in cap. 7 libri de Quantitate animæ.

Cap. 5, § 7. *Est ego summum corporis bonum, non voluptas ejus, non* INDOLORIA, *non vires* etc.] Cum vox *indoloria* Latina non sit, legamusque in aliis editionibus *indolentia*, mendum hoc erit typographicum; neque enim ulli codices notantur ita habere, nec, si haberent, essent fide digni. Notum est *indolentiam* vocem esse Ciceronianam.

Cap. 31, § 67. *Quis non illos miretur et prædicet, qui, contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimamque congregati simul ætatem agunt* ? etc.] Egregie describit mores cœnobitarum, sed quales debuissent esse, non quales erant. De seditionibus eorum, nimis multa leguntur in Ecclesiarum Orientalium historia, quam ut huic panegyristæ credamus. Interea optima erat eorum consuetudo, quam hisce verbis describit: *Operantur manibus ea quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit.* In quibus forte legendum *et adeo*, nam vix puto dici *impediri mentem a Deo*, pro eo quod est, impediri ne Deo adhæreat, avocari a Deo. Hæc ab hodiernis mendicis, ut vocantur honoris causa, probe essent pensitanda.

Libro II. Cap. 13, § 28. *Possunt et catholici Christiani vestram a vino et carnibus abstinentiam jumentis et multis passeribus, postremo etiam innumeris generibus vermium comparare.*] Suntne ergo aliqui passeres qui comedant carnes et bibant vinum? Nulli. Igitur pro *et multis* lege *mulis et*. Respicit Augustinus ad id quod sanctimonialibus objiciebant Manichæi: *etiam mula virgo est*, de quo paulo antea. Cum scriptum fuisset *multis* pro *mulis*, postea conjunctio loco mota est. Vellem diligenter hic inspectos fuisse codd. mss.

Ibid., § 29. *Bibat autem mulsum, carænum passum.*] Inter *carænum* et *passum* est interponendum comma; nam carœnum et passum non sunt idem. Augustinus infra, § 47, nos docet carœnum *nihil aliud quam vinum coctum esse*. Palladius in octobri, tit. 18, ostendit defrutum et carœnum ex musto fieri, tum discrimen utriusque sic exponit: *Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, effectum est. Carœnum, cum, tertia perdita, duæ partes remanserint.* Κάροινον autem dictum, quod τὸ κάρα offendat, ut cariotæ palmiæ, ex quibus vinum fiebat quod καρηβαρίαν creabat, ut docet Plinius lib. XIII, cap. 4. *Passum* vero erat vinum, quod ex passis uvis fluebat, de quo idem Palladius tit. sequente.

Cap. 15, § 39. *Cur in viola eumdem colorem amplectimini, quem in choleribus, in morbo ictericorum, in infantis denique fimo aspernamini.*] Vix puto in Africa *choleres* dictos fuisse *cholericos*, malimque legi *cholericis*, a cholera, quo morbo *bilis*, seu χολὴ *supra infraque erumpit*, ut docet *Celsus* de Medicina lib. IV, cap. 2.

Cap. 19, § 69. *Eo tempore quo conventicula eorum lege prohibebantur.*] Videtur respicere ad annum 372, quo a Valentiniano et Valente sancitum est ut *ubicumque Manichæorum conventus, vel turba hujusmodi reperiretur doctoribus gravi censione mulctatis, domus et habitacula in quibus profana institutione doceretur, fisci viribus indubitanter asciscerentur.* Verba sunt legis 3, tit. 5, lib. XVI, codicis.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE VERA RELIGIONE.

Cap. 2, § 3. *Quod utrum timore severitatis an aliqua cognitione temporum fecerint, judicare non est meum.*] Cum novem mss. codd. omittant vocem *severitatis*, abesse ab hoc loco eam oportere putarim et sic legendum: *timore temporum, an aliqua cognitione veritatis fecerint.* Satis perspicua est sententia, et ad *timorem* quidem *temporum* quod attinet, locutionem hanc suam esse docet ipse Augustinus § 5, ubi de Platone: *Usque adeo perversam temporum horum timuit opinionem.*

Cap. 4, § 7. *Si hanc vitam illi viri nobiscum rursus agere potuissent, viderent profecto cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent: sicut plerique recentiorum nostrorum temporum Platonici fecerunt.*] At tempore Juliani imp. Platonici fuere infensissimi Christianis et superstitiosissimi. Tales etiam magistri Procli, et Proclus ipse, qui natus est Byzantii sub finem vitæ Augustini. Vide Prolegomena viri doctissimi Joan. Alberti Fabricii in ejus Vitam a Marino Neapolitano conscriptam. Nimis bene sentiebat Augustinus de Platonicis, religionemque Christianam propiorem eorum dogmatibus putavit quam est revera.

Cap. 14, § 27. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla*

hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.] Nempe, si *voluntarium* dicatur *liberum*, ita ut possit admitti peccatum aut non, et quidem ab ipso peccante. Ita sentiebant omnes mortales ante controversias Pelagianas ; nec aliter sensisset ipse Augustinus, si post mortem ejus natæ demum fuissent. Itaque hæc frustra cum sententia quam postea amplexus est in concordiam redigere conatur Retract. lib. I, cap. 13, § 5, quasi *voluntarium* dicatur tantum quod insidet voluntati, quamvis liberum non sit.

Cap. 55, § 3. *Honoramus eos caritate, non servitute ; nec eis templa constituimus, nolunt enim se sic honorari a nobis*, etc.] Hæc expendant qui volunt angelos cultu δουλείας, hoc est *servitutis* coli, videantque quomodo se sentire et loqui cum Augustino dicere possint. Attamen jam ejus ævo quædam cœperant vulgo fieri quæ, quanquam a prudentioribus damnata, paulatim intromissa sunt. Sic libro I de Moribus Ecclesiæ catholicæ, § 7. *Novi*, inquit, *multos esse sepulcrorum, et picturarum adoratores*, quos Ecclesiæ catholicæ a Manichæis objici non vult, et qui tandem maximus numerus facti sunt.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN REGULAM DIVI AUGUSTINI.

Hæc regula et sententiis et dictionis figura refert Augustinum, quin et pia civillitate humanitateque præfert auctorem suum : quanquam probabile est eam non clericis, sed feminis esse scriptam, quæ in unum collectæ sub moderatione sororis Augustini vivebant. Eam præpositam vocat, sed omnium summa potestas erat penes presbyterum. Nonnullis autem immutatis accommodarunt eam viris, velut ubi de modestia cultus præcipit feminis : *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus ; ne sint vobis tam tenuia capitum tegmina ; ut retiola subter appareant.* Sic enim arbitror legendum : *Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria* : quod viris accommodari non poterat omiserunt. Et in proximo : *In omnibus motibus nihil fiat quod cujusquam illiciat libidinem* ; sic mutatum est, *quod cujusquam offendat aspectum.* Rursus quod præcipit de non aspiciendis feminis ; item de hoc, ut bini aut terni procedant, de lavandis propriis vestibus, de operando in commune, aliaque permulta parum congruunt in clericos ejus temporis, quorum tum erat major et libertas et dignitas. In calce alludens ad formæ studium, speculum et odores quibus femineum genus peculiariter delectatur, quæ dicit : *Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquam spiritalis pulchritudinis amatrices, et bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes, et vos autem in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere*, etc., non perinde quadrant in viros. Sunt alia quædam, verum hæc exempli causa proposuisse sufficit. Postremo ut nihil sit quod non possit ad clericos detorqueri, certe nihil est hic quod illis cum feminis non sit commune. At quam multa erant præscribenda de presbyterorum, hypodiaconorum ac diaconorum officiis, si illis regulam præscribendam judicasset ? Et tamen hæc regula fundamentum est multorum ordinum, quam feminis traditam utinam bene servarent viri. Habetur autem in epistola 119. Ineptum est autem de hujus viri titulo contendere : magis ad rem pertinet pietatis et eruditionis illius æmulatione decernere, ut ii optimo jure dicantur Augustinenses qui virtutes Augustini proxime referunt. Illud constat orationem quæ *cucullæ* et *balthei* meminit, sub Ambrosii nomine confictam esse. Nec ipse Augustinus usquam se monachum vocat, nec suos clericos eo nomine designat, quanquam exiguum in cognomine momentum est. Ipse fatetur se reliquisse omnia, et eodem multos provocasse ; tum in oratione quadam apud populum, negat se usurum *pileo rubro*, quod *pyrrhum* dicitur, nos corrupte *byrrhum* vocamus. *Decet* (inquit) *episcopum, at non decet Augustinum* : ubi magis dicendum erat, non decet monachum. In libris de Moribus Ecclesiæ, præter anachoretas et cœnobitas, tradit genus tertium, eorum qui quoniam in eremum secedere non erat commodum, vel ob parentes, vel ob liberos, aut alias causas, tamen non quietius viverent, complures in iisdem ædibus commorabantur, nullo imperio, sed libera caritate omnia moderante. Eos conventus *diversoria* vocat, quæ Romæ permulta viderat. Hoc exemplum videtur imitatus in Africa, sic ut nec cultu notabiles essent, quemadmodum monachi, et liceret ab eo convictu discedere, si cui parum esset commodus : licet Possidius appellet ea *Monasteria.*

ANIMADVERSIONES

IN EAMDEM REGULAM.

§ 2. *Quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo ?*] Nolim quidem damnare eos qui, cum sentiant se impares esse periculis quæ in vita communi bonis imminent, solitudinem et secessum monasteriorum quærunt. At debent ante omnia sibi cavere non modo a crassioribus vitiis carnis, quibus omnes offenduntur, sed et ab occultioribus, qualia sunt superbia, imperandi cupiditas, temere de hominibus rebusque iguotis judicandi prava consuetudo, tyrannis in rebus ecclesiasticis, factiosa indoles, pigritia, iracundia, simultates implacabiles, et alia id genus ; quæ in secessibus monasteriorum non aliter regnant quam in frequentissimis aliorum hominum conventibus ac societatibus. Quare viri prudentes et vitæ humanæ peritiores, ut Desid. Erasmus et alii, sæpe de monastico vitæ instituto locuti sunt, quasi de vitæ genere non minus saluti periculoso quam est quodvis aliud. Interea si hanc Augustinianam regulam observarent, sine dubio tam frequentes de iis non essent querelæ quam adhuc fuerunt.

IN TOMUM SECUNDUM.

DESIDERIUS ERASMUS PIO LECTORI. S. D.

Ex calce secundi libri Retractationum, item ex epistola quæ præfixa est Catalogo hæreseon ad Quodvultdeum, satis quidem perspicuum est, id temporis nec epistolas, nec populares orationes ab Augustino fuisse digestas: nec post id ab eo curatum, vel illud arguit, quod in hoc volumine, neque temporum, neque personarum, neque materiarum ulla videtur habita ratio. Certius autem id arguit, quod quædam admistæ fuerant, quæ primo statim gustu deprehendebantur Augustini non esse, quas, addita censura, notavimus: nonnullæ simpliciter confictæ, quod genus sunt illæ Bonifacii ad Augustinum, Augustini ad Bonifacium. Nullam tamen omnino loco movimus, præter unam et vehementer prolixam, et insigniter illitteratam: ne id quidem facturi, nisi eadem in tomis haberetur. Tanta nobis cautia fuit, ne quis quid de nostra queri possit industria. Ad hæc inspersæ sunt nonnullæ, quas Augustinus ipse in Retractationibus libros appellat. Quanquam interdum subdifficile est epistolam a libro distinguere. Augustinus alicubi sic loquitur, quasi brevitas aut prolixitas tribuat adimatve nomen epistolæ verius quam orationis genus aut argumenti ratio: præsertim cum hoc exemplum ab apostolis venerit, ut argumenta, quamvis seria, committerentur Epistolis. Si quidem exceptis Evangeliis, quo nomine complectimur et apostolorum gesta, præter Epistolas nihil scripto prodiderunt, sed eas de rebus haudquaquam familiaribus, tum quas vellent ab omnibus legi. Alicubi putat epistolam non videri, quæ non præferat nomen et scribentis, et ejus ad quem scribitur. Et sane sunt aliquot, quas vere possis epistolas dicere, referentes familiare quiddam, et instar humani colloquii, licet perpaucæ. Verum hac de re liberum esto suum cuique judicium. Illud ausim affirmare, non alio in opere magis elucescere sanctissimi viri pietatem, caritatem, mansuetudinem, humanitatem, civilitatem, studium crediti gregis, amorem concordiæ, et zelum domus Dei. Ut satagit, ut molitur, ut se vertit in omnia, quoties affulsit aliqua spes pertrahendi vel paganum ad Christum, vel hæreticum ad Ecclesiæ communionem? Ut se submittit, ut (juxta Paulum) mutat vocem suam, undiquaque venans occasionem excitandæ propagandæque pietatis, ubicunque sentit, aliquam bonæ mentis scintillam residere? Cui mulierculæ, cui plebeio, cui aulico, cui pagano, cui hæretico, non prompte, mansuete, blandeque respondet? Quam anxia sollicitudine pro sceleratissimis, nec una morte dignis, circumcellionibus intercedit? Quis majori studio pro suis amicis interpellavit, quam ille pro suis hostibus? Quanto nixu parturit omnes Christo, quam gratulatur resipiscentibus, quam sollicite prospicit periclitantibus, quam sedulo docet errantes, A mederi studens omnibus, perdere neminem? Quam misere uritur, ad quodvis exortum offendiculum? Videas vere gallinam evangelicam sollicitam et anxiam, ut sub alas colligat foveatque pullos suos. In nonnullis epistolis agnoscere licebit et illud forense dicendi genus, quod Græci δικανικὸν appellant: præcipue cum agit adversus Donati factionem: nec deest argumentorum subtilitati, quæ illi peculiaris est, δείνωσις. Verum sive docet, sive corripit, sive pugnat cum deploratis hostibus, nusquam tamen non sentias Christianæ caritatis nativam dulcedinem: ut (si tamen congruit hæc collatio) mihi videatur quemdam e comœdia referre Mitionem, qui tum etiam mitis est, cum objurgat maxime. In hoc uno velut in speculo contemplari licet episcopum, qualem depinxit B Paulus, ἀνεπίληπτον, νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικὸν, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, φιλάγαθον, ἐγκρατῆ, ὅσιον, δίκαιον, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, δυνατόν καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν μετὰ πάσης πρᾳότητος. Ad hoc speculum si sese contemplentur episcopi, et qui præcipuam episcoporum functionem occupant theologi, pudebit, opinor, quosdam sui supercilii cum inscitia conjuncti: pudebit sævitiæ cum impuris moribus copulatæ. Ex aliis Augustini Libris perspicere licebit, qualis fuerit adhuc infans in Christo: ex aliis, qualis fuerit juvenis, qualis senex: ex hoc uno volumine C semel totum Augustinum cognosces. Uberiores fructus nobis dedisset illud ingenium, si in Italia, Galliave, vel nasci, vel vivere contigisset. Rudis erat Africa, voluptatum avida, studiorum inimica, curiosarum rerum appetens. Unde frequenter exercent illum quæstionibus subfrivolis, nec multum facientibus ad pietatem: et ad suæ gentis affectus sæpe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo senticeto tali opus erat agricola. Quanquam digniora lectu scripturus erat, si vel ad Romanorum aut Græcorum judicia se composuisset, vel minus indulsisset simplicium imperitiæ. Sed Christiana caritas prius habet prodesse quam plurimis, quam probari præcipuis, fraternæ salutis quam suæ gloriæ sitientior. Quosdam autem, præcipue mulierculas, pia quædam D habebat ambitio, pulchrum esse ducentes, qualecunque scriptum impetrasse ab episcopo. Ita factum est, ut dum vir pius omnium votis obsequitur, minus alicubi satisfaciat lectori fastidioso. Vix quemquam crediturum opinor, quantum mihi sudoris exhaustum sit in tollendis mendis, ac reponenda sermonis confusissima distinctione. Sed ea demum perfecta est eleemosyna, quæ confertur nescienti; generosior etiam, quæ confertur aversanti. Hæc Christo feneramus, non hominibus: quorum vix credibilem ingratitudinem, in nimium multis, experimur. Quan-

horum malitia nequaquam nos a benefaciendi deterrebit unquam: cum optimæ fidei debitore res est. Ne quid omittam, ab hujus voluminis resecuimus loquacissimam coronidem sub tituyrilli, subito Latine loquentis, et Augustini male Latine scribentis, impudentissime con: cujus tamen legendæ si quem forte tenet reperiat inter ea quæ divi Hieronymi tomis eta sunt. Illic expleat sese affatim, qui talibus ir deliciis. Hæc, cordate lector, fac evolvas le: non pœnitebit insumpti temporis. Bene Dat. Basileæ, anno 1527.

J. PHEREPONI ANIMADVERSIONES IN EPISTOLAS.

ist. 1 § 1. *Academicos ego, ne inter jocandum m, unquam lacessere auderem; quando enim me rum virorum non moveret auctoritas; nisi eos pu- longe in alia, quam vulgo creditum est, fuisse tia?*] *Quando* hic est, aut pro *quomodo;* vel, ta interrogatione negante in simplicem affirma- m, perinde est ac si dixisset: *semper me mo-* etc. Sensus est: motus fuissem auctoritate tan- virorum, nec eorum sententiam oppugnare essem, nisi mihi constaret aliam fuisse, adeo- ne, dum aggredior id quod sensisse dicuntur, a vera dogmata nequaquam attingere. Certe stinus lib. III, 17, operis contra Academicos, dit dissimulasse eos suam sententiam, nec mi- logmaticos fuisse, quam cæteros philosophos. t hoc ad hunc locum observandum, Augustinum a pœnituisse, quod usque adeo extulisset aca- os. Vide Retract. lib. I, num. 4.

d. *Erit mihi satis congruisse temporibus, ut si quid m de fonte Platonico flueret, inter umbrosa et a dumeta, potius in pastionem paucissimorum ho- duceretur, quam per aperta manans, irruentibus pecoribus, nullo modo posset liquidum purum- servari.*] Lege *potionem* aut *potationem*, nam re *potamur*, non *pascimur*.

d. *Contra ejusmodi homines opinor ego illam uti- cogitatam Dei veri artem ac rationem.*] Credi- scriptum ab Augustino fuisse *abscondendi veri*, extritis tribus prioribus syllabis, cum superes- . . . *di veri*, exscriptores monachos fecisse *Dei* Alioqui si vera hæc sit lectio, dicendum erit, n loco respicere Augustinum ad parabolas, qui- tebatur Christus, ne arduam veritatem deriden- objiceret multitudini non satis religiosæ. Qua vide Matth. XIII, 11 et seqq., atque ad eum lo- interpretes.

d. *Amiculo corporis.*] Hoc est, pallio tenus phi- hos, qui nihil habebant philosophicum præter ulum.

ist. 3, § 1. *Quem Plato noverat.*] Intelligit ideam inis intelligibilis, quam Plato sibi animo ef- rat. Vide contra Academicos lib. III, cap. 17.

ist. 7, § 3. *Anima, priusquam corpore utatur ad ra sentienda, eadem corpora imaginari potest.* Hic loquitur Augustinus ex dogmate Platonis, qui existimabat mentes humanas prius fuisse quam conjungerentur cum corporibus. Vide Retract. lib. I, cap 1, num. 3; et lib. XII de Civ. Dei, cap. 26. Origenes et nonnulli alii Patres eam sententiam ex Platone hauserant. Adito et illustriss. P. Dan. Huetii Origenianorum lib. II, Quæst. 6.

Epist. 8, § 1. *Qua arte, quibus manganis, quibusve instrumentis, aut medicamentis?*] Hoc est artibus miris, quales sunt præstigiatorum. Hesychius: Μάγγανα, φάρμακα, δίκτυα, γοητεύματα. Interpretatur tamen et μηχανεύματα, *machinationes*. Inde μαγγανεία significat γοητείαν, ut docet Suidas ex Procopio. Hæc omnia ficta videntur a voce μάγος. Glossæ veteres habent etiam hanc vocem Latine: Μάγγανον, *manganum*.

Epist. 10, § 2. *Deificari enim utrisque in otio licebat.* Hoc est, Deo similes fieri, quod θεοῦσθαι frequenter Græci Patres vocant. Eodem sensu ac hic Augustinus, Gregorius Nazianzenus vocat solitudinem θεοποιὸν, *deificam*, initio orat. 2. Alibi non raro similibus locutionibus utitur; ut et Dionysius, qui dicitur Areopagita.

Epist. 14, § 2. *Remove nos et pone Glauciam prolem, nihil egeris. Quippe his etiam simillimis tanta est necessitas, ut proprie moveantur, qnanta fuit ut singuli nascerentur.*] *Glaucia proles* proverbium est, ductum a Glauci nescio cujus gemellis filiis, et omissum parœmiographis.

Ibid., § 3. *Proceritas Nævii pede longioris quam qui est seu longissimus.*] Locus corruptus. Legendum *quam qui est ex longissimis*. Columella de R. R. lib. III, cap. 8: *Nam et M Tullius Cicero*, inquit, *testis est Romanum fuisse civem [Nævium Pollionem, pede longiorem quam quemquam longissimum.* Hujus meminit etiam Plinius Hist. nat. lib. VII, cap. 16.

Ibid., § 4. *Rationem contineat.*] Hoc est, ut loquebantur Stoici, σπερματικὸν λόγον, *rationem seminalem*. Vide Diogenem Laertium, lib. VII, § 135 et 136. Idem Platonici vocabant *ideam*, seu exemplar intelligibile ad quod singulæ species sunt factæ. Vide Retract. lib. I, cap. 3, num. 2.

Ibid. *Jam excesserim Nævium.*] Hoc est, tantam epistolam scripserim, ut tanto cæteras superet, quanto Nævius alios homines. Vide ad superiora.

Epist. 16, § 2. *Horum busta, si memoratu dignum est, neglectis majorem suorum manibus, stulti frequentant: ita ut præsagium vatis illius indigne ferentis emineat:* Inque Deum templis juravit Roma per umbras.] Legendum *jurabit*, ut apud Lucanum, Lib. V, 454, nam hunc versum profert Madaurensis Grammaticus, non quasi describentem rem præteritam, sed quasi rei futuræ præsagium. At prava pronuntiatio eorum, qui *b* et *v* confundebant, locum corrupit.

Ibid., § 4. *Per quos.*] Hoc est, *quos colentes colimus et eorum patrem*, quasi cultus minorum numinum in unius summi gloriam redundasset. Qua ratione multitudinem deorum suorum variumque cultum tunc temporis excusabant ethnici.

Epist. 17, § 2. *Euccadires.*] Sam. Bochartus,

Chanaanis sui lib. II, cap. 6, suspicatur legendum *encaddir*, hoc est, תבון אדיר *hhanouch-addir, initiatus magnifici*, nimirum *Dei*.

Ibid. *Abaddires.*] אב אדיר *ab-addir*, est pater magnificus. Vix crediderim respici ad lapidem a Saturno deglutitum, cum sit sermo non de Græcis, sed de Punicis nominibus.

Ibid. *Namphanio quid aliud significat, quam boni pedis hominem?*] Phœnicie בעם פצמו *naham pahamo*, significat *pulcher est pes ejus*, interpretibus Petito et Bocharto. Vide posteriorem, loco laudato.

Epist. 23, § 3. De circumcisione: *Hoc Sacramentum Jordanem fluvium refrenavit.*] Atqui manifestum est Hebræos etiamnum incircumcisos trajecisse Jordanem, ex Josuæ cap. v, 2 et seqq.; sed Augustinum fefellit memoria, ratum Israelitas circumcisione demum suscepta trajecisse Jordanem, qua de causa putavit aquas Jordanis stetisse.

Ibid., § 6. *Tollamus a medio inania objecta, quæ a partibus imperitis jactari contra invicem solent, nec tu objicias tempora Macariana.*] Sic dicta a Macario Constantis imp. legato qui Donatistas non parvum vexavit, anno Christi 348; ad quem vide Baronium, aut Spondanum.

Ibid. *Circumcellionum.*] Donatistarum seditiosorum, qui *circum cellas* vagabantur, et plebem ad arma capienda hortabantur contra præfectos impp. Vide de iis eosdem ad annum Christi 321.

Ibid. *Dictata divinitus verba credamus.*] Ut eloquentia hujus ætatis tumidior erat, ita et officiosa illa humanitatis verba, quibus vulgo utebatur, erant præter modum hyperbolica, ut passim videre est in horum temporum scriptoribus. Hoc eodem ævo *cœlestia* imperatorum rescripta dicebantur. *cœlestis* aula, et *divinitas* ac *æternitas* eis tribuebantur; quod docebunt Epistolæ Symmachi eos qui rem notissimam eruditis ignorant. Similia etiam passim occurrent in Theodosiano codice. Ejus operosæ et nimiæ humanitatis specimen hic habemus insigne, in laude hyperbolica primorum Augustini scriptorum; quæ quamvis spernenda minime sint, attamen neophytum sapiunt, quod non negat ipse Augustinus initio Retractationum. Moris hujusce byperbolice laudandi et vituperandi nisi gnarus sit lector, sæpe in iis scriptoribus fallatur necesse est. Quod semel monuisse satis erit.

Epist. 26, § 3. *Quis numerum dedit ille tonos?*] Lege *tonis*, hoc est, quibus tribuit numerum tonitribus, ut versus sequens ostendit. Videtur respicere ad libros Varronis de Musica, ad quos intelligendos indiguisset Licentius Augustino interprete.

Epist. 28, § 2. *De vertendis autem in Latinam linguam sanctis Litteris canonicis, laborare te nollem, nisi eo modo, quo Job interpretatus es, ut signis adhibitis, quid inter hanc tuam, et Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet appareat.*] Mirum est, hominem modestum, statim ac presbyter factus erat, aggressum esse consilium dare viro multo doctiori, de re cujus plane imperitus erat, cum Hebraice plane nesciret, et Græcam linguam vix delibasset. Nam de laboribus Hieronymianis judicare velle, sine utriusque illius Linguæ diligenti studio, perinde est ac si cæcus natus de coloribus judicare aggrediatur. Sed bene est quod consilium spreverit Hieronymus, cujus judicium postea secuta est universa Ecclesia Latina.

Ibid. *Satis autem mirari nequeo, si aliquid adhuc in Hebraicis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit.*] At falso peritissimos Hebraicæ linguæ putabat; nam cum illa lingua dudum obsolevisset, cum Vetus Testamentum in Græcam translatum est, nec methodo ferme ulla adjuti fuissent illi interpretes, posteriorum diligentiæ multa emendanda relinquebant. Qua ratione factum est, ut ducentis abhinc annis, alii super aliis Bibliorum interpretes exstiterunt; qui se accuratius quam superiores ea vertere posse, sine ulla superbiæ aut temeritatis nota, existimarunt. Sic fundamento, quo tota ratiocinatio Augustini nititur, subruto, quidquid superædificavit corruat necesse est. Audiamus tamen quæ habet in sequentibus.

Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii, vel spiritus majore concordia, quam si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere, sine controversia, tribuendam esse existimo.] Respicit ad putidam fabellam de consensu LXX interpretum, quam merito irrisit Hieronymus, atque exploserunt jam omnes eruditi. Eam lege, si vacat, apud ipsum Augustinum, de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 42 et 43. Ubi etiam rejectam docet ipsius ævo versionem Hieronymi, *quamvis Judæi faterentur esse veracem, Septuaginta vero interpretes in multis errasse contenderent.* Dixerit forte quispiam Aristeam, Philonem et Josephum Judæos veram historiam esse credidisse, quæ de consensu LXX interpretum narrabatur; universamque Ecclesiam Christianam Hieronymo antiquiorem illa esse usam. Sed ut ὕστερον πρότερον respondeam, dicam apostolos, qui apud Græce loquentes Evangelium nuntiabant, illa esse usos quia nulla alia erat, et ad summam historiæ et religionis Judaicæ quod attinet, et quatenus utilis erat propagationi religionis Christianæ, satis erat fida; non quia eam vitiis omnibus carere putabant, Certe nec ex usu apostolorum, nec ex ullis eorum verbis, colligere licet eam translationem ab iis quasi omnibus numeris absolutam habitam. Si aliter sequentes ætates senserint, non sequitur ita sensisse apostolos. Ad historiam vero Judaicam quod spectat de consensu LXX interpretum, ita est confutata a viris doctis, ut nemo eam defendere cum aliqua veri specie possit. Denique quisquis conferet Hebraicum nostrum exemplar cum ea translatione, comperiet eam scatere vitiis manifestis, ut optimi quique interpretes ostenderunt. Scio non defuisse viros humaniorum litterarum peritos, qui aliter censerent; sed aut nunquam illam collationem diligenter instituerant, aut non intellexerunt utramque linguam, aut pertinacia imbecillitateve judicii laborarunt. Igitur non major potest esse aucto-

ritas LXX interpretum quam res ipsa patitur, quidquid contra ratiocinetur Augustinus. Verum rationem cur vitiosis translationibus et codicibus pertinaciter usa sint indocta illa sæcula, ingenue aperuit Joan. Clericus Quæstione Hieronymiana 9, § 18. Pergit tamen Augustinus de re, quam non intelligebat, argutari,

Illi, inquit, *me plus movent, qui cum posteriores interpretarentur, et verborum locutionumque Hebræarum viam atque regulas mordicus, ut fertur, tenerent, non solum inter se consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda et prodenda remanerent.*] Aquila, Symmachus, Theodotion et alii interpretes Græci, quamvis eruditi, omni erroris periculo exempti non erant; nec linguæ Hebraicæ usque adeo periti, cum dudum intermortua esset, ut nullus post eorum messem spicilegio locus foret. Præterea sunt multa loca Veteris Testamenti aut propter res ipsas nobis ignotas, aut propter codices antiquitate depravatos, obscura; quæ alii aliis melius interpretari nos posse conjecturis et ratiocinationibus, quæ variæ sunt, existimamus. Multa sunt etiam, in stylo ipso priorum interpretum, quæ sequentibus minus placent et emendanda videntur. Aquilæ, verbi gratia, translationes obscuriores erant, quod verbo tenus omnia vertere conatus esset, quam ut a peritis solius linguæ Græcæ intelligi ubique possent. Denique eorum dissensus tantus non erat, ut de summa rei non consentirent. At sacrarum Litterarum studiosi, et qui publice eas apud concionem interpretantur, in sola rei summa non acquiescunt; sed singula, quatenus licet, intelligere conantur. Hæc cum facilia sint excogitatu rerum peritis, obscura tamen erant Augustino, qui ex auditu de iis interpretibus loquebatur, nec rem ipsam introspicere ipse poterat. Quare hic mere σκιαμαχεῖ, quamvis acute disputare sibi videretur, præsertim in sequentibus verbis.

Et aut obscura sunt aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoque in eis falli potuisse creditur; si manifesta, illos in eis falli non potuisse non creditur.] Multa sunt utriusque generis in Veteri Testamento, atque in maxime quidem perspicuis, quibus continetur summa religionis et historiæ Judaicæ, consentiebant Græci interpretes. In aliis quanquam attendenti et perito claris, multa supererant explicanda, quod priores interpretes aliquando dormitassent, aut quædam assecuti non fuissent; quod omnes postremorum sæculorum interpretes expertos se esse merito dictitant. In obscuris, hoc est in iis quæ ab homine perito ita explanari non possunt, ut ausit affirmare nullam aliam posse verbis subesse sententiam, quid vetat plurium explicationes audire? Annon semper ita solet fieri? Annon Augustinus ipse varias passim interpretationes profert? Nullus interpres sese quasi erroris immunem venditat, sed putat tantum, in ambiguis, verisimiliora quædam aut certe æque verisimilia posse a se proferri. Igitur inane est dilemma Augustinianum; cui aliter etiam reposuit Hieronymus epist. 75 in hoc tomo. Præterea singularem ab eo cæterisque Græce nescientibus, gratiam inire debuit Hieronymus; quod, edita versione sua, possent intelligere quid maxime probabile in Græcis versionibus esset, ex quarum potissimum collatione suam adornaverat. Huc accedebat quod ex comparatione Hieronymianæ versionis cum Græca LXX interpretum, aut ejus translationibus Latinis, non exigua lux lectoribus affulgeret. Nunc vero pro gratiis, quas ei debebant, homines imperiti et pertinaces labores ejus infamare conati sunt. Quare vero? Quia iis laboribus liquebat eos innumera, in Vetere præsertim Testamento, male solitos interpretari; sique vulgo opinio obtinuisset Scripturæ versiones omnes esse cum archetypis conferendas, quippe quæ fallere possent, actum erat de eruditione innumerorum rhetorum Latinorum, qui nec Græce nec Hebraice sciebant. Hæc paulo copiosius, postea nequaquam repetenda, persecuti sumus, quod videremus Hipponensem episcopum pertinaciter homini doctiori atque immerito adversatum fuisse.

Cæteroqui, cum in iis, quæ ex mera ratiocinatione pendent, Hieronymo inferior non esset Augustinus; in eo litterarum ejus capite, quod spectat factum Pauli, sine dubio meliorem causam defendit; quod libenter hic observamus, ne Hieronymo præter meritum favere, vel Augustino æquo facilius adversari videamur.

Epist. 31, § 2. *Aderat etiam quod nulli chartæ adesse potest, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipsum etiam vultum oculosque loquentium, vos in cordibus eorum scriptos, cum ineffabili lætitia, legeremus.*] Hoc est, alte eorum memoriæ impressos. De qua locutione vide quæ habet Joan. Clericus Artis criticæ part. 2 sect. 1, cap. 4, § 8.

Ibid., § 4. *Nisi majorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret.*] Vide ad epist. 213, 4.

Epist. 33, § 1. *Non enim errorem schismatis... dignum honore aliquo existimo: sed ante te omnia quod ipsius nobis humanæ societatis vinculo astringeris.*] Imo vero communis religionis Christianæ, nam Donatistas Christianorum numero habebant catholici; quandoquidem eos ad catholicam Ecclesiam redeuntes minime rebaptizabant.

Epist. 35, § 1. *Publicum officium*, etc.] Vide ad epist. 91, § 8.

Epist. 36, § 2. *In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.*] Recte; si modo leges illæ non imponantur, quasi necessariæ ad salutem; quod si fiat, merito oppugnantur, quia solius est Christi jus *claudendi* cœli ita ut nemo aperiat, *et aperiendi* ita ut nemo claudat. Cujus legibus si aliæ quasi necessariæ addantur, tum novum Evangelium conflatur, quod ab omnibus discipulis suis rejici et Christus et apostoli voluerunt. Simile quidpiam habemus in epist. 54 ad Januarium, § 3: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem habendum est.*

Epist. 43, § 7. *Tanto magis enim timere debuit, ne*

pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla et illustris... Erat etiam transmarinis vicina regionibus, etc.] Siciliæ, credo; nam non est vicinior Italiæ, Galliæ et Hispaniæ littoribus, quam aliæ urbes maritimæ Africæ.

Epist. 44, ubi multis narrat collationem suam cum Fortunio Donatista, episcopo Tibursico, sic habet § 11 : *Dictum est quod adhuc eos* (Donatistas) *nostri* (catholici) *persecuturi essent; nobisque dicebat videre se quales nos essemus in illa persecutione præbituros, utrum consensuri essemus sævitiæ, an nullum commodaturi consensum.* Non malus conjector erat Fortunius, ut manifestum est ex epistola 89 ad Festum, octennio, et 93 ad Vincentium, decennio post scriptis, unde intelligere est gravem persecutionem in Donastistas concitatam fuisse, consentientibus episcopis catholicis ; te male collegis resistente Augustino, immemore eorum quæ in hac collatione dixerat. *Nos dicebamus*, inquit in proxime sequentibus verbis, *Deum videre corda nostra quæ ipsi non possent et illos temere sibi adhuc ista metuere, quæ si contigerint a malis contingere, quibus deteriores ipsi habent; nec tamen ideo nos a catholica communione segregare debere, si quid forte, nobis invitis, vel etiam, si valuerimus, contradicentibus factum fuerit, cum tolerantiam pacificam didicerimus, dicente Apostolo* : sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Si ita vere animatus fuit Augustinus eo tempore, nimis facile in contrariam sententiam abiit, ejusque collegarum alius fuerat, ut docet epist. 89 et 93, animus. Est tamen cur quis dubitet an ex animi sententia loqueretur Augustinus, an vero more oratorum, prout præsens causa postulabat ; neque enim ignorabat ab imperatoribus, Theodosio præsertim et filiis ante annum 398, quo scripta est hæc Epistola 44, latas multas leges, quibus magistratus jubebantur persequi hæreticos confiscationibus locorum, in quæ convenerant, mulctis decem librarum auri, in singulos sacerdotes hæreticos, exsiliis, fustibus, etc. *Malos* harum legum auctores aut ministros dicere serio ausus non fuisset Augustinus. Cæterum hic obiter notandum Pelagium fuisse in sententia Donatistarum, ut liquet ex ejus Comment. in cap. IV epist ad Galatas, ad hæc verba : *Qui secundum carnem natus erat persequebatur eum qui secundum Spiritum.*

Ibid., § 13. *Majorem cœlicolarum.*] De cœlicolis, deque hoc loco Augustini multis egit Jacobus Gothofredus ad leg. 19, tit 8, lib. XVI codicis Theodosiani, quem adire lectores poterunt. Invidiosa eorum descriptio, conjunctioque nunc cum Judæis, nunc cum Donatistis, obstant quominus intelligamus quid senserint.

Epist. 53, § 2. *In urbe Roma Montensium, vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.*] Cum hæc sit lectio plerorumque mss. codd. hic et in libro de Unitate Ecclesiæ, cap. 3, satisque constet cognomen hoc Donatistarum, neque Græcum esse, neque Latinum, credibile est ab Afris impositum iis fuisse. Igitur, antequam quidquam hic mutare aggrediamur, videndum an in lingua Phœnicia aut Punica vox *Cutzupitarum* significationem obtineat, cui sit aliqua affinitas cum appellatione *Montensium*. In lingua autem Hebraica, quam eamdem fuisse cum Phœnicia multis argumentis constat, קעב *ketseb*, aut, Syriaco more, קעף *ketseph*, a radice קעב *katsab*, abscidit, significat *abscissam cavernam*. Sic Jonas, in oratione quæ exstat cap. II, ait vers. 7 se descendisse לקעבי הרים *l'kitsbe harim in* εἰς σχισμὰς ὀρέων, *in scissuras montium*, *ut* habent LXX interpretes, quibus verbis intelligit propheta profundas in radicibus montium speluncas. Itaque *Cutzupitæ* significare possit homines qui speluncam adibant, quod egregie consentit cum eo quod de Donatistis Romæ commorantibus habet Optatus lib. III de Schismate Donatistarum : *Speluncam quamdam foris a civitate cratibus sepserunt ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* Hieronymus etiam in Chron. ad annum Christi 356 a monte in quem conveniebant dictos Montenses observat. Sub finem vero libri contra Luciferianos, eosdem vocat *Montenses* seu *Campates*, aut *Campitas* ; ubi legerim *Cutzupitæ*, nam *campus et mons* plane sunt opposita. Simili de causa, Eunomiani, teste Theodoreto Hæreticarum Fabular. lib. IV, dicti sunt *Troglodytæ* aut *Troglitæ*, ὡς ἐν οἰκίαις λανθανούσαις τὰς συνόδους ποιούμενοι, *quod in domibus occultis conventus suos celebrarent* : nempe, ἀπὸ τῶν τρωγλῶν, *a cavernis*. Igitur *Scotopitæ* a Joan. Baptista Cotelerio ficti, meri sunt tenebriones, quos in tenebras unde prodierunt, amandamus. Non magis audiendi sunt qui ex Hieronymo volunt legi *Campitas*; quod tamen vir eruditus Lud. Ellies du Pin, in notis ad locum Optati, mirum in modum concinere putat Optato, qui dicit *eos foris a civitate speluncam quamdam cratibus sepiisse ;* hinc enim æque *Campitas* ac *Montenses* dici potuisse. Sed Gallico quidem sermone, qui sunt extra urbes dicuntur esse *aux champs*; Latine *ruri* aut *in agris* ; non *in campis*, qui planitiem significant, non rus. Video Gallos nostros interdum affinitate linguæ suæ cum Latina decipi. Sic in hac eadem voce erravit vir ingeniosus Robertus Arnaldus Andilliacus, qui *Josephum* Gallice vertit; cum enim videret vocari μέγα πεδίον, tractum ad Jordanem situm, a Latinis interpretibus *magnum campum*, vertit *le grand champ*, cum debuisset vertere *la grande campagne*, vel *la grande plaine*.

Epist. 71, § 4. *Perdurum erit, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius cœperit lectitari, quod a Græcis ecclesiis Latinæ ecclesiæ dissonabunt; maxime quia facile contradictor convincitur, Græco prolato libro, id est linguæ notissimæ.*] Non tanti erat omnes Ecclesias eadem versione uti, ut propterea vitiosa in æternum uterentur ; nec peperisset diversitas quidquam incommodi, quia, ut diximus ad epist. 28, consensus semper in summa rei futurus erat. Hodie videmus eos Christianos qui vernaculis versionibus utuntur, quamvis sint diversæ, propterea inter se minime digladiari ; nam eorum dissensus non ex varietate

versionum, sed ex diversis interpretationibus eorumdem verborum oritur. Præterea, Augustini ætate, magna varietas erat Latinorum codicum apud Latinos et Græcorum apud Græcos, quæ nullum tamen præbebat offendiculum, cum omnes scirent fieri vix potuisse, ut longinquitate temporum et imperitia aut oscitantia librariorum, menda in Græcos codices non irreperent; in Latinos vero, præter ejusmodi menda, varietates ortas ex vario judicio eorum qui Græca vertere aggressi erant. Hoc non diffitetur Augustinus epist. 71, § 6. Ideoque *contradictor* paulo pertinacior non tam facile convinci poterat, quam hic narrat Augustinus, prolato Græco LXX interpretum Codice. Sed adiri poterat alii Græci interpretes, qui non tantum ad intelligenda Hebraica, sed et Græca LXX interpretum verba, magno usui esse poterant.

Ibid. *Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit et falsi crimen intenderit, vix aut unquam ad Hebræa testimonia pervenietur, quibus defendatur objectum.*] Culpa scilicet eorum qui volebant videri egregii interpretes Scripturarum, quas non intelligebant, cum ex sola versione sæpe obscura et vitiosa penderent. Cur non dabant operam studio linguæ Hebraicæ, præsertim in Africa, ubi linguæ Punicæ cognitio iis viam muniebat ad Hebraicum, quam ei affinem esse probe notant, et quam proinde multo felicius quam Hieronymus didicissent, nisi eis mens læva fuisset? Præterea ex collatione versionum Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, facile Hieronymiana a peritis defendi poterat; ab imperitis vero nihil recte, hac in re, fieri poterat.

Ibid. *Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas et Græcas auctoritates damnari quis ferat?*] *Hinc*, nimirum, *illæ lacrymæ*. Nam si semel statuas versioni LXX interpretum non posse per omnia credi, et vitia inesse; quid fiet fama tot ecclesiasticorum oratorum Græcorum et Latinorum, qui de locis perperam intellectis tam copiose scripserunt? Nempe dicendum erit eos imprudenter fecisse, cum aggressi erant interpretari quod probe intelligere non poterant, neglecto archetyporum studio. At censoria nota, inquies, obscurabuntur maxima Orientis et Occidentis lumina. Obscurentur sane, potius quam eorum causa falsa defendere aggrediamur; non enim agitur de existimatione virorum ecclesiasticorum, sed de invenienda veritate, quæ est famæ omnium mortalium anteferenda, imo hic unice spectanda. Quia viri celebres aliquid defenderunt quod falsum est, an ideo verum hoc vocabimus? An investigationem veri omittemus, ne forte eo invento cujuspiam fama minuatur? Si ita se gessissent omnes Judæi, si ita ethinci, quibus Evangelium nuntiarunt apostoli, nemo unquam Evangelio credidisset. Si quæ prava consuetudo inolevisset, nunquam posset emendari; nunquam enim desunt viri celebres qui eam secuti sint. In administratione reipublicæ varia feruntur, propter utilitatem præsentem, etiam iniqua et falsa pro veris jactantur; sed in iis quæ ad religionem pertinent, sola veritas quærenda atque id tantum expedit quod verum est. Ac sane a duobus propemodum sæculis, experti sunt Christiani multo satius esse, neglecta auctoritate imperitorum interpretum (quantævis fuerint famæ), ipsos fontes adire et linguæ Hebraicæ propterea sibi peritiam comparare; quod feliciter patribus nostris cessit, nec, ut spero, huic ætati infelicius cedet.

Ibid. *Huc accedit, quia etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere, ut tu solus necessarius videaris qui etiam ipsos possis convincere; sed tamen, quo judice mirum si potueris invenire.*] Hæc demum est mera invidia. Quidni vero Pœni tui, Augustine, linguam Hebraicam addiscebant, ut Judæis amplius non indigerent, ne ad solum Hieronymum esset confugiendum? At hoc difficillimum erat. Non difficilius quam fuit Patrum nostrorum memoria, imo vero multo facilius et Afris et Syris et Arabibus Christianis, quorum linguæ affines Hebraicæ fuerunt; cum præsertim haberent Hexapla Origenis. Verum, ne quid dissimulem, multo facilius fuit eo tempore ut hoc nostro apud imperitam plebem declamitare.

Ibid. § 5. *Nam quidam frater noster episcopus, cum lectitari instituisset in ecclesia cui præest interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum, apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus (ea quippe civitas erat) Judæorum testimonium flagitare.*] Atqui minime opus erat, sed tantum consulendi fuerunt alii Græci interpretes et cum Hieronymiana versione conferendi. Præterea quid ad summam prophetiæ Jonæ faciebat vox קיקיון *kikajon*, seu *cucurbita* cum LXX interpretibus, seu *hedera* cum Hieronymo verteretur? Quidni potuit vario modo ea vocula verti, cum tot aliæ multo majoris momenti non una ratione, sine offensione plebis, explicarentur? Episcopi fuit, conscenso suggesto, hæc suam plebem docere.

Ibid. *Utrum autem illi imperitia, an malitia, hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quod et Græci et Latini habebant atque dicebant. Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens, post magnum periculum, non remanere sine plebe.*] Consuli, ut dixi, debuerant Græci alii interpretes, qui habebant κισσός id est, *hedera*, ut docet Hieronymus ad Jonæ cap. IV, quamvis fateatur non esse aptam vocem; nam קיקיון *kikajon* est aliud plantæ genus cujus Latinum nomen nullum erat. Itaque Hieronymus pro eo nomen usurpavit quod Latini intelligere poterant. Mala sane fuisset Afra plebs, quæ tantilla de causa episcopum suum deserere parata fuit; sed videtur esse, ut probe olfecit Hieronymus, fabella Punica, qua hominem terrere voluit Hipponensis episcopus. Ipsum Hieronymum adi, epistola hujus voluminis 75.

Epist. 78 narrat Augustinus, cum accusatio esset obscura, misisse se accusatorem et reum Nolam, ad sepulcrum S. Felicis, ut veritas, ejus ope, cognosceretur; tum subdit: *Nam et nos novimus Mediola-*

ni, apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter et terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam qui ad eum locum venerat ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum et quod abstulerat reddere ; nunquid non et Africa sanctorum martyrum corporibus plena est ? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri.] At non minora erant quæ dicebantur fieri a S. Stephano Calamæ et Hippone-Regio, ut liquet ex enumeratione miraculorum quæ exstat lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8. Quidni etiam furta ibi retegebantur, aut alia occulta crimina ? Respondet Augustinus : *Sicut enim quod Apostolus dicit* : Non omnes *sancti* habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem Spirituum : *ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuique prout vult.* At qu s credat post mortem sanctorum eamdem divisionem obtinere ? Quis putet hic cacodæmonas reliquiis martyris territos, illic sine commotione fuisse ? Ne quid mentiar, quanta mihi facta est fides de miraculis Christi apostolorum, quæ omnia veritatis indicia comitantur ; tanta est de recentioribus diffidentia, cum præsertim superstitioni et lucro multo magis quam veræ virtuti propagandæ, ea serviisse videam. Augustinus ipse libro de Vera Religione, § 47, rariora sua ætate miracula fuisse non diffitetur. Scio hoc ab illo retractatum, sed minor qui potuerit antea in re notissima falli ; non miror ad convincendos ethnicos, Donatistas et alios Hæreticos miracula jactata, quæ multo plura fuerunt et insigniora, si vere contigissent, quam miracula Christi et apostolorum, adeo ut nulla ratione dici potuissent rarius fieri quam antea. Sunt et aliæ rationes suspicandi, quas in brevibus notis non afferam. Vide quæ diximus ad Confess. lib. VII, § 16.

Epist. 89, § 2, postquam dixit martyres veros non fieri pœna sed causa, addit : *Et hoc quidem adversus eos dicerem, quos sola caligo hæretici erroris involveret, pro quo sacrilegio pœnas dignissimas luerent, nec tamen ulla quemquam violenta insania lædere auderent. Adversus autem istos quid dicam, quorum tam perniciosa perversitas, vel damnorum terrore coercetur, vel docetur exsilio, quam ubique diffusa sit Ecclesia, sicut futura prædicta est, quam malunt oppugnare quam agnoscere ?*] At scelera illa circumcellionum ad quæ respicit Augustinus, nihil ad rem faciunt, neque enim propter illa scelera pœnas dabant, sed propter schisma, ut ipse fatetur, utque ex legibus Honorii contra Donatistas constat, quæ exstant lib. XVI codicis Theodosiani, ubi ut hæretici, non ut facinorosi damnantur. Quænam autem essent *pœnæ dignissimæ*, aut *pœna debita*, ut loquitur Honorius leg. 29, tit. 5, lib. XVI codicis Theodosiani, docet Augustinus in epist. ad Bonifacium, quæ est 185, sed plenius expressa est ea pœna in lege Theodosii contra omnes hæreticos, quæ est 21, tit. 5, lib. XVI cod. Theod. *In hæreticis erroribus*, ait Theodosius, una cum filiis, ea lege lata anno 392, *quoscunque constiterit vel ordinasse clericos, vel suscepisse officium clericorum, denis libris auri viritim mulctandos esse censemus ; locum sane in quo vetita tentantur, si conniventia domini patuerit, fisci nostri viribus aggregari. Quod si id possessorem (quippe clanculum gestum) ignorasse constiterit, conductorem ejus fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus, si servili fæce descendens, paupertate sui pœnam damni, ac vilitate contemnit, cæsus fustibus deportatione damnabitur.*

Epist. 91, § 8. *Postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus, publica jura negata sunt.*] Nimirum, in singulis urbibus commentarii scribebantur rerum paulo majoris momenti quæ quotidie in iis gerebantur, qui postea ad proconsules aut imperatores mittebantur. Si quis ergo publice quidpiam contestatum cuperet, adibat Officium publicum, ut ab eo verba ejus exciperentur quo fidem facerent. Vide epist. 35, § 1, et epist. 93, § 12.

Epist. 93, § 2. *Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tum potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumque curaret ?*] Hac epistola, copiosissime probare aggreditur Hipponensis episcopus licitam esse persecutionem ad eos quos in errore versari putamus, ad veritatis professionem adducendos. Qua ejus opinione cum multi abusi fuerint et etiamnum hodie abutantur, non erit, ut opinor, inutile ostendere Augustinum graviter hoc in negotio errasse, et a vera sententia in deteriorem abiisse ; quamvis cæteroqui schisma ac pertinaciam Donatistarum nequaquam probemus. Igitur potissima quæque ejus argumenta ad examen revocabimus, prout ordine nobis occurrent. Ad primum quidem quod attinet, comparatio ex phrenetico deducta nullius est ponderis. Phrenetici enim sine ullo dubio sunt phrenetici, et societatem civilem plane perturbant. Itaque leges civiles eos coerceri patiuntur et jubent, donec curati pristinam valetudinem recuperarint. At in controversiis de religione, in quibus sæpe videas contrarias partes virtutum Christianarum æque studiosas legibusque civilibus pariter obsequentes ; res non est neque adeo manifesta, ut alteræ partes alterarum homines phreneticorum loco habere queant ; nec in tantis affectibus quanti hic deprehenduntur, alii aliorum judices esse possunt. Multitudo aut potentia, quæ sibi jus judicandi vi arrogare solent, huc nihil faciunt, cum veritatem penes plerosque et potentissimos fore nusquam promiserit Deus. Ac sane contrarium statuito, videbis te contra te ipsum judicasse, si tempora mutentur ; ut contigit paulo post in Africa, ubi Vandali Ariani, et in Italia, ubi Gothi, eidem hæresi addicti, longe potentiores fuerunt. Si ea usque tempora vitam produxisset Augustinus, vidissetque a Vandalis Arianis male haberi catholicos Afros, quasi impios ac *phreneticos*, facile sensisset se periculosa ratiocinatione esse usum contra Donatistas, et denuo cœpisset defendere sententiam quam præ affectu retractarat. Nam frustra reposuisset a suis partibus veritatem stare, uti faciebant Donatistæ, negassent hoc Ariani ; et cum judices in hac sua causa essent, cum

eo se gessissent, quasi cum pertinace hæretico, exprobrassentque ei omnes vexationes quas Ariani a catholicis passi erant: quemadmodum hic Donatistis exprobrat Circumcellionum furores. O infelicia argumenta, quæ paulo post mera sophismata facta sunt! O rationes imprudentes ac fallaces, quæ errori æque patrocinabantur ac veritati!

Ibid. *O si tibi possem ostendere ex ipsis Circumcellionibus, quam multos jam catholicos manifestos habeamus damnantes suam pristinam vitam!* etc.] At quis credat homines facinorosos non rationibus, quas semper spreverant antequam vis admoveretur, sed pœnis subito adductos ad id profitendum quod damnarant, ita esse mutatos animo, non vero potentioribus partibus ore gratificatos? Valde credulum esse oportet, qui verbis metu extortis tam facile fidem habet. Sed satis habebant vexatores Afri partes Donastistarum afflixisse, nec multum curabant an eorum animos vere sanassent, si modo corpora obnoxia haberent. Præterea similia jactare poterant Ariani, postquam aliquandiu catholicos male habuerant: nam multos ex infirmioribus aut nequioribus adducebant terrore suppliciorum ad abjurandam synodum Nicænam. Sic fiebat ut optimi quique qui contra animi conscientiam agere et loqui detrectabant, atque propterea laudandi, licet cæteroquin in errore versarentur, erant, pessime mulctarentur; et contra ut levissimi quique ac dissimulatores callidissimi laudes et a catholicis et ab Arianis referrent.

Ibid., § 3. *Si terrerentur et non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius moverentur*, etc.] Sed terror conjunctus doctrinæ eam vehementer suspectam facit; quippe quam putant homines, nisi vi et auctoritate fulciretur, sponte sua collapsuram, nec terrore legum uti, nisi quia lumine veritatis sibi hominum animos conciliare nequit. Hæc quæ dicimus Arianis objecisset Augustinus, si paulo diutius vixisset; quando eos vidisset iisdem argumentis uti contra catholicos.

Ibid. § 4. *Quis nos* (male editum est *non* in exemplari Parisiensi) *potest amplius amare quam Deus? Et tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere, non cessat. Diligamus etiam inimicos nostros, quia hoc justum est et hoc præcipit Deus, ut simus filii Patris nostri, qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Sed sicut ista dona ejus laudamus, ita etiam flagella ejus in eos quos diligit cogitemus.*] Ne jam repetam hoc quoque esse anceps auxilium quo Ariani æque uti poterant in catholicos, quis homo audeat sibi jus in ejusdem naturæ participes idem ac Deus arrogare, nisi qui se hominem esse sit oblitus? Quis enim ignorat aliud plane jus esse Creatoris in creaturas, aliud creaturarum in se invicem, aliamque Dei ac hominum affectionem? Deus summus est, jure creationis, dominus humani generis, idemque judex omnis erroris et affectus expers: homines vero conservi, erroribusque et pravis affectibus obnoxii. Itaque non erat cur Augustinus vexatorum amorem erga fratres compararet cum amore divino in humanum genus.

Ibid., § 5. *Putas neminem debere cogi ad justitiam, cum legas patremfamilias dixisse servis:* Quoscumque inveneritis cogite intrare: *cum legas etiam ipsum primo Saulum postea Paulum, ad cognoscendam et tenendam veritatem, magna violentia Christi cogentis, esse compulsum*, etc.] Antequam *coactionem*, de qua sermo est Luc. XIV, 25, interpretaretur Augustinus, de vi illata legibus et pœnis, cogitare debebat parabolam illic a Christo tradi in qua hoc jubetur servus, qui frustra vocaverat convivas antea invitatos, et qui liberrime sese venturos negarant; neque hæc pars parabolæ contra ipsum urgeretur. Augustinus enim volebat omnes vocatos ad Ecclesiam catholicam cogi, cum in parabola mendici, duntaxat, claudi et cæci cogantur, prætermissis aliis. An putabat Augustinus ea *coactione* significari impositionem pœnarum quales ex lege Theodosii ad epist. 89 protulimus? An sic homines ad convivium venire coguntur? Quis nescit eos *cogi* dici qui precibus adiguntur? Sic Lotus Gen. XIX, 3 dicitur καταβιάσασθαι, *coegisse* angelos ut apud se pernoctarent. Sic Matth, XIV, 22, et Marc. VI, 45, Jesus scribitur ἀναγκάσαι *coegisse* discipulos navigium ingredi. Sic Luc. XXIV, 29, discipuli duo Emmauntem euntes dicuntur Jesum παραβιάσασθαι, *coegisse* ut secum cœnaret. Sic Gal. II, 24, exprobrasse se dicit Paulus Petro quod gentiles *cogeret* (utitur verbo ἀναγκάζειν,) *judaizare*. In hisce omnibus, nulla vis adhibita, sed tantum preces, auctoritas, exemplum, sine ullis pœnis; et sic solemus in omnibus ferme linguis loqui. Ad vocationem vero Sauli quod attinet, quæ cœleste miraculum est, similes artes adhibere si potuisset ad convertendos Donatistas, nihil erat cur eum hic confutaremus, et omnem pervicaciam facile vicisset. Sed cum divinis miraculis conferri vim a militibus lictoribusve magistratuum allatam; et quia Deus miracula interdum adhibuit ad homines convincendos, hinc colligi ideo licitum esse vi uti, non patimur sine aliqua indignatione, Quid enim hisce dissimilius? Si Augustinus ipse ad Vandalicas persecutiones vitam produxisset, et sic eas defendi audivisset ab Arianis, vix temperare potuisset quin exclamaret eos blasphemare qui talia compararent.

Ibid., § 6. *Cum legamus ancillam et filium ejus a Sara passos graves molestias, Paulus tamen apostolus dicit quod ab Ismaele persecutionem sit passus Isaac*, sed sicut tunc, *inquit* ille qui erat secundum carnem persequebatur eum qui erat secundum Spiritum: ita et nunc; *ut qui possunt intelligant magis Ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia et impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atque terroribus emendare conatur.* Verum quidem est Hagaram male habitam a Sara, sed eo hic non respicit Paulus, verum ad Ismaelis actionem cum Isaaco protervius ludentis, quam vocat *persecutionem*, quamque confert cum persecutione quam Christiani patiebantur

a Judæis; et quæ non erat sita in eo quod viderent Judæos superbos esse ac pervicaces (quod nemo, nisi Pœnus rhetor, *persecutionem* vocarit), sed in eo quod ab iis omni molestiarum et pœnarum genere afficerentur. Absurdum est conferri hasce persecutiones, quas tempore Pauli Christiani ferebant, cum affectione animi episcoporum et cæterorum clericorum Afrorum, qua ægre patiebantur sibi contradici a Donatistis. Quis ferat eum *persecutionem* dici pati, cui dolet quod non dominetur aliis, æque ac miseros qui facultatibus omnibus spoliantur, in exsilium mittuntur, fustibus cæduntur, imo et occiduntur, nam hoc factum liquet ex epistola 100 in qua Augustinus intercedit ne amplius fiat? Illudebat sane miseris Hipponensis rhetor, quia sentiebat omnia impune a se in illos potuisse dici; sed si Ariani superiores ita locuti essent adversus catholicos, an non hi cœlum terræ miscuissent? Præterea quod primum dici oportuit, hic et ubique statuit atque assumit pro comperto Augustinus quod in controversia erat positum; suam, nimirum, Ecclesiam fuisse unam, exlusis Donatistis, Christi Ecclesiam. Non equidem probo Donatistarum schisma, sed cum illis disceptanti absurdum fuit perpetuo id assumere quod præfracte negabant; utque intelligas quam sit iniquum, pone loco Augustini Arianos et fac eos similia dicentes; tum vero videbis Arianis idem objectum iri quod Donatistæ Augustino objiciebant. Quænam autem hæc est ex. *Cum res meæ superiores erunt, tum mihi de æquitate et veritate causæ meæ judicium, frustra reclamantibus adversariis, attribuitor; si numero et auctoritate vincar, adversariis meis idem facere quod feci ne liceto?* Quid fingi potest iniquius? Eo tamen tendunt pleræque omnes ratiocinationes Augustini, et præsertim sequentes, quas non exscribam.

Ibid., § 7. *Aspice etiam tempora Novi Testamenti, quando jam ipsa mansuetudo caritatis non solum in corde erat servanda, verum etiam in luce monstranda, quando Petri gladius in vaginam revocatur a Christo, et ostenditur non debuisse de vagina eximi, nec pro Christo.*] Si quis his lectis ulterius non pergeret, facile crederet hæc esse verba Donatistæ ostendentis illicitas esse pœnas temporales in rebus ad religionem pertinentibus, quod sint indoli atque ingenio doctrinæ evangelicæ plane contrariæ. At hinc consectarium prorsus diversum deducit. Nempe vult inde colligi, ut Deus Pater tradidit Filium suum supplicio crucis, nec tamen minus est misericors: sic nec Ecclesiæ Africanæ crudelitatis notam inuri posse, quod Donatistas lictoribus plectendos traderet; nam spectandum hic esse animum tradentium, qui ad emendationem traditorum tendebat. Igitur quamvis catholici non aliter se gererent ac persecutores, eos tamen non esse illicitæ persecutionis incusandos. *Discamus*, inquit, *frater, in similitudine operum discernere animos operantium, nec clausis oculis calumniemur, et benevolos pro nocentibus accusemus.* At primum quid simile est actioni Dei patientis volentem Filium suum occidi, in salutem humani generis, a scleratis hominibus, in moliminibus Ecclesiasticorum, qui concitabant magistratus in miseros Donatistas? Pudet immorari confutandis ejusmodi ratiocinationibus, quæ ne logicæ quidem tironibus hodie condonarentur. Sed ut concedam hæc posse conferri, an quisquam inter Afros fuit tam perfrictæ frontis, ut auderet postulare ab infelicibus Donatistis ut crederent catholicos tam bene erga eos quos vexabant affectos, quam erat Deus erga homines cum Filium suum vexationibus traderet, ut genus humanum servaret? Deus certe ex nostra salute nihil lucrabatur; sed Afri episcopi auctoritate, dignitate atque opibus eo majores erant, quo greges eorum numerosiores fiebant, quæ non ultima causa harum vexationum fuisse videtur. At rhetor noster non tantum veri, sed ne verisimilis quidem ullam rationem habet; nec opus erat, cum hisce argutiis minime cessuros mulctæ, carceres, exsilia, mors manerent.

Ibid., § 8. *Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Domino dicere*: Beati qui persecutionem patiuntur, *nec adderet*, propter justitiam.] At Donatistæ partes suas catholicis non præferebant duntaxat, quia *persecutionem patiebantur*, sed quia, ut quidem putabant, hoc fiebat *justitiæ*, hoc est, virtutis causa; quod nollent id facere quod sibi illicitum esse ac Deo displicere credebant. Ea est sane animi affectio laudanda, etiam in errantibus: ut contra vituperandi qui ab invitis extorquent ut id faciant, metu suppliciorum, quod illicitum esse putant; quamvis enim quod inviti faciunt natura sua rectum esset, Deo non posset non displicere, qui non vult ore duntaxat coli, sed potissimum animo, nec ab invitis quidquam accipit.

Ibid. *Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis Libris*; Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar; *aliquando ergo et qui eam patitur injustus est, et qui eam facit justus est.* Verum non hic de quavis *persecutione*, hoc est, quibusvis pœnis agitur; sed de ea tantum quæ fit propter dogmata, non propter delicta quibus perturbatur societas civilis, et de quibus non ex religiosis, sed ex civilibus legibus pœnæ sumi possunt. In loco psalmi c, 5, est quidem in versione LXX interpreium ἐδίωκον, *persequebar*, sed ut jam recte eos vertisse statuamus, non est hic sermo de dogmate controverso, sed de calumnia, hoc est, de peccato, quod qui committit peccatum esse diffiteri non potest. Rex David eo in loco Deo pollicetur se daturum operam ut omnes calumniatores a conspectu suo ejiciat: *Detrahentem*, inquit *clam proximo suo, tollam, elatum oculis et vastum animo nom feram.* Quid hæc faciunt ad persecutionem hominum dogmata quæpiam bona fide amplexorum, nec cæteroqui deteriorum morum, quam sunt reliqui cives? Hoccine est Scripturam, ut decet, interpretari, an temere arripere vocabulum male intellectum, ut videaris aliquid dicere, cum revera nihil dicas?

Ibid, *Occiderunt impii prophetas; occiderunt impios et prophetæ.* Quosnam propter meras opiniones oc-

ciderint prophetæ, debuisset dicere Augustinus; nam si quos occiderint propter male facta, ex lege ipsa Mosis morte plectenda, hoc nihil facit ad Donatistas, aut alios similiter errantes, Præterea ostendendum fuisset quidquid fecerunt prophetæ id licitum esse sub Novo Testamento, nam hoc pernegat Christus disertissimis verbis Luc. IX, 55, 56, nec quemquam legibus a Christo latis solvere potest Augustini auctoritas. *Flagellaverunt*, inquit, *Judæi Christum, Judæos flagellavit et Christus.* Quasi vero flagellatio illa qua Christus pecudes potius quam homines ejecit e templo, possit conferri cum crudeli flagellatione quam Christus passus est a Romanis Judæis gratificantibus ! Aut Augustinus valde spernebat ingenia Donatistarum, quibus se ejusmodi ratiocinationibus os obstruere posse sperabat; aut multo majorem fiduciam habuit in edictis Honorii quam in pondere rationum. Sic quoque pergit : *Traditi sunt apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt et apostoli homines potestati Satanæ.* Tu quoque tradidisses Donatistis, si potuisses, potestati Satanæ; sed quia eum dicto audienten non habuisti, lictoribus tradebas; inter quæ maximum est discrimen. Nam homo nequam sæpe innocentes lictoribus tradidit, nunquam vero Satanæ : qui nemini paret nisi ei cui Deus eum subjicit, nec a Deo cuiquam subjicitur, nisi summæ virtutis viro et potestate edendorum miraculorum instructo,

Ibid. § 9. *Non invenitur exemplum*, inquiebant Donatistæ, *in evangelicis et apostolicis Litteris, aliquid positum a regibus terræ pro Ecclesia contra inimicos Ecclesiæ.* Reponit Augustinus : *Quis negat non inveniri? Sed nondum implebatur illa prophetia* : Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram, etc.] Vult nimirum Augustinus Christum et apostolos non usos brachio sæculari, ut loquuntur, ad coercendos ac plectendos inimicos Ecclesiæ, quia nulli erant reges qui eis faverent. Quasi vero ea non fuerit nativa indoles regni Christi, quod ipse testatur non esse *hujus mundi*, quamobrem legionibus minime defendebatur ! An non potuit Christus, si voluisset, ingentem copiam Judæorum ad arma vocare, ut se tueretur contra inimicos, et quod viribus humanis deerat vi divina miraculorum perfacile supplere, si ita Deo visum fuisset ? Idem de apostolis dixeris.

Ibid., § 11. Sic Rogatistas, qui schisma ab ipsis Donatistis fecerant, alloquitur : *Mitiores quidem esse videmini, quia cum Circumcellionum immanissimis gregibus non sævitis; sed nulla bestia, si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, qmia dentes et ungues non habet. Sævire vos nolle dicitis, ego non posse arbitror*, etc.] Non satis novimus Rogatistas, nec eorum libros habemus, ut intelligamus quomodo persecutionem oppugnarent; sed intelligimus facile immite hoc et inhumanum esse responsum, valdeque alienum a mansuetudine quam præ se ferre solebat Augustinus. Qui enim noverat eorum animos ? An non poterat fieri ut ex animo ab omni persecutione abhorrerent ? Facile sane hoc mihi persuadeo, qui satis mirari non possum qui Augustinus tam futilibus rationibus ad persecutionem probandam ac laudandam adduci potuerit, nec viderit eam cum caritate Christiana consistere nullo modo posse. Affectu, ut puto, obcæcatus est.

Ibid., § 17. *His ergo exemplis a collegis meis propositis cessi. Nam mea primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus quos apertos hæreticos noveramus.*] Ut Augustinus norat ex rhetorica institutione, id dicere pro temporibus, quod causæ postulabant : ita etiam pro temporibus videtur sensisse. Quis enim dubitat quin, si Ecclesiæ Africanæ a persecutione abhorruissent et petiissent ab Honorio ut abrogarentur leges contra Donatistas, contrariam causam copiose peroraturus fuisset ? Ego sane nullo modo dubito quin si illum apud Vandalos vexatæ ab Arianis Ecclesiæ Africanæ causam dicere oportuisset, contrariis plane usus esset argumentis, qualia olim Christiani apud ethnicos adhibuerant, cum ab iis male haberentur. Hic enim Augustinus an res sit per se iniqua non expendit, sed tantum an utilis videretur Ecclesiæ Africanæ ; qualis utilitas nulla fuisset, si forte Honorius favisset Donatistis.

Ibid. *Sed hæc opinio mea* (nempe, fictos catholicos persecutione fieri) *non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur.*] Facile quidem fieri potest ut adolescentes et puellæ sententiam vexatione mutent ; sed difficillimum est ut grandiores natu et perspicacioris ingenii homines alieniores multo non fiant a doctrina quæ eis vi ingeritur. Itaque cum hi dicunt metu pœnarum se aliter sentire, propterea digni fide non sunt. At altera ætas, inquies, quæ schisma non vidit, estque in catholicis placitis educata, haud aliter ea amplectitur, quam si nullum unquam schisma fuisset. Non diffiteor, sed contendo schismati finem imponi vexationibus nonnisi inique atque inhumane posse, iisque artibus non modo schisma ex pertinacia aut imperitia ortum, sed et omnem veritatis cognitionem tolli : ut liquet vel ipsius Africæ exemplo, in qua ne unus qnidem superest, a pluribus sæculis, Christianus. Nimirum, Muhammedanorum furor exstinxit illic religionem Christianam, similibus artibus iis quibus evulsum fuerat olim schisma Donatistarum. Igitur non erat quod de eventu gloriaretur Augustinus, qui omnium vexationum par est.

Ibid., § 18. *His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant : Jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit jam jamque faciendi et dilationum morulas amputavit*, etc.] Ne repetam eos qui ita loquebantur indignos fuisse fide, dicam, ejusmodi sermones auditos, ubicunque vi su-

perior aliqua causa facta est, hominum, nempe, victoris favorem ambientium et paratorum quidvis facere et pati, ut facultatibus suis tranquille fruerentur. Denique non capio qui ita ratiocinari posset Augustinus, qui credebat homines ad Deum sola gratia interna, et electis solis concedenda converti, et ad vitam æternam adduci. Quid enim magis alienum a gratia divina, quam mulctæ, exsilia, aliaque supplicia? Quis dicere sustineat, qui modò pudore aliquo teneatur, nec omnem religionis reverentiam exuerit, irritam plane esse verbi divina prædicationem, nec gratiam divinam cum ea conjungi, nisi accedat persecutio? Quod si divina gratia minime exspectet persecutionem, ut animos hominum molliat, quid hac opus est, quando gratia divina sine persecutione convertit? At Donatistæ, inquies, non audiebant rationes catholicorum, nisi postquam metu in horum ecclesias adducti sunt. Verum annon legebant Novum Testamentum? An gratia divina conjuncta potius fuit cum dictis et scriptis Afrorum, quam cum verbo divino? Qui hæc probe expendent facile intelligent affectibus hic multo plus datum fuisse, quam cupiditati adducendi alios ad saniorem mentem, episcoposque Afros ecclesias suas plebe refertiores, quæcunque tandem esset, cupiisse videre. Hæc de persecutione satis superque sunt.

Ibid., § 22. *Historicus doctus magnum aliquid invenisti.*] Historicus hic est πολυίστωρ, *qui multa novit.* Vide not. ad lib. de Ord. II, cap. 12.

Ibid., § 35. *Hoc genus litterarum* (libri Hilarii, Cypriani et aliorum Patrum) *ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerunt, quam veritas postulat.*] Hæc aureis litteris scribenda essent in fronte operum singulorum Patrum, quæ eduntur, ne auctoritas eorum veritati præferatur. Nos quoque hoc jure erga ipsum Augustinum usi sumus, quod hominibus in homines minime afflatos perpetuo sit necesse est. Similes cum ipsius Augustini, tum aliorum sententias collegit Edm. Albertinus, in Præf. libri de Eucharistia.

Epistola 96, § 2. *Ille quidem Paulus postquam episcopus factus est, renuntiaturus suis omnibus rebus propter immensum cumulum fiscalium debitorum,* etc.] Confugerat ad episcopatum, quasi ad asylum, ne propter debita in carcerem compingeretur.

Epist. 97, § 2. *Noverint inimici Ecclesiæ leges illas quæ de idolis confringendis et hæreticis corrigendis. vivo Stilicone, in Africam missæ sunt, ex voluntate imperatoris piissimi et fidelissimi constitutas.*] Nimirum, cum Honorius mortalium esset infirmissimus, vehementer timebant catholici ne forte ethnici ac Donatistæ æquius quodpiam rescriptum impetrarent. Historiam harum legum vide lib. VI Vitæ Augustini, quæ exstat tomo XI hujus editionis, et in notis Jac. Gothofredi ad tit. 5 lib. XVI codicis Theodosiani.

Epist. 98, § 1. *Ideo ex Adam traxit quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima* A *separatim vivens, id est altera anima,* etc.) Nempe putabat Augustinus omnium hominum animos aliquo modo in Adami animo fuisse, quia ex eo erant propagati. Vide de Libero Arbitrio lib. III cap. 20, § 56. Hæc mira est opinio, ut et ratio qua quæstiones Bonifacii solvit. Faciles esse oportuit qui in talibus responsis acquieverunt.

Ibid., § 9. *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum, sacramentum corporis Christi corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita* B *sacramentum fidei fides est.*] De sacramento Eucharistiæ, res difficilis non est intellectu; sed quis intelligat susceptorem infantis baptizandi, cum pro infante responderet *credo,* hoc velle : baptismum, vel sacramentum fidei suscipio? Quis non videt primum formulam illam antiquam baptismi esse institutam in usum adultorum, qui soli primum baptismum suscipiebant, deinde translatam etiam ad infantes? Satius fuisset novam horum causam instituere formulam; quod si factum esset, ad tam coactas et veri absimiles rationes Augustinum confugere minime necesse fuisset.

Epist. 100, § 1. *Corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri.*] Lege nempe Honorii data C VIII calend. Decembres anno 408 quæ est 44, tit. 5 de Hæreticis, lib. XVI codicis Theodosiani ad Donatum, supplicium exigendum de Donatistis præcipitur, illis enim et Judæis memoratis : *In eos igitur,* inquit, *qui aliquid quod sit catholicæ sectæ contrarium, adversumque tentaverint supplicium justæ animadversionis expromi præcipimus.* Ad quæ verba, vide Jac. Gothofredum. Si distinctione adhibita, juberet Honorius eos qui seditionem movissent justo, ex legibus Romanis, judicio plecti; parci vero iis qui quiete vixissent. et sola opinione prava tenerentur, non esset cur eum vituperaremus. Dum enim publicæ tranquillitati consuluisset, humanitatis et imbecillitatis ingenii humani, ut par erat, rationem habuisset. Nunc autem miscet ima summis, similesque de errantibus ac D de seditiosis pœna sumi vult. Augustinus quoque hic errantes cum sceleratis miscet, promiscue eos damnat, et pariter pro iis ne occidantur intercedit. Videtur esse aliqua prima fronte ea in re misericordia; sed vereor ne magis famam misericordiæ captarent Afri quam eam virtutem ex animo colerent: cum quia, ut dixi, Donatistas omnes eodem loco habebant; tum quia, etiam citra mortem, immanes erant leges Theodosii et filiorum in miseros homines, qualis est quarta tit. 6, qua sancitur, inter alia, ut *quisquis post hæc fueri rebaptizasse detectus, judici qui provinciæ præsidet offeratur, ut facultatum omnium publicatione mulctatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat;* item, ut qui e supradictis iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo

hoc facinus propria hujus societatis permissione non damnaverint, sciant *non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, nisi pravæ mentis errorem reverendo adversus rectam fidem consilio emendatio correxerit.* Quanta calamitate afficerent Donatistas ejusmodi leges exsecutioni mandatæ, quæ aliis legibus diligentissime præcipitur, omnes facile intelligunt. Igitur Africani episcopi non erant propterea admodum misericordes, quod eos occidi nollent, qui tam male habebantur, ut multi mortem vitæ præferrent. Quis nescit an non mallent videre locupletes Donatistas sibi vectigales in ecclesiis, quam eos in sepulcris jacere bonis fisco ascriptis? Nihil indignius est Christianis quam persecutio quam qui probant quidvis possunt probare.

Epist. 105, § 3, de presbytero qui catholicus factus erat: *Quare illum vestri persecuti sunt, et pene occidissent, nisi Dei manus per homines supervenientes violentias eorum compressisset,* etc.] Quin pessime fecerint Donatistæ nemo dubitet; et propter ejusmodi *violentias* pœnas luere debent, at non propter opiniones. Attamen omnia illis ignoscebantur, si modo redirent ad Ecclesiam catholicam, ut liquet ex lege 41, tit. 5 lib. XVI codicis Theodosiani.

Ibid., § 6. *Et tamen quid est melius proferre veras imperatorum jussiones pro unitate, an falsas indulgentias pro perversitate, quod vos fecistis, et mendacio vestro subito totam Africam implestis?*] Non erat mise ris exprobrandum hujusmodi mendacium, si mendacium fuisset; sed nimio affectu obcæcatus fallebatur Augustinus, nam ut observavit eruditus Benedictinus in Vita Augustini lib. VI, cap. 7, § 2, ex concilio Carthagine XVIII calendas Julias anni 410 habito, constat eo tempore lege cautum fuisse ne quis, nisi libera voluntate, Christianæ religionis cultum amplecteretur. Eum adito.

Epist. 120, § 3. *Absit ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, sive quæramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animos haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, qua cor mundetur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem hoc utique rationis est.*] Nihil verius, quamvis non intelligam quomodo hoc in concordiam redigi queat cum eo quod alibi habet de auctoritate. Vide not. ad tom. I. lib. de Quant. animæ, § 12. Nemo etiam non probet quod est § 6. *Sicut non ideo debes omnem vitare sermonem, quia est et sermo falsus: ita non debes omnem vitare rationem, quia est et falsa ratio.* Augustino nescio quid ex Academicorum, quos maxime adolescens miratus fuerat, ingenio adhæsit; quæcumque enim verisimilia animo ejus esse objiciunt arripit, consectariorum omnium eorumque quæ alibi dixit securus. Sic se Cicero, in quo legendo tantum tempus triverat, gerebat. Vide Joannis Clerici Quæstionum Hieronymianarum octavam.

Epist. 126, § 7. *Ego quippe, secundum multorum sensum, comparantium semetipsos sibimetipsis* (hoc est, ut videtur, de aliorum animo judicium ex suo animo ferentes) *non divitias dimisisse, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum ecclesiæ, quæ nunc ut dominus existimor possidere.* Nolim male de cujusquam animo mihi ignoto judicare, sed non possum non hinc observare, ex mutatione sortis laicæ in ecclesiasticam, male colligi meliores esse ecclesiasticos quam laicos; cum in illa mutatione, qua quispiam mavult fieri clericus quam uxorem ducere, laboreque suo sibi, conjugi et liberis ex ea susceptis victum quærere, non exiguum sæpe sit lucrum. Neque enim tanti est habere uxorem cum qua concumbas, quanti multo ditiorem esse, tranquillioremque et commodiorem vitam agere; ne jam loquar de dignitate ecclesiasticorum qui ad episcopatum perveniebant. Fateor posse esse et fuisse viros qui eas opes, dignitatesque non ambiverint, recteque iis usi fuerint; at profecto quod talia prætulerint vitæ privatæ et obscuræ, non potest dici ortum ex animo divitiarum et honorum spretore; nec propterea cæteris hominibus sunt præferendi, nec laudandi quod beatiores et honoratiores esse aliis voluerint.

Ibid., de Piniano: *In qualibet autem maxime Africanarum ecclesiarum, hic noster, non dico presbyter, sed episcopus sit, comparatus pristinis opibus suis etiamsi animo dominantis egeret, pauperrimus erit. Multo ergo liquidius et securius in hoc amatur Christiana paupertas, in quo nulla rerum ampliorum potest putari cupiditas.*] Verum hoc non agebatur, nam Albina non querebatur filium suum rapi a plebe Hipponensi, ut Pinianus ditior fieret; sed quia dives erat et liberalis, sperabat plebs fore, si presbyteri munere apud se fungeretur, ut erogaret opes suas pauperibus, sive sortem ipse servaret, fructusque illis divideret, sive sortem ipsam simul ac semel largiretur. Exemplum ejusmodi largitionis præbuerat Paulinus Nolanus, cujus Vitæ cap. 8. in ed. Parisina anni 1685, vide. Si plebs Hipponensis, prout suspicabatur Albina, eo animo presbyterum Pinianum habere cupivit, et seditiose postulavit, fuit hæc seditiosa mendicitas, et peiculosa quippe quæ uxori virum rapiebat, ut ejus spoliis frueretur, non amor virtutis Piniani. Nec audet hoc plane negare Augustinus quamvis simulet se non intelligere cur suspicaretur Albina; sed propemodum fatetur hisce verbis: *Et si fuerint illi multitudini permisti inopes vel mendici, qui simul clamabant, et de vestra venerabili redundantia indigentiæ suæ supplementum sperabant, nec ista, ut arbitror, cupiditas turpis est.* Turpe non est modeste mendicare, si aliter vitam sustentare nequeas; sed turpe est minas intendere, ut genus vitæ imponas homini, quo tibi facultates largiatur, nec ferenda in ecclesia talis mendicatio.

Ibid., § 8. *Restat ergo,* inquit, *ut iste pecuniæ turpissimus appetitus, ex obliquo in clericos et maxime in episcopum dirigatur. Nos enim rebus ecclesiæ dominari existimamur, nos opibus fruimur.*] Propterea *credibiliter*

otuisse hoc in Hipponensem clerum dici fatetur Augustinus ; quod tamen verum esse pernegat, juratque se nulla pecuniæ cupiditate sordidatum. Quod ei credo de ipso, sed vehementer suspicor a nonnullis ex clero inferiore utilitatem ecclesiæ spectatam esse, quæ tam divitem presbyterum accipere non poterat sine emolumento ; quod aliquo modo etiam redundabant in universum populum Hipponensem, cum cujusvis liberi et episcopi et presbyteri fieri possent. Quæ omnino nescio cur dissimulet Augustinus, cum plebs non soleret tumultuati ut pauper quispiam peregrinus presbyter fieret. Sic multa arcana olim dissimulata sunt in honorem Ecclesiæ, quæ si nota essent, non ultra apostolorum tempora exempla vitæ Christianæ omnibus numeris absoluta forte quæreremus.

Epist. 133, § 1. *Mihi sollicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum severitate plectendos, ut qualia fecerunt talia patiantur.*] Marcellinum orat ne Circumcelliones Donatistarum cædis, ut ait, et aliorum scelerum reos capite plectat, Sed cur non intercedit pro iis qui opinionis solius causa male habebantur, quos mollius haberi par erat? Nempe, famam, ut jam alibi diximus, misericordiæ ex insignium reorum salute captabat. Vide et sequentem epistolam.

Epist. 138, § 19, de Apuleio Madaurense : *Pro statua sibi apud Coenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret.*] Adnotant Benedictini undecim mss. habere *Ocenses*, quinque *Oeenses*, duos *Coenses*. At nemo dubitabit quin quinque illi sint emendatiores, qui Apuleii Apologiam legerit, ubi multis de nuptiis suis cum Pudentilla Oeensi vidua. Quamobrem miror non admissam hanc lectionem in contextum.

Epist. 141, § 5. *Communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum.*] Nihil verius : nam dum palam licet improbare facta, iis minime maculamur. Sed cur hoc non extendatur etiam ad dogmata? Attamen propter errores quos damnare licuit, nec eos magni momenti, frequentissime homines, cæteroqui minime mali sunt ecclesiastica societate ejecti.

Epist. 143, § 2. *Fateor me ex eorum numero esse conari qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt. Unde si aliquid incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis quid videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia et ego saltem videre debeo, si proficio ; nec mirandum est nec dolendum ; sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum.*] Hæc habet Augustinus, explicaturus locum quemdam librorum suorum de Libero Arbitrio, quæ sane a nemine qui non sit prorsus iniquus improbari possunt. Sed miror non attingi alia ejusdem operis loca, quæ indicavi in animadversionibus ad tertium ejus operis librum. Miror et similia sentientes tam acerbe damnatos.

Ibid., § 7. *Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati ; nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit opponit.*] Aurea hæc est regula, a qua si nemo abiret, et Scripturæ sua auctoritas legitimaque sententia, et rationi sua indubitata veritas constaret. Nunc vero, quia negligitur, modo Scripturæ fides, modo rationis lumen vacillat aut inter se quæ dissentire nequeunt turpiter commituntur. Optandum esset hujusce suæ regulæ in controversiis Pelagianis memorem fuisse Augustinum. Vide ad ep. 120.

Epist. 149, § 3. *Unus habebat* (Græcus codex) *quod et Latini nostri :* Domine, perdens de terra dispertire eos; *alius, sicut ipse posuisti*: a paucis de terra.] Locus exstat psal. xvi, 14, ex divisione LXX interpretum respondetque Augustinus Paulino sensum horum quærenti. Hinc intelligere potuisset Augustinus, quam necessarius erat labor Hieronymi, denuo convertendi Scripturas Veteris Testamenti ex Hebraicis fontibus. Cum enim haberent alii libri Græci ΑΠΟΛΛΥΩΝ *perdens*, alii ΑΠ ΟΛΙΓΩΝ quorum prius est in Vaticano, posterius in Alexandrino exemplari, et sic Latini quoque variarent ; utram lectionem eligere potuit, non inspecto archetypo codice? Si potuisset eum legere, vidisset verti vocem ממתים *mimthim*, quod est *a mortalibus ;* unde collegisset prius LXX interpretes legisse מתים *methim*, occidens, quod est participium hiphil; deinde rectam non esse eam versionem , quod hic non ostendam. Hieronymus tamen etiam habet hic *qui mortui sunt*, sed frustra, ut recentiores interpretes satis ostenderunt.

Ibid., § 4. *Quod vero sequitur:* Saturati sunt porcina, *jam quid mihi ex hoc videretur aperui. Sed quod alii codices habent et verius habere perhibentur* (saturati sunt filiis) *quia diligentiora exemplaria per accentus notam ejusdem Græci verbi ambiguitatem Græco scribendi more dissolvunt, obscurius est quidem, sed electiori sententiæ videtur aptius convenire.*] Alii nempe codices habebant ὑῶν *porcorum* aut *porcis*, alii υἱῶν, *filiorum*, aut *filiis*, quæ putavit Augustinus, pro sua linguæ Græcæ peritia, differre tantum *accentu*, cum differant littera I. Alii tamen habent ὕσιων *porcinis*. Veram quidem lectionem partim vidit, nam est Hebraice בנים banim, *filii*, sed casu ac prava conjectura, sensum enim habet plane alienum ab hoc loco. De sequentibus interpretationibus nihil addam, nam satis liquet ex recentioribus quanti sint faciendæ. Paucula tantum observanda duxi, ut liqueret eos in tenebris ambulare qui olim voluerunt Vetus Testamentum sine Hebraicæ linguæ cognitione inerpretari. Multo rectius, quod modestia postulabat, tacuissent ; sed qui excogitandi ac dicendi facultatem aliqnam nacti erant putabant se de omnibus dicere posse.

Epist. 157, § 2. *Si quæris utrum in hac vita quis-*

quam ita justitiæ perfectione proficiat, ut hic sine ullo vicat omnino peccato; attende quid dixerit Joannes apostolus, quem Dominus inter discipulos præcipue diligebat: Si dixerimus, *inquit*, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, *etc.*] Hæc respondet Augustinus quæstioni 1 Hilarii in antecedente epistola, ubi dicit quosdam Christianos varia Syracusis docere, et primum quidem *posse esse hominem sine peccato*. Cujus dogmatis hic est sensus, hominem vivere sine peccato non oportere inter impossibilia censeri, quod non potest negari; cum res sua natura non sit impossibilis, et, si ab hominibus minime præstetur, possit saltem gratia divina præstari. Præterea videndum quid intelligatur voce *peccatum*, nam forte Pelagius ejusque discipuli intelligebant non leviora delicta humanæ infirmitatis, quæ a Deo nequaquam imputantur, sed ea quæ non consistunt cum omnium virtutum Christianarum habitibus; sine quibus peccatis apostoli aliique sancti viri aliquandiu saltem vixisse videntur. Vide quæ habet Joan. Garnerius ex lib. Pelagii de Natura, in appendice ad dissert. 6, et ibidem fragmenta Cœlestii. Hæc cum pensitare debuisset Augustinus, invidiose illico interpretatur enuntiationem Pelagianam; quasi simpliciter dixisset, esse homines qui non peccarent; cum de *possibilitate* tantum, ut scholastici loquuntur, agat. Aliud plane est dicere *posse fieri* quidpiam, aliud *fieri revera*. Forte ne de omni quidem peccatorum genere loquebantur Pelagiani.

Ibid., § 4. *Sed isti*, inquit, *utcunque tolerandi sunt, quando dicunt vel esse vel fuisse hic aliquem, præter unum sanctum sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum*. Atqui hoc non dicebant, ut vidimus ad superiorem quæstionem. *Illud vero*, pergit Hipponensis episcopus, *quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia et Spiritus sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est et omnibus execrationibus detestandum*. Hæc habet de hoc dogmate, hominem *mandata Dei facile custodire, si velit;* quo significatur homo qui ad saniorem mentem redire velit, posse emendare mores suos, et contrarios virtutum habitus contrahere, quo facto facilis erit mandatorum Dei observatio; at non unico quidem momento, quasi sceleri diu assuetus, illico ad summum virtutis gradum transgredi posset, sed sensim. Quod additur *sine gratia Dei*, nulla distinctione adhibita, id pernegabat Pelagius, qui multiplicem gratiam Dei agnoscebat, ut ostendit Dionys. Petavius Dogm. Theol., tom. III, lib. de Hæresi Pelag., cap. 2. At nolebat admittere eam gratiam internam qua, veluti afflatu quodam ineluctabili, seu cui resistere non licebat, pauci quidam electi ad fidem adducebantur. Quod ex scriptura, non ambiguis locis, probandum fuit Augustino, antequam incenderetur tanto zelo, qui sine amarore non fuit. Nam quod probat indigere homines non tantum præceptis Dei, ut recte vivant, sed et adjutorio in legibus nequaquam sito, hoc minime negabat Pelagius, ut multis ostendit Petavius loco memorato.

Ibid., § 11. *Quod autem dicunt infantem morte præventum non baptizatum perire non posse, quoniam sine peccato nascitur, non hoc dicit Apostolus.... dicit enim ille doctor gentium*: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.] Sed hunc locum Pauli pertinere ad adultos tantum qui peccatum Adami imitantur, ostenderunt dudum viri doctissimi, nec Augustinus unquam probavit infantibus baptismum præscribi a Christo aut apostolis, ne pereant. Alia non dicam quæ hac de re dicta sunt a viris eruditissimis; neque enim scribo scholas theologicas, sed breves animadversiones. Hoc unum dicam eo confidentius hic loqui Augustinum, quominus probare poterat quæ hic habet. Locus Pauli Rom. v obscurior est quam ut a tam proletario interprete explicari possit; quod vel ex sequente animadversione liquebit.

Epistola 164. *Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest, vel prophetiæ quæ dixit* : quoniam non derelinques animam meam in inferno; *quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Actibus apostolorum idem Petrus exponit* ; *vel ejusdem Petri illis verbis quibus eum asserit*, solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. *Quis ergo, nisi infidelis, negaverit fuisse apud inferos Christum?*] Vel hinc intelligere licet quam periculosum sit Scripturam velle interpretari, si necessariis subsidiis destitutus sis; primum enim in ea invenitur quod non est, deinde acerbe damnantur qui eam melius intelligunt. Postquam enim temere quispiam credidit id perspicue esse in Scriptura quod non est, facile damnat eos qui non esse putant. Sic Augustinus se gessit hoc in loco. Cum enim in sermone Christianorum illius ævi Latine loquentium *infernum et inferi* significaret locum in quo damnatorum hominum animi pœnas dant; quia invenit psalmo xv, 10, *Non derelinques animam meam in inferno*, qui locus Christo a Petro aptatur, continuo existimavit (nec solus, ne quid dissimulem, sed una cum innumeris aliis) Christi animum in locum suppliciorum descendisse, dum corpus ejus in sepulcro jaceret. Deinde quasi impios, qui aliter sentirent, traduxit. Verum ante omnia statuendum Petrum non quæsivisse in loco psalmi id quod minime est; ideoque ex loco psaltæ intelligendus Petrus, æque ac psaltes ex sermone Petri; nec ullus est inter eos dissensus, quamvis cum Augustino nullo modo sentiant. Nec dubium est quin Petrus recitaverit locum Hebraice aut Chaldaice, qua lingua utebatur. Sic autem habent verba psaltæ in Hebraico codice: *Non relinques animam meam sepulcro* (לִשְׁאוֹל *lischol), nec patieris sanctum tuum videre corruptionem.* Voces quidem *anima mea* perinde sunt ac *ego*, idemque sonant ac in altero membro *sanctus tuus*. Ita solent, ut omnes norunt, loqui Hebræi. Vox vero שְׁאוֹל, perpetuo linguæ Hebraicæ usu, significat aut

sepulcrum, aut locum aliquem sub terræ superficie, aut certe statum ac conditionem mortuorum, quæcunque sit, nunquam locum peculiarem malorum supplicis attributum ; ut examine locorum in quibus occurrit liquebit. Græci vero interpretes qui Septuaginta dicuntur, et gentilibus non una in re sese attemperarunt, verterunt semper ᾅδης, aut θάνατον, nunquam τάφον *sepulcrum*, quæ tamen propria erat vocis significatio. Itaque hic etiam verterunt: Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδέ δώσεις τὸν ὁσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Quæ versio incommoda est, nam liquet hoc velle psalten, sensu translatitio, Deum non passurum ut occideretur, nam *relinquere sepulcro*, aut *pati videre corruptionem*, est sinere vulneratum quempiam, aut male affectum mori. Hæc tamen verba, sensu proprio, melius in Christum quadrant, quem Deus passus non est in sepulcro diu jacere, neque in eo corrumpi. Quamobrem Petrus Actor. II, 27, eum locum de resurrectione Christi e sepulcro agere ostendit. Sic loquitur Apostolus vers. 24 : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* (τοῦ ᾅδου), *juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Quæ locutio desumpta est ex psalm. XVIII, 5, ubi sic David : *Dolores inferni* (חבלי שאל quod potest verti *dolores* et *funes sepulcri*) *circumdederunt me, præoccupaverunt me.* Cum Petrus Jerosolymæ Chaldaice loqueretur, quam linguam Judæi omnes, præter Hellenistas, intelligebant, eadem hæc verba protulit ; ac proinde intellexit *vincula mortis*, quæ sunt sine dubio intelligenda. Nam quamvis חבלים significet etiam *dolores*, attamen verba *solvere* et *teneri* ostendunt de vinculis agi; isque est etiam psaltæ sensus, ut sequens membrum ostendit. Sed Lucas versioni Græcæ assuetus, et scribens in gratiam Græcorum, adhibuit locutionem LXX interpretum. Voluit ergo Petrus Deum solvisse vincula mortis, quibus teneri Christum par non erat. Scio *Augustinum* dicere in sequentibus : *facile esse intellectu sic dolores inferni solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Sed primo falsissimum est usquam שאל significare *infernum*, hoc est locum suppliciorum, et ipsa psaltæ verba ostendunt *vincula mortis* esse intelligenda; deinde ubi Deus dicitur *solvisse dolores inferni*, ne Christi anima eos sentiret? Nusquam. Petrus loquitur hic non de ulla ejusmodi actione Dei, impedientis ne Christus supplicia damnatorum pateretur, sed de sola resurrectione Christi ; *quem*, inqnit, *Deus suscitavit*, ἀνέστησε *solutis*, etc., atque ita pergit : *David enim dicit in eum* (psal. XVI, 8, ex divisione Hebraïca) : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris mihi est, ne commovear..... Quonium non derelinques animam meam*, etc. Tum, vers. 31 : *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus*, etc. Hinc manifesto liquet Augustinum non tantum ignorantia linguæ Hebraicæ dogma ex Scriptura hausisse quod in ea nequaquam est, sed etiam seriem orationis Petri parum attendisse, ex qua intelligere potuisset locutionis ejus sensum. Non nego alios vulgo scriptores Ecclesiasticos hoc in negotio similiter aberrasse, de quo symboli apostolici interpretes sunt consulendi, inter quos eminet Joan. Pearsonius; sed non minus est falsum hoc interpretamentum quod tam asseveranter profert Hipponensis episcopus, qui hæc habet ad explicandum obscurum locum I Pet. III, 18. Qui ad eum confugiebant quasi ad oraculum, ubi agebatur interpretatio Scripturæ, ii profecto nesciebant quid sit Scripturam interpretari.

Ibid. § 7. *Ne ipsos quidem inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos potui invenire.*] At Hugo Grotius, vir haud paulo doctior, meliorque interpres Scripturæ, nullum locum invenire potuit ubi in malam partem sumatur, nec nos etiam. Vide Grotium ad Matth. XVI, 18, et Luc. XVI, 23.

Epistola 166, § 5. *Certus etiam sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate, vel sua sed propria voluntate in peccatum esse collapsam*, etc.] Quomodo hæc possint cum peccato originali, ut nunc a theologis explicatur, consistere nescio, nam animi eo infecti non possunt dici *propria voluntate* eo esse inquinati, *nec ulla necessitate* in id peccatum esse prolapsi. Si dixeris hic de actuali peccato agi, ostendendum erit cur iniquum sit, ad hoc peccatum quod attinet, peccatum id haberi quod non propria voluntate, sed necessitate imposita admittitur ; ad peccatum vero originis quod spectat, non item. Sed Augustinus, *ut propria voluntate*, nec ulla *necessitate* peccasse homines intelligerentur, eo propendebat ut crederet animas omnes fuisse in anima Adami, atque ex ea propagatas, ut jam alibi observavimus, quod satis aperte § 10 ostendit : *Dic mihi*, inquit, *si animæ singillatim singulis hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro propagata est peccati; aut si non peccant, qua justitia Creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur, ut eas, nisi per Ecclesiam subventum fuerit, damnatio consequatur; cum in earum potestate non sit, ut eis possit gratia baptismi subveniri*, etc. Sed qui animæ omnium hominum fuerint in Adami anima, ut cum ea peccarint, non facilius intelligitur, absurdissimumque est commentum. Itaque satius multo fuisset diligenter expendere loca Scripturæ, ex quibus ejusmodi opiniones fluxisse censebantur, et finem ac naturam baptismi ; quod si penitius factum fuisset, intellexissent boni viri se, postquam in Scriptura quæsivissent quod in ea non est, inexplicabilibus difficultatum mæandris intricatos fuisse; nec articulos fidei esse tam facile ex locis obscuris eliciendos, atque imponendos Christianis terrore anathematum et omnis generis pœnarum : quemadmodum factum est eo tempore ab Ecclesiis Africanis.

Ibid., § 10. *Quoniam igitur neque de Deo possumus dicere quod vel cogat animas fiere peccatrices, vel puniat innocentes ; neque negare fas nobis est eas quæ sine*

Christi sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, nonnisi in damnationem trahi; obsecro te, quomodo hæc opinio defenditur qua creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes, sed sicut illa una uni, ita singulis singulæ?] Certissimum est a Deo neque animas cogi ut sint peccatrices, neque plecti innocentes; Deus enim est, sine dubio, et sanctitatis amans et justus; at Augustinum oportuisset proferre locum aliquem Scripturæ ex quo liquido constet infantibus necessario impositum esse baptismum ita ut sine eo damnentur, qualis locus nullus est. Ut enim concedam adultis credentibus baptismum necessario imponi, quasi Christianitatis publicam professionem ac tesseram; non ideo sequitur etiam imponi infantibus. Nam ut, quamvis fides promiscue ab omnibus exigatur, ita ea loca intelliguntur, ut explicentur de iis qui sunt fidei capaces, non de infantibus, qui credere non possunt ante rationis usum: sic quamvis essent generalia præcepta de suscipiendo ab omnibus baptismo, essent semper cum exceptione intelligenda de iis in quorum potestate est baptizari; non de iis in quorum potestate non est. At Augustinus morem Ecclesiæ profert § 21, *ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Verum cur id crederent Christiani nullam in apostolorum scriptis certam rationem invenire possumus; nec ex consuetudine, aut opinione, quæ imperitis æque ac peritis ortum suum debere potuit, licet dogma Christianæ fidei colligere; præsertim cum difficultatibus quæ solvi nequeunt laboret. Quamvis non male baptizentur infantes, attamen id ab apostolis factum, et quidem ne baptismo destituti damnarentur, nullo vel minimo indicio constat.

Ibid., § 21. *Quisquis nobis dixerit quemquam in resurrectione mortuorum vivificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est.*] Sed quid sibi vult *in Christo*? Si *propter* aut *per Christum* intelligas, verum est; sed quis hoc negavit? Pergit: *Item quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam*, etc. Ubi apostoli de infantibus hoc prædicarunt? Nusquam. De Ecclesiæ consuetudine jam diximus. Itaque tam facile *pestes communis fidei* non sunt habendi qui contra sentiunt. Atrox hoc est convicium in eos qui Scripturis convinci nequeunt.

Epistola 173, § 2. *Sed neque hoc putas tibi fieri debuisse, quia neminem existimas cogendum esse ad bonum.*] Recte; nam bonum esse non potest quod fit a coacto; Deus enim non accipit dicta aut facta quibus animus non adest. Quis eleemosynam dat invitus, Deo magis non placet quam qui eam præfracte negat. Attamen contra censet Augustinus, qui sic contra Donatistam ratiocinatur: *Attende quid Apostolus dixerit:* Qui episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit, *et tamen tam multi, ut episcopatum suscipiant tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec iis adsit voluntas susciptendi operis boni.* Sed qui ita coguntur (ut ponamus esse qui vere coguntur dignitates et opes ecclesiasticas accipere, cum antea nollent) putant etiam ipsi episcopatum esse *opus bonum*; nec eum refugiunt, quasi malum quidpiam, sed tantum quod ei oneri recte ferendo impares se judicent. At Donatistæ malum per se esse, ac Deo displicere, quamvis ea in re errarent, putabant id quod facere cogebantur; nec vexationibus aliter ut sentirent adduci poterant. Itaque nihil ad rem hoc exemplum facit, nec adhibetur ab Augustino, nisi more eorum rhetorum quibus satis est vel levissima verisimilitudinis umbra ut sibi recte ratiocinari videantur; cujusmodi hominibus nimis scatuerunt per multa sæcula Christianæ Ecclesiæ, sed præsertim illo ævo. Optandum esset eos qui publice causam Ecclesiarum suscipiunt, paulo studiosius dialecticæ et rhetoricæ severiori operam dare, ne tot sophismata ac inanes phaleras plebeculæ venditarent.

HENRICI DE NORIS AMIMADVERSIONES.

IN EPIST. CLXXV.

Cl. ac doctissimo viro Antonio Magliabeco Florentino F. Henricus de Noris, Veronensis Augustinianus.

Cum Pisas pergere destinassem, et jam schedas ac litterarium instrumentum collegissem; institutum repente iter, vir clarissime, remoraris, simulque longissimam peregrinationem injungis, jubens ut in Africam ocissime transmittam, ibique plurimarum urbium, quas tempus edax, ac barbarorum olim fuor evertit, ruderibus eruendis insudem. Scribis enim te nuper Lugduno Marii Mercatoris libellos amplissimis notis a Joanne Garnerio illustratos accepisse, ac gratulari te felici Mercatoris sorti, qui cum per duodecim sæcula latuisset, hoc anno orbi litterario primum innotuit, ejusdem libellis Parisiis, Bruxellis, et partim etiam Patavii una simul in lucem emissis. Videsne seram posteritatem doctissimorum virorum curam gerere, quos nec longa ætas unquam obruit, sed e bibliothecarum angulis in manus atque ora hominum posliminio licet erumpunt? Addis legisse te in ejusdem Garnerii opere notas, quas *dissertatione 2 de Synodis in causa Pelagianorum habitis vivente S. Augustino* in utramque epigraphen litterarum synodi Carthaginensis et Milevitanæ anno 416 contra Pelagianos celebratarum, exaravit. Ubi quæ me assequi nullatenus posse dudum tibi per litteras significaveram, non modo idem scriptor tentavit, sed etiam, ut sibi persuasit, plane confecit. Etenim cum synodicæ litteræ ad S. Innocentium pontificem in epigraphe nomina tantum episcoporum, non vero etiam eorumdem sedes præferant, ut ex epistolis 90 et 92 inter Augustinianas patet, Garnerium inquis animum non despondisse, sed ex collatione Carthaginensi ante quinquennium nempe anno 411 coacta, omnium fere illorum præsulum urbes, quarum sacris id temporis præerant, designasse. Fateor, vir doctissime, in eam me pa-

riter cogitationem, ut probe noris, olim abiisse, atque eidem operi acriter stylum intendisse, cum Pelagianam historiam concinnarem. Verum licet plurimorum episcoporum sedes ex laudata collatione deducerem, cum longe plurium urbes ignotæ mihi prorsus evaderent, manum e tabula amovi, dum divinare potius quam quidpiam me veri scribere intelligerem. Quod vero meum quoque ea de re judicium postulas, quamvis gravioribus curis distentus sim, ut nec inde machinis a quoquam evelli possim, animadversiones in Garnerii notas calamo ad alia properante scriptitavi: neque enim jubenti, tibi, cui plurimum debeo, refragari possum. Erat id novum meæ erga te observantiæ argumentum, quippe qui volens ea exsequor quæ alio imperante, non dicam invitus, sed nulla plane ratione præstarem. Et ut magni voluminis in manus subinde recipiendi molestiæ eximaris, ipsa Garnerii verba præmitto, quibus notationes censorias suppositas leges. Cæterum operæ pretium duxi epigraphen Epistolæ synodicæ Patrum proconsularium ex titulo epist. 90 apud Augustinum exscriptam inserere.

Domino beatissimo et honorandissimo fratri sancto Innocentio Papæ, Aurelius, Mundius, Rusticanus, Fidentius, Eugarius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Panthonius, Victor, Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, alius Restitutus, Ampelius, Animus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Posthumianus, Trispulus, Victor, alius Victor, Leucius, Marianus, Fructuosus. Faustinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Magarius, Rusticus, Rufianus, Proculianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Penthadius, Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Juvenius, Majorinus, Inventius, Candidus, Cyprianus, Æmilianus, Romanus, Africanus, et Marcellius, qui in concilio Ecclesiæ Carthaginensis adfuimus.

Garnerius antequam laudatorum Patrum provinciæ Proconsularis sedes designet, hæc præfatur: *Visum est porro, nonnullum futurum operæ pretium, nonnullamque posse ab eruditis lectoribus iniri gratiam, si episcoporum qui synodo interfuerunt, ita recenserentur nomina, ut quod hactenus tentavit nemo, suæ singulis, quantum licet, assignarentur Ecclesiæ. Collectæ sunt illæ vero, sed non sine cura et labore ex diversis veterum libris inter se collatis, et potissimum tribus, Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, parte prima collationis Carthaginensis, et Notitia provinciarum Africæ edita a Patre Sirmondo.* Verum quantum gratiæ apud eruditos sibi conciliarit ex iis quæ subjiciam patebit. Profecto *curam et laborem* inanem impendit, eamque sibi tantum laudem comparavit, quod magnis excidit ausis; longe majori præconio donandus, si opus *quod hactenus tentavit nemo*, majori diligentia aggressus fuisset, vel saltem cum cæteris intactum reliquisset. Sed ad rem veniamus, neque enim epistolæ brevitas patitur ut per inania exspatier.

Aurelius Carthaginensis. *Successit Genethlio, seu Genedio, ut constat ex Augustini epistola* 163, *scripta an.* 412; *in qua tamen Genethlius dicitur* beatæ memoriæ, *cum tamen Aurelius sederet adhuc, imo tredecim post annis synodo Africanæ præsederit, an.* 425. *Baronius igitur audiri non potest Genethlium Aurelio substituens.* Rectius fecisset si nec audivisset Baronium dicentem memoratam epistolam 163 scriptam fuisse ab Augustino anno 412, cum Cirtam ad synodum pergeret. Certum est laudatam epistolam non esse scriptam post annum 397, nam ibidem Ambrosius Mediolanensis adhuc superstes memoratur. Etenim cum Augustinus hæc initio præmisisset, *Fortunium, quem Tubursicum habetis episcopum, per eamdem civitatem, quanquam festinantissime, cum ad Cirtensem Ecclesiam pergeremus, experti sumus,* hæc ait: *Quæsivi ub eo utrum justum et Christianum putaret episcopum Mediolanensis Ecclesiæ Ambrosium. Cogebatur utique negare, quod ille vir Christianus esset et justus: quia si fateretur, statim objiceremus, quod eum rebaptizandum esse censeret.* Itaque si Augustinus obtrudit Ambrosium Fortunio episcopo Donatistæ rebaptizandum, nondum eo anno obierat Ambrosius, vel illius saltem obitus nondum Augustino innotuerat. Quod autem epistola 163 data sit anno 397, ex iis quæ versus finem scribit aperte colligitur: *Sed quia,* inquit, *ordinandi cavsa episcopi necessitas nos inde,* nempe Tubursico, *jam jamque rapiebat,* etc. Itaque Cirtam properabat ad inaugurandum ibidem Fortunatum episcopum, quem eo anno in demortui Profuturi locum electum fuisse pluribus ostendi lib. II hist. Pelag., cap. 8: quæ cum ibidem possis legere, eadem huc transferre non vacat. His accedit, testari Augustinum se disputasse cum Fortunio Tubursicensi Donatista. At anno 411 inter Donatistas in Collatione cap. 201 nominatus *Januarius episcopus de Tubursico Numidiarum,* qui Fortunio dudum defuncto successerat.

Numidius Maxulitanus. *Hunc oportuit diu Maxulitanam Ecclesiam rexisse, quippe cum jam inde ab anno* 403 *secundo loco sederit, nec tamen anno* 419 *diem obiisset. Civitas porro Maxula, quæ nunc Massa dicitur, non multum distat ab antiqua Carthagine versus ortum.* Laudo Garnerii correctionem, qui pro *Mundius* legit *Numidius.* Cæterum nescio unde sciverit Numidium ab anno 403 secundo loco sedisse. Exstat synodus habita eo anno, Theodosio et Rurimundo coss., Carthagine, in cujus calce solus Aurelius primas legitur nominatim subscriptus, et additur: *Similiter et cæteri episcopi subscripserunt.* In qua quidem synodo nusquam Numidii nomen sonat, qui forte potuit abesse. Longe melius Numidii episcopatus antiquitas probari poterat a Garnerio, si appellasset synodum anno 390 a Genethlio indictam, in qua legitur: *Numidius Maxulitanus dixit,* etc.; et Aquileiensem an. 381, cui adfuit *Numidius legatus Afrorum.*

Rusticianus Tabracensis. *Fuit autem Tabraca*

nobilis olim colonia, Hipponem inter et Uticam. Nolo objicere Carolum a S. Paulo, et Holstenium ascribere Tabracam Numidiæ; etenim cum in confiniis sit inter Numidiam et Proconsularem, potuit eamdem urbem suo jure proconsularibus Ecclesiis accensere. Illud tolerari nequit, quod inferius, ut videbis alterum Rusticianum hoc ipso anno 416 et in hac ipsa synodo Tabracensem episcopum dicit. Vel ergo hic Rusticianus, vel alter perperam ponitur Tabracæ antistes.

FIDENTIUS CÆFALENSIS. *Incertum quæ fuerit civitas cujus Ecclesiam rexit.* In collatione primæ dici cap. 133 laudatur *Fidentius episcopus plebis Cæfalensis.* Hanc vero Ecclesiam spectasse ad provinciam Proconsularem probandum erat ex synodica ejusdem provinciæ Patrum, inserta actioni secundæ concilii Lateranensis anno 649, a S. Martino papa celebrati, ubi subscriptus legitur *Crescens gratia Dei episcopus S.E. Cæfalensis.* Fuit ergo Cæfala civitas provinciæ Proconsularis.

EVANGELIUS ASSURITANUS. *In excusis codicibus legitur Evagrius; sed mendum inesse ex eo constat, tum quod Evagrii nomen vulgare non fuit Afris, fuerit autem Evangeli; tum quod Evangeli Assuritani fit mentio in collatione.* Utrumque Garnerio probandum venit: Evagrii nomen nec unius hominis fuisse, Evangeli vero solitum apud Afros et familiare. In elencho quadringentorum episcoporum in Notitia Africæ nec unus Evangelus nominatur; in ducentis octoginta sex episcopis in collatione Carthaginensi unus Evangelus Assuritanus appellatur, uti unus itidem Evagrius in epigraphe synodicæ. Unde igitur habet Evagrii nomen vulgare non fuisse Afris, fuisse vero Evangeli? Cum nullus Evagrius in collatione nominatus fuerit, ac vellet omnino episcopi quinto loco subscripti sedem assignare, ex Evagrio Evangelum fecit. Cæterum error correctoris manifeste apparet ex synodo Carthaginensi an. 401, in qua can. 77 Cod. Afric. hoc ordine legati ad urbem Hipponensem Diarrhytorum nominantur: *Reginus, Alipius, Augustinus, Maternus, Theasius, Evodius, Placianus, Urbanus, Valerius, Ambivius, Fortunatus, Quodvultdeus, Honoratus, Januarius Aptus, Honoratus Ampelius, Victorianus,* EVANGELUS, *et Rogatianus.* Quare cum in hac epigraphe Theasius et Ampelius post Evagrium nominentur, loco Evagrii Evangelus neutiquam poni potest, qui utroque laudato Episcopo posterior fuit.

ANTONIUS CARPITANUS. *Sermo fit de ipso in collatione an. 411; subscripsit epistolæ quam de appellationibus et causa Apiarii Africana synodus ad S. Cœlestinum scripsit.* Nisi Antonius anno 425 redux in vitam iterum Carpitanam sedem receperit, hæc procul a vero exorbitant, nam in synodo Carthaginensi, in causa de appellationibus, subscriptus nominatur *Penthadius episcopus Carpitanæ Ecclesiæ,* vel, ut in aliis codicibus, *Penthadius Carpitanus.* Cum vero in titulo epistolæ ad Cœlestinum inter primos nominetur Antonius, cur non iste idem fuerit qui anno 416 synodicæ præfixus legitur? Qui tamen Carpitanus esse non potuit, cum anno 419 Penthadius Carpis sederet. Alter familiaris huic scriptori error corrigendus est, quod postea in hac synodo an. 416 Penthadium Carpitanum episcopum pronuntiat. Itaque vel Antonius hic et Penthadius in eadem sede una coepiscopi apud Carpos ponuntur, vel in alterutrius sede designanda falsus Garnerius fuit.

PALATINUS. BOSSETENSIS. *Palatini mentio fit in epistola synodi Africanæ ad S.Cœlestinum, Bossetensis sedis in collatione.* In epigraphe epistolæ ad S. Cœlestinum legitur: *Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus,* etc, In hac vero epigraphe Antonius præcedit Palatinum. Quare optime notat Labbeus legendum esse *Valentinum,* qui tempore Cœlestini erat primas Numidiæ. Illius sedes cap, 202 dicitur *Vosetensis,* et cap. 125 *Bosetensis.* Ex quibus patet pertinere illam Ecclesiam ad Proconsularem, quam tamen incertæ provinciæ dixerunt Carolus a S. Paulo et Holstenius, qui etiam lapsus est pag. 106 dum Vosetensem dixit Visicensem; etenim anno 411 apud Ecclesiam Bosetensem sedebant Palatinus catholicus et Felix Donatista, cap. 125 collationis; apud Visicensem vero urbem Felix catholicus, qui cap. eodem 125 dixit: *Episcopum contra me non habeo.*

ADEODATUS BENCENNENSIS. *In notitia episcoporum ex provincia Proconsulari ejectorum, Gulosi Beneventensis (lege Bencennensis) in Corsicam relegati mentionem fieri.* Postquam episcopi nomen mutavit, urbis quoque nomen antiquat, imo duas in unam civitatem conflat, Beneventum in Bencennam transcribens. Verum Beneventanam urbem fuisse in Africa præter Notitiam episcoporum, in qua legitur *Gulosus Beneventensis,* colligo ex synodo prima Arelatensi habita anno 314, cui ex Africa cum Cæciliano Carthaginensi interfuit *Anastasius de civitate Beneventina.* Præterea cum eidem collationi ex cap. 135 adfuerit *Adeodatus Simidiccensis* ex provincia Proconsulari, cur Adeodatus sexto loco in epigraphe nominatus, Bencennensis potius quam Simidiccensis appellandus sit, pro arbitrio tantum asseritur: præsertim cum Bencennensis Ecclesia iis accenseatur quæ incertæ prorsus provinciæ deputantur,

VINCENTIUS CULUSITANUS *Hunc oportet fuisse strenuum in rebus agendis, et acrem in fide defendenda,* etc. *Scio in Itinerario Antonini, ubi describitur via littoraria ab ostiis Ampsagæ Hipponem usque Regium, recenseri Paratianas, Culusitanas, Tacutam, Sullucu, et Hipponem; nec aliud intelligi posse Culusitanarum nomine quam utrumque Colopem, vel saltem minorem.* Postea. *An emendanda lectio codicum, et pro Culusitano, seu Colositano episcopo restituendus Curobitanus ab urbe Curobi prope Neapolim in provincia Proconsulari sita?* Hic ex unius litteræ variatione ingentes excitat controversias, quæ nullæ sunt. Neque enim Antonius scribit *Culusitanas* interjacere inter Hipponem et Ampsagæ ostia; hac enim ratione urbs Culusitana pleno jure ad Numidiam spectaret, cum Mauritaniæ Sitifensi vicinior esset quam provinciæ Carthagi-

nensi. Scribit Antoninus *Culucitanas*, et consentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ inter Pusicadem et Cirtam ponunt *Parantianis* et *Culucitani*. At Garnerius legit *Culusitanas* ex quo errore Culusitam ex Antonini sententia contendit locandam esse in Numidia. Ita Tacarata est Numidiæ urbs, et in Notitia laudatur inter Numidas *Crescentius Tacaratensis*: Tagarata vero est in Proconsulari, in qua ibidem nominatur *Honoratus Tagaratensis*. Itaque licet Culucitani inter Numidas statuantur, Culusitani Proconsularibus deputantur, et Vincentius in collatione cap. 133 dicitur *Culusitensis*, et in subscriptionibus synodi an. 419, *Culsitanus* et *Culusitanus*. In notitia legitur *Æmilianus Culsitanus* inter proconsulares; in synodo Bonifacii Carthagiensis anno 525, *Marcianus Culusitanus*; in Carthaginensi sub Grato can. 6, *Nicasius Culusitanus*. Nusquam legitur Culucitanus. Sed neque varianda est lectio, ut pro Culusitano Curobitanus episcopus reponatur; nam Culusita et Curobis fuere distinctæ civitates proconsularium: etenim in synodo Carthaginensi sub Hilderico rege anno 525, subscripti leguntur et *Peregrinus episcopus plebis Curobitanæ* et *Marcianus episcopus plebis Culusitanæ*. Vides Curobim a Culosita seu Culusita distinctam? Sed ex ipsa collatione hoc ipsum demonstratur, in qua cap. 138 Vincentius Culusitanus de sua diœcesi dixit: *Catholica est*. At cap. 198 inter Donatistas recitatur *Victor episcopus Curubitensis*. Res est clarissima, de qua unus Garnerius potuit dubitare.

Publianus Bazaradidacenus. *Ita quidem legitur in collatione: Sed quia nullibi, quod sciam, hujuscemodi civitatis mentio fit suspicari posset aliquis inesse mendum, reponendumque Mazaranacenum: est enim Mazarana civitas in provincia Proconsulari inter Bagradam fluvium, et fontem Catadæ, quo alluitur Carthago.* Profecto urbem Bazaradidacenam ex cap. 125 collationis habemus. Nusquam tamen novæ urbis *Mazaranæ* nomen nisi in Nova Garnerii Geographia reperitur. In synodo S. Cypriani apud Aug. lib. VII de Baptismo, cap. 10, nominatur *Felix a Marazana*, et in tabulis Caroli a S. Paulo Marazana describitur; synodum *Marazanensem* laudat Ferrandus Diaconus Carthaginensis can. 76. Garnerii allucinatio apparet, qui Marazanam sitam fuisse putat in provincia Proconsulari, nam pertinebat ad Byzacium. Hinc in Notitia Africæ inter Byzacenos asseritur *Vindicianus Marazaniensis*. Hoc ipsum ex Antonino evincitur, qui scribit ab *Aquis Regiis Marazaniam* M. P. XV. *Sufibus* M. P. XXVIII. Quare inter Sufetanos et Aquas Regias interjacet Marazana. Priores vero urbes pertinere ad Byzacenos constat ex Notitia laudata, in qua inter eos nominantur *Liberatus Aquarum Regiarum, et Eustrasius Sufetanus*. Sed omne dubium dispellit collatio Carthaginensis, in qua cap. 127 ponitur *Publianus episcopus plebis Bazaradidacenæ*, et cap. 133 appellatur *Eunomius episcopus plebis Marazanensis*. Igitur stulti solum suspicari possunt unam eamdemque esse urbem, cum ibidem distincti episcopi utriusque oppidi diserte asserantur. Ex Ortelii Tabularum mendo, ubi pro Marazana legitur Mazaiana, errorem sorbuit, tot ignoratis pro Mazarana certissimis testimoniis.

Theasius Membresitanus. *Quod Membresa porro fuerit episcopalis dubium esse non potest; nam Lucii Membresitani mentio est in concilio Carthaginensi de rebaptizandis hæreticis: Salvii Membresitani apud Augustinum*, etc. Eumdem lapidem offendit, duas iterum urbes in unam confundens. Tempore collationis Carthaginensis, Membresa seu Membressa, ut Augustinus et Antonius scribunt, erat civitas distincta a Memblosita. Hoc ad oculum patet ex memorata collatione, in qua cap. 133 recensetur *Gennadius episcopus plebis Membressitensis*, itemque ibidem ponitur *Theasius episcopus plebis Memblositensis*. In synodo Cypriani apud Augustinum lib. VII de Baptis., cap. 26, nominatur *Lucius a Membresa*, quam eamdem cum Memblosita Garnerius existimavit. Qui etiam ibidem probat Membressam spectasse ad proconsulares, quia ex Antonino *constat civitatem hanc inter Mustitanam et Sicilibbam fuisse*. At Mustitana pertinebat ad Numidiam ex Notitia Africæ, in qua inter Numidas nominatur *Antonianus Mustitanus*; si vero Membressa inter duas urbes proconsulares fuisset, forte intentum probasset. Hæc de Mustitana urbe juxta vulgarem sententiam loquor. Debuit ergo hæc demonstrare ex synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, in qua inter proconsulares laudatur *Victor Membressitanus*, et ex synodo Bonifacii Carthaginensis an. 525, quam subscribit *Paschasius Membressitanus*.

Tutus Melditanus. *Scribitur in collatione Melzitanus, sed vitiose opinor: neque enim ab ullo fit mentio Melzitæ civitatis in provincia Proconsulari: Fit autem ab omnibus Melditæ ad Hipponitidem paludem positæ, cujus situs a Ptolemæo describitur.* Ita Garnerio Plinius, ac trecenti et decem episcopi Donatistæ nulli sunt. Plinius lib. V, cap. 4, laudat in Africa oppidum *Melzitanum*. Synodus Bagaiensis Donatistarum inter duodecim ordinatores Maximiani Carthaginensis damnat *Valerium Melzitanum*. Apud Aug. lib. III contra Cresconium, cap. 19 et 53. Recte ergo in collatione cap. 121 legitur: *Tutus episcopus plebis Melzitanæ*. Non tamen reprehendendus est Ptolemæus, ubi hoc ipsum oppidum Melditam vocat; familiare enim fuit antiquis pro Z usurpare D, ut pluribus ostendi lib. II Hist. Pelag. cap. 3. Ita in eadem provincia Hipponem Zarruthum laudat Antoninus, et Zaritonensem episcopum nominat collatio cap. 139, cum alii eamdem urbem Hipponem Diarrythum vocent.

Panthonius Puppitanus. *In collatione parte prima legitur Pannonius Puppitanus, sed gemino vitio, cum Pannonii nomen insolens sit apud Afros, Panthonii familiare, et civitas cujus sedem tenuit dicatur Pupput in Itinerario Antonini.* Imo *gemino vitio* laborat hæc censura. Cum textus epigpaphes synodalis ex collatione corrigendus esset, ut ubique erraret, maluit textum collationis erroris arguere. In ms. serenissimi magni ducis postea laudando, in epigraphe non *Panthonius*, sed *Pannonius* recte legitur. Verum quis illi dixit Pannonii nomen insolens esse apud Afros, Pan-

thonii vero familiare? Præter Pannonium Puppitanum, legitur in Notitia Africæ inter Mauritanos Cæsarienses *Pannonius Bitensis*. Unum tantum Panthonium ex depravata epigraphe novit, alterum ex incognitis libris ex Africa appellet, et tunc familiare apud Afros nomen Panthonii affirmabo, et erit mihi magnus Apollo. Quod vero contendit a Pupput dicendum esse *Pupputanum*, non *Puppitanum*, vix citra indignationem ab Afris audiri posset, quasi hic scriptor Africanarum urbium vocabula melius quam ipsimet Afri declinare sciat. In collatione cap. 187 inter Donatistas nominatur *Victorianus Puppitanensis*, Pannonii æmulus. Synodicam proconsularium act. 2 laudatæ synodi Lateranensis subscribit *Gulosus Puppitanus*; in synodo Bonifacii Carthaginensis anno 525 recitatur *Fortunatus Puppitanus*. Quis autem dixerit hos episcopos nescisse suæ urbis nomen Latine inflectere?

Victor Vinensis. *Legitur ipsius nomen in collationis prima parte, est autem Vina civitas prope Pupputanam.* Ariolatur; nam cum in titulo epistolæ, quam adeo eruditis notis illustrat, tres Victores nominentur, eorumdem sedes ex collatione Carthaginensi expiscatur. Priorem dicit Vinensem, alterum Uticensem, postremum Migirpensem. Quod ita pro arbitrio horum Victorum sedes disponit, nullam Garnerio quæstionem facio, quamvis prior potuerit esse Migirpensis, postremus autem Uticensis, et medius Vinensis. Hoc eumdem interrogatum velim cur tres alios Victores, qui in collatione recensentur, omisit, nullumque eorum in memorata epigraphe nominatum voluit? Recensetur cap. 116 *Victor Libertinensis*. Hanc vero urbem spectasse ad proconsulares patet ex synodica ejusdem provinciæ act. 2 concilii Lateranensis, ubi legitur *Januarius gratia Dei episcopus S. E. Libertinæ*. Rursus in eadem collatione recitatur cap. 215 *Victor Abitinensis*. Et hunc pariter proconsularibus accensendum constat ex proxime laudata synodica, in qua nominatur *Augustalis gratia Dei episcopus S. E. Abitinensis*; et apud Cyprianum habetur *Saturninus ab Abbitinis*. Denique tertius Victor occurrit cap. 133, ubi dicitur subscribere *Quintus pro Victore episcopo Tuburbitanorum minorum*. Fuisse vero Tuburbum in Proconsulari docet Notitia Africæ, in qua appellatur *Benenatus Tuburbitensis*; et utriusque Tuburbi situm in Proconsulari exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Cur ergo tres hosce Victores, qui anno 411 eidem collationi cum tribus aliis quos laudat interfuere, a synodo anni 416 exclusit? Cur unum saltem ex illis intra synodum non admisit, sed solummodo Vinensem, Uticensem, et Migirpensem? Profecto vides, mi Antoni, Garnerium hic purum putum ariolatorem agere.

Restitutus Muzulensis. *Legitur in collatione Muzucensis, sed Augustinus lib.* VII (lege VI) *contra Donatistas, cap.* 41, *meminit episcopi Muzulensis, quem fuisse provinciæ Proconsularis colligo ex Notitia sæpius laudata, in qua numeratur inter ejectos ex ea provincia episcopos Felix Muzulensis.* Geographus urbes confundit. Recte in collatione Restitutus appellatur Muzucensis, cujus adversarius Donatista cap. 206 dicitur *Idaxius Muzucensis*. Porro hæc urbs erat inter Byzacenas; unde in Notitia Africæ inter Byzacenos episcopos recitatur *Innocentius Muzucensis*. Præterea more solito divinatur; nam in collatione cap. 133 scribitur *Restitutus episcopus plebis Simingitensis*, Hunc vero annumeratum proconsularibus colligo ex synodo Bonifacii, in qua appellatur *Cresconius episcopus plebis Simingitanæ*. Itaque errat Garnerius, dum Restituto Simingitensi provinciæ Proconsularis omisso, Restitutum Muzucensem ex Byzacio ad Proconsularem transferens, eumdem in Muzulensem episcopum vertit.

Rusticus, seu potius Rusticianus Tabracensis. *Sic enim legitur in collatione. Fuit autem Tabraca colonia in ipso confinio provinciæ Proconsularis et Numidiæ unde factum est ut una pars auctorum in Numidia, alii in Provincia collocarent.* Infeliciter labitur. Etenim cum in collatione nullum Rusticum appellatum legeret quo hujus episcopi sedem designaret, eumdem ex Rustico in Rusticianum mutavit. Sed in hoc turpiter etiam errat; nam superius episcopum qui tertius ab Aurelio primate in epigraphe legitur, appellarat *Rusticianum Tabracensem*. Itaque auctore Garnerio anno 416, Tabracæ duo Rusticiani episcopi catholici sedebant, ut Ecclesiæ, quemadmodum et urbes id temporis regebantur, suos habuerint duumviros.

Fortunatianus Neapolitanus vel Siccensis. *Fortunatiani duo celebres exstiterunt tunc temporis: Neapolitanæ unus, alter Siccensis Ecclesiæ episcopus, uterque Proconsularis provinciæ.* etc. *Uterque sine dubio interfuit Africano concilio an.* 418. *Incertum uter electus ad finiendas causas cum aliis provinciarum legatis. Uterque pariter interfuit concilio universali an.* 419. *Incertum utrius nomen præferatur in epistola Afrorum ad S. Cœlestinum.* Laudo hominis eruditionem, qui duos Fortunatianos novit, eosque in diversis urbibus collocavit; verebar enim ne duos Fortunatianos uni urbi præficeret, quemadmodum duos Rusticianos uni civitati donavit. Verum statim cespitat et præceps ruit. Quod enim ait utrumque Fortunatianum interfuisse concilio universali Africæ an. 419, admitti non potest, nisi mortuos episcopos suffragia dare ac sententias dicere fingamus. Anno 419 Siccæ sedebat Urbanus in mortui Fortunatiani locum subrogatus, qui, cum anno superiori Apiarium igni aquaque interdixisset, et hic ad Zosimum appellasset, acriter a pontifice reprehensus fuit; unde diuturniores illæ de appellationibus controversiæ Afros inter et Romanam sedem exordium duxere. In litteris synodi Africanæ anno 419 ad Bonifacium pontificem datis hæc leguntur: *Prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo*, nempe Apiario, *corrigendum est, sine ulla dubitatione correxit.* Unus ergo Fortunatianus Neapolitanus anno 418 et 419 synodis Africanis interfuit, unus Neapolitanus ad finiendas causas cum aliarum provinciarum legatis electus est, idem epistolæ ad S.

Cœlestinum papam præfigitur. Nota interim, vir clarissime, Garnerii confidentiam, qui asseveranter pronuntiat Siccensem Fortunatianum *sine dubio* laudatis synodis interfuisse, qui id temporis *sine dubio* diem obierat, ac in eadem sede Urbanum ex Hipponensi clero episcopum exceperat. De initio episcopatus Urbani scribit S. Augustinus epist. 59 ad Paulinum Nolanum.

Restitutus Cincaritensis. *Legitur in collatione episcopus hujus nominis et sedis; credibile admodum est hunc ipsum esse quo de agitur.* Et hic divinatur, nam adfuit etiam collationi cap. 133 *Restitutus episcopus plebis Simingitensis.* Et in concilio Bonifacii an. 525 inter proconsulares laudatur *Cresconius episcopus plebis Simengitanæ.* At Cincaritensem Ecclesiam incertæ provinciæ deputant Carolus a S. Paulo et Holstenius, nec quidquam pro ea re affert Garnerius. Ego tamen puto illam Ecclesiam fuisse inter proconsulares; nam in synodica act. 2 concilii S. Martini papæ inter ejusdem provinciæ episcopos nominatur *Quobulus Ceciritensis*, quæ forte Ecclesia eadem est cum Cincaritensi.

Ampelius. *Incertæ sedis. Nam Ampelius cujus fit mentio can. 78 Cod. Afric. cujusque sedes in collatione dicitur fuisse Vaga vel potius Vada, quique interlocutus legitur cap. 176, videtur fuisse Numidarum unus*, etc. *Unde ulterius corrigendus quoque collationis textus cap. 215, udi duo appellantur episcopi Vagenses catholici, Ampelius et Primulus; legi enim debet Vadensis.* Ignoravit duas fuisse in Africa Vagas, unde alteram urbem Vadam dicendam contendit. At Plinius, cui melius Africanæ urbes cognitæ fuerunt, lib. v, cap. 4, inter quindecim oppida civium Romanorum nominat *Vagense*, et inter triginta libera oppida *Vagense aliud.* Consulto addidit *aliud*, ut Vagam utramque distingueret. Una erat Latio donata, altera liberum municipium. Hinc perperam collationem corrigendam ducit, in qua duæ Vagæ asseruntur. Hæc oppida, quæ Vagæ dicuntur in collatione, ambo *Vadæ* appellantur in Notitia Numidiæ, ubi recitantur *Rufinianus Vadensis*, et *Proficius Vadensis.* Imo tertia insuper Vaga ponitur in eadem collatione; nam cum cap. 177 nominatus fuisset *Privatus episcopus Vagensis*, Rogatus episcopus dixit: *Januarianus dicitur, non Privatus.* At respondit Primianus primas Donatistarum Carthaginensis provinciæ cap. 179: *Est Auzagga, ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus est; alia Auzagga ubi est Privatus, qui nunc vivit.* Ubi patet has Vagas agnominatas *Auzaggas*, ut a Vaga, ubi Ampelius sedebat, distinguerentur. Et quidem præter duas Vagas quas Plinius in Africa, hoc est provincia Zeugitana ponit, Ptolemæus lib. iv, cap. 2, in mediterraneis urbibus Mauritaniæ Cæsariensis *Vagam* etiam collocat, cujus situm exhibent Tabulæ antiquæ Peutingerianæ, et recentes Caroli a S. Paulo. Ampelius qui laudatur can. 78 Codic. Afric. non est idem cum Ampelio qui hic appellatur; ille enim Ambivio Pisitensi posterior fuit, ut ibidem patet; hic autem eumdem præcedebat, ut proxime ostendam.

Animus. *Sin minus vitiosa sit lectio, quod non temere tamen quispiam conjiciat propter insolentiam vocis, ignota dici debet hujusce episcopi Ecclesia. Quod si vitium irrepsit, suspicari possit nonnemo reponi debere pro Animo Timianum, qui, ut est in collatione, rexit Ecclesiam Utinæ civitatis, a Ptolemæo sub Carthagine ad Bagradam fluvium repositæ.* Si vitiosam lectionem suspicabatur, cur antiquum aliquem codicem non consuluit? Exstat epistola hujus synodi Carthaginensis in codice ms. bibliothecæ serenissimi magni ducis ad D. Laurentii in pluteo 12, in quo non *Animus* legitur, Sed Ambibius, qui in rescripto Innocentii papæ dicitur *Ambivius.* In collatione cap. 133 appellatur inter catholicos Patres *Ambibius episcopus plebis Pisitensis.* Evolius Uzalensis S. Augustini discipulus lib. i de Prodigiis S. Stephani, cap 13, meminit *Pisitanæ civitatis.* Ambibii Ecclesiam omisit Carolus a S. Paulo, Holstenius incertæ provinciæ deputavit, et minus recte a Pisitana distinxit, quæ tamen ex hac epigraphe colligitur fuisse in Proconsulari. Ambivii fit mentio can. 78 Cod. Afric., ubi ante Evangelum nominatur, quem Garnerius pro Evagrio supposuit, ut vidisti, sed perperam; nam in laudato codice *Evagrius* nominatur, et pro *Mundius*, ut in excusis codicibus corrupte habetur, *Nimidius* recte ibidem legitur. In nullis codicibus epigraphen quæsivit Garnerius, qui tamen ob exscriptos ab alio e Vaticanis mss. Marii Mercatoris libellos, vah quales tragœdias in calce sui operis excitat, et in quos!

Felix Uzitensis. *Legitur in collatione Vizicensis, sed in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis mentio fit Caii Uzitensis, qui periisse scribitur antequam veniret ad exsilii locum; et Uzitha civitas ponitur in Ptolemaicis Tabulis prope Adrumetum et Ruspinam.* Cum istæ duæ urbes fuerint in Byzacio, in eadem etiam provincia Uzitha Ptolemæi locanda fuit. Uzithæ oppidi situm diserte tradit A. Hirtius lib. de Bello civili in Africa, ubi ait Cæsarem prope Uzitham castra metatum, *quæ aberant a portu* Leptis Parvæ *millia passuum sex.* Leptis vero erat in Byzacio supra Adrumetum versus Tripolim millia passum 18, ex Antonio. Ex his in Notitia legendum est: *Caius Ucitensis*, non *Uzitensis*; hæc enim Ecclesia erat in Byzacio; Ucitensis vero in Proconsulari, in cujus provinciæ synodica act. 2 concilii Lateranensis laudatur *Tripolius Ucitensis*, ab Uci urbe, ut ex Plinio mox ostendam in notis ad Fructuosum. Igitur perperam Visicensem in Uzithensem Ecclesiam mutat. Scribitur in collatione cap. 125 *Felix episcopus plebis Visicensis.* Quam Ecclesiam pertinere ad proconsulares colligo ex eadem synodica, ubi inter proconsulares cernitur *Valentinianus episcopus S. E. Usicensis.* Erat hæc urbs prope Taboram, cujus episcopus Victor Donatista cap. 125 citato dixit Felici Visicensi: *Ego tibi intervenio.* Et cap. 201 idem Victor ait: *Susceperam quidem mandatum; sed quia beatissimus pater et princeps noster Primianus nunc suscepit, me necesse est mandare his actis.* Itaque erat in Proconsulari episcopus, si Primianum Carthaginensem suum primatem appellat. Perperam in dissert.

de Synodo v, cap. 10, Taboram Victoris Donatistæ cum Tabora altera Mauritaniæ confundi. Quare addenda est Tabora Tabulis proconsularium Caroli a S. Paulo et Holstenii. Cæterum de hujus Felicis sede Garnerius divinatur. In collatione cap. 127 laudatur *Felix episcopus plebis Aptungitensis*. Erat Aptunga in provincia Proconsulari, et alter Felix Aptungensis olim Cæcilianum Carthaginensem consecraverat, ut ex Optato lib. I, et Augustino epist. 68, 162, 163, et libris contra Donatistas passim habetur. Itaque omisso Felice Aptungensi, Felicem Visicensem synodo anni 416 pro arbitrio præsentem facit.

Donatianus Zeggensis sive Zellensis. *Recensetur in collatione Donatianus Zellensis. In Notitia provinciæ Proconsularis fit mentio Vincentii Zeggensis in exsilium ejecti.* Eodem in luto hæret, Ziggam cum Zella confundens. Erat Zella in Byzacio; Strabo enim recensens hujus provinciæ oppida, lib. XVII ait; *Prope etiam erant Zella et Achola liberæ civitates.* In tabulis Peutingerianis Achola ponitur inter Tapsum et Ruspam urbes in Byzacio, in cujus Notitia recitatur *Restitutus Acholitanus*. Consilium *Zellense* laudat Ferrandus Diaconus, quod Teleptense perperam dici ostendi lib. I Hist. Pelag., cap. 13. At Ziggera urbs in Proconsulari, in cujus Notitia recensetur *Vincentius Ziggensis*, quem Garnerius Zeggensem dixit ut facilius Zellensem faceret. In gestis purgationis Felicis coram Africæ proconsule, in calce Optati Albaspineæ editionis, memoratur *Ingentius Decurio Ziguensium*, quæ urbs, ut ibidem patet, erat in Proconsulari. In litteris Constantini imperatoris, apud Augustinum epist. 68, et lib. III contra Cresconium, cap. 70, idem dicitur *Decurio Ziguensium civitatis*. Et *montem Ziquensem* memorat Victor Vitensis de Persecutione Vandalorum.

Adeodatus Simidicus. *Interfuit collationi ann. 411, unusque fuit an. 419 e decem legatis provinciæ Proconsularis qui cum legatis aliarum provinciarum canones Ecclesiæ Africanæ recognovit et subscripsit.* Et hic rursus episcopos et urbes confundit. Adeodatus qui anno 419 canones recognovit erat episcopus Simittuensis, non Simidiccensis. Leguntur apud Labbeum subscriptiones synodi anno 419 Carthagine celebratæ, in quibus *Adeodatus Simituensis* vel *Simitensis* dicitur. Oppidum *Simittuense* laudatur a Plinio lib. v, cap. 3; *Simittu* ab Antonino dicitur. In collatione cap. 135 recensetur *Benenatus episcopus plebis Simittensis*, et cap. 135 *Adeodatus episcopus plebis Simidiccensis*. Quare Adeodatus, qui anno 419 canones recognovit, anno 411 nondum erat episcopus, cum Simittuensem cathedram teneret Benenatus. Hoc ipsum etiam evidenter ostenditur ex subscriptione synodi anno 419, ubi legimus: *Penthadius Carpitanus, Adeodatus Simittuensis*. Quare Adeodatus fuit episcopus tempore posterior Penthadio: Africani enim juxta tempus delati episcopatus nomina synodis dabant, et in tractoriis scribebantur, ex canone 53 Cod. Afric. et Augustino epist. 217 ad Victorinum. Rursus certum est Penthadium anno 411 non fuisse Carporum episcopum; nam cap. 125 ponitur *Antonius episcopus plebis Carpitanæ*. Ex quibus colligimus Adeodatum Simittuensem diversum esse a Simidiccensi, qui anno 411 collationi interfuit, et diversas fuisse urbes Simittu et Simidiccam, cum tempore collationis hic Adeodatus, illic vero Benenatus sacra suprema auctoritate administraret.

Octavius Uthinensis. *Interfuit collationi, est autem Uthina civitas in provincia Proconsulari ad Bagradam fluvium, ut habent Tabulæ Ptolemaicæ. In concilio Carthaginensi, etc., dixit vigesimo septimo loco sententiam Felix ab Uthina. et Lampadius Uthinus concilio Arelatensi II subscripsit.* Eadem chorda oberrat, Utinunam cum Uthina confundens. In cap. 133 collationis Carthaginensis editionis Massonis et Albaspinæi, legitur *Octavius episcopus plebis Utinunensis*. Scio duas fuisse Utinas in Africa; tempore collationis cap. 125 legitur: *Timianus episcopus plebis Utinensis*; capite vero 133, *Isaac episcopus plebis Uthinensis*. Quare si Octavius fuit pariter episcopus Utinensis, tertiam in Africa Utinam nobis excitare debet, vel Octavium collegam Timiano aut Isaaco superimponere. Contra Isaac episcopum catholicum stabat Felicianus, contra Timianum Felix Donatistarum episcopi. At de Octavio refero integrum textum ex collatione Carthaginensi. *Octavius episcopus plebis Utinunnensis coram V. C. tribuno et notario Marcellino superius mandavi et subscripsi Carthagine. Quare idem dixit: Econtrario mihi est Bonifacius.* Ex tribus igitur episcopis catholicis totidemque iisdem adversariis Donatistis duas Utinas et Utinunam in Africa urbes habemus. Quod insuper addit Uthinam ad Bagradam fluvium sitam ex Ptolemæo, notes velim, vir eruditissime, Garnerium ante septemdecim versus idem dixisse de Utina altera, in qua sedebat Timianus. Profecto Ptolemæus unam tantum Urbinam ponit: quod si noster geographus Uthinam Octavii, et alteram Timiani ad Bagradam reponit, de utraque Ptolemæsi testimonium neutiquam laudare potest. Scribit Holstenius alterutram Uthinam cum aspiratione scribendam, et vere apud Augustinum lib. VI de Bapt., cap. 33, recitatur *Felix ab Uthina*. Omitto quod ibidem ait Lampadium Uthinensem subscripsisse concilium Arelatense II; voluit dicere primum indictum anno primo Sylvestri, an. 314. Bonifacius Octavii adversiarus cap. 198 dicitur Utummensis; utri textui error irrepsit incertum.

Serotinus Thurzitensis. *Interfuit collationi. Ponitur autem a Ptolemæo Thursa prope Vinam coloniam non longe a Tunizza, atque adeo nec admodum procul a Carthagine.* Non ita scribitur in collatione; nam cap. 133 recensetur *Serotinus episcopus plebis Turuzitensis*. Quæ inflexio, uno Garnerio auctore, a Thursa Ptolemæi derivatur. Sane vapularent discipuli qui a Thursa Thuruzitanum declinarent; hoc enim adjectivum a Thuruzita originem ducit. Quare perperam Ptolemæus in testem vocatur. Imo nusquam legitur Thursa in Ptolemæo, sed tantum Thurza, quam ponit in Byzacio prope Adrumetum. Rectius autem ex ipsa collatione ostenditur Thuruzitam fuisse in pro-

vincia Proconsulari; quia cum Serotinus episcopus dixisset se nullum habere episcopum adversarium, Primiani primatis Carthaginensis diaconus Habetdeum reposuit: *Presbyter est illic Cattus.* Qui quidem diaconus frequentius interloquebatur, ubi de episcopis proconsularibus quærebatur, ut passim ibidem patet; licet semel aut iterum de aliis quoque locutum concedam.

Majorinus Zemptensis. *Ita legitur in collatione; melius Zamensis, nam in Proconsulari provincia fuit Zama civitas, si Plinio, Ptolemæo ac Straboni credimus.* Quot verba, tot errata. In collatione cap. 133 laudatur *Majoribus episcopus plebis Zentensis.* Et quidem recte: nam in synodica proconsularium act. 2 concilii Lateranensis memoratur *Florentius gratia Dei episcopus S. E. Zentensis.* Quo egregio testimonio evincitur recte scribi in collatione Zentensem, ac male legi Zemptensem, et Zentam fuisse inter urbes proconsulares. Rursus quod Zentam in Zamam mutat vix patienter ferri potest. In collatione cap. 121 dicitur *Dialogus episcopus Zamensis* cujus adversarius Montanus unus e septem Donatistis collatoribus recensetur. Igitur non Majorinus, sed Dialogus anno 411 erat Zamensis episcopus.

Postumianus. *Ignotæ sedis; nam qui dicitur in collatione Tagorensis diversus est ab isto; siquidem Tagora civitas, seu Tagura, est in Numidia, non item in Proconsulari, et inter episcopos e Numidia, in exsilium actos, recensetur Timotheus Tagurensis.* Ignoravit duas fuisse in Africa Tagoras, quod tamen intelligere poterat ex collatione, cui inter catholicos antistites interfuere *Restitutus episcopus Tagorensis*, qui fuit custos tabularum cap. 143: et *Posthumianus episcopus plebis Tagorensis* cap. 133. Itaque Posthumianus, qui ponitur in epigraphe, fuit episcopus Tagorensis in provincia Proconsulari. At fuisse Tagoram in hac provincia colligo ex Tabulis Peutingerianis, ubi hæc leguntur: *Thacora* v; *Gegetu* (supple xv, ex Antonino mox laudando) *Narragara* xii, *Sicca Veneria* xxx. Antoninus ita scribit in itinere Musti Cirtam. *Siccam* xxxii, *Naraggara* xxx, *Tagora* xx, *Tipasa* xxxiv. Certum est Tipasam spectasse ad Numidiam; nam in notitia hujus provinciæ nominatur *Rusticus Tipasensis.* Naraggaram Tipasæ finitimam Numidiæ ascripsere Carolus a S. Paulo et Holstenius, sed perperam; nam synodicam proconsularium act. 2 concilii Lateranensis subscripsit *Benenatus episcopus S. E. Narragaritanæ*, et in Notitia inter proconsulares recensetur *Maximinus Maraggaritanus*, ubi plane *Naraggaritanus* legendum est. Et in collatione inter Donatistas cap. 207 numeratur *Faustinus episcopus Naraggaritensis.* Ultra Naraggaram versus Numidiam ponitur *Gegetu.* Porro hanc etiam urbem fuisse intra diœcesim proconsularium patet ex Victore Vitensi, qui lib. 1 de Persecut. Vand. inter proconsulares nominat *Vicentium Gigitanum.* Itaque Tagora 5 millia passuum Gigetu distans, erat ultima urbs provinciæ Carthaginensis. Tipasæ contermina, cujus sacra tempore collationis Posthumianus ministrabat, qui post-ea anno 416 sententiam contra Pelagianos subscripsit. Tagora in Numidia dicebatur etiam Tagura, ut ex Notitia Africæ patet.

Crispolus Volitensis. *In vulgatis codicibus legitur Trispolus, sed vitium per se manifestat insolentia nominis; quare emendari debet ex collatione.* Hic recte priorem litteram corrigit. In ms. serenissimi magni ducis *Crispolus* legitur, tum in epigraphe synodicæ, tum in rescripto Innocentii.

Victor Uticensis. *Non ille quidem scriptor librorum de Persecutione Vandalica anno 484 excitata adversus catholicos ab Hunerico, sed alius ejusdem nominis et sedis, qui fuit Carthagine cum collatio haberetur.* Victor qui sub Hunerico vixit ac scripsit libros de Persecutione Vandalica, non fuit episcopus Uticensis, sed Vitensis, ut egregie e mss. ostenderunt Chiffletius ac Holstenius. Hoc ipsum probatur ex elencho episcoporum ab Hunerico in exsilium deportatorum; nam inter proconsulares nominatur *Florentius Uticensis*, et inter Byzacenos *Victor Vitensis* qui libros scripsit de Persecutione Vandalica. Plura hac de re leges in Chiffletio, cujus volumen, ut pleraque alia, e copiosissima tua illa bibliotheca non semel mihi commodasti.

Victor Migirpensis. *Ita legitur in collatione*, etc. In hoc et præcedenti Victore redit ad solitas divinationes. Adfuere collationi tres alii e Proconsulari provincia Victores; nempe, Libertinensis, Abitinensis, et Tuburbitanus. Itane hosce intra quinquennium obiisse putat, vixisse vero Migirpensem, et Uticensem, ut isti solummodo, et nullus illorum trium synodo anno 416 Carthagine contra Pelagianos coactæ interesse potuerint? Sed cui facile fuit urbes pro arbitrio mutare, confundere, exstruere, haud quidquam pensi habuit episcopos ad synodos admittere prout libet, et prout libet excludere.

Lucius Tagaratensis. *Recensetur ejus nomen in collatione. Tagaratensis episcopi meminit notitia episcoporum provinciæ Proconsularis, refertur enim Honoratus Tagaratensis pulsus in exsilium.* Non possum non albos calculos adjicere.

Marianus Uzipparensis. *Nominatur in collatione. Meminit notitia Episcoporum provinciæ Proconsularis Augentii Uzipparitani in exsilium expulsi.* In plerisque editis codicibus legitur *Macianus*, sed Garnerio favet ms. Laurentianæ bibliothecæ. In Tabulis Peutingerianis *Usippira* ponitur supra Putput in mediterraneis versus meridiem. In Synodo Bonifacii appellatur *Sementius Uzipparensis.* Marianus fuit unus legatorum proconsularium in concilio anni 419.

Fructuosus Abziritensis. *Ita legitur in collatione, legendum tamen forte est Abderitensis, vel Abbiritensis: est enim apud Ptolemæum Abderæ mentio in Africa propria, seu provincia Proconsulari, siquidem ponitur sub Carthagine, et in Notitia provinciæ Proconsularis fit mentio Felicis Abaritani episcopi. Hunc vero Fructuosum oportet non diu fuisse superstitem; nam an. 419 Candidus Abbaritanus recensetur inter legatos provinciæ Proconsularis qui tamen in subscriptionibus di-*

citur Germaniæ, sed mendose: nam Germania sive vetus sive nova, pertinet ad Numidiam, si qua fides Notitiæ sæpius citatæ, in qua fit mentio Felicis Abaritani episcopi. Parum callet Africanam geographiam, dum urbem Abziritanam cum Abbiritana confundit. In collatione cap. 128 dicitur *Fructuosus episcopus plebis Abziritensis*. Plinius lib. v, cap. 4, laudat in Africa oppidum *Abziritanum*. Hæc urbs Ptolemæo dicitur Addera, nam D pro Z passim sumptum superius ostendi. Et in synodo Genethlii an. 390 *Victor Abziritanus* et *Abderitanus* in variis codicibus legitur. Cæterum adhuc in Africa numerabantur duæ urbes quarum episcopi Abbiritenses nuncupabantur. Nam cap. 215 laudatæ collationis ponitur *Annibonius Abbiritensis*; capite vero 133, *Felix episcopus Abbirmajus*, urbs ita appellabatur, ut ab Abbirminus, ubi sedebat Annibonius, distingueretur; Afri enim ad duas ejusdem nominis urbes distinguendas, utebantur istis vocabulis *majus* et *minus*; ita apud eosdem habemus *Leptiminus*, nempe, Parvam Leptim, et in Notitia inter Byzacenos est *Fortunatianus Leptiminensis*: ita Plinius ibidem recenset oppida *Ucitana duo, majus et minus*, et cap. 133 collationis recitatur *Octavianus episcopus plebis Ucimajus*. Itaque eidem collationi anno 411 interfuere Fructuosus Abziritensis, Felix Abbirmajus, Annibonius Abbirminus. In synodali proconsularium act. 2 concilii Lateranensis laudati appellantur *Adeodatus Abbiritanus*, et *Victorinus Abziritanus*, quorum episcoporum urbes mirum non est Garnerium in unam confudisse, cum nec easdem Carolus a S. Paulo, nec Holstenius exacte distinxerint. Sed alia rursus Garnerii errata corrigenda sunt; falsum enim est Candidum successisse Fructuoso; nam Candidus fuit episcopus Abbiritensis, non Abziritensis; ita enim legitur in subscriptione synodi anno 419 Carthagine coactæ, *Candidus episcopus Abbiritensis Germanicianorum*, apud Labbeum tom. II Concil. pag. 1670. Et recte; nam apud Augustinum lib. VI de Bapt., cap. 23, nominatur in synodo Cypriani *Successus ab Abbir Germaniciana*. Si Garnerius pro *Germaniæ* in melioribus codicibus *Germaniciæ* legisset, rectius textum correxisset. Verum plusquam palmaris est ejusdem scriptoris allucinatio, ubi tradit Fructuosum post annum 416 haud diu fuisse supersitem, quod Candidus anno 419 in Fructuosi cathedra sedebat. Id ubi de Candido sermo inferius incidet, ostendam; nam ambos huic synodo præsentes fingit.

Quodvultdeus Verensis. *Fuit unus ex decem legatis provinciæ Proconsularis, qui cum aliarum provinciarum legatis an. 419, nomine totius Africanæ synodi canones recognoverunt.* Non ita est. Hic Quodvultdeus ante annum 411 erat episcopus, nam nominatur ante Thomam Cubdensem, qui interfuit collationi. At Quodvultdeus Verensis post an. 411 episcopatum adeptus est; cum in subscriptionibus an. 419 post, Penthadium Carpitanum locetur. Earum fragmentum, quod plurimum ad rem facit, hic insero.

Penthadius episcopus Carpitanæ Ecclesiæ subscripsi.
Ruffianus episcopus Ecclesiæ Masensis subscripsi.
Prætextatus episcopus Sicilibbensis Ecclesiæ subscripsi.
Quodvultdeus episcopus Verensis Ecclesiæ subscripsi.
Candidus episcopus Abbiritensis Germanicianorum Ecclesiæ subscripsi.

Anno 411 sedebat Carpis Antonius, cui Penthadius subrogatus fuit ex cap. 125 toties memoratæ collationis. Idem etiam Quodvultdeus in epigraphe ponitur ante Candorium Mullitensem, qui collationi interfuit. Quare diversus plane fuit a Quodvultdeo Verensi.

Candorius Mullitensis. *Numeratur inter episcopos qui Carthagine fuerunt tempore collationis. Inter proconsulares ejectos Notitia habet Liberatum Mullitanum.* Tandem Garnerius *non sine cura et labore* aliquid expiscatus est.

Maximus et Megarius. *Ignotæ sedes.* Sed et aliorum parum eidem notæ.

Rufinus Drusilianensis. *Quanquam ita legitur in collatione, legendum tamen puto Dinisianensis, vel potius Dionisianensis: ejusce enim nominis episcopus ponitur in concilio Carthaginensi rebaptizantium num* 48. *An non illa sedes quæ in Notitia provinciæ Proconsularis corrupte legitur Duassendelmai?* Non possunt sine risu hæc audiri. A carcere ad calcem pererrat. Lege, mi Antoni, epigraphen, videbis nominari non Rufinum, sed Rusticum. Ita cum duo Rustici in epigraphe scribantur, Garnerius ex priori Rusticianum facit, posteriorem in Rufinum mutat. Cum non possit Rusticum inter ducentos et octoginta sex episcopos qui collationi nomen dederunt reperire, satis urbano artificio pro Rustico Rufinum obtrudit. Porro Rufinus cap. 121 collationis vocatur *episcopus plebis Drusilianensis*. Verum metamorphoseos studiosus, non modo episcopum, sed et Drusilianam ejusdem sedem in aliam convertens ait: *Legendum tamen puto Dinisianensem*. Serione an jocose hæc scripsisse eumdem putas? Ubinam gentium, non dicam in Africa, sed orbe toto episcopatus Dinisianensie paruit? Verum vide quomodo eamdem Dinisianam suam illam urbem, quam uno ductu calami repente excitarat, altero statim dejecit; *vel potius*, inquit, *Dionisianensis*. Sed perperam Drusilianensem Ecclesiam cum Dionysiana confundit; illa enim ad proconsulares pertinet, ut ex Tabulis Peutingerianis constat, hæc vero ad Byzacenos; nam inter sedes Byzacii quæ sine episcopis erant anno 484, ponitur in Notitia Africæ *Dionysiana*. Easdem etiam diversas urbes fuisse evidenter ex collatione deducitur, in qua cap. 187 inter episcopos Donatistas qui collationi interfuere ponitur *Restitutus episcopus Drusilionensis*, et cap. 198 *Victor episcopus Dionysianensis*. Itaque Drusiliana et Dionysiana fuere diversæ, et diversarum provinciarum urbes, quibus distincti episcopi Donatistæ præsidebant; illas vere novus geographus in unam confundit, alteram ex Byzacio in Proconsularem sine machinis transferens. At neque his mutationibus conteutus, cum ex Drusiliana fecerit Dinisianam, dein Dionysianam; tandem ex his omnibus tanquam dirutarum civitatum ruderibus novam urbem ædificat Duassendelmai: *An*

non, inquiens, *illa sedes quæ in Notitia provinciæ Proconsularis corrupte legitur Duassendelmai*! Imo ipsemet corrupte legit; nam in Notitia laudata non dicitur *Duassendelmai*, sed *Duassedemsai*; nominatur enim ibidem *Mannucius Duassedemsai*, cujus sedes cum statuatur in Proconsulari, nequit eadem esse cum Dionysiana, quæ in eadem Notitia locatur in Byzacio. Porro Ecclesiam Duassedemsai puto eamdem esse quæ cap. 202 collationis dicitur *Assenemsalensis*, ubi inter Donatistas recensetur *Fortunatianus Assenemsalensis*, et in synodo Bonifacii inter proconsulares ponitur *Patronianus Senemsalensis*. Synodicam proconsularium act. 2 synodi Lateranensis subscribit *Juliamus gratia Dei episcopus S. E. duarum Senepsalitinarum*. Habes ergo in quatuor versibus tot errata recentioris hujusce geographi, quæ forte idem addenda putavit Geographiæ reformatæ, quam quidam (nosti hominem) in lucem emisit.

Rufianus Maxensis. *Dicitur in collatione Muzucensis; unus fuit e decem delegatis e provincia Proconsulari an.* 419 *ad recognoscendos canones*, etc. Putabat se lippis scribere ac tonsoribus, cum tot fabularum portenta chartis inseruit. Fallitur cum scribit Rufianum dici in collatione Muzucensem, Nec Rufianus dicitur, nec Muzucensis, sed cap. 127, nuncupatur *Rufinianus Muzuensis*. Erat Muzu in Proconsulari, et inter ejectos ex hac provincia in exsilium ab Hunerico recitatur *Felix Muzuensis*. In eadem collatione cap. 133 episcopus *Muzucensis* appellatur Restitutus. Denique in subscriptionibus superius adductis anno 419 Penthadius, qui post annum 411 electus fuit Carporum episcopus, subscribit ante Ruffianum Maxensem. Nondum ergo hic anno 411 erat episcopus, neque interfuit collationi, cum Penthadio et Thomæ Cubdensi in hac epigraphe præponatur.

Proculianus. *Vel ignotæ sedis, vel, quod magis reor, legi debet Proculus Ginesitensis Salariæ, cujus nomen ponitur in collatione. Nam in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis legitur Carissimus Gisipensis, ejectus in exsilium. Nullus vero dubito quin idem Ginesitensis qui Gisipensis*. Vereor ne tot metamorphoses nauseam ac fastidium tibi ingeraut, vir doctissime, ac memet non levi sane crimini obnoxium faciam, qui te a gravioribus studiis, quibus diu noctuque curam intendis, ad hæc plane fabulosa lectitanda interpellem. Scis Catonem post diffcillima senatus-consulta animum ad cursum ludosque cum pueris vertisse. Ego quidem varias subinde hominum, urbium, ac provinciarum non secus ac in scena fieri solet, mutationes exhibeo. Refice interim te, ac oculos auresque commoda, nam novæ rerum facies occurrunt. Hic Proculianus in Proculum vertitur, ac Gisipa in Ginesitam urbem transmigrat. Quod hominis nomen varietur, dolo plerumque fit vel consilio, dum per adoptionem familiæ in alias transcribuntur; at urbes urbibus inserere unus Garnerius tentavit. Verum quam infeliciter, ne imperite dicam, collige ex cap. 133 collationis, in qua nominatur *Proculus episcopus plebis Ginezitensis Salariæ;* et ex cap. 135, ubi recenseA tur *Januarianus episcopus Ecclesiæ Gisipensis*. Et tamen cum utriusque urbis distinctio meridiana luce clarior appareat, confidenter exclamat Garnerius: *Nullus dubito quin idem Ginesitensiis qui Gisipensis*. Adde etiam Proculiani nomen familiare fuisse apud Afros; nam episcopus qui in Hipponensi diœcesi contra Augustinum morabatur in parte Donati, Proculianus dicebatur, ad quem data est epistola inter Augustinianas 147, et nominatur etiam in epist. 168. Fateor tamen in codice Laurentiano *Proculum* scribi. Verum adest in cap. 135 etiam *Proculus Serrensis*.

Thomas. *Mirum ubique hujus nominis silentium, nisi quod Leo Magnus scripsit ad Thomam Africanum episcopum: sed incredibile est huncce Thomam nostrum tandiu vixisse*. Si præsens collationi hæc dixisset, B surdum illum affirmassem; nam cap. 133 alta voce nominatus est ab Officio *Thomas episcopus plebis Cubdensis*, qui etiam respondit: *E contra neminem habemus*. Hanc vero Ecclesiam spectasse ad proconsulares poterat Garnerius discere ex synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, quam subscripsit *Gentilis gratia Dei episcopus S. E. Cubdensis*. Portentum tibi forte videbitur hunc scriptorem non vidisse Thomam ubi erat in collatione, reperisse vero hunc ipsum ubi plane non erat, nemqe in epistola S. Leonis Magni. Semel tantum Leo Magnus litteras, quæ exstent, in Africam misit; est epistola 87 ad episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, in qua nullus Thomas appellatur. Interim non possum non dolere supinam ac immanem C prorsus Garnerii allucinationem, qui, non contentus urbes et Africanos episcopos confudisse, Leonem Magnum pro Loone IX obtrudit. Exstat inter Leonis IX epistolas tertia cum hac epigraphe: *ad Thomam episcopum Africanum*, quam tamen fingit a Leone Magno scriptam. Damus ergo libentissime *incredibile esse Thomam* nominatum in hac epigraphe, *tandiu vixisse;* etenim usque ad tempus litterarum ab Apostolica sede *ad Thomam episcopum Africanum* scriptarum, sexcenti et triginta tres anni lapsi sunt; primus Leonis IX annus fuit nostræ epochæ 1049. Si in lib. II Victoris de Pers. Vand. vidisset alium Thomam episcopum Africanum?

Januarius Timidensis. *In collatione legitur Tunudensis, sed legendum* (nota confidentiam) *omnino videD tur Timidensis; nam in provincia Proconsulari nulla fuit Tunuda civitas, sed Timida, quæ Regia aliquando dicitur*. Eamdem cramben reponit. Audi interim quæ idem auctor in notis ad Vincentium Culusitanum scribit de urbibus proconsularibus: *Siquidem vix illius provinciæ plures quam sexaginta octo Ecclesias novimus, nec illas noti situs, cum tamen fuerint centum sexaginta quatuor, si qua fides Victori Uticensi*. Cur ergo Tunuda non fuit una ex illis centum fere quæ ignorantur? Potuit tamen pertinere ad aliam Africanam provinciam; nam Tunuda incertæ provinciæ ab ecclesiasticis geographis deputatur. In Tabulis Peutingerianis in Proconsulari legitur *Uthica* XX, *Thunu* VII, *Maxala* XXI. Forte a Thunu dicta est Ecclesia Thunudensis. In Tabulis Ptolemaicis ponitur *Tunuba*;

ubi unius tantum litteræ variatio a textu collationis apparet. Et Plinius lib. IX, cap. 5, laudat in Proconsulari oppidum *Tunudisense*. Ex his poterat Garnerius memoratam Ecclesiam facilius et probabilius ostendere, quam illam in Timidensem sine teste convertere. Cum inter Donatistas nullus Timidensis nominetur, non obscure deducitur eamdem Ecclesiam fuisse catholicam (rari erant episcopi Donatistæ in Proconsulari, teste Petiliano capit. 195 collationis) ejusque episcopum ad synodum non venisse; nisi fuerit ex 64 Ecclesiis catholicorum quæ tempore collationis episcopis carebant, nondum in demortuorum locum novis subrogatis, ex eadem collatione cap. 215.

Octavianus Ressianensis. *Ita legitur in collatione.* Hoc brevissimo scholio rem se ad oculum monstrasse existimat. Errat autem, dum Ressianensem episcopum proconsularibus annumerat, qui inter Numidas locandus est, nam in Notitia Africæ inter Numidas habetur *Vigilius Ressanensis*. Hoc etiam ex ipsa collatione colligitur; nam cap. 121 hæc scribuntur: *Aspidius episcopus plebis Tacaratensis. Idem dixit: Præsto sum. Verissimus episcopus Donatista dixit: Agnosco illum: quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus.* Erat Tacarata in Numidia, unde ibidem in Notitia recitatur *Crescentius Tacaratensis*. Datianus erat episcopus Legensis ex cap. 121, Octavianus Ressanensis. Tres illæ diœceses intra Numidiam erant conterminæ. Octavianus ergo Ressanensis pertinet ad Numidiam. Garnerius tamen non vidit in eadem collatione alterum Octavianum episcopum proconsularem; is fuit *Octavianus episcopus plebis Ucimajus*, uti scribitur cap. 133. Plinius superius memoratus recensuit oppida *Ucitana duo, majus, et minus*, et in synodica proconsularium act. 2 concilii Lateranensis laudatur *Tripolius G. D. episcopus S. E. Ucitanæ*. Quare hic forte fuit Octavianus episcopus Ucimajus.

Prætextatus Sicilibensis. *Unus fuit e decem legatis provinciæ Proconsularis, qui cum aliis aliarum provinciarum recognovit canones ann. 419 nomine totius Africanæ synodi.* Neque sedem hujus episcopi recte divinatur; nam Prætextatus præsul Sicilibræ seu Sicilibbæ erat dignitatis tempore posterior Penthadio Carpitano; siquidem in subscriptionibus synodi a Garnerio laudatæ, Penthadio postponitur, ut ex tribus subscriptionibus apud Labbeum tom. II Concil., pag. 1168, 1669, 1670, apparet, quarum unum exemplum superius posuimus; at hic Prætextatus Penthadio præponitur, cum tertius in epigraphe ab eodem recitetur. Hic Holstenii sententia rejicienda mihi est, qui pag. 36 scribit Cilibiensem eamdem cum Sicilibbensi urbem fuisse; nam eidem collationi ex Donatistis interfuere *Quadratianus episcopus Sicilibbensis* cap. 198, et *Tertullus episcopus Cilibiensis* cap. 206. In synodo Bonifacii an. 525 nominatur *Restitutus Cilibiensis* inter proconsulares. Utraque Ecclesia deest in Notitia Africæ. Carolus a S. Paulo pag. 114 Cilibiensem episcopatum incertæ provinciæ ascripsit, qui tamen ad provinciam Carthaginensem spectavit.

Sextus, *ignotæ sedis*. In codice Laurentianæ bibliothecæ *Sixtus* legitur, sed nusquam memoratur in vetustis Africæ monumentis,

Quodvultdeus Givirtensis. *Legi forte ita debet: fit enim mentio episcopi ejusdem nominis et sedis in collatione, nec tamen in aliis a Proconsulari provinciis reperitur sedes Givirtensis.* Sane Garnerius non legit subscriptiones synodi Bonifacii Carthaginensis apud Labbeum tom. IV Concil., pag. 1640, illam enim synodum subscribit *Vincentius episcopus plebis Gervitanæ legatus provinciæ Tripolitinæ*, Itaque sedes Givirtensis erat extra terminos Proconsularis, imo ultra Byzacium, et ad Tripolitanos pertinebat.

Penthadius Carpitanus. *Fuit unus e decem electis ex provincia Proconsulari ad recognoscendos canones an. 419.* Vides hunc scriptorem fingere duos Carpitanos episcopos una simul sedisse, et anno 416 eidem synodicæ nomina dedisse? Etenim superius Antonium, qui sextus in hac epigraphe nominatur, appellarat episcopum Carpitanum, cui modo Penthadium concathedraneum facit.

Quodvultdeus. *Ignotæ sedis.* Hunc rectius Verensem dixisset, quippe qui in synodo ann. 419 post Penthadium subscriptus legitur.

Cyprianus Tuburbitanus. *Ita legitur in collatione. Est autem Tuburbus seu Tuburbo civitas in provincia Proconsulari, fuitque olim colonia Plinio et Ptolemæo nota. Meminit ejusdem Antoninus in itinere, Hippone Regio Carthaginem, eamque ponit inter Cluacariam et Cigisam.* Duas urbes Tuburbitanas in unam confundit. Nam cap. 133 collat. nominatur *Victor episcopus Tuburbitanorum Minorum*; et cap. 135 *Cyprianus episcopus plebis Tuburbitanorum Majorum*. Victor lib. ult. de Persecut. Vand. meminit *Tuburbitanæ civitati majoris*, et Antoninus in descriptione memorati itineris ait: *Cluacaria* XV. *Tuburbominus* XXVIII. *Cigisam.* Perperam ergo testimonium Antonini adducitur, quia Cyprianus sedebat apud Tuburbomajus, cujus nulla apud Antoninum mentio est. Verum utriusque Tuburbi situm describunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi Sicilliba media visitur oblique utrumque Tuburbum respiciens, distans Tuburbomajus millia passuum 28. Errat insuper dum Cyprianum Penthadio Carpitano posteriorem ponit, qui tamen anno 411 erat episcopus, et Penthadius, quemadmodum dictum est, nondum eo anno Carpis sedebat.

Servilius. *Ignotæ sedis quemadmodum* Pelagius Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Thiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majorinus, Juventius. Hic collatio Carthaginensis hominem destituit, nec aliunde suppetias petere potuit; sed quam infeliciter eadem collatione usus sit nemo non videat.

Candidus Abiritanus. *Fuit unus e legatis provinciæ Proconsularis, etc.* Risum, amice, teneas. Superius in Fructuoso, quem Abbiritanum episcopum fuisse asseruit, hæc plane dixerat. *Hunc vero Fructuosum*

oportel non diu fuisse superstitem, nam anno 419 *Candidus Abbiritanus recensetur inter legatos provinciæ Proconsularis.* Si Fructuosus et Candidus ambo ejusdem urbis Abbiritensis episcopi una eademque die anni 416 simul adfuere Carthagine in synodo, cur una simul in altera quoque Carthaginensi synodo anno 419 esse nequivere? Tam cito sui oblitus, Candidum collegam in episcopatu Fructuoso dedit, quem paulo antea decessorem pronuntiaverat. Putasne Garnerium ullam his responsionem adornare posse, nisi ad calendas Græcas? Cæterum id etiam peccat quod utrumque ejusdem urbis episcopum facit. cum Fructuosus Abziritanum thronum sederit, Candidus fuerit episcopus Abbiritensis Germanicianorum, ac Felici, qui collationi interfuit, successerit. quemadmodum ubi de Fructuoso superius sermo incidit, palam ostendi.

Cyprianus et Æmilianus. *Ignotæ sedis.* Nec ego scio, nec inquiro.

Romanus Megalopolitanus. *Recensetur in collatione. Fit mentio in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis Coronii Megalopolitani in exsilium acti; qua vero in parte provinciæ Proconsularis sita fuerit Megalopolis ignotum mihi est.* Imo et Afris illius ætatis hominibus id pariter ignotum fuit; nulla enim unquam exstitit in Africa Megalopolis, cujus nominis urbs celebris fuit in Peloponneso, Polybii Historici patria. Erat quidem in Africa Meglapolis. Unde in collatione cap. 133 laudatur *Romanus episcopus plebis Meglapolitanæ*, et in Notitia citata a Garnerio, sed non bene lecta, vel certe corrupta, nominatur *Coronius Meglapolitanus;* denique in synodica act. 2, synodi S. Martini papæ recensetur *Reparatus episcopus S. E. Meglapolitanæ.* Hos episcopos unius litteræ detractione Garnerius ex Africa in Europam rapit. Cæterum amanuensis vel typographus erroris auctor judicetur; proprium Garnerii erratum est quod Romanum ante annum 411 episcopum quippe, qui collationi interfuit, sedisse in synodo putat post Penthadium Carpitanum, et Candidum ab Abbir Germaniciana, qui post annum 411 ad sacras sedes evecti sunt.

Africanus et Marcellinus. *Incertæ sedis.* Marcus episcopus Donatista cap. 187 collationis interrogatus a nostro Alypio Thagastensi: *Unde es? quæ est civitas tua?* respondit: *Secuta Prura Amidicca. Melimelimenia Nasuta Prura.* Poterat Garnerius pro ea quam in designandis pro arbitrio episcoporum sedibus auctoritatem usurpat, Africanum Secutæ Pruræ Amidiccæ, Marcellinum vero Melimelimeniæ Nasutæ Pruræ episcopos deputare.

Hactenus de notis Garnerii ad epigraphen Patrum proconsularium. Accedo ad ejusdem notas in titulum alterius synodicæ a Numidiæ episcopis anno eodem 416, itidem contra Pelagianos, ad Innocentium pontificem missæ.

EJUSDEM ANIMADVERSIONES IN EPIST. CLXXVI.

Domino beatissimo meritoque venerabili, et in Christo honorando papæ Innocentio Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus. Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malcus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Processus, Cresconius, Secundus, Felix, Asiaticus, Ruffinianus, Faustinus, Servus, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Faustinus, Cresconius, Victor, Gignantius, Posidonius, Antonius, Innocentius, Præsidius, Crescentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex concilio Milevitano in Domino salutem.

Pessimis iisdem auspiciis, horum quoque episcoporum sedes Garnerius describit; cujus quidem notis refellendis temporis jacturam facere forte videbor: sed hoc ipsum in lucri loco reponendum censeo, quod cum tibi hoc in opere morem gero, obsequium erga te meum extendo; neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Collige interim te, et ex Proconsulari provincia in Numidiam a Garnerio vocatus gradum moveas, ut qualia de Carthaginensis concilii Patribus, eadem de Milevitani consessus episcopis commenta audias.

Silvanus Summensis *vel* Zumensis. *Utroque modo in collatione scribitur nomen sedis, quæ prima tunc erat in provincia Numidiæ*, etc. *Ubi vero sita fuerit Summa vel Zuma incertum est, nisi forte dicatur esse Zama, quam Plinius et Ptolemæus in Africa seu potius Numidia reponunt.* Nisi hospes in Africana historia Zamam cum Zumma confundet. Etenim anno 411, cal. Junii, collationi Carthaginensi adfuere *Dialogus episcopus Zamensis*, contra quem Montanus unus e septem Donatistis collatoribus stabat ex cap. 121, et *Silvanus episcopus Zummensis* cap. 99, cui adversabatur eadem in diœcesi Felix Donatista, qui cap. 114, 201 et 202, dicitur *Zamensis.* Hic scriptor in notis ad epigraphen proconsularium dixerat. Majorinus *Zemptensis. Ita legitur in collatione; melius Zamensis, nam in Proconsulari provincia fuit Zama civitas, si Plinio, Ptolemæo ac Straboni credimus.* Eamdem inconstantiam qua passim laborat, in horum episcoporum sedibus designandis viris doctissimis affricat, qui, in recensendis illarum provinciarum urbibus, exactam utriusque provinciæ divisionem, qualis ab ecclesiasticis servata est, non afferunt, sed fluminum sectione illas dividunt, ut ad oculum patet. Ex collatione habemus Dialogum episcopum Zamensem, cui. Garnerius Majorinum et Silvanum etiam collegas superimponit, ut episcoporum eadem in urbe triumviratum constituat Zama Jugurthæ, dein Jubæ in Numidia Regia, rebus apud eamdem a Metello et Cæsare gestis celebratur a Sallustio et A. Hirtio; Zumma vero fuit exigunm in eadem provincia oppidum ex sola collatione Carthaginensi scriptoribus ecclesiasticis notum.

Valentinus. Vajenensis *Ita legitur in collatione. Incerta sedes est; fuit tamen prope Vegeselam, nam*

in collatione pro Vegeselitano episcopo subscripsisse dicitur. In cap. 135 collationis hæc leguntur: *Valentinus episcopus Vajensis pro consacerdote meo Regino Ecclesiæ Vegeselitensis, qui hic Carthagine infirmitatis causa detinetur*, etc., *subscripsi.* Ejusdem adversarius Donatista cap. 186 dicitur *Quintasius Vajensis.* Vegesela erat in confiniis Numidiæ versus Byzacium; nam ex Antonino distabat Sufetula urbe Byzacii millia passuum 30, in itinere Thenis Thevestema Vaja, seu Baja non semel in ecclesiasticis Africæ monumentis nominatur. *Felix Brjanensis* fuit in concilio Grati Carthaginensis, *Bejanus Bejanensis* fuit unus e duodecim ordinatoribus Maximiani damnatus Bagaiæ a Donatistis ex Augustino lib. III con. Cresc., cap. 53. Perperam vero ex subscriptione Valentini deducitur istum sedisse B propc Vegeselam. In collatione cap. 208 et 209 plures episcopi Donatistæ subscripsere pro collegis, qui *in itinere infirmitatis causa detenti* dicuntur, quorum tamen diœceses non erant conterminæ. Et cum Reginus Carthagine ægrotaret, invisentem se Valentinum rogare potuit ut mandatum suo nomine subsignaret. In Ephesina synodo pro Rufo Thessalonicensi subscripsit Flavianus Philippensis, quorum sedes non erant vicinæ; hic enim in Macedonia secunda, ille in prima sacrorum præfectos agebant.

Aurelius Macomadiensis. *Bis Antoninus meminit civitatem Macomadum in Itinerario: semel dum describit viam quæ duxit Cirtam Carthagine: iterum in itinere Assuris Ahenas. Illic non procul a Cirta, isthic prope Thenas ponitur: quare necesse est falli lexico-* C *graphos qui legi debere putant Macomadem, eamque collocat prope Sirtim Minorem.* Postea: *Gemina enim fuit Macomadia apud Numidas; una cujus Ecclesiam regeret Aurelius, haberetque adversarium Sallustium Donatistam; altera Resticiana, cui pra parte Donati Proficentius præsset.* Imo tres Macomades recenset Antoninus. Priorem in Numidia ponit distantem Cirta millia passunm 53; alteram in Byzacio prope Thenas, quæ urbs erat in Byzacio, in cujus Notitia nominatur *Pascasius Thenitanus*; et rursus in eodem itinere a Magna Lepti, quæ erat metropolis Tripolitanæ provinciæ, Alexandriam ait: *Macomades Syrtis.* Antonino consentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ prope Thenas in Byzacio reponunt *Macomades Minores.* Quarta Macomadia apud Numidas lexicographi, D quos vellicat, a Garnerio discent. Quare Proficentius Donatista sedebat apud Macomades Byzacenos; hæc enim urbs dicitur ab Antonino *municipium.* Limes Macomadiensis in Notitia imperii Occidentalis ponitur sub custodia ducis Tripolitani.

Donatus Amporensis. *Dicitur quidem in collatione Auburensis, sed in Notitia fit mentio Cresconii Amporensis, ejecti in exsilium cum aliis.* In collatione cap. 121 non Auburensis dicitur, sed *Anburensis*, cujus adversarius Servatus cap. 198 appellatur *episcopus Amphorensis.* Potuit Donatus sedere Anburæ in diœcesi Amphorensi seu Amporensi, quemadmodum Delphinus ex cap. 65 ejusdem collationis, morabatur in diœcesi Constantiensi, et quatuor catholici erant A in diœcesi Adeodati Milevitani Donatistæ, ut ibidem Petilianus conquestus est.

Restitutus Novasinus. *Ita in collatione. In Notitia episcoporum Numidiæ recensetur inter expulsos Candidus Novasinensis. Interfuit concilio tum Carthaginensi ante collationem anno* 411, *tum Milevitano anno* 416, *tum Africano universali an.* 417, *in quo tertius fuit legatorum provinciæ Numidiæ.* Hæc partim recte dicerentur, si unus e Numidia Restitutus Novasinensis appellaretur; sed occurrit in eadem collatione cap. 143 *Restitutus episcopus Tagorensis*, quam Ecclesiam ad Numidiam spectare concedit Garnerius, quia in Notitia illius provinciæ ponitur *Timotheus Tagurensis.* Rursus in synodo anni 418 dicuntur electi legati de provincia Numidiæ *Alinqius, Augustinus* et *Restitutus.* Quare cum hic Restitutus sederit in synodo anni 416 ante Alipium et Augustinum, perperam dicitur ille idem qui anno 418 nominatur Numidarum legatus, quia hic post Alipium et Augustinum ibidem, tanquam in episcopatu posterior memoratur.

Lucianus Guirensis. *Recensetur inter episcopos qui Carthagine synodum habuerunt ante collationem*, etc. *An vero et hic et ille corrupte legatur Ecclesiæ nomen, reponique debeat pro Guirensi vel Girensi, Girbensis, cujus episcopus decimo loco sententiam dixit in concillio rebaptizantium, dubitaverit fortę aliquis, nec meo judicio valde temere.* Non ibo inficias judicio geographi urbes subinde miscentis non fore ita sentientem valde temerarium. Sed eruditi riderent hominem Girbam in Numidiæ locantem. Qui ponitur *Momillus a Garba* in synodo rebaptizantium, spectat ad Tripolitanos; nam in Notitia hujus provincæ laudatur *Faustinus Girbitanus.* In Numidia nulla Girba nominatur, sed tantum Garbe; unde in synodo Secundi Tisigitani apud Girtam adfuit *Victor a Garbe* ex Optato Milevitano lib. I, et Aug. lib. III. con. Cresconium, cap. 27.

Alipius Thagastensis. *Nobilior ille est cum scriptis Augustini, Hieronymi, ac Paulini, et aliorum, tum maxime rebus gestis fastisque Ecclesiæ, quibus ascriptus est inter divos die* 15 *Augusti*, etc. Omnia egregie. Sed Alipius supra omne Garnerii præconium est.

Augustinus Hipponensis. *Nulla hic nota opus est.* Utinam quemadmodum nullas hic scriptor de Augustino notas supponit, ita nec ulli Augustino notas inussissent; neque enim nobis vindiciarum scribendarum necessitas imposita fuisset: unde eorum qui sc ac sua tantum probant, querela non uno loco erupit.

Placentius Madaurensis. *Legitur quidem in collatione Placentinus, imo et in codice Latino Ecclesiæ Africanæ, verum in Græco habetur Placentius, quæ vox communior apud Afros. Interfuit concilio Africano anno* 418, *personamque gessit legati Numidiæ, ac in causa Maurentii Tubursicensis contra seniores nostræ Germaniæ interlocutus est.* Correctionem admitto. Interim annum synodi cui interfuit Placentius contra seniores novæ Germanicæ (ita legitur cap. 67 Cod. Africani) ipse etiam corrigat; dicendus enim est annus 407, nam in synodo indicta Basso et Philippo coss., anno 408, nullum Placentii nomen sonat.

SEVERUS MILEVITANUS. *Severi Ecclesiam silet collatio prout edita est, quamvis de Severo loquitur serius Carthaginem appulso cum novemdecim aliis catholicis, quorum catholicæ Ecclesiæ appellantur*, etc. Nulla nota hic notis inferri potest. Loquitur ex cap. 215 collationis. Sedit Severus Milevi ante annum 397. Mileum dicitur ab Antonino, et fuit colonia ex Tabulis Peutingerianis.

FORTUNATUS CONSTANTINIENSIS. *Fuit unus e septem catholicis qui collationem contra Donatistas susceperunt; sitne Constantiniensis Ecclesia eadem quæ Cirtensis, disputant eruditi.* Et adductis argumentis quibus eadem urbs utroque modo nominata apparet, ait: *Cogit me, licet reluctantem, tanta vis argumentorum assentiri Gravio Pamelioque, quem ducem secutus esset. Quanquam prima ratio qua utitur omnino infirma est; siquidem Fortunatus ille Cirtensis quam memorat Augustinus lib. de Unico Baptismo cap. 16, diversus est procul dubio a Fortunato, quem lib.* III *contra Petilianum, cap. 1, et lib.* III, *cap. 38, Constantinensem vocat: ille enim Possidium dignitate episcopali præcessit, iste secutus est. Cirtensis siquidem paucissimis annis, antequam Augustinus librum de Unico Baptismo scriberet (scribebat vero anno 407), successit Profuturo, cum tamen Possidius ante annum 394 episcopus est; at Constantinensis præcedebat Possidium, ut ex multis subscriptionibus constat.* Scribit Aurelius Victor in libro de Cæsaribus, victo anno 306 a Constantino prope Milvium pontem Maxentio, a senatu Romano *Cirtæ oppido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito, exornatoque nomen Constantina inditum.* Hinc Constans et Constantius Constantini filii dederunt rescriptum *Ordini civitatis Constantinæ Cirtensium lege 29 de decurionibus. cod. Theod.* Augustinus lib. I con. Petil. cap. 2, ait: *In eadem Constantiniense civitate Sylvanum episcopum majores vestri in ipso exordio sui schismatis ordinaverunt.* In libro vero tertio contra Cresconium cap. 27, *Sylvanum Cirtensem* nuncupat. Et lib. III con. Petilianum episcopum Constantinensem Donatistam ait: *Ego commemoravi Sylvanum Cirtensem, cui quibusdam interpositis etiam ipse successit.* Ubi Petilianum Sylvani *concathedraneum* appellat. Legatur epist. 165, itemque gesta sub consulari Numidiæ Zenophilo. Hinc idem S. doctor Petilianum et Fortunatum modo Cirtenses, modo Constantinenses episcopos dicit, ut pluribus ostendi lib. II Hist. Pelag., cap. 8. Hæc sunt evidentia: at Garnerius testatur *se reluctantem* in hanc sententiam descendere; malebat enim Constantinam a Cirta distinguere, ut, qui toties duas in unam urbem confudit, hic unam in duas dissecaret. Verum quod de urbibus malebat, hoc de episcopis fecit, dum Fortunatum Cirtensem a Fortunato Constantinensi diversum pronuntiavit. Scribit hæc Augustinus libro laudato de Unico Baptismo cap. 15: *Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, et Fortunatus, qui in corpore adhuc est, atque illi successit episcopo*, etc. Itaque an. 407, cum hæc scriberet Augustinus, vivebat Fortunatus Profuturi in Cirtensi sede successor. Porro eodem vivebat etiam Fortunatus Constantinensis, nam lib. I cont. Petil., cap. 1, ait: *Cum essem in Ecclesia Constantinensi, Absentio præsente, et collega meo Fortunatio ejus episcopo.* At lib. II, cap. 5, laudans Romanam Ecclesiam ait: *in qua hodie Anastasius sedet.* Ubi vides libros contra Petilianum scriptos fuisse a S. doctore, superstite S. Anastasio papa, qui cum diem obierit anno 402, consequens fit ut Fortunatus Constantinensis ante annum 402 fuerit episcopus Constantinæ, qui cum in collatione anno 411, et in synodo Milevitana anno 419, præsens fuerit, anno 407 juxta Garnerii chronologiam sedebat Constantinæ una cum Fortunato alio Cirtensi Profuturi successore. Ita duos Fortunatos ex uno faciens, fabulam de duobus Menæchmis belle iterum ludit,

POSSIDIUS CALAMENSIS. *Fuit et ipse collatorum unus, imo individuus fere quemadmodum et Alipius Augustini in rebus Ecclesiæ agendis socius*, etc. Omnia bene se habent; sed quod proxime in notis ad Fortunatum dicit *Possidium ante annum 494 episcopum fuisse*, anachronismo scatet. Ipse Possidius Calamensis in lib. de Vita Augustini cap. 8 scribit S. doctorem Hippone consecratum *a primate Numidiæ Megalio Calamensi episcopo.* At Augustinus ex Chronico D. Prosperi viri et coætanei et amicissimi, inauguratus est antistes Olybrio et Probino coss., anno 395. Quare nondum illo anno Megalius obierat. Cæterum Fortunatum Constantinensem, et Possidium Calamensem ordinatos fuisse anno 397 evidenter ostendi lib. II Historiæ Pelagianæ, cap. 8.

NOVATUS SINITENSIS. *Ita legitur in collatione. Sinitensis autem Ecclesiæ meminit Augustinus epist. 128, quæ est ad Donatum; meminit pariter Notitia episcoporum Numidiæ, in qua scribitur Stephanus Sinitensis in exsilium pulsus. Quæ porro fuerit, et ubi posita civitas illa incertum est; nisi quod ex Augustino colligi potest non procul ad urbe Hipponensi abfuisse. An non idcirco putari potest esse Sinistu colonia, cujus mentio fit apud Antoninum in Itinere ab Hippone Carthaginem, diciturque Hippone distare* III, M. LXXX, M. M.? Omnia plane susdeque pervertit, urbes ex una in aliam provinciam portans, textus collationis et Antonini pessime corrumpens. In cap. 143 collationis legitur, *Novatus episcopus Ecclesiæ Sitifensis*; et cap. 204, *Novatus episcopus Ecclesiæ catholicæ Sitifi.* Erat Sitifis celebris Mauritaniæ urbs, et, ut ait Procopius lib. II de Bello Vandalico, *caput regionis Zabis, ultra Aurasium montem sitæ*, a qua Mauritania Sitifensis quinta ecclesiastica in Africa provincia denominabatur. In Codice Africano cap. 127 laudatur *Novatus Sitifensis legatus Mauritaniæ Sitifensis.* Garnerius ut Novatum inter Numidas recenseat, ex Sitifensi fecit Sinitensem. Erat Sitifis proxima Numidiæ, distans Guiculo urbe Numidica ex Antonino millia passuum viginti quinque, Ampsaga fluvio inter utramque posito. Nusquam Antoninus meminit *Sinistu* in itinere Hippone Regio Carthaginem: scribit enim: *Onellaba* M. P. L. *Ad Aquas* M. P. XXV. *Simittu* M. P. L. *Bullam Regiam* VII. At ille ex Simittu reddit Sinistu. Porro

Simittu erat in Proconsulari provincia; nam in synodica act. 2, 1, concilii S. Martini legitur *Benenatus Simitensis* inter Patres proconsulares, in synodo anni 416 *Adeodatus Simittuensis*, et cap. 125 collationis nominatur *Benenatus Simittensis*, qui dixit: *Nec habeo alium, nec hæreticos.* Verum cap. 202 *Cresconius episcopus Sinitensis* cum Donatistis nominatur; ubi vero hæc urbs fuerit dicam suo inferius loco ad notas in Lucillum.

Secundus Ruspitensis. *Ita legitur in collatione. Pertinuisse vero Secundum cum sua Ecclesia ad provinciam Numidiæ constat ex can.* 100 *Cod. Africanæ Ecclesiæ; ubi dicitur electus a Maurentio pro uno judicum sua in causa, apud primatem Numidiæ Xantippum. Nam alii omnes episcopi Numidæ sunt, et judicium illud provinciale fuit.* Tot sunt in paucis verbis errata, ut unde censuram exordiar ignorem. Hærebo ejusdem vestigiis, ut subinde labentem in pedes erigam. Erat Ruspa Byzacii urbs, quam S. Fulgentius et vitæ sanctitate et scriptorum excellentia illustravit. Laudatur in Notitia Byzacena *Stephanus Ruspensis*, et in synodali ejusdem provinciæ act. 2 concilii S. Martini *Julianus Ruspensis.* In Tabulis Peutingerianis in Byzacio ponuntur *Ruspe et Ruspina.* In Tabulis Ptolemaicis legimus hæc in Byzacio oppida: *Adrumetum, Ruspina, Leptis parva, Tapsus, Achola, Ruspe, Bracordes promontorium*, etc Plinius *Ruspinam* liberum oppidum dicit lib. v, cap. 4. Itaque Secundus Ruspitensis qui in collatione nominatur, sive Ruspæ, seu Ruspinæ sedit, perperam ad Numidiam transfertur. Secundus qui canone 100 Cod. Afric. memoratur, erat episcopus Megarmelitensis, ut postea ostendam. Denique quod ait antistites electos in causa Maurentii Tubursicensis *omnes Numidas fuisse*, falsum est. Nam hi plane fuere Xantippus Tagosensis primas, Augustinus Hipponensis, Florentius Hippoxarrhytensis, Theasius Memblositanus, Samsucius Turrensis ex epistola Augustini 168, Secundus Megarmelitensis ex collat. cap. 125, et Possidius Calamensis. At certum est Memblositam et Hipponem Diarrhytum fuisse in Proconsulari. De Theasio hoc ipsum dixit Garnerius in notis ad superiorem epigraphen, licet nescierit distinguere Membressam a Memblosita. In synodali apud concilium S. Martini, inter proconsulares subscribit *Donatus Ipponizaritensis.* Sed hæc clare patent, neque diutius in illis te volo.

Maurentius Tubursicensis. *Ita legitur in collatione* etc. Rem acu tetigit: hinc illi etiam atque etiam gratulor. Tollit se humo: sed heu statim corruit.

Leo Municipii Moptensis. *Ita legitur in collatione. Est autem sermo Municipii in Notitia episcoporum Numidiæ, ubi scribitur* Victor Municipiensis *cum aliis actus in exsilium. Cavendum porro ne quis propter cognationem nominum Leonem hunc confundat cum alio, qui Moctensem Ecclesiam rexit adfuitque concilio plenario ann.* 419; *illa enim Ecclesia, quæ, Moptensis dicitur, ad Numidiam provinciam, ista, quæ Moctensis, ad Mauritaniam Sitifensem pertinebat.* Moptam ex Sitifensi diœcesi in Numidiam rapit, ubi apud unum Garnerium *Mopta* collocatur. In Tabulis Peutingerianis in Mauritania Sitifensi scribitur: *Mopti municipium.* At ille municipium pro Municipio oppido, quod erat in Numidia, obtrudit, cum Mopta diceretur municipium, quod non erat colonia seu urbs Latio donata, sed vivebat lege municipali; et in laudatis Tabulis oppida quæ municipia vel coloniæ fuerint optime demonstrantur. Quod vero Leo in synodo ann. 419 dicitur Moctensis, mendose scribitur; nam ex vetustis codicibus Vaticani Labbeus tom. II Concil. pag. 1670, reposuit *Moptensis.*

Faustinianus Tamugadensis *Ita in collatione. Est autem prope Thevestam coloniam in Numidia Tamugade civitas nota Augustino, Antonino, Plinio, Ptolemæo, et aliis.* Neutiquam notum est Antonino Thamugadem esse vicinam Thevesti; nam hic scribit: *Theveste* M. P. XXII. *Timphadi* M. P. XX. *Vegesela* M. P. XVIII. *Mascula* M. P. XXII. *Glaudi* M. P. XXII *Thamugadi.* Igitur Thamugada non est prope Thevestem ex Antonino, cum eodem teste, remota fuerit ab illa urbe millia passum 104, et mediæ inter utramque fuerint Mascula et Vegesela urbes episcopales: hic enim tempore collationis Rheginus, illic vero Malchus antistites sedebant. Frugum copiam apud Thamugadam laudat Procopius lib. II de bello Vandalico. Ibidem etiam tradit pag. 97 Ed. Grot. Thamugadam sitam esse in campis ad Orientem, adversus montem Aurasium, quem ait *trium dierum itinere* Carthagine remotum fuisse. In eodem vero libro laudato pag. 120, *Thevestem sex dierum itinere Carthagine distans oppidum.* Verum quod Faustinianus ille fuit Thamugadensis, pura puta Garnerii divinatio est; nam in collatione cap. 215 recitatur *Faustinianus Rusiccadensis.* Hanc vero urbem in Numidia ponit Plinius lib. v, cap. 3, ubi scribit distasse Cirta Numidiæ metropoli millia passuum 48. Ponitur ab Antonino distans a Gullu Numidiæ millia passuum 60, a Paratianis 50; quæ loca erant in Numidia et Rusiccades media inter illa locatur. Cur ergo Faustinianus Rusiccadensis nequit affirmari ille idem qui interfuit synodo Milevitanæ? Legit in laudato capite 215 Alipium dixisse de Faustiniano Rusiccadensi: *Hic est in hac civitate, sed male habet.* Quare morbo eumdem anno 411 putavit Carthagine exstinctum; unde unus Thamugadensis in collatione remanebat, quem synodo Milevitanæ præsentem citra dubium asseveraret. Visne tam speciosam conjecturam admittere?

Cresconius Cuiculitanus. *Ita in collatione: scribendum forte Culcuitanus, est enim cognita non tantum Antonino, sed etiam Ptolemæo, Culcua colonia media fere inter Cirtam, Simittu coloniam, Lares, et Gansapham.* Rideas, per me licet, Novæ Geographiæ portenta. Ponit Cuiculum medium fere in itinere Cirta Orientem versus ac Carthaginem; et quod mirabilius est, ex Antonino, qui tamen hæc scribit: *Cirta Mileum* M. P. XXV, *Idicram* M. P. XXV, *Cuiculi* M P. XXV, *Sitifi* M. P. XXV. Vides, teste Antonino, situm esse Cuiculum in itinere Cirta versus Occiden-

tem ad Sitifensem civitatem, quæ cum in Mauritania Sitifensi fuerit, aperte deducitur Cuiculum extremam fuisse Numidiæ urbem versus Mauritaniam, quam tamen idem in medio fere Numidiæ locat. Mirare interim hominis solertiam, qui in Antonino invenit Culcuitanum oppidum, quod nusquam in Antonini Itinerario legitur; non autem vidit Cuiculitanum, quod ab eodem tam diserte designatur. Sed vix pati possum ab hoc commentatore Cuiculitanam Ecclesiam in Culcuitanam mutari auctoritate Ptolemæi (qui tamen *Calcuam*, non *Culcuam*, ut mendose legit, inter Numidiæ novæ urbes posuit), cum in vetustis Africanæ Ecclesiæ monumentis nihil Cuiculitana urbe frequentius nominetur. In synodo Grati laudatur *Elpidophorus Cuiculitanus*; in synodo S. Cypriani *Pudentianus a Cuiculi*; in Notitia Africæ *Victor Cuiculitanus* in collatione *Cresconius episcopus plebis Cuiculitensis*; in synodo v *Creses episcopus E. Cuiculitanæ provinciæ Numidiæ* Memini Garnerium initio præfationis ad Historiam Nestorianam affimare Christianum Lupum magnum ecclesiasticæ antiquitatis reparatorem *immensa eruditionis copia vix non obrui*. Procul ab hoc periculo remotum vides Garnerium, nondum enim immensa illa eruditione suffocatur; tota enim ejusdem litteraria supellex, quod notas præsentes attinet, pugno stringitur,

Malchus Masculitanus. *Ita in collatione. Nota vero Antonino est Mascula* M. M. LX. P. *a Thebeste distans euntibus ad Sitifensem coloniam. Recensetur etiam inter episcopos Numidiæ Januarianus Masculitanus, et meminit Augustinus lib.* III *cont. Cresconium, cap.* 27, *Donati Masculitani, qui in concilio Cirtenei Donatistarum anno* 303, *cui præfuit Secundus Tisigitanus Numidiæ primas, confessus est se traditorem.* Recte de Malchi sede : nam etiam in synodo Bonifacii laudatur *Januarius Masculitanus legatus provinciæ Numidiæ.* Verumtamen in iis quæ addit peccat biennii prochronismum. Nam synodus illa teste Optato lib. I, *post persecutionem apud Cirtam coacta fuit.* Et Augustinus libro laudato cap. 26, ait : *Exstat Secundi Tisigitani concilium cum paucissimis quidem factum apud Cirtam, post persecutionem codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur episcopus.* At ex gestis municipalibus persecutio codicum tradendorum incœpit Cirtæ *Diocletiano* VIII *et Maximiano* VII *conss.*, anno 303. XIV *kal. Junii*, ex eodem cap. 29, Cirtæ sedente *Paulo episcopo*, cui postea anno 305 mortuo Sylvanus successor datus est, Augustinus annum et diem synodi Cirtensis designat in breviculo collationis tertiæ diei cap. 18, ubi et tempus durantis in Africa persecutionis etiam declaratur. *Gesta*, inquit, *martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis consulibus facta sunt Diocletiano* XI *et Maximiano* VIII, *pridie idus Februarias : gesta autem episcopalia decreti Cirtensis post eumdem consulatum tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur.* Habes ex Augustino sævisse persecutionem anno etiam 304, cum martyres occisi sunt; synodum vero Cirtensem coactam anno 305, die quinta Martii, cum cessasset in Africa persecutio post abdicationem Diocletiani et Maximiani, dominante in Italia et Africa Severo Cæsare. Probat hæc ipsa pluribus eruditissimus Henricus Valesius in notis ad cap. 2 lib. VIII Eusebii Cæsariensis. Hadriani Henrici fratris litteras nuper ad te datas mihi ostendisti. Ambo de ecclesiastica ac profana historia benemeriti, ac proinde tua amicitia dignissimi.

Littorius Suanensis. *Ita quidem in collatione, sed forte legendum* Sugunensis. *Ponitur enim ab Antonino in Numidia prope Cirtam Sugus : quanquam in Notitia episcoporum Numidiæ fiat mentio Felicis Suabensis in exsilium pulsi.* Si non perfunctorie Notitiam lectitasset, cognovisset ibidem memorari *Victorem Sugitanum;* unde Suabensis seu Suavensis (non, ut ille ait, *Suanensis*) Ecclesiæ in Sugitanam convertendæ sententiam exuisset.

Fortunatus Casensi-Calanensis. *Ita in collatione; sed cum plures ejusdem nominis censeantur, dubium an Fortunatus noster sit hujusce Ecclesiæ episcopus.* Vah! quales modo scrupulos patitur, qui passim quosdam episcopos ad hanc synodum ex collatione admittit, aliis ejusdem prorsus nominis pro arbitrio exclusis! Sex Fortunati in collatione inter catholicos recensentur : Rusuccurensis, Capsensis, Constantiniensis; prior pertinet ad Mauritanos Cæsarienses, alter ad Byzacenos, postremus ad Numidas, qui ante Possidium legitur in epigraphe. Tres alii recitantur, Casensi-Calanensis, Abbenzensis, et Undesitensis. Has duas Ecclesias incertæ provinciæ vulgo ascribunt. At in Notitia Numidiæ recitatur *Optantius Casensi-Calanensis.* Garnerius ergo dubitat an Numidiæ episcopus Fortunatus sederit apud Ecclesiam Casensi-Calanensem, quam certum est ad Numidiam spectasse, vel potius fuerit episcopus Undesitæ, vel Abbenzæ. incertæ prorsus provinciæ oppidorum.

Donatus Tibilitanus. *Legitur in collatione Tigilitanus, sed procul dubio mendose; neque enim uspiam mentio reperitur civitatis Tigilis.* Libenter admitto Donatum legi in collatione *procul dubio mendose* Tigilitanum, sed ab uno Garnerio, nam qui litteras norit, in cap. 121 collationis leget : *Donatus episcopus Tisilitensis. Idem dixit : Præsto sum; sed non habeo contra me etiam episcopum.* Ille vero perperam pro *Tisilitensi*, quemadmodum in tribus editionibus Massonis, Albaspinæi, et Labbei legitur, *Tigilitanum* dixit. Sed præproperæ lectioni id vitio vertatur. Aliud insuper peccat, quod in urbe Tibilitana Donatum episcopum catholicum ponit anno 411, cum idtemporis apud Tibilitanum oppidum sederet Simplicius Donatista episcopus, qui cap. 197 collationis dixit : *Adversarium non habeo.* Huic tamen, velit nolit: Donatum Catholicum in eadem urbe adversarium jungit : cum uterque sua in civitate testatus sit non habere adversantem coepiscopum. Estne hoc eruditorum patientia abuti?

Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius. *Incertæ sedis.* Uno verbo semet censuræ periculo, nos molestia liberat.

ADEODATUS BELLALITENSIS. *Ita quidem in collatione appellatur Ecclesia : sed in Notitia Numidiæ legitur Bellalisensis. Ubi vero Numidiæ sita fuerit ejusmodi civitas, incompertm mihi est.* Sed cum Garnerio expostulabit alter ejusdem nominis episcopus Numida, qui cap. 129 dicitur *Adeodatus episcopus plebis Bazaritanæ:* nam hanc urbem in Numidia fuisse docet Notitia ejusdem provinciæ, in qua laudatur *Vitalianus Vazaritanus*; et *loci Vazaritani* fit mentio can. 54 Cod. Africani. Itaque mere pro arbitrio Bellalitensem obtrudit, excluso Bazaritano. Quare hujus Adeodati qui in synodo nominatur, civitas etiam incerta est, et non tantum situs civitatis, ut ille affirmabat.

PROCESSUS. *Ignotæ sedis.* Procedamus ad notas.

CRESCONIUS CENTENARIENSIS. *Ita legitur in collatione. Et vero in Notitia episcoporum Numidiæ numeratur inter ejectos inde episcopus Florentius Centenariensis.* Cum plures Cresconii in collatione numerentur, hunc qui trigesimo loco in epigraphe nominatur, sedisse apud Centenarium (ita hoc oppidum appellatur in Tabulis Peutingerianis) sine teste non credam ; cum præsertim idem Garnerius de Cresconiorum in Numidia urbibus nihil certi se statuere posse ingenue fateatur, ut suo inferius loco videbis,

SECUNDUS MAGARMELITANUS, seu AQUENSIS. *Quem Magarmelitanum collatio dicit, Aquensem præterea vocat Augustinus.* Nusquam in Augustini libris Secundi nec *Magarmelitani*, nec *Aquensis* nomen reperitur. In libello tantum Leporii hæc subscriptio legitur: *Secundus episcopus Aquensis, sive Megarmitanæ oblato nobis a Leporio libello subscripsi.* Ubi non Augustinus, qui ibidem eodem modo subscriptus legitur, sed ipse Secundus se Aquensem dixit.

FELIX VILLAREGENSIS. *Etsi certum est ex duobus ejusdem nominis episcopis Numidiæ alterum fuisse Villaregensem, alterum Tubiensem, dubium tamen uter utram ecclesiam rexerit.* Postea, *canon* 48 *Cod. Afric. continet causam Cresconii Villaregensis, qui cum Tubiensem Ecclesiam violenter invasisset, relicta Villaregensi, sæpiusque admonitus fuisset, contumaciter parere detrectaverat. Verum cum expostulatio facta fuerit ab Honorato et Urbano Mauritaniæ Sitifensis legatis, conjicere posset aliquis, nec temere utramque præfatam Ecclesiam ad hancce Mauritaniam pertinere. Sed cum Notitiæ auctor in contrarium sentiat, vix ego possim conjecturam probare: quis enim Victore Uticensi melius situm civitatum Africæ, Ecclesiarumque a suis rectarum sociis distinctius noverit? Quare donec lux aliunde major affulgeat, Notitiæ adhærendum puto.* Cespitat in plano, et in meridie *majorem lucem* exoptat. Sibi fingit testimonium Notitiæ canonis Africani dictis adversari. In Notitia Numidiæ scribitur *Donatus Villaregensis;* at Tubiensis Ecclesia ibidem non recitatur. Itaque Cresconius ex urbe Villaregensi Numidiæ ad Mauritaniam Sitifensem profectus, Tubiensem ibidem Ecclesiam invaserat. Hinc legati Sitifenses petiere a synodo ut agere possent contra Cresconium, coram *rectore provinciæ* ; erat enim Mauritania Sitifensis provincia præsidalis teste Sexto Rufo in Breviario. Ex quibus evidenter colligitur Tubiensem Ecclesiam huic provinciæ ascribendam, non vero Numidiæ; alias istius provinciæ legati contra Cresconium stetissent, non autem Sitifenses. Carolus a S. Paulo Tubiensis episcopatus non meminit, et Holstenius pag. 65 et 96 notarum ad eumdem minus recte cum Tubunensi confundit; Tubunæ enim erant in Numidia, ut postea dicam. Garnerius quod Cresconius relicto oppido Villaregensi Tubiensem sedem occupavit, utramque Numidiæ urbem asseruit. Scimus ex Socrate, Sozomeno, et Theodoreto Euzoium prius sedisse apud Germaniciam in Euphratensi provincia, dein Antiochensem thronum invasisse, postremo Constantinopolitanam sedem usurpasse. Eusebius teste synodo Alexandrina in apologia secunda S. Athanasii, primo Beryti in prima Phœnicia episcopus fuit, inde in Nicomediensem in Bithynia sedem se intrusit, tandem favente Constantio Augusto Constantinopolitanam arripuit, *semper aliorum civitates, oculis per invidiam conjectis, oblimans atque arrodens.* Juxta illationem Garnerii in eadem provincia erunt memoratæ urbes, cum tamen Constantinopolis fuerit in Europa, aliæ vero in variis ac abs se invicem remotis Asiæ provinciis. Forte quo erronem istum Cresconium longioris itineris molestia liberaret, utrumque oppidum Villaregense et Tubiense in eadem provincia posuit, ut Cresconius de uno ad alterum facile transiliret.

ASIATICUS. *Incertæ sedis, quemadmodum et* RUFINIANUS. Nullus hic censoriæ severitatis notæ locus est. Melius illi vertit ignorare quam docere.

FAUSTINUS SILLITENSIS. *Ita in collatione ; fit autem in Notitia episcoporum Numidiæ mentio Maximi Sillitani.* Exspecta parumper, et alterum Faustinum Sillitanam cathedram una simul sedentem audies; ima tertium Faustinum suppositititium in hac synodo, Garnerio auctore, videbis.

SERVUSDEI BURENSIS. *Ita in collatione, nisi quod additur Tubursicensis Buræ. Verum in Notitia episcoporum Numidiæ dicitur simpliciter Leontius Burensis.* Non uno vitio laborat hoc scholion. Agnomen urbis pro ejusdem nomine obtrudit. Cum duplex esset Tubursicus in Africa, una dicta est Tubursicus *Buræ*, altera *Numidiarum.* Patet ex collatione, in qua cap. 121 laudatur *Servusdei episcopus plebis Tubursicensis Buræ*, contra quem Donatus hæreticus stabat, qui cap. 206 dicitur *Donatus Tubursicensis*, neque additur *Buræ*, unde constat Servumdei non esse dicendum Burensem, sed Tubursicensem ; a nomine enim, non ab agnomine urbis appellandus est : hoc enim hujus Tubursicus ab altera istius nominis urbe distinctio tantum significatur. Ita dicimus Ultrajectum Rheni, ut hoc oppidum ab Ultrajecto ad Mosam secernamus, et perperam quis hujus civitatis episcopum vocaret *Mosensem.* Altera Tubursicus dicebatur *Numidiarum*, ita in eadem collatione cap. 201 inter Donatistas nominatur *Januarius de Tubursicu Numidiarum*, cui adversabatur ibidem Maurentius catholicus ex cap. 143, ubi appellatur *episcopus Ecclesiæ Tubursicensis*,

Utrumque oppidum confudit Holstenius pag. 55, et unius tantum meminit Carolus a S. Paulo. Ex his etiam infertur, Tubursicum, ubi sedebat Servusdei, non recte statui in Numidia, cum ad distinguendam alteram Tubursicum a Tubursicu Buræ, illa diceretur *Tubursicus Numidiarum*. Poterat Garnerius Servumdei ex Augustino lib. III contra Cresconium, cap. 43, eximie commendare, cujus verba hic laudanda sunt, ac germana lectio restituenda. *Episcopus*, inquit, *catholicus a Thubursicubure Servus nomine, cum invasum a vestris locum repeteret et utriusque partis procuratores proconsulare præstolarentur examen, repente sibi in oppido memorato vestris armatis irruentibus, vix vivus aufugit.* Ubi legendum esse *Thubursicu Buræ* patet ex collatione, unde S. Augustinus Servum diserte nuncupat *Tubursicensem*, et Donatus hæreticus cap. 106 dictus est *Tubursicensis*, non vero *Tubursicuburensis*. Ex laudatis Augustini verbis videtur colligi hanc Tubursicum Buræ fuisse in Proconsulari, quod illius oppidi causæ *proconsulari* judicio subjicerentur, cum proconsules Carthaginensem provinciam, consulares Numidiam regerent; sed video infirmum ac plane lubricum esse hoc argumentum; nam Possidii et Crispini in Numidia episcoporum causam cognovit proconsul ex Augustino lib. III, cap. 48. operis ejusdem contra Cresconium, quod etiam constat ex epistolis 127 et 128 ad Donatum proconsulem Africæ. Proconsules enim amplissima potestate in omnibus Africæ provinciis, excepta Mauritania Tingitana, utebantur. Tubursicus Numidiæ erat in itinere Hippone Cirtam ex Augustino epist. 163. Denique notes velim Garnerii technas, nolo enim dicere malitiam, aut vafritiem, a quibus longe esse virum probe scio; ille, ut citra dubium Servum seu Servumdei cum sua illa Burensi urbe, quæ nulla uspiam fuit, in Numidiam traheret, appellavit Notitiam Africæ, scribens in ea *dici simpliciter*: *Leontius Burensis*, cum tamen non ita legatur; nam *simpliciter* ibidem scribitur: *Leontius Burcensis*. Ita ex Burca Buram novam in Numidia urbem obtruxit. Burita fuit Numidiæ urbs, ut inferius patebit.

Terentius Seleucianensis. *Ita in collatione. Fit autem in Notitia episcoporum Numidiæ mentio Proficii Seleucianensis.* Poterat Terentium et Servumdei, quem proxime nominaverat laudare ex synodicis literis Africanæ synodi ad Cœlestinum papam, in quarum inscriptione nominantur *Aurelius Valentinus*, *Antonius*, *Tutus*, *Servusdei*, *Terentius*, *Fortunatus*, etc. Ita in utraque synodo Servusdei et Terentius tanquam eodem fere tempore consecrati, proxime sedebant. Ex hac vero epigraphe deduces, maximos illos Augustinianæ nostræ gentis heroas, Augustinum Alipium, Severum, ac Possidium, non fuisse in eo Africano concilio; nam ante Servumdei et Terentium inscripti legerentur, quemadmodum ponuntur in titulo epistolæ tantis notis a Garnerio illustratæ; quod nempe intelligerent eo in concilio ex universa Africa coacto adversus Romanas appellationes acerrime disputandum et decernendum esse, a qua sententia collegarum cum ipsi erga Romanæ Ecclesiæ jura obsequentissimi, procul essent, ideo ad eum episcoporum conventum se conferre recusarunt.

Cresconius de castello Tituliano. *Legitur in collatione* plebis Tituli; *sed notitia meminit Victorini de castello Tituliano episcopi Numidiæ.* Postea: *Monendum porro nunc, quoniam memini, vehementer esse probabile Notitiam episcoporum, qua tam sæpe* (at quam infeliciter!) *usi sumus, scriptam fuisse ab ipsomet Victore Uticensi, qui tres libros de Persecutione Vandalica composuit*, etc. *Atque hinc quisque satis perspiciat utrumque opus conjungendum, si quando Victoris historia edatur, tanquam alterum alterius supplementum et lumen.* Passim labitur. Scribitur in collatione cap. 125 *Cresconius episcopus plebis Tituli*, contra quem Victor Donatista stabat, qui capite 202 inte hæreticos ita recensetur: *Victor episcopus Titulensis.* Hæc autem Ecclesia pertinebat ad proconsulares, quod diserte Garnerius poterat discere ex Notitia episcoporum, qua se tam *sæpe usum* testatur sed profecto hac vice usus non est; nam ibidem inter proconsulares legisset *Crescitorum Titulitanum.* At ille ut Cresconium in Numidia episcopum faciat, eumdem ex oppido Titulitano in *castellum Titulianum* cito citius volare jubet. Quod addit, notitiam episcoporum Africæ inserendam historiæ Victoris de Persecutione Vandalica, *atque utrumque opus conjungendum, si quando Victoris historia edatur*, vix sine risu leges; habes enim in insigne tua bibliotheca historiam Victoris editam a Petro Chiffletio, quem inter eruditissimos societatis Jesu scriptores post Petavium ac Sirmondum laudare soleo, in cujus libro quarto memorata Africæ Notitia legitur. Qui sane vir doctissimus Garnerii vota non modo jamdiu prævenit, verum etiam superavit; cum Notitiam illam non quidem tanquam appendicem historiæ Victoris assutam voluerit, quod se desiderare Garnerius dicit, sed medio prorsus operi inseruerit. Editum est illud volumen a Chiffletio Divione anno 1664. Hinc forte putabis Garnerium hoc præsenti anno 1673, quo Marium Mercatorem notis illustratum publicavit, Chiffletii opus, quod in ore famæ versatur, atque eruditorum omnium manibus teritur, penitus ignorasse. Verum si ita judices, ægre in tuam sententiam descendam; nolo enim tam supinam celebratissimi voluminis ignorantiam homini affricare. Arbitror autem Garnerium jam ante novennium hasce nonas in utramque epigraphen adornasse; scribit enim se opus difficillimum, *quod hactenus tentavit nemo* aggressum; *sed non sine cura et labore.* Et quidem dissert. 5, pag. 319, testatur se ante duos et viginti annos ad Pelagianam Historiam commentariis illustrandam, a Sirmondo vetustissimis schedis communicatis animatum. Hinc ejusdem consilium laudo, qui juxta poetæ de scripto publicando monitum, *nonumque prematur in annum*, suas notas pleno a Chiffletiani Victoris editione novennio maturatas haud maturate vulgavit. Quod si ex eodem Horatio statim reponas:

Reprehendite quod non

Multa dies et multa litura coercuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem

Nullam pro homine responsionem adornare volo, ne ex censore repente, dum nescio, advocatus fiam.

Sperantius, *vel, ut est in collatione,* Speratus Ammadærensis. *Dubium mihi fuit, debeatne Ecclesia Ammadærensis in Numidia censeri, an in provincia Proconsulari, quamvis certum sit ad alterutram pertinere, etsi in neutrius Notitia inveniatur: verum cum prope absit a Thebeste colonia, ut est apud Antoninum; Thebeste vero, ut constat ex Notitia episcoporum Numidiæ, civitas sit Numidiæ, Ammadæra videtur quoque Numidiæ tribui debere, quantumvis repugnent vulgare tabulæ, profecto non exactissimæ. In concilio rebaptizantium* Eugenius ab Ammadæra *trigesimo secundo loco sententiam dixit, quem ad locum Pamelius nihil attulit in notis, alioquin eruditis, quod optatam lucem afferret. Affert aliquam Antonini Itinerarium, cum via quæ Carthagine Cirtam ducit ita describitur:* Unucam M. P. XXII, Sicillibram M. P. VII, Vallos M. P. XV, Coreva M. P. XV, Musti M. P. XXVIII, Laribum coloniam M. P. XXX, Attieuros M. P. XVI, Ammadæram coloniam M. P. XXXII, Theveste coloniam M. P. XXV, etc. *Hinc enim patet Ammadæram tribuendam esse Numidiæ, siquidem media est inter Attieuros et Thebestem, quæ duæ civitates in ista provincia existunt.* Quæso, vir eruditissime, ne ægre ac moleste feras me in his discutiendis parumper immorari; nonnulla enim tradam hactenus ecclesiasticis geographis ignorata, queis tamen Africanæ diœceseos limites exactius statuentur. Unuca Antonini apud ecclesiasticos scriptores Uluca nominatur. In cap. 127 collationis laudatur *Procericius Uculensis*, et in synodica apud concilium Lateranense sæpius nobis memoratum, *Cresconius Uculensis* inter proconsulares recitatur. De Sicilibba in superiori epigraphe dictum est. Vallos etiam fuit urbs episcopalis, et inter præsules Carthaginensis provinciæ in synodo Bonifacii appellatur *Restitutus episcopus plebis Vallitanæ*. Corevæ episcopus unquam mihi apparuit. Hic ab ecclesiasticis geographis Carolo a S. Paulo, et Luca Holstenio viris eruditissimis, designantur confinia provinciæ proconsularis. Etenim Mustim Corevæ finitimam ad Numidiam spectare ex Notitia Africæ citra dubium existimarunt; ibi enim inter Numidiæ episcopos memoratur *Antonianus Mustitanus*. Sed in eo decepti sunt, quod duas hujus nominis urbes in Africa non observarunt, quarum una in Numidia, altera erat in Proconsulari. Hoc patet ex collatione Carthaginensi, in qua inter Donatistas cap. 206 nominatur *Cresconius episcopus Mustitensis*. At superius cap. 121 hæc leguntur: *Victorianus episcopus plebis Mustitensis. Idem dixit: Præsto sum. Habeo Felicianum Mustitensem, et Donatum Turrensem contra me.* Et statim cap. 122, *Alipius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit: De nomine Feliciani utrum in communione sit Primiani.* Ex his optime intelligis apud Mustim in Numidia anno 411, cum celebraretur collatio, sedisse Cresconium Donatistam, apud Mustim in Proconsulari Felicianum qui toties S. Augustino in libris contra Donatistas memoratur. Inde vero assero Felicianum proconsularem episcopum et magni inter Donatistas Maximianistas nominis; quia Alipius petiit num Felicianus esset in communione Primiani primatis proconsularium, non vero Januarii primatis Numidiarum; cum tamen in synodo apud Bagajam Felicianus ab utroque primate ob Maximiani ordinationem damnatus fuerit. Adest evidens testimonium pro Musti proconsulari in synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, quam inter proconsulares subscribit *Januarius episcopus S. E. Mustitanæ*; in Notitia vero Numidiæ etiam legitur *Antonianus Mustitanus*. Urbs autem Turrensis in Proconsulari, cujus sacris præerat Donatus Donatista, quem Victorianus Mustitensis sibi vicinum dixit, apparet in Tabulis Peutingerianis, in quibus habetur, *Thurris* VI, *Sicilibba* VIII, *Inuca*, etc. Turrensis urbs erat proxima Sicilibbæ, quam esse proconsularem in notis ad superiorem epigraphen ostendi, ubi inter legatos provinciæ Proconsularis laudavi Prætextatum Sicilibbensem. Hac occasione etiam supplendæ mihi sunt tabulæ Ecclesiæ Africanæ, quam laudati geographi Carolus a S. Paulo et Holstenius publicarunt, qui Inucensem Ecclesiam Sicilibba millia passum 13 distantem omiserunt; cum tamen in collatione cap. 187 nominetur *Valentinianus episcopus Inucensis*. Hinc vides Philippum Labbeum, cujus morti sacra eruditio indoluit, et collegam Cossartium virum insignem, minus recte in margine pro Inucensi *Juncensem* reposuisse; illa enim Ecclesia erat in Proconsulari, hæc in Byzacio, et laudatur *synodus* habita a Liberato primate Byzaceno act. 2 concilii Bonifacii Carthaginensis, cujus etiam canones commendat Ferrandus Diaconus. In Laribo statuendo iidem geographi decepti sunt. Nam cum in Tabulis Ptolomaicis viderent Lares poni prope Vagam in Numidia, eamdem urbem huic provinciæ ascripsere. Sed ad eumdem lapidem offenderunt. Duplex enim fuit hujus nominis oppidum. In collatione cap. 207 recitatur *Restitutus Laritensis*, et cap. 197 *Honoratus Laurensis*, ambo episcopi ex parte Donati. Lares vero etiam ad proconsulares spectasse patet ex synodo Bonifacii, quam cum illius provinciæ Patribus subscribit *Vitulus episcopus plebis Larensis*. Cæterum ex Tabulis Peutingerianis, quas mihi inspiciendas tradidisti, res illustrari potest; ita ibidem scribitur: *Theveste* XI, *Ad Mercurium* XIV, *Admedera* XVI, *Mutia* XVI, *Orba* VII, *Larabus* XII, *Drusiliana* VII, *Thacia* VII, *Mubsi* VII, *Aboia* VI, *Tignica* XII, *Tichilla* XVI, *Membressa* III, etc. Aliud vero iter a Mutia describens ait: *Altuburos* XVI, *Altesera* X, *Assures*, etc. Ubi *Mabsi* legendum *Musti*. Ex his patet, non satis consequenter poni Ammederam (ita scribunt Augustinus lib. VII. de Bapt., cap. 39 collatio cap. 207, et Antoninus) in Proconsulari a sacris geographis; Lares vero, Drusilianam, et Mustim in Numidia, cum istæ urbes recto itinere a Theveste Numidiæ supra Ammederam sint Carthagini propinquiores. Sallustius *oppidi Laris* meminit in Bello Ju-

gurthino, Procopius lib. II. de Bello Vandalico Laribum dicit, et Victor Vitensis lib. II. de Pers. Vand. *Laribus* scribit, ubi etiam *Siccensem et Larensem civitates* appellat. Ex eodem Peutingeriano fragmento apparet situs Tignicæ in Proconsulari, cujus meminit collatio cap. 133, ubi nominatur *Aufidius episcopus plebis Tignicensis*, quæ incertæ provinciæ deputatur a Carolo a S. Paulo, et omittitur ab Holstenio. Sed quid dicetur de Aboia? Ponitur in subscriptionibus synodi V *Valerianus episcopus Obbæ provinciæ Proconsularis*. Hæc quoque urbs desideratur apud Carolum a S. Paulo et Holstenium. An hic *Aobiæ*, vel *Obbæ* in Tabulis legendum incompertum mihi est. Ultra Lares ad 16 millia passuum ponitur ab Antonino Altieuros, seu, ut Surita legit, Altituros : utrobique corrupte, nam Altiburos legendum est. Hæc civitas erat in Proconsulari, et in synodi sæpe laudata ponitur *Constantinus episcopus S. E. Altaburitanæ*, et in Notitia ejusdem provinciæ *Vindemius Altoburitanus*. Garnerius mendose dixit *Attieuros*, cum *Altieuros* dicatur in Itinerario, cujus verba adducit. Ubi perperam Altiburos seu Altoburos Numidiæ accenset, contra laudata veterum synodorum testimonia. De Ammedera nihil certi invenio quo movear ad eamdem Proconsulari potius quam Numidiæ ascribendam. Cum in Notitia episcoporum Numidiæ illius urbis episcopus non appareat, qui tamen 123 ibidem recensentur, existimo Ammederam fuisse ultimam proconsularis diœcesis civitatem, cum Thevestis inde millia passuum 25 distans, ad Numidiam pertineat. Neque tamen ob eamdem in Numidia locatam, ullam Garnerio litem intendo ; imo eidem gratias ago quod provinciæ in qua sita fuit Ammedera, investigandæ occasione data, Mustim ac Lares duas ejusdem nominis urbes fuisse ostendi; unde et exactior Africanæ Ecclesiæ Notitia relucet, ac synodorum subscriptiones neutiquam, quod ad provinciarum urbes attinet, inter se discrepare intelliguntur; inde etiam Tabulæ diœceseos Africæ facile corriguntur ac supplentur.

QUADRATUS. *Incertæ sedis.* Veritati exactius quadrarent cæteræ notæ, si easdem hisce tantum verbis exarasset.

LUCILLUS. *Incertæ pariter sedis ; nisi forte legi debeat Lucianus Guirensis ; nam hujus nominis aliquis in concilio quod collationem præcessit subscripsisse legitur. Fuit vero in provincia Numidiæ Guirensis episcopus ; meminit enim Notitia Martialis Guirensis.* Plura peccat. Imprimis Lucilli nomen diminutivum implet augetque, *Lucianum* efformans. Rursus Guiræ seu Giræ in Numidia duos simul coepiscopos donat; nam superius alterum Lucianum itidem Girensem pronuntiaverat. Denique Lucilli urbem ignotam putavit, cum diserte designetur ab Augustino lib. XXII de Civit. Dei, cap. 8 : ubi loquens de miraculis post delatas in Africam anno 416 S. Stephani reliquias, ait: *In castello Sinitensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est, ejusdem loci Lucillus episcopus*, etc. In excusis codicibus legitur *Synicensi* ; sed quatuor codices mss. in bibliotheca serenissimi magni ducis diserte habent. *in castello Sinitensi.* Augustinus in epistola 128 ad Donatum proconsulem Africæ, mentionem facit colonorum, quos hic habebat in *Sinitensi vel Hipponensi* agro. Ibidem S. doctor Lucilli decessorem designat inquiens : *Collega tunc meus episcopus Sinitensis Ecclesiæ Maximinus.* In editis codicibus *Synicensis* itidem legitur, sed ex epist. 163, textus emendandus est, ubi scribens S. Pater ad Donatistas ait : *Modo præconem misistis, qui clamaret Siniti, quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus.* Maximinus ex Donatista factus erat catholicus.

SABINUS TUCCENSIS. *Tucca gemina est in Africa ; altera in Mauritania Sitifensi ad Serpetem fluvium ; altera in Numidia pene media, ut habent Ptolemaicæ Tabulæ. De Numidiæ episcopo intelligi debet collatio,* etc. *In concilio certe rebaptizantium utriusque Tuccæ episcopi sententiam dixerunt : alter, qui* confessor Saturninus, *quinquagesimo secundo loco ; alter, qui* Honoratus, *septuagesimo septimo.* Longis erroribus agitur, malis avibus arduum opus aggressus. Imprimis quatuor Tuccæ in Africa memorantur, et Sabinus non Tuccensis, sed forte Tuncensis episcopus fuit. Ptolemæus prioris Tuccæ meminit in Mauritania Cæsariensi; alteram ponit inter urbes Numidiæ novæ ; tertiam inter Bagradam amnem, et Tabracam ; quartam Antoninus locat in Byzacio, vel Proconsulari ; nam in Itinere ab Assuris Thenas ait : *Assuris Tuccam Terebinthinam* M. P. XV. *Sufibus* M. P. XXV. Erat ergo Tucca Terebinthina media inter Assuros, quæ est urbs proconsularis, et Sufes Byzacenas. Utri deputanda incertum. Ille vero duas tantum Tuccas novit, quarum unam ad Serpetem fluvium in Mauritania Sitifensi, alteram in media Numidia ponit. Plinius Tuccæ Sitifensis situm exacte tradit lib. V, cap. 2. *Oppidum,* inquit, *Tucca impositum mari et flumini Ampsagæ.* Itaque erat in confiniis provinciæ Mauritaniæ Sitifensis, quæ Ampsaga flumine a Numidia separabatur. Concinunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi hæc leguntur: *Tucca fines Mauritaniæ et Africæ.* Meminit Dio Cassius lib. XLVIII Tuccæ civitatis sub T. Sestio præfecto Numidiæ, pro Antonio triumviro. In Notitia Sitifensi memoratur *Uzulus Thuccensis.* Rursus Tuncam Sabini episcopi perperam in meditullio Numidiæ statuit. Nam Petilianus episcopus Constantinensis Donatista in collatione cap. 65 hæc dixit: *Nam etiam in plebe præsentis sanctissimi* (mulus mulum fricat) *collegæ ac fratris mei Adeodati, id est, in civitate Milevitana, ita commissa res est, ut unum ibidem habeat adversarium, alterum in Tuncensi civitate, qui ad hujus scilicet plebem antiquitus pertinet, et ante biennium videtur esse constitutus.* Hic ipse erat Sabinus ; etenim cap. 130 edit. Labbei hæc habentur : *Sabinus episcopus Tuccensis. Idem dixit : Præsto sum. Adeodatus episcopus dixit : In diœcesi mea est ordinatus.* Itaque Tunca, seu Tucca, nolo enim de nomine cum Garnerio contentionis funem ducere, erat in diœcesi Milevitana. At Milevis quam Mileum Antonius vocat, distabat Cirta versus Ampsagam mill. pass. 25, et in Tabulis Peu-

tingerianis scribitur *Milev. colonia*, et ponitur infra Rusiccadem, quæ Cirta aberat ex Plinio 48 mill. pass. Cirta non erat in media Numidia; nam distabat Hippone Regio mill. pass. 94, et Numidia ultra Hipponem Tabracam usque ultimum provinciæ limitem versus Orientem, protendebatur mill. pass. 64. Milevi Cuiculum extremam Numidiæ urbem versus Occidentem erat iter mill. pass. 50, Tabracam vero mill. pass. 183, euntibus ad proconsulares. Hæc ex Itinerario Antonini patent. Itaque Tunca, quæ erat in diœcesi Milevitana, non erat in media Numidia, sed supra Cirtam versus Sitifenses. In Tabulis Peutingerianis res ad oculum patet. Hinc etiam deduco neutrius Tuccæ, quas ex synodo S. Cypriani laudat, Sabinum episcopum fuisse; nam illæ urbes suos habebant episcopos ante annum epochæ Christianæ 258, quo Cyprianus martyrium subiit; oppidum vero Sabini *ante biennium* quam collatio Carthagine haberetur, nempe anno 409 episcopali primum dignitate ornatum fuit, cum *antiquitus* intra diœcesim Milevitani antistitis censeretur.

FAUSTINUS SILLITANUS. *Ita in collatione legitur. In Notitia vero Numidiæ fit mentio Maximi Sillitani, qui periit in itinere ad exsilium.* In eadem omnino pagina duos Faustinos Sillitæ episcopos anno 416 Milevitanæ synodo præsentes facit. Error immanis, qui non modo memoriæ, verum etiam oculorum propemodum defectum indicat : si tamen vigilans ea scripsit. Mirare interim notas iisdem omnino verbis concinnatas, utrique Faustino supponi. Sane quæ de hoc Faustino repetuntur, dici nequeunt *nec sine cura et labore* exarata : quid enim facilius est quam exscribere ?

FAUSTINUS ALTER. *Vel hic, vel iste Sillitanus fuit : alteruter ignoratæ sedis.* Nec iste, nec ille Sillitanus fuit, nisi prior Faustinus, quem in Sillitana sede locaverat, dejiciatur. Cæterum tertius hic Faustinus emergit in Milevitana synodo uni Garnerio cognitus, cæteris hucusque ignoratus. Hi quidem tres episcopi in epigraphe numerantur vel apud ipsum Garnerium, SABINUS, FAUSTINUS, CRESCONIUS. At ille eadem auctoritate qua novas urbes condit, qua binos in una sede episcopos locat, qua civitatum et præsulum nomina detruncat, auget, commutat, eadem, inquam, auctoritate FAUSTINUM, nuper domi suæ natum episcopum, sine tractoria synodo intrudit, cum jure ferendi in Pelagiana causa suffragii, Contineo impetum, ne epistola in satyram migret ; vereor tamen ne ipse risum continere possis, dum hæc *non sine cura* a Garnerio scripta audis, qui ne ullus in numerandis episcopis error obreptet, epigraphes iterum legendæ curam dimisit.

CRESCONIUS TUBINIENSIS. *Cum qinque Cresconiorum nomina sint inscripta synodicæ, scire quidem possumus quæ ab iis indefinite Ecclesiæ in Numidia rectæ fuerint ; definire non possumus quæ a singulis. Cresconius Tubiniensis aliquis appellatur in collatione, ponitur vero in Notitia Numidiæ Reparatus Tubuniensis.* Scribendum est ubique *Tubuniensis*, ut in Notitia. In synodo rebaptizantium appellatur apud Aug. lib VI de Bapt., cap. 12, *Nemesianus a Tubunis* ; idem pariter epist. 70 *Tubunas* nominat ; sed nec addita cautio vel parum hominem juvat. Unde habet quinque Cresconios, qui anno 411 collationi interfuere, anno 416 adhuc superstites fuisse, ne uno quidem intra quinquennium defuncto? Itane quinque Cresconiorum numerus pleno quinquennio elapso non decrevit, auctore Garnerio, qui de Delphino scribens, brevi biennii spatio octodecim in una provincia episcopos, ut ostendam, diem obiisse publicat ? Cur nec unus saltem illorum Cresconiorum domi remansit, vel nullus ejusdem nominis episcopus intra quinquennium consecratus Milevium perrexit ? His addo alteram fuisse Tubunam in Mauritania Cæsariensi ex Notitia memorata, et in alterutra urbe sedit Nemesianus, quem ex Cypriani synodo appellabam.

VICTOR, GIGNANTIUS, et POSSIDONIUS. *Incertæ sedis.* Quid illi mali intulit *Victor episcopus Cullitensis*, qui cap. 125 in collatione nominatur ? Fuit enim Cullu, seu Colops magnus, Numidiæ oppidum Plinio, Ptolomæo, Antonino, aliisque in Numidia memoratum, cujus situm in littorario illius provinciæ itinere exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Solinus cap. 27 de Numidia agens : *Urbes*, inquit, *in ea quamplurimæ nobilesque sed Cirta eminet, dein Cullu, purpureo fuco Tyriis velleribus comparatæ.* Hæc ille.

ANTONIUS forte ANTONIANUS LAMFORTENSIS, *cujus mentio est in collatione ; Lamfortensem porro Ecclesiam pertinuisse ad Numidiam, probat Notitia episcoporum Numidiæ, cum recenset inter confessores Felicem Lamfortensem.* O quam turpiter illi vertit ex Autonio finxisse Antonianum! Nusquam infelicius allucinatus est ; etenim catholicum episcopum in hæreticum commutavit. In collatione cap. 149, post Januarium et Primianum Donatistarum primates, fere statim recitatur *Antonianus episcopus Lansortensis*, qui cap. 163, cum iterum inter Donatistarum turbam nominaretur, dixit : *Non illic habeo adversarium.* Pessimus enim Donatista totam diœcesim in parte Donati omni studio tenebat. Et hunc Donatistarum primipilum, tanquam Saul inter prophetss. locat Garnerius inter catholicos episcopos synodi Milevitanæ ? Estne ista *immensa eruditionis copia qua vix non obruitur Christianus Lupus*? Omitto quod hujus hæretici Ecclesia non *Lanfortensis* dicenda est, sed *Lansortensis*. Ita legitur in collatione, cujus testimonium proxime laudabam, in Notitia appellatur *Felix Lansortensis ;* in synodo Bonifacii an. 525 *Florentius Lansortensis.* Dum audio Garnerium ex Antonio Antonianum, hoc est, ex catholico hæreticum efformare, non possum non repetere lepidum Hieronymi dictum in apologia priori contra Rufinum, qui Eusebii Ariani pro Origene librum S. Pamphili martyris titulo prænotatum publicaverat : *Cum tantam*, inquit, *habeas licentiam nominum immutandorum, ut de Eusebio Pamphilum, de hæretico martyrem feceris, cavendus homo, et mihi maxime declinandus, ne me repente dum nescio, de Hieronymo Sardanapalum nomines.* Hæc ille. Poterat

Garnerius, Antoniano Donatista in malam crucem abire jusso, legere caput 133 collationis, ubi ponitur inter catholicos *Antonius episcopus plebis Mutugennensis*. Holstenius hanc Ecclesiam in Numidia ponit. Augustinus *villam Mutugennam* in territorio Hipponensi recenset epist. 204.

INNOCENTIUS GERMANIENSIS. *Ita legitur in collatione. Est autem Germanensis civitas in Numidia, ut constat ex Notitia : censetur enim inter confessores Numidas episcopos Crescentianus Germanensis.* Si ab anno 411 ad annum 416 Innocentius Germaniensis superstes fuit, nullusque alius hujusce nominis episcopus inter 123 Numidiæ antistites exstitit, verum dicit.

PRÆSIDIUS et CRESCENTIUS. *Incertæ sedis.* Nusquam securius sibi consulit quam cum ita loquitur.

FELIX TUBIENSIS. *Ita legitur in collatione. Tubiensem vero Ecclesiam non procul a Villaregensi positam, atque adeo in Numidia collocandam, colligi potest ex can.48 Cod. Africanæ Ecclesiæ.* Vidisti ex eodem canone oppositum evidenter deduci. Dixi etiam Holstenium pag. 65 et 96 Tubiensem Ecclesiam cum Tubuniense confundere : cum tamen eidem collationi interfuerint ex cap. 121 *Felix Tubuniensis*, et ex cap. 133 *Felix Tubiensis*, ambo catholici episcopi.

ANTONIUS FUSSALENSIS. *Ita quidem mihi videtur quamvis nulla ipsius mentio in collatione fiat, forte quia nondum ordinatus fuerat.* Quo ergo jure hic Antonius post annum 411 ordinatus, sedit in synodo Milevitana ante Donatum, Lampadium, et Delphinum, quos eidem collationi adfuisse Garnerius mox scribit? Junior antiquiores episcopos ex can. 53 Cod. Africani præcedere non poterat.

VICTOR. *Ignotæ perinde sedis, atque alter mox appellatus.* Hæc de utroque Victore scribens, nec oleum, nec operam perdit, quemadmodum malo eidem fato in aliorum sedibus designandis contigit.

HONORATUS TABENNENSIS. *Cur autem Honoratum, qui Milevitano huicce concilio interfuit, Tabennensem potius putem quam Moctariensem seu Matoriensem, qui recensetur inter episcopos in collatione, licet ipse quoque ad Numidiam pertineat, perinde ac Thabennensis, facit Thabennensis sanctitas familiaritasque cum Augustino, cujus impulsu synodus coacta est, a quo velut res sua propter fidei studium procurata, amicis, reor, non sine invitatione prætermissis.* Et antea : *Suspicatur Ortelius Thabennam eamdem esse cum Thabba, quæ nota fuit Ptolemæo. Suspicionem non opinor levem,* Cum Thabenæ nec Plinius, nec Ptolemæus, nec Strabo meminerint; imo cum ejusdem episcopalis sedes omissa fuerit a Carolo a S. Paulo et Holstenio, licet ex D. Possidio cap. 30 de Vita S. Augustini *Honoratus Thabenensis episcopus* innotescat, Garnerius in tanto scriptorum silentio, sine teste, Thabenam Numidiæ ascribit. Unus A. Hirtius Thabenam. oppidum, ejusque situm egregie tradit in libro de Bello Africano : *Thabenenses*, inquiens, *qui sub ditione et potestate Jubæ esse consuescent, in extrema ejus regione maritima locati, interfecto regio præsidio, legatos ad Cæsarem mittunt. Cæsar eorum consilio probato, M. Crispum tribunum cum cohorte, et sagittariis, tormentisque compluribus præsidio Thebenum mittit.* Tres id temporis in Africa reges erant Juba Massinissæ pronepos mediterraneam Numidiæ regionem a Cirta usque Zamam possidebat, itemque Mauritaniam Sitifensem usque ad Mulucham fluvium. Inde Bocchus Mauritaniam Cæsariensem regebat : de quo hæc habet Dio lib. XLIX : *Fuit is rex Mauritaniæ Cæsariensis.* Postremus in Mauritania Tingitana rerum potiebantur Bogud, ex eodem lib. XLVIII. Juham, post occisum eum copiis Curionem pro Cæsare in Africa ducem, Pompeius eique adhærens senatus regem dixerat ; quo tempore Bocchus et Bogud eadem dignitate a Cæsare insigniti sunt, quæ ex Dione lib. XLI initio fere belli civilis contigere. Juba tamen antea jure regio Getuliam ac Libyam tenebat ; cum enim Curio esset tribunus plebis, tentaverat, ejecto Juba, regnum in provinciam Romanam redigere, teste Cæsare lib. II de Bello civili. Curio autem gesserat tribunatum ex Dione lib. XL, Marcello et Ruffo conss., biennio antequam a Juba occideretur. Plinius hæc scribit lib. V, cap. 2. de Mauritania, Tingitana et Cæsariensi. *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis. Ab ea portus magnus a spatio appellatus, civium Romanorum oppidum ; amnis Mulucha Bocchi Massesulorumque finis.* Verum olim post bellum Jugurthinum, ut ait Rufus, *in populi Romani potestatem Numidia venit.* Quæ quidem de regione maritima Numidiæ, quæ fuerat ditio Adherbalis a Jugurtha occisi intelligenda sunt, ex Sallustio cap. 26 de Bello Jugurthino ; Zamam enim et Cirtam regias in mediterraneis illius provinciæ urbes Cæsar Jubæ abstulit ; unde ea Numidiæ pars provinciæ novæ nomen sortita est, auctoribus Appiano et Dione. Quare si Thabenenses erant *sub ditione Jubæ in extrema ejus regione maritima locati*, sane erant in ora maritima Mauritaniæ Sitifensis non procul a Mulucha, qua Mauritaniam Cæsariensem Bocchi regis spectabat. Et quidem aliquam Mauritaniæ partem Jubæ subditam fuisse, palam ex A. Hirtio intelligitur, qui scribit regem, cum destinasset in Byzacium cum exercitu ad Scipionem pergere, Saburam cum aliis copiis in Mauritaniam misisse, ne rex Bogud et Sitius Cæsaris præfectus ab altera parte ipsius regnum invaderent. Hinc apud Florum lib. VI, cap. 2, legitur *Mauritaniæ rex Juba.* Addit idem Hirtius fere in calce operis : *Publius interim Sitius, pulso exercitu Saburæ præfecti Jubæ, ipsoque interfecto, cum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæsarem faceret, forte incidit in Faustum Afraniumque*, etc. Erat id temporis Cæsar Uticæ in proconsulari. Itaque illa Mauritaniæ pars quæ olim Micipsæ et Hiempsali illius filio parebat, et postea ex divisione a legatis Romanorum facta, Jugurthæ tradita fuit, in Jubæ Hiempsalis filii potestatem venerat, in cujus maritima extrema regione Thabenenses ab Hirtio ponuntur. Hæc me fortasse curiosius prosecutum dices ; sed rei obscuritas id exegit ; sæpius enim illorum Africæ regum fines a

Romanis mutati sunt, ut optime ex Strabone lib. XVII et Dione noveris. Quod si Garnerius in extremo quodam ac sibi tantum noto Numidiæ angulo ad Mediterraneum Thabenam fuisse contendat, unum saltem testem appellare debet, ut tot testimoniorum, quæ adduxi fidem labefactet. Ex his intelligis suspicionem illam de Thabena cum Ptolemæi Thabba confundenda, quam *non levem* opinabatur, esse prorsus vanissimam ; siquidem Ptolemæus Thabbam ponit in regione sita inter fluvios Bragadam et Tritonem ; quorum primus prope Uticam in proconsulari, alter prope Tacapem in Byzacio mari miscetur ; et tempore belli civilis nullum oppidum maritimum in eo tractu a Juba tenebatur, sed vel Cæsarianis, vel Scriptionis, et Catonis præsidiis omnes illæ urbes insessæ erant, ut ex commentariis Hirtii, Appiani, et Dionis apertissime constat.

DONATUS BURITANUS, seu BURCENSIS. *Ita in collatione. Ubi vero posita fuerit Burca illa civitas, cujus Ecclesiam Donatus rexit, incertum est. In Notitia episcoporum Numidiæ fit mentio Leontii Burcensis.* Omnia prorsus invertit. Scribitur in cap. 133 collationis *Donatus episcopus plebis Buritanensis.* At excellentissimus immutandorum nominum artifex ex Buritanensi Burcensem reddit, ut in Numidia censeatur, cum Buritana Ecclesia incertæ provinciæ sit. Rursus superius in notis ad *Servumdei*, dixerat hunc sedisse Buræ tempore collationis, qua in urbe postea anno 484 ut in Notitia habetur, fuit episcopus, ut ille ait, *Leontius Burensis.* At hunc ipsum Leontium modo affirmat fuisse successorem post plures medios Donati Buritani, seu Burcensis, qui eidem collationi adfuit. Suspicor Buritanam Ecclesiam spectasse ad Proconsularem : nam act. 2 concilii S. Martini inter illius provinciæ episcopos subscribit synodicam *Cresciturus Busitanus*, qui forte Buritanus dicendus est ; ni potius e contra Donatus Busitanus appellandus videatur. Rem in medio relinquo.

PETRUS, PRÆSIDIUS, et CRESCONIUS. *Incertæ sedis.* Hic sextus Cresconius tarde venit ad Garnerium, qui cum quinque aliis antea nominatis in epigraphe Cresconiis sedes in Numidia destinasset, duabus etiam urbibus Titulitana ex proconsulari, Tubiensi ex Mauritania Sitifensi in Numidarum censum translatis, ne quis Cresconiorum extra Numidiam sacris præesset, nullam postea in hac provincia, imo nec in finitimis urbem habuit reliquam, ad quam sextum Cresconium episcopum mitteret. Doleo istius antistitis vices, qui sacris omnibus civitatum Africæ præfecturis a Garnerio aliis Cresconiis pro libito distributis, remanet *incertæ sedis* episcopus.

LAMPADIUS TISEDITENSIS. *Ita quidem in collatione ; at Tididitanus potius dici debet. Nam Notitia Numidarum episcoporum meminit Abundii Tididitani.* Imo Notitiæ textus ex collatione fortasse corrigendus est ; hic enim etiam inter Donatistas memoratur cap. 198 *Donatus episcopus Tiseditensis ;* cujus quidem nomen capiti 135 inserendum est, ubi Lampadii Tiseditensis adversarius non legitur. lacuna ibidem existente.

Hanc urbem egregie designat Sallustius in Bello Jugurthino cap. 62, ubi tradit Metello Romani exercitus imperatore contra Jugurtham Numidiæ regem in hac ipsa provincia bellum gerente, pro componenda pace, eumdem Jugurtham *Tisidium* accitum. Itaque Lampadius Tisiditensis vel Tisiditanus dicendus est, non Tididitanus. Lampadii urbem Tisidium omisit Carolus a S. Paulo, Holstenius incertæ provinciæ ascripsit ; quam tamen fuisse in Numidia constat ex Sallustio, et ex hac epigraphe in qua Lampadius ejusdem oppidi episcopus inter Numidas recitatur.

DELPHINUS. *Incerti nominis Ecclesiam rexit : vicinam tamen Constantinæ, ut colligitur ex cap. 65 collationis, ubi Petilianus Donatista interlocutus :* In plebe mea, *inquit*, id est civitate Constantinensi, adversarium habeo Fortunatum ; in medio autem diœcesis meæ nunc institutum habeo, imo ipsi habent, nomine Delphinum. *Meminit hujusce Delphini Augustinus epist.* 158, etc. Hic episcoporum epigraphes agmen claudit ; in quo quidem vellem cum Garnerio convenire ; ut postquam in litteraria palæstra diutius cum eodem luctatus sum, amico erga eumdem animo ex certamine discederem, et ubi delphini imminentem procellam nautis indicant, ita hic Delphinus e contra commotam hucusque geographicam tempestatem, in qua Garnerius naufragio proximus fuit, illata tranquillitate sedaret. At novi iterum difficultatum fluctus insurgunt. Res altius, licet paucis, repetenda est. Anno 411 Petilianus in collatione ita Marcellinum judicem allocutus dicitur cap. 165 cum plures episcopi catholici gloriarentur se suis in urbibus non habere episcopum Donatistam *: Lucrum enim videtur his cedere, qui multos se adversus nostros habere per hanc provinciam ostenderunt, si in provincia Numidia non ostendamus, eos penitus non habere, aut habere certe, sed raris locis.* Quæ licet ab hæretico olim causidico, emphatice dicta sunt, illud tamen constat hæresim Donatistarum, quæ, ut ait Augustinus epist. 134 ad Pammachium *in media consulari Numidia* ortum habuerat, istius provinciæ urbes ita pervasisse, ut plures episcopum solummodo Donatistam sine æmulo catholico antistite id temporis haberent. Hæ præsertim Ecclesiæ a solis Donatistis episcopis occupatæ in collatione recitantur, *Lansortensis* cap. 143, *Idassensis* cap. 182, *Legensis*, *Lamiggensis*, *Rotariensis* cap. 187, *Tibilitana* cap. 197, *Rusticianensis* cap. 198, *Lambiritensis* cap. 206, et aliæ plurimæ, ut ex interlocutione frequenti Aurelii Macomadiensis Numidarum episcopi non obscure colligitur. Rursus tempore collationis vacabant catholicorum cathedræ per sex Africanæ diœceseos provincias *sexaginta quatuor*, cap. 215 ; quarum ut minimum decem fuere in Numidia, cum in Tripolitana provincia quinque solum episcopi numerarentur. Peracta collatione, victi episcopi Donatistæ atque urbibus pulsi ab Honorio imperatore, solum vertere coacti sunt, ut patet ex cod. Theod. *lege* 54 *et* 55, *de hæreticis, dat. Constantio et Constante coss.*, anno 414. Tunc a catholicis episcopis in omnibus Africæ urbibus, ubi prius hæ-

retici sacra ministrabant, orthodoxi antistites consecrati sunt, et viduatis cathedris novi præsules assignati. Itaque in Numidia viginti saltem episcopi paulo post annum 411 inaugurati sunt, quos omnes Delphinus jam ab anno 411 ante collationem episcopus præcedebat. Itaque si hic ille idem est qui postremus in titulo synodicæ Milevitanæ recitatur, nullus illorum viginti antistitum post annum 411 ordinatorum ad synodum anni 416 se contulit. Quæ quidem unus Garnerius sibi persuaserit. Præterea idem Petilianus in collatione cap. 65 de Sabino episcopo Tuncensi dixit: *Ante biennium videtur esse constitutus.* Quare anno 409 Sabinus primus apud Tuncam episcopus sedit. Ibidem autem Petilianus testatur Delphinum *nunc institutum* episcopum in diœcesi Constantinensi: nempe 411, ut proxime notabam. Cum vero in epigraphe inter Sabinum et Delphinum octodecim episcopi nominentur, si hic Delphinus ille est cujus mentio fit in cap. 65 collationis, affirmare debet Garnerius intra biennium octodecim in una provincia Numidiæ episcopos diem obiisse, ac totidem subrogatos, qui medii leguntur inter Sabinum et Delphinum. Quæ sine tabulis, sine teste non credam. Verum qui tot novas in Africam urbes transvexit, pestem aliquam Numidiæ forte importabit, qua intra biennium tantam episcoporum stragem late propaget. Nec credo Numidas de tot sublatis tam brevi spatio episcopis de Garnerio conquesturos, cum Mopta et altera Macomodia in ea provincia momento conditis, ac in illius diœcesim translatis urbibus Tituli, Tubiæ, Girbæ, Dionysianæ, Zellæ, Ruspinæ, et aliis, quæ finitimis, vel incertæ provinciæ ascribebantur, tam arcte Numidas sibi devinxerit, ut in lucri loco deputare possint, octodecim episcopos statim ab hoc suo Polioctiste sublatos, cum facta per eumdem tot oppidorum accessione, provinciæ fines longe lateque protulerit.

Habes, vir eximie, meum de Garnerii notis ad utramque epigraphen epistolarum concilii Carthaginensis, itemque Milevitani judicium; in qua quidem censura levi, ut aiunt, brachio easdem repastinavi. Profecto dum leges hunc scriptorem tot Africæ urbes confudisse, multas ignorasse, quasdam nuper excitasse, plurimas in alienæ diœceseos jura transcripsisse, episcoporum eorumque urbium nomina pro libito variasse, binos subinde catholicos antistites uni eidemque oppido præfecisse, defunctos dudum præsules præsentes synodis finxisse, et Donatistas pro orthodoxis Patribus obtrusisse; dum, inquam, hæc portenta leges, jure optimo pronuntiabis in Garnerium, cum opus quod *a nemine hactenus tentatum* scribit, illotis, ut aiunt, pedibus aggressurus, in Africam transmitteret, illud Augusti apophthegma regeri potuisse, qui, teste Macrobio lib. II Saturnal., cap. 4, Nomenclatori suo satis oblivioso dixit: *Accipe commendatitias, quia illic neminem nosti.* Plinius ille noster Veronensis lib. XV, cap. 18, scribit recentes ficus e Carthaginensium hortis tridui tantum navigatione Romam delatas, ac Patribus conscriptis a Catone ostensas, senatusconsultum de æmula ac Latino nomini semper infesta, urbe evertenda, invitas fere extorsisse. Hinc ipse pariter recentes geographiæ fructus, quos, te jubente, in Africa parumper censorio stylo versatus decerpsi, tuis oculis subjicio, quo tot urbes nuper a Garnerio per Africam exstructas, non dicam solo æquandas decernas, sed quod aeriæ prorsus sunt, unico oris flatu dispergas. Ille tamen testatur, *non sine cura et labore* se aggressum opus, *quod hactenus tentavit nemo.* In quæ Garnerii dicta libeat hoc rudi carmine ludere.

Mercatoris opus, tantis quod mercibus auctum.
Plurima Garneri *cura laborque* fuit.
Exstruit hic urbes: alias e sede revulsas,
Per Libyæ celeres currere regna jubet.
Jus habet in Manes; quando ad suffragia mittit
Quos olim e vivis abstulit atra dies.
Orpheus huic cedit: minor est Amphiona laude.
Quod semel his actum, sæpius ille facit.

Hic tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in scriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut si ejusdem de rebus Pelagianis commentaria historiam quam de eadem hæresi hoc anno Patavinis typis excusam emisi, prævenissent, mea statim scripta (quod sincere affirmo ac sancte juro) in angulum omnino projecissem; etenim plurima quæ me primitus ea de re publicaturum arbitrabar, tam feliciter assecutus est, ut dubio procul plagii reus delatus fuissem, si post vulgatum Garnerii volumen eadem repetere ausus essem. Fateor me in quibusdam ab eo dissentire, et, ut cætera sileam, nequeo approbare ejusdem emendationem qua litterarum antistitum Pelagianorum textum corrigit. Nam dissert. 5 ex schedis a magno Sirmondo Veronæ Venetiarum urbe intra diœcesim patriarchæ Aquileiensis inventis, sibique communicatis, recitat libellum fidei Pelagianorum, quem scribit a Juliano Eclanensi ad sedem apostolicam missum, in quo cum prope finem hæc legantur: *Illud etiam, sancte ac venerabilis frater et pater Augustine, necessario respondendum putavimus*; et certum sit, ut optime probat, hæc illos non scripsisse ad S. Augustinum Hipponensem, putavit errorem in vetustissimum codicem irrepsisse, ac pro *Augustino* Zosimum papam reponendum; etenim Pelagianos episcopos rescribere ibidem ad suum primatem, a quo hæresim illam damnare per litteras jubebantur, idem Garnerius luculenter demonstrat. Labitur tamen vir eruditus; nam id temporis celebris erat Augustinus Aquileiensis primas Venetiarum, Histriæ, Norici utriusque et Rhætiæ I. Audi Henricum Palladium, quo nemo diligentius aut elegantius Aquileiensium res in litteras misit: *Post Chromatium*, inquit, *eligitur patriarcha Augustinus, quo tempore alter Augustinus Hipponensis episcopus eloquentiæ et doctrinæ fuminibus hæreticorum vesaniam in Africa obruebat.* In aula patriachali apud Utinum omnium Aquileiensium primatum elogia grandioribus, et plusquam uncialibus characteribus antiquitus descripta leguntur. Porro ibidem post Chromatium Augustino hoc epigramma inscribitur.

AUGUSTINUS URBE ROMA A GOTHIS DEVASTATA CONSTERNATOS AQUILEIENSIUM ANIMOS JEJUNIIS ET SUPPLICATIONIBUS SACRIS AD DIVINAM OPEM IMPLORANDAM EREXIT.

Scribit ibidem Palladius Augustinum Aquileiensem sedem indeptum fuisse anno 414, eamque cum vita reliquisse anno 422, dato eidem Adelpho successore. Errorem Ughelli in utroque primate haud suo loco statuendo, scis me adnotasse lib. II Hist. Pel., cap. 12. Cum Zosimus anno 418 Pelagianos damnasset, encyclicas ad Aquileiensem et Mediolanensem primates misit, ut easdem suis in diœcesibus publicarent; quemadmodum paulo antea damnatis Romæ ab Anastasio papa Origenistis, Chromatius Aquileiensis Augustini decessor, et Venerius Mediolanensis acceptis ab apostolica sede litteris, itidem in suis diœcesibus per suffraganos episcopos Origenistas proscribendos curaverant, teste Hieronymo lib. II apologiæ contra Rufinum. Hinc Augustinus primas Aquileiensis apostolicæ sedis contra Pelagianos decretum cum litteris ad suarum provinciarum episcopos misit; quorum nonnulli, cum Pelagianis erroribus tenerentur, memoratum fidei libellum ad Augustinum primatem dederunt. Quam vero altius in diœcesi primatis Aquileiensis apud ecclesiasticos præsertim, Pelagiana hæresis radices fixisset, constat ex litteris Septimii Altinatis ad S. Leonem Magnum, et hujus rescriptis ad primatem Aquileiensem; de quibus fusius egi in eodem libro de Hæresi Pelagiana.

Ad Garnerium redeo. Hic in suis notis publicandis *nonnullam ab eruditis lectoribus gratiam iniri* posse sperabat; verum tam infeliciter ea in re calculos posuit, ut in lucri loco eidem reponendum videatur, si tam densæ errorum farragini veniam a lectoribus impetret. Hinc fatearis necesse est, viros eruditos quandoque, ut tuo verbo utar, paratragœdiare, ac suis ipsorum scriptis nimium lenocinari; eadem confidenter æque ac audacter in oculos manusque hominum mittentes, quæ tamen e re ipsorum esset scrinio claudere, ac blattis corrodenda relinquere. Et quidem, ut de me loquar, non quod in eruditorum numerum venire ausim, sed quia indoctorum, ut ait poeta, volumina passim scribentium turmæ accenseor; existimabam me cæteris diligentius in Pelagiana Historia chronologiam tractasse; sed quantum mea me opinio fefellerit statim intellexi: siquidem vel in ipso limine in prochronismum impegi. Nam in priori pagina scripsi cum Baronio S. Athanasium anno 372 diem obiisse; imo, quod cum pudore dico, laudans Proterii Alexandrini paschalem ad Leonem Magnum epistolam, cum ibidem ex epocha Diocletiani, et charactere paschali evidenter deducatur, anno insequenti ejusdem obitum statuendum fuisse. Plures meis in libris errores invenient rigidi censores, quorum agmen me manet: quibus, ubi me allucinatum ostenderint, gratias plurimas referam, quippe qui non mea, sed ipsorum cura ac labore, non dicam doctior, sed minus indoctus fiam; illud enim subinde Senecæ dictum repeto ex cap. 18 de Vita beata, *Cum vitiis convicium facio, imprimis meis facio.* Tu quidem, vir clarissime, securus ab hoc discrimine evades, qui magnum philosophum Socratem imitatus, nihil non dicam in litteras, mittis, sed quod in te mirari tam sæpe solitus sum, tenacissima memoria fultus, succenturiatis quibusque ejusdem præsidiis dimissis, ne verbum quidem unicum stylo alligas; sed volumina devorans, tibi Musisque instar Aspendii canis, publici judicii aleam refugis, et nullo scribendi cacoethe titillaris. Hinc te felicissimum puto, qui procul ab invidorum censuris, eximiis erga litteratos officiis nomen tanto nobilius posteritati propagasti, quanto dignius est factis potius quam dictis nomen in ævum extendere. Plura justæ molis volumina Gallorum ac Batavorum typis excusa, ac tibi certatim honoris gratia nuncupata, tot elogia ab eruditis quibusque Italis suis in libris tibi passim inscripta sunt, ut nullus posterorum quibus bonæ artes in amore erunt, ignorare unquam possit, vixisse Antonium Magliabecum, de litteraria republica ad invidiam usque benemeritum: ut illa tantum postrema tuo nomini dies stare posse videatur, quæ pessimo mortalium fato librorum ac litterarum omnium altam oblivionem inducat. Ego sane nullum grati animi officium missum faciam, quo tibi quantulascunque vices rependam. Etenim non modo prior doctissimis ac humanissimis litteris me convenisti, verum etiam illustrissimi senatoris et equitis Ferrantis Capponii generis nobilitate, rerum agendarum peritia, juris utriusque scientia, et magna etiam apud principem gratia conspicui, operam rogasti, ut in Etruriam sacræ eruditionis professor vocarer. Annuit omnium gratiarum vir, quo ad beneficia pronior ne voto quidem fingi potest; sciebat enim serenissimo cardinali Leopoldo (quo in nomine magnum Mediceæ gloriæ incrementum, et litterarum æque ac litteratorum cultorem et Mæcenatem incomparabilem orbis veneratur) nihil esse antiquius, quam ut historia sacra, quæ apud nostrates exsilium pati videbatur, patriam in Etruria cum honore reciperet. Hinc amplissimi senatoris opera factum est, ut serenissimus magnus Etruriæ dux Cosmus Ecclesiasticam Historiam, quæ publicis sapientum conventibus exclusa, cum umbraticis quibusdam hominibus in Italia sub paupere tecto hospitabatur, regia manu prehensam, in Pisanum Atheneum, hoc est, in suam omnium scientiarum regiam introduxerit, insignemque eidem cathedram inauguraverit. Cum sapientissimus idemque prudentissimus princeps optime intelligeret unam historiam magnorum regum nomina ad posteros cum laude transmittere, eamdem tam nobili judicio ac generosa munificentia demereri voluit: ut quando illum suprema et seris tantum nepotibus nota dies cœlo inseret, historiæ munere in Etruscæ gentis desideriis, in omnium populorum qui litteras extra barbariem norint, animis perenniter vivat. Et licet illum ingens erga superos religio, rarus in subditos amor, eximius litterarum cultus, ac sollicita felixque gerendi imperii cura jam pridem orbi universo spectabilem fecerint, ac grande iis qui sceptra moderantur exemplum posuerint; grato tamen historiæ obsequio ultra ævum per ora hominum

feretur, iisdemque quibus virtutum ac litterarum notitia, spatiis pervagabitur. Cæterum cum singuli felici Ecclesiasticæ Historiæ sub Maximo principe sorti adgratulentur, ipse hoc unice doleo, quod me nulla sacræ eruditionis supellectile ornatum, ejusdem Historiæ primum in Pisana Academia interpretem designavit; vereor enim ne cum sublimis sit historiæ majestas, interpretis vitio minor esse videatur. Unus tamen, vir undequaque eruditissime, ingentem animi molestiam minuis, dum e locupletissima bibliotheca, quæ domi tuæ atrium, cubicula, angulos quosque occupat, libro subinde ad me transmittis, ut tantæ eruditionis suppetiis firmatus, animum non despondeam. Te interim precor, ut me serenissimo domino qui te æque ac litteras amat, commendatum facias, ut tanti principis patrocinia fultus, felici faustoque auspicio demandatum munus aggrediar. Vale ac me, ut soles, ama.

ANIMADVERSIONES IN EAMDEM EPISTOLAM.

Epistola 175. Inscriptiones hujus epistolæ et sequentis copiose explicuit eminentiss. cardinalis, contra Joan. Garnerium. Sed cum ad ipsas epistolas nihil dixerit, nonnulla ad eas monebimus ad doctrinam quam complectuntur pertinentia. Quamvis enim, ne quis calumnietur candorem nostrum, multa sint quæ improbamus in doctrina Pelagii ejusque sequacium, adversarii tamen ejus non ita sese gesserunt ac ratiocinati sunt, ut possint etiam a nobis per omnia probari. Damnatus quidem ille est et conviciis exagitatus ab omnibus, etiam quibus ejus dogmata ignota erant, ex quo est ab Africanis episcopis infamatus: sed nulla hominum damnatio efficere potest ut quod verum fuit falsum fiat, et vice versa nullæ hominum laudes ex errore veritatem faciunt. Præterea notum est in magnis cœtibus res magnis affectibus dijudicari; nec in re sat difficili facile fuit verum a falso secernere omnibus illis Africanis episcopis, quorum nonnulli ne scribere quidem potuisse dicuntur 1 collat. Carthag. c. 133, et doctissimi, præter dicendi facultatem, pro modulo illus ævi, quid eximium habuerint non video. Non dicerem hæc, nisi viderem multitudine et auctoritate, multo magis quam rationibus pugnari.

Ibid. § 2. *Id agunt isti* (Cœlestius et Pelagius) *damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus.*] Non capio qui in superbiam extollerent liberum arbitrium, et quidem adversus Deum qui fatebantur eum creatorem esse humanæ naturæ omniumque ejus facultatum, adeo ut ei debeant homines quidquid habent boni, et ab eo quasi ab omnium rerum domino pendeant; hominem vero, cum natura sua minime peccator esset, sua unius culpa in peccatum esse delapsum et delabi, non vero Dei, quasi illi negasset quæ necessaria erant ad vitandum peccatum; nec eo secius Deum voluisse ei ignoscere peccata et æternam vitam largiri, cum contraria omnia meritus esset, si modo Evangelio pareret, misso ei, ex mera gratia, servatore Jesu Christo, qui gratiam illam Dei ei annuntiaret, et ad officium misericorditer revocaret; neve homo parum credibile esse censeret, quod ille nuntiabat, addidisse Christum miracula, quibus fidem sibi vel apud pertinaces faceret; internum etiam auxilium suppeditare quo animos hominum illustrat, quamvis non necessario adducat ad credendum; quin et per baptismum homines regenerari, et filios Dei fieri. Quod a Pelagio dictum multis ostendit Dionys. Petavius in Historia Dogmatum Pelagianorum, quæ est tom. III Dogm. ejus theologicorum ed. Amstelodamensis. Hoc unum dicebat Pelagius pendere ab homine quod *posset* recte uti aut abuti tot divinis beneficiis; qua in re quamvis summopere vituperandi sint qui beneficiis Dei abutuntur, non sunt admodum laudandi, si rigidi censores naturæ nostræ esse velimus, qui iis recte utuntur; nam quod possint hoc præstare, totum muneris est divini, nec mirum est eos felices esse malle in æternum, quam miseros. Furiosum quidem est et impium, Deo vitam et mortem offerente, eligere mortem; at profecto non est eximiæ cujusdam prudentiæ et virtutis malle vitam. Quis superbiat ob sapientiam et acumen, quod maluerit vivere quam mori? Est igitur, ex sententia Pelagii, cur Deo gratias agant homines, sed non cur sibi placeant ac plaudant. Africanæ aut Punicæ rhetoricæ exaggeratio fuit, cum liberum arbitrium *in sacrilegam superbiam* extollere dictus est. Quam facile fuit Pelagio premere contrarias partes invidiosis consectariis, Deum jubere impossibilia, æternis pœnis afficere homines quod impossibilia non præstitissent, aliisque id genus, quibus excusatur plane homo, ac tota culpa in Deum conjicitur? Humilitatis Christianæ esse putabant, si Deus omnium bonorum auctor fieret; et quidem merito; at non ita id intelligi oportuit, ut fieret eadem opera iniquus judex, quod Deo est contumeliosissimum. Ac sane hisce permota sæcula sequentia in Pelagii opinionem dilapsa sunt, quam etiam Augustino tribuerunt, cui ipsa Pelagii opuscula ascripserunt; quia non poterant sibi persuadere tantum virum quantum eum fuisse ex fama putabant, ejusmodi consectaria potuisse concoquere. Profecto si Africani illi Patres id fuissent quod videri volebant, gravibus illis Augustinianæ sententiæ incommodis probe pensitatis, sibi non liquere potius dixissent, quam tot damnationibus, quarum aliæ super aliis quaquaversum mittebantur, doctrinam non intellectam damnassent.

Pergunt hisce verbis: *Qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino:* Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; *quod auxilium fides impetrat quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Non dubitabant Pelagiani quin divina gratia homines a peccatis liberarentur, si modo ea recte uterentur. Sed putabant homines ea posse abuti, ac præterea neminem esse usque adeo mancipatum peccato, ut gratia illa excitari nequeat, ad servitutem

fugiendam. Sed quid sibi volunt boni Patres ni quando addunt, *quod auxilium fides impetrat*? m auxilium quod fides impetrat, non est gratia ius *Christiani*, quæ antecedit fidem, non eam ur; nam quando credidimus et fide aliquid a npetramus, jam sumus Christiani. Redolent illa semipelagianismum, aut simile quidpiam. Ita- at boni illi viri nondum satis intelligebant do- m Augustini, aut est hoc additamentum; cum, notant Benedictini, in duobus mss. codd. de-

autem asserunt, sicut a fratribus qui eorum libros at cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, talem homines constituit, creavitque naturam, r propriam voluntatem legem Dei possit implere, turaliter in corde conscriptam, sive in litteris da- Tandem quoque legem ad gratiam Dei pertinere, illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Si cre- auctori Prædestinati, in prima synodo Cartha- si, quinquennio ante habita, *obtulerunt* Cœ- *libros suos*, in quibus Pelagiana dogmata expli- Quod si verum esset, non mirari sane non pos- Carthagine non asservatos fuisse libros illos, ut jure damnatus ille esset liqueret; utque con- m, ubi unus postularet promerentur. Sed pa- oc credibile est, cum Cœlestium hic Patres Car- ienses damnent, libris ejus minime inspectis. n et hoc mirum est, graves episcopos tam acer- entias in absentem dixisse, minime lectis ibris et recitatis duntaxat accusatorum litteris. ratio judicandi a nemine paulo æquiore defendi ; præsertim cum difficiles quæstiones ageren- n quibus facillimum erat sententiam non audi- male intelligere. Itaque et æquius et pruden- gessisset synodus, si judicium post lecta Pela- scripta distulisset. Ad id vero quod hic ex illis quod attinet, creationem ac legem *gratias* Dei non potest hoc negari, cum sint hæc longe ma- Dei beneficia. Nisi enim nos ratione præditos creasset, non possemus ei parere, neque beati- frui; nisi etiam legem evangelicam promul- , officium nostrum nobis parum notum fuisset, naque credendi incitamenta ac præstantissima ia non haberemus. Profecto non capio cur spre- hisce tantis Dei gratiis loquantur Africani Pa- isi accedat afflatus nescio quis, cui resistere non isque pauculis concedendus. Prioribus benefi- fertæ sunt litteræ sacræ, adeoque perspicue de quuntur, ut sine insania ab iis qui Scripturæ nt negari nequeant: posteriorem vero frustra re nituntur Patres Africani, nec quidquam runt, præter loca aut plane aliena ab eo quod nt, aut summum ambigua. Hoc quoque meri- ideres in hac eorum epistola, quod *gratiam* il- uam nusquam definiant, neque vocis ambiguи- discutiant: quasi illo uno sensu quem volebant tur in Scriptura, satisque esset proferre loca in is exstaret, ut probaretur quod sentiebant. Ap- oc est, fateor, ad movendam invidiam, at mi- nime ingenuum accommodumque ad probandum quod volunt, apud homines veritatis solius amantes.

Ibid., § 3. *Illam vero gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus prædicator est, dicens*: Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum; *nolunt omnino agnoscere, sed nec aperte quidem oppugnare audent.* Verum in Pauli verbis, quid aliud est *gratia Dei*, quam *Dei misericordia*, aut *Dei beneficio*? Nemo contrarium unquam ex vi nativa vocis usuque probabit. Non negabat autem Pelagius homines Dei beneficio peccato eripi; sed negabat fieri id afflatu quodam interno, cui reluctari non liceret, et sine quo cætera omnia Dei beneficia inutilia essent. Oportebat Africanos præsules perspicue suam et Pelagii sententiam exprimere, ut quid sentiendum quidve damnandum, ex eorum sententia manifesto liqueret. Sed longe maximam partem Christianorum in se concitassent, si aperte dixissent quod sentiebant; neque enim ante hæc tempora, et ante definitiones Africanorum conciliorum, alter de gratia homines senserant quam Pelagius.

Pergunt Carthaginiensis concilii Patres: *Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus, non percipientibus quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam, ac Dei mandata complenda, solum sibi humanam sufficere posse naturam*? Sed mandata Dei non sunt ejusmodi, ut omni vi destituta sint ad movendos hominum animos. Eorum maximus consensus cum recta ratione constitutioneque ipsa humanæ naturæ, magnifica præmia iis adjuncta, miracula quibus eis fides facta est, exempla sanctorum virorum, ac præsertim Christi, qui ea observarunt; hujusce vitæ miseriæ ac calamitates, quæ frustra beatitudinem, quam usque adeo optamus, in ea quæri ostendunt, aliaque id genus maximæ sunt efficaciæ ad revocandos, paulatim certe, homines ad bonam frugem. Sed *homo animalis* inquies, ut docet Paulus I Cor. II, 14, ad quem locum respiciunt Afri præsules, *non percipit quæ sunt Spiritus Dei*. Imo *non admittit*, οὐ δέχεται, hoc est, iis non assentitur, nimirum, dum est *animalis* sequiturque impetum brutorum, præsentia tantum et sensibilia quærentium. At nihil obstat quominus intellecta et pensitata Evangelii præstantia, animalis homo ejusmodi esse tandem desinat. Præterea enim quæsiverim a Patribus Afris, an non Deus jubeat homines animales desinere animalibus cupiditalibus obsequi; an non mandata negligentes plectat, ac proinde excusari non posse censeat? Hoc si ita est, quod nemo Christianus neget, oportet ut habeant, aut possint ii homines consequi quæcunque sunt necessaria ad parendum; alioquin iniquum esset eis id imperare ad quod præstandum necessariis essent destituti subsidiiss Plura non addam: norunt enim quicunque hasce con-

troversias attigerunt, quæ hanc in rem soleant dici. Sed audiamus Afros episcopos ostendentes *solam naturam humanam* non sufficere ad parendum Evangelio circumstantiis quas antea memoravimus cincto et suffulto.

Non attendentes quod scriptum est: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 26); *et*: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX, 16); *et quod* unum omnes sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa, secundum gratiam quæ data est nobis (*Rom* XII, 5); *et*: Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum (I *Cor.* XV, 10); *et*: Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum (*Ibid.* 57); *et*: Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est (II *Cor.* III, 5); *et*: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei et non ex nobis (II *Cor.* IV, 7); *et innumerabilia talia, quæ de Scripturis omnibus si colligere velimus, tempus non sufficiat.* Recordandum hæc omnia proferri ut probetur *gratia* quam descripsimus, hoc est, internus afflatus isque necessarius, ut Christo credamus; nec dubium est quin potissima loca hæc esse putarint synodi Patres quibus Pelagianismus profligari poterat. Atqui ne unus quidem probat id quod volunt; quæ ratio citandi Scripturam fuit illorum sæculorum, quibus soni singulorum vocabulorum, quam sententiæ locorum, pro orationis totius serie, multo major ratio habebatur. Statim enim ac sonus verborum non prorsus abludere videbatur ab eo quod agebatur, res confecta putabatur, et probatum quod erat in controversia. Scilicet, declamitare, et effutire quidquid in os veniebat apud plebem excommunicandam, si forte a declamante dissentiret, multo facilius fuit, quam criticæ seriam operam dare. *Spiritus* qui *adjuvat infirmitatem nostram*, de quo Paulus est qui est in jam credentibus, eosque in orationibus recte fundendis apud Deum adjuvat. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis*, quod verbum Dei mittitur ad populum quempiam ad cognitionem ejus vocandum; sed quid hoc facit ad afflatum singulorum? *Gratia* secundum quam sunt diversa dona non est gratia qua singuli fideles ad Deum conversi sunt, sed beneficentia varia Dei, qua aliis alias dotes concesserat; seu solita suo providentia, sed extraordinaria spiritualium donorum effusione. *Gratia Dei*, qua Paulus *erat id quod erat*, hoc est, apostolus, est Dei misericordia et munificentia, qua eum ei muneri sustinendo necessariis donis instruxerat; nec quisquam unquam negavit a Deo per Jesum Christum nobis datam esse de peccato victoriam, ac esse cur propterea ei gratias agamus; verum hoc factum afflatu interno et ineluctabili, nusquam docet Scriptura. *Sufficientia* sane omnium Christianorum, ad cogitandum aliquid Evangelio consentaneum, est a Deo quis enim nescit Evangelium non ingenio hominum, sed Deo deberi? At apostolorum præsertim *sufficientia*, ad munus ad quod vocati fuerant sustinendum, non humana, sed divina fuit. *Thesaurus* denique *in vasis fictilibus* de quo Paulus, sunt dona apostolica, ut liquet ex serie contextus. Si oculi non plane negligenter conjiciantur in loca allata, verissima esse omnia ac manifestissima quæ diximus comperientur; unde intelligere licebit bonos illos Patres Africanos parum aptos fuisse Scripturarum interpretes, ac proinde meram eorum auctoritatem levis ponderis esse oportere.

Ibid., § 4. *Consideret sanctitas tua et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario consequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus et discipulos monuit, et posuit in oratione quam docuit; aut ne deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est.* Non necessario hoc sequitur, nam particula illa orationis dominicæ, aut preces Christi pro Petro non significant id quod innuunt Patres, quasi hoc sibi vellent: o Deus, fac afflatu interno, cui resistere nequeamus, ut tentationem vincamus: quidni enim Deus potest impedire ne succumbamus tentationi, ipsam tentationem minuendo, ac temperando, ita ut vires nostras non superet? Novit ille quam firmi aut quam infirmi simus, melius quam nos, potestque ea amoliri quibus ægerrime pares essemus si adessent; et quibus remotis, facile in pietate constantes sumus. *Si enim hæc possibilitate naturæ et arbitrio voluntatis*, inquiunt tamen Afri, *in potestate sunt constituta, quis non ea videat a Deo inaniter peti, et fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur?* At quamvis forte concederet Pelagius nullam contingere tam atrocem tentationem cui resistere nequeamus, natura Evangelio illustrata et emendata; non negabat tamen, nec negare poterat in periculo constitutis ad Dei auxilium, etiam extraordinarium, esse confugiendum, duabus de rationibus. Primo tametsi viribus semel a Deo concessis, et confirmatis promissis divinis, resistere tentationi possumus; possumus etiam in ea cadere, quod non ita facile contingit cum inusitato Dei auxilio quodcunque sit (modo ne sit ineluctabilis afflatus) adjuvamur. Quis autem in periculo non sibi optet non modo quod est prorsus necessarium, sed etiam quam maximas vires, ut facilius et securius sese eo expediat? Deinde inter ipsas vires, quas Deus Christianis sufficientes largitur, nihil vetat, pro magnitudine periculorum, inusitata auxilia haberi. Itaque non potuit merito insimulari Pelagius, quasi doctrina sua orationis usum sustulisset.

Ibi, § 5. *Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur quidquid eis a Domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi placeant, vel illa quæ pro fidelibus precatur Apostolus, dicens*: Flecto genua mea ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi ..... ut det

secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroboper Spiritum ejus. *Si ergo voluerimus benedi- super populum dicere:* Da illis, Domine, virorroborari per Spiritum tuum; *illorum nobis latio contradicit, affirmans negari liberum arbi-, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est pote-: virtute enim si corroborari volumus, inquiunt, us ea possibilitate naturæ quam nunc non ac-s, sed cum crearemur accepimus.* Quasi vero inra non sint, præter creationem, quæ a Deo peossumus, ut curriculum pietatis constanter demus, quæ tamen minime sunt ineluctabilis af-! Semper quidem est saluti incumbendum, *cum et tremore*, quia quamvis Deus *faciat velle et re in nobis*, possumus omnibus auxiliis abuti; ninus tamen timendum nobis est, cum Deus et a nobis plurima quæ in hac vita virtutem no-i labefactare possent. Is metus eaque ejusmodi ii divini invocatio cum libero arbitrio optime stunt. Hic possemus, nomine Pelagii, objicere, ex eorum sententia a Deo nihil potuisse peti; reprobis quidem necessaria negare, electis vero a concedere, etiam non petentibus, ab æterno verit. Sed fatendum homines non semper conter dogmatibus suis se gerere; nec sunt insindi, nisi eorum quæ faciunt.

d. § 6. *Parvulos etiam, propter salutem quæ per torem Christum datur, baptizandos negant, ac sic ortifera ista doctrina in æternum necant, promit-, etiamsi non baptizentur*, etc. Fatentur tamen a Cœlestium fassum esse *per baptismum Christi ilorum fieri redemptionem. Sed multi*, inquiunt, *llorum perhibentur esse vel fuisse discipuli hæc, quibus fundamenta Christianæ fidei conantur re, quacunque possunt affirmare non cessant.* de singulis quæstionibus quæ de baptismate propossent, censuerit Pelagius nescio; sed hoc ex Novo Testamento probari nullo modo posse sarium esse baptisma saluti infantium, aut præm esse a Christo eos baptizari. Itaque nonnisi de *fundamenta fidei* vocare potuerunt Afri ea ibus altum est in Novo Testamento silentium. nem, ut jam alibi dixi, non damno baptisma tinm; quod esse queat, si velimus, non tantum sio fidei parentum, sed et symbolum redemis infantium, non quidem a peccato, quo carent, vanitate cui cum cæteris creaturis subjacent, qua liberabit eos Christus in ultima resurre-e.

istola 176, § 2. *Cum Dominus docuerit ut dica-*: Dimitte nobis debita nostra, *etc., isti dicunt hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad m perfectionem justitiæ suæ, sine adjutorio gratiæ toris, per solum liberum arbitrium pervenire, ut sit jam necessarium dicere*, Dimitte, etc. At non ant quemquam per totam vitam immunem proreccatorum vixisse, excepto uno Christo; unde batur neminem esse, ex eorum sententia, qui deberet dicere: *Dimitte*, ete, Nam ad finem A usque vitæ peccatorum semel admissorum veniam petere omnes necesse habemus. Hæc ergo est invidiosa criminatio, qualis est et sequens: *Illud vero quod sequitur*, ne nos inferas in tentationem, *non ita intelligendum tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate.* Quamvis, ex Pelagii sententia, gratiæ cœlestes neminem adigant ad officium, attamen non parum in tentatione juvant, ac sine iis in gravibus tentationibns homines succumberent. Quare a Deo, uti putabat, erant auxilia illa petenda. Igitur frustra contra eum addunt Numidæ episcopi: *tanquam frustra Apostolus dixerit*: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; *et*: Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod B potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. *Frustra etiam Dominus dixerit apostolo Petro*: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua *et omnibus suis*: Vigilate et orate ne intretis in tentationem; *si hoc totum est potestatis humanæ*. De primo loco Rom. IX, diximus ad antecedentem epistolam. Secundus, I Cor. X. 14, plane contrarius est sententiæ Augustini, cum doceat Paulus Deum adjuvare fideles, non ut ineluctabili afflatu acti sustineant tentationem, sed ut *possint sustinere*, quod solum promisit Deus. De cæteris etiam antea egimus.

Ibid. *Pueros quoque parvulos, etsi nulliis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt, evacuantes* C *quod dixit Apostolus* (*Rom.* V, 12): Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; *et alio loco* (I Cor. XV, 22): Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur.] Existimabam legendum in loco Rom. V, *mors pertransiit*, nam vox θάνατος est in omnibus Græcis exemplaribus; sed et alibi perperam ita profertur hic locus ab Augustino, ut in lib. IV, contra duas epist. Pelagianorum, num. 7. Atque ex hac omissione perperam etiam argumentatur. Verum hujus loci sensus est: *ut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: ita etiam mors in omnes homines pertransiit, quia omnes peccarunt*, Nam οὕτως, καὶ *sic et*, perinde est ac καὶ D οὕτως, *et sic*, ut Luc. XVII, 24, 29; Jac. II, 26. Deinde ἐφ' ᾧ est *quia* vel *eo quod*, non *in quo*, ut II Cor. V, 4; Phil. III, 12. Quod viri doctissimi dudum ostenderunt, ut et hic agi de peccato actuali, cujus capaces non sunt infantes. Locus alter I ad Cor. nihil ad rem facit. Vult enim Paulus, ut unus Adamus mortem introduxit in mundum, omnibus qui eum imitantur morientibus: sic quoque Christum beatam resurrectionem allaturum omnibus qui ei parebunt. Nullus hic sermo de peccato infantium, qui conditione naturæ, quia hominibus mortalibus nati sunt, non quasi supplicio de iis sumpto, moriuntur; ut ostenderunt doctissimi theologi quos non memorabimus.

Epistola 177, § 2. *His auditis verbis* (Pelagii *gra-*

tiam Dei se agnoscere profitentis) *catholici antistites* (in Diospolitana synodo) *nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt nisi quam in libris Dei legere et populis Dei prædicare consueverunt ; eam utique, de qua dicit Apostolus* (*Gal.* II, 21) : Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est ; *sine dubio gratiam qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate.*] Verum non sola creationis beneficia agnovit Pelagius, ut sæpius diximus, verum etiam evangelica omnia ; sed non gratiam illam efficacem Augustinianam, ante eum incognitam, præsertim in Oriente. Itaque Joannes Hierosolymitanus Pelagium orthoxum esse censuit, ut ex P. Orosio satis liquet. Locus Pauli nihil facit contra Pelagium, cum *gratia Dei* ibi sit Evangelium, aut evangelica œconomia, qua Deus justos censet, non eos qui peccato carent, sed qui Evangelio parent ; quamvis anteacta eorum vita vitiis inquinata fuerit, nec sine lapsibus variis reliquam ætatem traducant. Eo sensu, semper sumitur *gratia*, quando opponitur *Legi*, quæ ex Judæorum sententia, contra quos Paulus disputat, summam perfectionem postulabat. In hac autem disputatione Epistolæ ad Galatas, ut et in simili, quæ legitur in Epistola ad Romanos ; perpetuo *gratia* opponitur *legi* et *operibus*, hoc est, misericordia rigori, imperfecta observatio mandatorum Dei perfectæ sanctitati. Meridiana luce hoc clarius est, nec recentiorum interpretum quisquam rem non vidit. Itaque sensu Augustiniano hic minime sumitur, ut nec usquam alibi in Scriptura. Quamobrem testimonia allata § 8 omnia sunt extra rem. Qui tam negligenter legebant Scripturam, et tam oscitanter laudabant, eos nobis quasi egregiorum interpretum exemplaria proponi quis ferat ? Quis quasi dogmata ad salutem necessaria, ut putabant, ex locis tam male intellectis deducta, imponi sibi patiatur ?

Ibid., § 18. *Sed quoquomodo se habeat ista quæstio, quia, etsi non invenitur in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiæ et Spiritus Dei ; quod ut fiat conandum atque poscendum est, tolerabiliter in eo quisque fallitur, nec diabolica impietas, sed error humanus est.*] Videtur hic distinguere gradus errorum Augustinus, quod et alibi facit ; sed debuisset etiam ubique distinguere gradus necessitatis in dogmatibus, nec quasi prorsus necessarium obtrudere, quod quamvis verum esset, nullo Scripturæ loco necessario nobis credendum imponitur, nec indivulso nexu cum necessariis dogmatibus conjunctum est.

Epist. 181, § 1. *Ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum debeatur*, etc. Paulo post : *Vel id vero quod Patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis in disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret ; ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ*, etc.] Dignum est observatu quam avide et callide arripiat sibi Innocentius jus quoddam ex Africanorum præsulum facto, quod ita interpretatur, quasi ausi non essent damnare Pelagiana dogmata eo inconsulto ; cum ea prorsus damnassent, et, invito etiam Zosimo, Innocentii successore, postea damnarint. Notum etiam est, non tantum temporibus Cypriani, sed et hisce quoque Afros episcopos nulla ratione pendere voluisse a judiciis episcoporum Romanorum, ut liquet ex controversia de appellationibus transmarinis hoc ipso tempore nata. Hæc epistola tumida est declamatiuncula in eos qui negassent auxilium Dei esse necessarium ad pie vivendum ; sed non definitur ratio et genus auxilii, quo factum ut postea Cœlestius hanc epistolam facile probarit.

Epist. 182, § 1. *Nam ut durum arbitror conniventiam præbere peccantibus : ita impium judico magnum negare conversis.*] Mendum hic est typographicum *magnum*, pro *manum*, ut liquet ex prioribus editionibus. Habet editio Erasmi *conhibentiam*, pro *conniventiam*, et sic etiam ea vox in codice Theodosiano scribi solet, ut observavit Jac. Gothofredus, cujus vide Glossarium Nominum. Qui ita scribebant putabant dicendum *conhibeo*, non *conniveo*, sed male. In hac sententia Innocentii videtur etiam inversio esse, ita ut legendum forte sit : *Ut impium arbitror conniventiam præbere peccantibus ; ita durum judico manum negare conversis*. Certe hoc postularet sermonis proprietas.

[Ibid., § 5. *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis* (*Joan.* VI, 54). *Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.*] Verba quidem Christi Joan. VI de manducatione carnis ejus, ad baptismum pertinere non censebantur ab Innocentio, sed ad eucharistiam. Si autem statuas sine eucharistia neminem posse servari, quod doceri eo loco a Christo putabat, hinc sequetur sine baptismo vitam infantes consequi non posse ; quia eucharistia iis dari non solebat nisi postquam baptizati fuerant. Eo manifesto respicit Innocentius, eaque consuetudine nititur vis ejus ratiocinationis. *Defendere parvulis vitam sine regeneratione*, est defendere hoc dogma, parvulis sine baptismo vitam dari. Notum est eo ævo datam infantibus eucharistiam, quasi necessariam ad salutem non aliter ac baptismum, quod ex loco Joannis male intellecto hauriebant veteres. Audi Augustinum lib. I de Merito peccatorum, cap. 20. *Dominum* inquit, *audiamus non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit* : Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in

vobis, *Quid ultra quærimus ? Quid ad hoc respondere potest ?* etc. *An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam, quia non ait* : Qui non manducaverit, *sicut de baptismo* : Qui non renatus fuerit ; *sed ait* : Si non manducaveritis, *velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli ?* Duo hæc Joannis loca male explicata dudum ostenderunt doctissimi quique interpretes ; unde sequitur ut perperam baptismus et cœna necessaria ad salutem habeantur. Vide et quæ habet Augustinus epist. 117, cap. 5. Sed hæc, hoc quidem in loco, non attingemus. Hoc tantum dicemus, liquere ex Innocentii verbis, non minus ac Augustini loco, eucharistiam necessariam ad salutem ab iis creditam. Scio aliter visum viris nonnullis doctissimis, sed profecto, non est hæc in re quæsita ab iis veritas, sed quomodo Augustinum cum hodiernis placitis conciliare possent. Vide Vindicias Augustinianas emin. cardin. Henr. Norisii. cap. 4, § 4, ubi multis de hoc Innocentii loco.

Epist. 185, § 12, de Donatistis, qui sibi mortem inferebant : *Qui autem nesciunt consuetudinem illorum, putant eos modo seipsos occidere, quando ab eorum insanissima dominatione, per occasionem legum istarum quæ pro unitate sunt constitutæ, tanti populi liberantur.*] Hæc sunt accusatorie plane dicta ; emollit enim Augustinus quæ contra miseros Donatistas fiebant, dum dicit *occasione legum* ereptos illis populos ; cum debuerit dicere terrore legum et gravissimis pœnis, ut ostendimus ad epistolam 93. Deinde quod addit visuros eos iis qui eos non norant sibi violentas manus intulisse, quod populi liberarentur ab eorum dominatione, id est invidiose dictum. Quasi vero quisquam se occidat cui licet vivere et bonis suis tranquille frui, duntaxat quia munere ecclesiastico dejectus est ! Non magis ecclesiastici Donatistæ dominabantur populis, quam catholici : nec quisquam suspicari poterat miseros homines tam levi de causa velle mori, cum præsertim constet eos tunc a magistratibus pessime habitos.

Ibidem. *Qui autem sciunt et ante ipsas leges quod facere soleant non eorum mirantur mortes, sed recordantur mores ; maxime quando adhuc cultus fuerat idolorum, ad paganorum celeberrimas solemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non ut idola frangerent, sed ut interficerentur a cultoribus idolorum. Nam illud si, accepta legitima potestate, facere vellent, possent habere qualemcunque umbram nominis martyrum ; sed ad hoc solum veniebant, ut integris idolis ipsi perimerentur. Nam singuli quique valentissimi juvenes cultores idolorum, quotquot occideret, ipsis idolis vovere consueverunt.* | Crediderim quidem nonnullos, inconsulta cupiditate martyrii, ethnicis sacris illusisse, ut ab iis interficerentur ; sed frequenter id contigisse, et præsentibus magnis Christianorum agminibus, cum imperatores Christiani essent, vix putarim. Neque enim licebat ethnicis impune Christianos occidere.

Ibid. *Quidam etiam se trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnunquam et a judicibus transeuntibus extorquebant violenter ut a carnificibus vel ob officio ferirentur* etc. *Jam vero per abrupta præcipitia, per aquas et flammas occidere se ipsos quotidianus illis ludus fuit.* Pauculos insanos in mortem temere ruisse non est incredibile, sed quotidiano ludo, sine ulla vexatione, hoc factum credant alii. Certe de hisce temporibus dici non potuit quibus Donatistæ acerbissime vexabantur ; nec unquam adversario de inimicis credendum. Si enim non mentitur, affectu tamen multa dissimulat, minuit, aut auget, prout partibus quas sequitur conducit.

Ibid., § 19. *Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, non petiisse a regibus terræ apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus*, etc.] Jam hoc confutavi ad epist. 93, § 9. Alia etiam argumenta quam futilia sint ad eamdem epistolam ostendi. Non possum tamen non mirari hominem non hebetem potuisse ita affectu excæcari, ut, modo de Donatistis triumpharet, nihil pensi haberet an infamaret universam Ecclesiam Christianam, antequam essent imperatores Christiani, graviter semper de persecutionibus, quasi humanitati contrariis, conquestam. Si enim dicamus Christianos antiquiores ea tantum de causa vexationes damnasse, quod in ipsos exercerentur, non in ethnicos ; cæterum si summam potestatem sibi faventem habuissent, superioresque ethnicis fuissent, ut sine periculo eos vexare possent similia in eos continuo molituros fuisse quæ in ipsos ethnici fecerant ; habendi erant antiquissimi Christianæ religionis patroni callidi dissimulatores, qui tempori duntaxat serviebant, cum damnarent quasi impia et inhumana quæ ipsi libentissime fecissent, si potuissent. Neque enim vetustiores Christiani damnabant persecutionem quam ipsi patiebantur, sed omnem omnino quæcunque esset. Quod si ethnici magistratus suspicati fuissent eos ideo tantum queri, quod ipsi non male haberent ethnicos, multo gravius et speciosius in homines sæviissent, quasi in seditiosos qui occasionem tantum vi evertendæ priscæ religionis, et male habendorum ei addictorum exspectabant ; nec fuisset cur jure queri potuissent Christiani, nisi quod ab adversariis anteverterentur. Non poterant dicere Christiani se veritatis esse patronos, ethnicos mendacii ; nam quamvis verum hoc esset, controversia illa etiamnum pendebat, dum ethnici contra sentiebant ; armaque eis in Christianos, interea dum Christiani ipsi fierent, eis suppeditabantur, nam dum se pro veritate stare illi putabant, debebant, ex Christianorum sententia, vexare aliter sentientes. Si potuissent prævidere ethnici adfore aliquando tempus quo morte multarentur diis sacra facientes a Christianis imperatoribus, nec sine plausu episcoporum, licet alioquin in partes abiissent ; Christianos infamassent, quasi factiosos et malos homines, qui non dicebant quod sentirent, cum religionem liberam esse oportere clamitabant. Sic tamen Augustinus epist. 93, § 10, alloquitur Donati-

stas : *Quis nostrum, quis vestrum non laudat leges ab imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum ? Et certe longe ibi pœna severior constituta est ; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Nec dubito quin ethnici qui supererant in imperio Romano, et vicini etiam idololatræ, ut Persæ, talia Christianis objicerent. Absit vero ut hæc probemus!

Epist. 186, § 37. *Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita erat permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret.* Definiendum erat quodnam auxilium Dei hic intelligatur, idque ex Scriptura non ambiguo loco probandum ; nam quis neget alioqui, si generaliter loquamur, semper creaturam indigere auxilio Creatoris ad salutem consequendam ?

Epist. 187, § 5. *Quod vero illa anima in infernum descenderit, apostolica doctrina prædicat,* etc.] Vide hac de re dicta ad epist. 164, ex quibus liquet Augustinum falli ; unde sequitur hic quoque eum a sensu verborum Christi aberrasse. De anima sua sine dubio loquitur Christus, cum qua latronis anima in paradiso fuit. De voce *Paradisus*, vide Hugonem Grotium ad hunc locum.

Ibid., § 33. *Quod in ea natum.*] Est in Græco Matthæi contextu cap. 1, 20, γεννηθὲν, *generatum*, quod obiter monitum oportuit ab Augustino. Sed forte neminem habebat ad manum qui Græce sciret, cum hanc conscriberet epistolam. Alioquin interdum non male ex Græca lingua quæstionibus respondet, ut infra epist. 197, ubi docet quodnam sit discrimen inter voces καιροί et χρόνοι.

Epist. 213, § 1. *Presbyterum Heraclium mihi successorem volo.*] Hæc sunt verba Augustini, successorem sibi designantis coram populo. Mirum est eum ignorasse illicitum hoc plane fuisse ex antiquis constitutionibus ecclesiasticis ; et qui fatetur § 4 se contra Ecclesiæ canones episcopum factum, vivo suo decessore, successorem etiam sibi elegisse contra eosdem. Canon apostolicus 76 ita habet : Οὐ χρὴ ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ, ἢ τῷ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν ὃν ΒΟΥΛΕΤΑΙ : *Non oportet episcopum fratri, aut filio, aut alii cognato gratificantem, ad episcopi dignitatem quem* VULT *eligere.* Hæc ita concepta sunt verba, ut si episcopus conferat episcopatum fratri, filio aut cognato, sive in eorum gratiam alii, pro arbitrio, perinde peccet. Mirum est si non verba ipsa canonis nota fuisse Afris, at certe consuetudinem Orientalium in ea re non fuisse apud Afros receptam, cum gravissima ratione nitatur, quæ sic exprimitur in sequentibus verbis : Κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ· οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τιθέναι. Εἰδέ τις τοῦτο ποιήσοι, ἄκυρος μὲν ἔστω ἡ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ : *Episcopatus enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt humano affectu largientem : non enim licet Ecclesiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione multetur.* Sic et Antiochena synodus, sub Constantio habita, cap. 23 sancit Ἐπισκόπῳ μὴ ἐξεῖναι ἀντ' αὐτοῦ καθιστᾷν ἕτερον ἑαυτοῦ διάδοχον, κἂν περὶ τῇ τελευτῇ τοῦ βίου τυγχάνῃ : *Episcopo non licere alium pro se constituere successorem, etiam si est circa vitæ finem.* Quod confirmationem esse memorati canonis apostolici observant Balsamon et Zonaras. Non opus est ut ostendamus quam gravia sint in contraria agendi ratione incommoda ; quam tamen ita secutus est Augustinus, ut pro imperio successorem sibi deligat voce VOLO ; quasi ne consensus quidem coepiscoporum fuisset necessarius, quod tamen statuit synodus Nicæna. Scio dicturos nonnullos ita solitum fuisse fieri in Africa ; nam ipse Augustinus in superioribus ait sua opera factum ut Milevitana Ecclesia episcopum acciperet quem decessor vivus apud clerum designarat. Addent, quamvis mali episcopi possent hac potestate abuti, bonos recte ea usos. Sed omnia illa sunt plena suspicionibus, nec putarim Afros meliores fuisse Græcis, qui periculosum putabant talia episcoporum arbitrio permittere. Vide de ejusmodi electione judicium Theodoreti Hist. Ecclesiast. lib. v, cap. 23.

Ibid., § 4. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo ; quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.*] Est canon 8 Nicænæ synodi, ubi vetantur esse in una urbe duo episcopi. Ad quem locum vide adnotationes viri doctissimi Guilielmi Beveregii. Non intelligo qui usus ipse Ecclesiæ, ex quo constabat unum in singulis urbibus episcopum esse oportere, non monuerit Hipponensem hoc illicitum esse. Nam si collegam unum sibi adjungere licuit, quidni et plures ? Quam magnam hoc aperuit fenestram adversariis Augustini, dicendi hominem sæpe in utillitatem suam errasse ?

Epist. 217, quæ est contra Vitalem Pelagianum, qui contendebat Deum per verbum suum operari ut velimus. § 2. *Dic ergo,* inquit Augustinus, *apertissime nos pro iis quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo prædicare,* etc.] Sed præter nudam Evangelii prædicationem multa sunt alia quibus Deus solet hominum animos mollire, quæ tamen nunquam debent a prædicatione verbi sejungi ; quippe quæ, etiam cum alia adhibet, est potissimum instrumentum quo Deus hanc in rem utitur. Illa autem alia sunt, exempli causa, vitæ calamitates, bona religiosorum hominum exempla, pœnæ de malis a Providentia sumptæ, consectaria virtutis et vitii etiam in hac vita, amotio tentationum, excitatio interna animi ad attentionem. exstinctio aut imminutio affectuum Evangelio contrariorum, aliaque ; quæ omnia multiplici Dei sapientia varie a Deo offeruntur hominibus, eorumque animis injiciuntur. Quis enim novit quot modis Deus animos hominum aggrediatur ? Nec quisquam negare queat quin Deus intrinsecus agere in animos hominum possit. Talia, quæ divinæ sapientiæ relinquuntur eligenda, a Deo petuntur, sed nullus ineluctabilis afflatus ; a Deo enim petuntur quæ solet ac vult facere, non quæ non

vult, neque solet. Quicunque preces aliter interpretantur, eas præter mentem fundentium urgent. Debent enim preces ejusmodi esse, quæ statuant Evangelii præcepta esse legitima, ac proinde posse ab omnibus quibus proponuntur observari ; sin minus, Deo sunt, quem injustum faciunt, contumeliosæ. Non ita fas est interpretari religionem Christianam, ut dum aliquam ejus partem, ut tibi videtur, tueris, eam repugnantem cæteris facias. Potuit Vitalis convertere argumentum in Augustinum et dicere : Non debes Evangelium prædicare ex tua sententia, sed Deum orare pro hominibus ; nam Deus omnia facit etiam sine verbo.

Ibid., § 16. Augustinus hic 12 capitibus complecti tur doctrinam suam de gratia, quorum brevi examine claudemus quæ in hunc tomum 11 animadvertenda habebamus.

I. *Scimus nondum natos nihil egisse in vita propria boni, seu mali, nec secundum merita prioris alicujus vitæ, quam nullam propriam singuli habere potuerunt, in hujus vitæ venire miserias.* Hæc concessisset Pelagius, addidissetque singulos homines non tantum propriam vitam priorem nullam habere potuisse, ut putabant qui προύπαρξιν animorum defeneebant, ut Origenes ; sed ne communem quidem, ut Augustinus, qui omnium hominum animos in Adamo fuisse credebat. Addit : *sed tamen secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere.* Concessisset hæc quoque Pelagius, sed non omnia quæ sequuntur in hisce verbis ; *nec liberari a supplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes transiens justa damnatio, nisi per gratiam renascantur in Christo.* Dixisset enim 1° falsum esse transire damnationem ab Adamo in posteros, sed singulos qui damnantur, propriam ob culpam damnari ; 2° renasci in Christo, hoc est, converti, si proprie loquamur, eos tantum qui mortui fuerunt in peccatis, sed non parvulos, qui nondum peccarunt.

II. *Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus, secundum merita nostra dari.* Ante omnia definienda fuisset accurate vox *gratia.* Intelligit, ut videtur, Augustinus afflatum illum qui certo, ex ejus sententia, peccatorem convertit. Pelagius quoque fateri, ex sua sententia, hoc potuit ; nam Evangelii prædicationem cæteraque quæ Deus adhibet ad hominem primum convertendum nullis profecto meritis ab homine provocatus largitur. Sed si intelligas posteriora beneficia Dei, quæ jam credentibus dantur, ne Augustinus quidem negare potuisset ea meritis (hoc est, benefactis quæ Deus præmio afficere pro sua misericordia ac beneficentia decrevit) Deum concedere ; nam constat habenti dari, ut diserte docet Christus, non habenti non dari. Infantibus secundum merita dari quidquam, ex sententia Pelagii, dici non potuit, cum infantes sint virtutis prorsus incapaces : ut nec etiam propter vitia, quæ non cadunt nisi in ratione utentes, plecti possunt.

III. *Scimus majoribus ad singulos actus dari.* Afflari adultos ita ut afflatui resistere nequeant, negasset Pelagius, seu conversionem summatim spectatam attendas, seu singulos actus ; neque contrarium ex Scriptura probari adversus negantem potuisset.

IV. *Scimus non omnibus hominibus dari, et quibus datur non solum secundum merita operum non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maxime apparet in parvulis.* Si omnibus hominibus non datur necessaria prorsus ad credendum perseverandumque in fide gratia, non possunt vituperari æternisve suppliciis plecti qui non credunt aut non perseverant ; quia nunquam fuit in eorum potestate gratiam illam consequi, quam, ex sententia Augustini, Deus pro arbitrio largitur.

V. *Scimus eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari.* Non negasset Pelagius, si de prima conversionis gratia loquatur, ut videtur, Augustinus.

VI. *Scimus eis quibus non datur justo judicio Dei non dari.* Assensisset huic sententiæ Pelagius.

VII. *Scimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ, si diutius viveret, gesturus fuit, sive bonum, sive malum.* Nec huic aphorismo assensum negasset Pelagius, nisi forte senserit quod ad 9 regulam dicemus.

VIII. *Scimus etiam parvulos, secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum.* Atqui nihil per corpus gesserunt, nam *gerere* quidquam sine rationis usu non possunt. Audi tamen Augustinum : *Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, et renuntiare diabolo dicuntur et credere in Deum.* In formula quidem baptismi dicebat susceptor *credo, abrenuntio*, sed ea formula, ut diximus ad epist. 98, in usum duntaxat adultorum prima concinnata fuerat, deinde infantibus incommode aptata ; neque ex ea ullum consectarium deduci poterat, præsertim quod magnis esset difficultatibus obnoxium. *Unde*, inquit in sequentibus Augustinus, *et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis* : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. At in hisce verbis loquitur Christus de adultis tantum, qui ei credere possunt, ut iis solis prædicatur Evangelium. Addit tamen *Aristoteles Pœnus*, ut eum quidam ejus adversariorum vocabat : *Propter quod et illis qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur :* qui autem non crediderit condemnabitur. Atqui loquitur Christus de iis qui prædicato sibi Evangelio non crediderant, non de infantibus, quibus non prædicatur. Qui tales interpretationes Scripturæ concoquere potuit, quid in ea non potuit invenire ?

IX. *Scimus felices esse mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent.* Commentum fuit Pelagianorum, qui, ut alii, putabant pueros non posse gloriam cœlestem consequi sine baptismo, ut redderent rationem cur alii quidem infantes morerentur sine baptismo, alii vero baptizarentur antequam interirent. Priores nempe præviderat Deus fore malos, si viverent : posteriores contra fore bonos, si diutur-

niorem vitam haberet. Quod absurdum est commentum.

X *Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio.* Concedebat Pelagius, sed hoc negari ab Augustino contendebat; quia Augustini ineluctabilis afflatus evertit *libertatem*; quæ nulla est, nisi id possis omittere quod facis; hoc est, vocationi divinæ ita obsequaris, ut eam possis negligere.

XI. *Scimus pro eis, qui nolunt credere nos qui jam credimus recta fide agere cum Dominum oramus ut velint.* Nec hoc non orabat Pelagius, sed non petebat a Deo ut ineluctabiliter voluntates hominum flecteret, sed tantum ut faceret, quæ diximus ad § 2, a Deo fieri ut cor hominum molliatur; ostendebatque iis precibus amorem quo proximum prosequebatur, dum optabat eum divinæ voci morigerum se præbere.

XII. *Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, recte atque veraciter et debere nos Deo agere gratias et solere.* Sic etiam faciebant Pelagiani omnes, aut facere certe debebant; nam nihil habebant credentes, ex eorum sententia, quod a Deo non accepissent; nec si Deus Evangelium ad homines non misisset, multaque Evangelio addidisset credendi incitamenta, quisquam ei credidisset. Quis divitiarum amans non gratias ageret homini qui eum divitiis cumulasset, quamvis ut eas acciperet minime coegisset? Quis non grato animo sit erga eum qui recta in re magni momenti consilia præbuit, quamvis irrita fuissent, nisi fides eis habita esset? Quis fidem suam, aut alienam animo reputans summaque Dei quæ eam consequuntur beneficia, Deo gratias ob ea et fidem, cujus potissimus auctor est Deus, non habeat? Sed hæc grati animi testificatio non debet esse ejusmodi, ut dum Deo pro fide credentium grates rependimus; ita de eo sentiamus, quasi non minus causa sit incredulitatis contumacium quam fidei credentium; aut ea dicamus, ex quibus necessario sequitur eos juste a Deo plecti non posse; quod faciunt qui dicunt peccato Adami factos peccatores, antequam essent in rerum natura, talesque nasci, aut necessarium quidpiam ad fidem incredulis defuisse. Sed hæc obiter, nam de hisce controversiis copiose scripserunt viri doctissimi, præsertim in Belgio Fœderato, ubi magno animorum æstu olim agitatæ sunt.

IN TOMUM TERTIUM.

DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM.

In hunc tertium et quartum sequentem tomos digessimus τὰ διδακτικά, hoc est, quæ nec sunt epistolæ, nec ad populum dicta, nec adversus hæreticos pugnantia, sed lectori erudiendo scripta. Notha censuris additis indicavimus, ne quis erret insciens.

ANIMADVERSIONES IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Prologo. § 1. *Hæc tradere institui volentibus et valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea quæ de hac re cogitanti solet suggerere etiam scribenti mihi non deneget.*] Quamvis bonas omnes cogitationes ad Deum, quasi ad bonorum omnium primam causam, referre debeamus, non ita tamen loquendum, quasi Deus nos afflaret, et quidquid bonum esse credimus veluti dictaret. Primum enim falli sæpe possumus, ut verum esse putemus quod non est, quod frequenter Augustino contigit; ac proinde cavendum ne nostros errores Deo tribuamus. Deinde quæcunque vere dicimus non sunt propterea a Deo suggesta, cum ea institutioni lectionique plerumque, Deo nequaquam interveniente, debeamus. Denique si alius, qui pari jure gaudet, sibi cogitationes suas a Deo suggeri dicat, et contraria proferat, quis in concordiam rediget afflatos hosce homines? Se invicem infamabunt quasi pseudoprophetas, et internecino bello persequentur, dum homines minus religiosi ipsam religionem ridebunt, quam animadvertent cum somniis misceri. Sunt et alia incommoda quæ hinc nasci queant, quorum miror in mentem Augustino non venisse. Profecto hodie nemo est inter eruditos qui velit sub nomine suo edi, quæ suggestiones divinæ ab auctore putabantur.

Libro I. Cap. 30, § 31. *Sed utrum ad duo illa præcepta) de amando Deo et proximo) etiam dilectio pertineat angelorum non irrationabiliter quæri potest.*] Qui non oscitanter legerunt Scripturam, nomine *proximi* tantum aut ejusdem gentis, vel familiæ hominem, aut ejusdem naturæ humanæ participem significari norunt. Nec Deus non jussit amare angelos, quibus cum non versamur, et quos etiam nemo odio habere potest.

Cap. 36, § 41. De interprete Scripturæ qui veram quidem sententiam quærit in Scriptura, sed alieno loco: *Corrigendus est tamen*, inquit, *et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi, etiam in transversum aut perversum ire cogatur*, etc. Hæc sunt conferenda cum iis quæ diximus ad Confessionum lib. XII, cap. 17, ubi Deus contraria Augustino, si de se creditur ipsi, suggerebat; nam quæ illic habet sibi a Deo suggesta ab initio libri innuit. Sed secunda suggestio priore multo melior.

Cap. 39, § 43. *Homo itaque fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria in solitudine sine codicibus vivunt.*] Nemo tam est peritus Scripturæ quin indigeat codicibus, quos consulat et legat subinde. Quod si quis litteras nesciat, ibi potius debet vivere ubi legantur quam in solitudine. Si quis sciat, protervia est et negligentia non ignoscenda, si codices sibi non comparet. Hæc merum enthusiasmum redolent.

Libro II, cap. 8, § 12. *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quam plurimum auctoritatem sequuntur, inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt.*] Apostolicæ sedes sunt eæ in quibus ipsi apostoli episcopos constituerunt, quæ cum essent omnium antiquissimæ, debebant primæ omnium apostolica scripta esse nactæ. Mirum est Augustinum hic nihil habere de eorum sententia qui, ad Vetus Testamentum quod attinet, nullos alios agnoscebant libros canonicos præter eos qui Hebraice conscripti fuerant, quam ex Hieronymi scriptis cognoscere potuit.

Ibid., § 13. *Illi duo libri, unus qui Sapientia et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; num Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter prophetico numerandi sunt.*] Retractationum lib. II, cap. 4, ait se postea didicisse *non ita constare* ut putaverat, et *probabilius esse* Sirachidem libri Sapientiæ non esse auctorem. Mirum est episcopum tanti nominis rem tantillam ignorasse aliquandiu, quam a catechumenis disci oportuisset. Nunquam studiose eum legerat librum, cum hæc scriberet : nam auctor libri se non ait Jesum esse filium Sirach, sed regem Israelis, cap. IX, 7, 8. Quod cum ita sit, non capio qui inter propheticos libros censeri posset opusculum cujus auctor præ se fert se regem fuisse, cum minime fuerit.

Cap. 11, § 16. *Latinæ quidem linguæ homines quos non instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa scilicet, et Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.*] Non miror Augustinum linguæ Græcæ studium commendare, nam et alibi hoc facit; sed Hebræam addi Latinæ vehementer miror. Certe non tantum epist. 21, quæ censetur scripta circa annum 395, sed et epist. 71, scripta anno 403, Augustinus plane improbat studium vertendi Hebraica Latine, acquiescitque in accurata versione translationis LXX interpretum. Similiter et infra hujus libri cap. 14 loquitur, et opere de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 43, divinitus afflatos fuisse putat eosdem interpretes, ideoque Hieronymo præferendos, quamvis Judæi Hieronymianam versionem Septuagintavirali præferrent. Sed et hoc mirum est ab Augustino hic commendari studium linguæ Hebraicæ, nec tamen ipsum aut quemquam alium, iis sæculis, quidquam aggressum esse facere, ut viam aperiret iis qui id studium ingredi voluissent. Attamen et postea lib. IV, cap. 7, aliquid iterum de Hieronymi labore habet. Sane, ut quod suspicer dicam, vereor ne quid hic sit interpolatum aliena manu, postquam Hieronymiana versio auctoritatem in Occidente consecuta fuerat. Sim minus, ad academicum ingenium Augustini, sibi non satis constans, hæc erunt referenda.

Ibid. *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcum verterunt numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique, primis fidei temporibus, in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*] Fateor ex collatione variarum illarum interpretationum aliquid lucis oriri, ut postea ostendit Augustinus; sed ex lectione unius codicis Græci emendatioris multo major fructus capi potuit quam ex collatione viginti in peritorum interpretum. Itaque optandum fuisset Occidentales Ecclesias, pro tot sumptibus quos faciebant in indoctos et otiosos, aut vili labore occupatos monachos, publico sumptu et consilio adolescentes misisse in Græciam, aut Græcos magistros ex Oriente vocasse, ut plures Græcam linguam intelligerent, aliisque facem præferrent. Omnes vero Christianos par fuisset conducere Hebræos, a quibus lingua Hebræa doceretur, eaque omnia facere quæ avorum nostrorum memoria in Europa facta sunt, ad linguæ illius cognitionem in usum Christianorum revocandam. Nam quod serius factum est, id prius fieri potuit, et facilius etiam, nisi laborem fugissent homines illius ævi.

Cap. 16, § 25. Ut ostendat necessariam esse arithmeticam ad intelligendam Scripturam, memorat jejunium quadraginta dierum Mosis, Eliæ et Christi; tum addit : *Cujus actionis figuratus quidam nodus, nisi hujus numeri cognitione et consideratione non solvitur. Habet enim denarium quater tanquam cognitionem rerum intextam temporibus*, etc. Quæ, cum bona Augustini venia, nugæ sunt Pythagoricæ ac Platonicæ, a quibus in re tam gravi abstinere multo satius fuit. Sed nescio quomodo eo tempore ostentandi in ejusmodi rebus ingenii ita invaluerat consuetudo, ut cum plausu talia audirentur quæ sunt risu digna. Quis ferat hodie sibi dici hydriarum quinque, quæ Canæ erant, Joan. II, mensura quæ fuit circiter trium metretarum, significatam S. Trinitatem, quemadmodum facit Augustinus, ad eum Joannis locum? O felices homines, qui tantam eruditionis famam tam facile sibi pepererunt! Sed et o stipites, qui talibus olim plaudebant, aut etiamnum serio favent!

Cap. 17, § 27, de novem Musas esse dicentibus: *Refellit eos Varro, quo nescio utrum apud eos quisquam talium rerum doctior aut curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse ut opera sua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem, atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur, quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula*, etc.] Si quod de numeris dixit Augustinus ad interpretationem Scripturæ, admitti ab ethnicis oportuit, non video quo jure ethnicis non licuerit dicere fictum hoc a Varrone vel ab alio, cum præsertim sermo sit de temporibus antiquissimis, quibus aut nullæ, aut raræ conscribebantur historiæ; tum etiam de numero novennario Musarum Pythagorice philosophari. Quidni

eis licuerit dicere tribus Musis designari tres musicæ tonos, gravem, medium, et acutum; et ter ternas dictas, quod essent tres chori, pro tribus illis tonis? At hæc, inquies, pro arbitrio comminisceris. Non diffiteor, sed an non etiam theologicæ arithmeticæ mysteria pro arbitrio fingebant? Itaque non est committendum, ut veritatem illustrare videamur, eadem fingendi licentia qua et fabulas interpretari licuerit.

Cap. 20, § 31. *Illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.*] Ingeniose. Simile est Menandri illud e Superstitioso, quod habet Grotius in Excerptis pag. 714 :

Α. Ἀγαθὸν γένοιτό μοι, ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Ὑποδούμενος γὰρ, δεξιᾶς τῆς ἐμβάδος
Τὸν ἱμάντα διέῤῥηξ'. Β· Εἰκότως γ', ὦ Κλεινία,
Σαπρὸς γὰρ ἦν, σὺ δὲ σμικρολόγος οὐ θέλων
Καινὸν πρίασθαι.

Hoc est, interprete viro summo :

A. Bene hoc mihi proveniat, o sancti Dei,
Quod inter calceandum dextri calcei
Vinclum diruptum est. *B.* Merito evenit, Clinia,
Namque erat id detritum et tu præparcus nimis,
Qui non novum emeres.

Cap. 22, § 36. *Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta quædam infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda et fugienda.*] Verissime, sed inutile tamen non est theoretice nosci quæ de artibus illis ab ethnicis dici et credi solebant, ut loca Scripturæ ad eas spectantia explicare possimus; quod feliciter doctissimi viri, postremis hisce sæculis, aggressi sunt. Multa per se inania propter eas allusiones sunt obiter cognoscenda.

Libro III, cap. 2, § 3. *Illa hæretica distinctio :* In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat; *ut alius sensus sit* : Verbum hoc erat in principio apud Deum; *non vult Verbum Deum confiteri.*] Ex hoc loco et cæteris quæ de hac re habentur distinctiones nullas ascriptas fuisse liquet in codicibus tempore Augustini. Qua de re vide quæ scripsit Joan. Clericus in Arte Critica, part. 3, sect. 1, cap. 10.

Cap. 3, § 9. *In principio cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias; et ad hoc pertinet quod ait Apostolus* : Littera occidit, spiritus autem vivificat; *cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.*] Hoc Pauli loco II Cor. III, 6, abutuntur omnes allegoristæ, quo nihil simile significatur. Hoc enim vult Apostolus : legem Mosaicam occidere, Evangelium vero vitam dare. Nam γράμμα sæpe vocat legem, πνεῦμα vero Evangelium; quia, ut opinor, lex quidem mera est littera quæ non indicat per se animum legislatoris; Evangelium vero animum ipsum Dei, cum legem ferret, aperit. Vide notata hac de re a Joanne Clerico, in additamentis Henr. Hammondi ad Novum Testamentum.

Cap. 10, § 14. *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.*] Nimis generalibus verbis concepta hæc est regula, ideoque Augustinus eam postea de præceptis partim interpretatur; sed ne sic quidem satis commoda est. Præceptum enim Dei Abrahamo datum de occidendo filio non erat figuratum, nec eo secius contra honestatem morum erat. Præceptum etiam Oseæ prophetæ datum de ducenda meretrice, figuratum non fuit, in se spectatum, et tamen indecorum fuit. Nollem regulas dari de sermone figurato; res enim ipsa et animus loquentis quid proprium sit, quid figuratum, satis ostendit. Deinde Augustinus *figuratam* actionem miscet cum *typica* narratione, quæ toto cœlo differunt.

Cap. 12, § 18. *Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt.*] Ad Deum quod attinet, cujus perfecta ac immutabilis est sanctitas, certissima hæc est regula; sed quæcumque fecerunt sancti viri sub Vetere Testamento minus recta, non sunt propterea typica aut figurata. Exempli causa, polygamia, de qua § 20 et 27 nihil habuit typicum neque figuratum, neque fuit laudabilis, sed tolerata eo ævo, ut et postea inter Judæos, quemadmodum et divortium. Sed laudes ac vituperationes intelligendæ semper sunt, pro temporibus et hominibus. Quod habet Augustinus de temperante usu plurium uxorum, paucis, ut opinor, persuasit.

Cap. 16, § 24. *Si præceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Nisi manducaveritis, *inquit*, carnem Filii hominis et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. *Facinus vel flagitium videtur jubere, figura est ergo præcipiens passioni Dominicæ communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.*] Non male verba Christi interpretatur, quæ alibi tamen de eucharistia sumenda perperam censet. At ipsa regula sat accurata non est, ut antea ostendimus. Accipiamus tamen quod rectum est, et hinc intelligamus qui Augustinus participes nos posse fieri crederet corporis Christi.

Cap. 21, § 31. Narrata similitudine qua Nathan ex ore Davidis expressit damnationem adulterii quod commiserat, ita loquitur : *Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, a seipso puniri coactus est.* Consectarium hoc male ductum esse nemo non videt, neque enim plectitur David quod cum una intemperantius concubuisset, sed quod esset alii nupta, et cum ea mœchatus esset. Quod in similitudine Nathanis mentio fit *unius ovis*, id dicitur κατ' ἀντίθεσιν

ad multas Davidis uxores ; qui tamen multis illis non contentus infelici Uriæ unam quam habebat eripuerat, qua circumstantia augetur flagitii gravitas. Unde, contra quam fecit Augustinus, colligas Davidem libidinosum hominem fuisse, qui cum tot haberet uxores domi, tam facile alienæ amore exarserit.

Libro IV, cap. 7, § 15. *Videtur enim ubi ait* (Paulus, II Cor. XI, 6) : Etsi imperitus sermone, sed non scientia, *quasi concedendo obtrectatoribus sit locutus, non, tanquam id verum agnosceret, confitendo.*] Atqui res ipsa clamat verum esse. Vide additamenta Joan. Clerici ad Adnotationes Hammondi. Nec propterea minoris divinus Apostolus faciendus est ; quem non veneramur quasi eloquentem virum, sed ut apostolum Christi munere suo summa fide ac fortitudine defunctum.

Ibid. Postquam dixit se Amosi loca prolaturum, subdit : *non autem secundum Septuaginta interpretes, qui* ETIAM IPSI *divino Spiritu interpretati, ad hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum admoneretur lectoris intentio*, etc. *Sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.*] Suspecta mihi sunt verba, *etiam ipsi divino Spiritu interpretati* ; quis enim alius interpres eo ævo divino Spiritu actus credebatur ? De Hieronymo hoc postremis tantum hisce sæculis jactatum. Fortasse tamen τὸ *etiam* non tam respicit alium interpretem quam scriptores ipsos sacros ; adeo ut voluerit Augustinus non tantum sacros scriptores, sed etiam interpretes ipsos Græcos a Spiritu sancto afflatos fuisse.

Cap. 24, § 53. De Cæsareensibus dicenti Augustino acclamantibus : *Non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum eos flentes viderem. Acclamationibus quippe se docceri et delectari, flecti autem lacrymis indicabant.*] Sæpe ejusmodi acclamatioum in ecclesiasticis monumentis mentio fit ; quæ quam afficerent sacros oratores nescio, sed indecoras fuisse scio, et aptas ad eos mirum in modum inflandos. Plebs frequentius nugis applaudit, si sint grata voce et decora actione pronuntiatæ, quam bonis ratiocinationibus ; et cum plausum ferunt ineptiæ, meliori orationi negatum, hinc fit ut negligantur quæ plebi minus placent, colantur vero quæ sunt rectæ rationi contraria. Ex foro et theatro talia in Ecclesiam transferri non oportuit.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM IMPERFECTUM DE GENESI AD LITTERAM.

Cap. 1, § 3. *Esse autem omnia quæ fecit Deus bona valde ; mala vero non esse naturalia, sed omne quod dicitur malum, aut peccatum, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum, nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea quæ justitia vetat, et unde liberum est abstinere.*] Hæc verissima est et peccati et libertatis definitio, quæ ab omnibus probabatur, et semper probata fuisset, nisi incidissent Controversiæ Pelagianæ ; quæ Augustinum a notionibus, quos κοινὰς ἐννοίας non male vocaris, cum sint totius humani generis, avocarunt. Cæterum hujus operis malum non erat consilium, nulla enim recta interpretatio est quæ non sit *ad litteram*, ex qua postea et moralia et theologica deducuntur consectaria. Sed eo ævo propemodum ignotæ erant litterales seu grammaticæ interpretationes ; nec Augustinus eo tempore, nec postea, necessariis eam in rem instructus præsidiis fuit.

Cap. 4, § 17. *Potest autem et aliter intelligi, ut spiritum Dei vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia corporea continentur et moventur intelligamus ; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi, ad operandum in iis quæ gignuntur.*] Hæc fuit sententia Theophili Antiocheni, qui libro II ad Autolycum, sic loquitur : Πνεῦμα δέ τὸ ἐπιφερόμενον ἐπὶ τοῦ ὕδατος ὃ ἔδωκεν ὁ Θεὸς ζωογόνησιν τῇ κτίσει καθάπερ ἀνθρώπῳ ψυχήν, τῷ λεπτῷ τὸ λεπτὸν συγκεράσας· τὸ γὰρ πνεῦμα λεπτὸν καὶ τὸ ὕδωρ λεπτόν. ὅπως τὸ μὲν πνεῦμα τρέφῃ τὸ ὕδωρ, τὸ δέ ὕδωρ σὺν τῷ πνεύματι τρέφῃ τὴν κτίσιν διικνούμενον πανταχόσε : *At spiritum qui ferebatur super aquas largitus Deus creaturæ, ut ejus opera possit producere viventia, non secus ac homini animam attribuit, tenue tenus commiscens (nam spiritus sua natura tenuis est, itidem et aqua) ; ut spiritus nutriat aquam, et aqua addita spiritui nutriat creaturam universam, omnia permeans.*

Cap 6, § 26. *Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Unde etiam nomen, quod rem notet, appellatum est, quasi notamen.*] Imo a *nosco* fit *nomen*, quod ope nominis res noscantur. Vide hac de re Ger. Joannis Vossii Etymologicon.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS XII DE GENESI AD LITTERAM.

Libro I. Cap. 18, § 21. *In libro qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est* : Et oritur sol et occidit sol, et in locum suum ducitur, *hoc est, in eum locum unde ortus est. Sequitur enim et dicit* : Ipse Oriens illud vadit ad Austrum et circuit ad Aquilonem. *Australis ergo pars cum habet solem, nobis dies est ; cum autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox est.*] Versus quidem 5 cap. I Ecclesiastæ de sole agit, sed cap. VI videtur de vento tantum intelligendus, ut docebunt accuratiores interpretes. Verum hoc non agimus, neque enim commentarium scribimus in loca ab Augustino minus bene explicata. Ante omnia, animadvertendum hic mendum esse in voce *illud*, et legendum *illic*, sic enim hunc locum ex versione antiqua profert Hieronymus : *et oritur ipse ibi, Vadit ad Austrum*, etc. In editione Erasmi est *illuc*, quod ad veram lectionem propius accedit. Deinde quærendum esset a quo astronomo Augustinus didicisset, *cum Australis pars habet solem, nobis diem esse ; cum autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis noctem esse* ? Crediderim eum audisse a quopiam cum australis pars, hoc est, australia signa percurruntur a sole, nobis hiemem esse : dum vero aquilonaria signa peragrat, æstatem ; sed eum astro-

nomiæ prorsus imperitus esset, diem et noctem æstati atque hiemi, vacillante memoria, substituisse. Multo melius Hieronymus, ad vers. 6, si modo in eo de sole sermo sit: *Hinc possumus*, inquit *æstimare hiemis tempore solem ad meridianam plagam currere, et per æstatem septentrioni esse vicinum.*

Libro II, cap. 5, § 9. Postquam dixit Saturni stellam frigidam ab astrologis haberi, sic contra ratiocinatur: *Quæritur itaque ab eis unde illa stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimiore cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius, ut majora spatia cum brevioribus ad eosdem gyros pariter occurrant: quæ autem celerius, utique ferventius.*] Hic cernere liceat, quid sit ratiocinari de re quam parum compertam habeas. Astrologi, quo confutat Augustinus, ex absurdis opinionibus consectarium casu verum deduxerumt; Hipponensis vero episcopus recta ratiocinatione verum oppugnat. Nimirum, micabant utrique in tenebris; nec tamen minus confidenter sua commenta proferunt. Astrologi quia Saturnus describitur a poetis, quasi senex et quidem exsectus, ieeo ejus stellam frigidam esse absurde dictitabant. Vide Servium ad hunc Virgilii versum, qui est 336 I lib. Georgicon:

Frigida Saturni sese quo stella receptet.

Attamen ex veris astronomorum recentiorum dogmatibus frigidus dici potest planeta qui Saturnus vocatur, quia est a sole, unde omnis mundi hujus nostri calor, remotissimus. Contra Augustini ratiocinatio vera quidem est, sed male aptata, quia statuit Saturnum, cum cæteris omnibus sideribus, intra viginti quatuor horas rapi circa terram; quod falsum esse jam norunt omnes. *Proinde*, inquit ille, *memorata stella magis debuit calida esse quam frigida; quamvis enim suo motu, quoniam grande spatium est, triginta annis totum ambitum permeet, tamen cœli motu in contrarium rotata velocius, quod quotidie necesse est patiatur (quoniam, sicut dicunt, cœli singulæ conversiones dies singulos explicant), calorem majorem debuit cœlo concitatiore concipere.* Hæc habuit a vulgari illius ævi astronomia, sed ei astronomiæ alium errorem ex loco Geneseos perperam intellecto, poeticisque figmentis temere conjuncto addidit, in sequentibus: *Nimirum, ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum vicinitas; quam nolunt credere qui hæc quæ breviter dixi, de motu cœli et siderum disputant.* Merito nolebant, quia rationi erat contraria, cum qua pugnare non potest Scriptura, ut ipse Augustinus alibi docet.

Ibid. *His quidem nostri* CONJECTURIS *agunt adversus eos qui nolunt aquas super cœlum credere, et volunt eam stellam esse frigidam, quæ juxta summum cœlum circuit, ut ex hoc cogantur aquarum naturam, non jam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere.* Vanæ illæ erant conjecturæ hominum indoctorum Scripturam cum poetica astronomia temere in concordiam redigere conantium, cum locus Geneseos de aquis super cœlum intelligendus sit de nubibus interiori aeri imminentibus. ut recte dudum conjecit *quidam* (neque enim aliter designatur) cujus meminit Augustinus supra cap. 4, et quem bene monentem sequi satius erat, quam aquas ubi nullæ sunt somniare. Sic enim tandem claudit hanc disputationem: *Quoquomodo autem et qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus; major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.* Vere dixit Scripturæ esse potius credendum quam conjecturis, sed ante omnia intelligenda probe est Scriptura, ne commentitium sensum, hoc est somnia nostra, pro vera ejus sententia credenda obtrudamus, ut fecit hic Hipponensis episcopus. Vide præter Geneseos interpretes Dionys. Petavium Dogmatum theologicorum tom. III, de Opificio sex dierum lib. I cap. 11.

Cap. 6, § 10. *Personam Patris declaratam esse dicunt, in eo quod scriptum est*: Et dixit Deus fiat firmamentum etc., *ac deinde ut intelligatur Filius fecisse quod a Patre dictum est ut fieret, arbitrantur esse subnexum*: et fecit Deus firmamentum.] Hæc λεπτολογία, et alia ejusmodi quæ habet hic Augustinus, nituntur prava versione Latini interpretis. Nam in Hebraico textu cum sit יְהִי, sit, verterunt Græci γενηθήτω, quod non est *fiat*, sed *sit*; ita ut imperium hoc Dei non respiciat ad aliam causam quæ faciat quod jubet, sed significet Deum sola voluntate sua fecisse ut res sint.

Libro III, cap. 1, § 1. *Dicuntur autem cœli pluraliter, in una eademque re, quæ dicitur unum cœlum.*] Hebraice quidem semper שָׁמַיִם, *Schamajim*, est pluralis numeri, quamvis sæpe sensu singulari sumatur; sed Græci interpretes nunc οὐρανόν, more Græco, nunc οὐρανούς Hebraico dixerunt, imitatoresque habuerunt Latinos, licet nescirent cur numeri in hac voce mutarentur.

Cap. 21, § 33. *Quomodo autem homo immortalis factus sit et acceperit escam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem semen, et lignum fructiferum, et herbam viridem, difficile est dicere.*] At hinc, ut et ex sequentibus, facile est intellectu hominis corpus sua natura mortale creatum; sed nihil vetabat Deum, si homo nunquam peccasset, immortale id præstare, extraordinaria ope. Quia vero peccavit, Deus id suæ naturæ conficiendum reliquit, qua ratione mors facta est merces peccati. Hoc ipsum perspicue docet Augustinus infra lib. VI, cap. 25, § 36.

Libro IV, § 2. *Invenimus ergo senarium numerum primum esse perfectum, ea ratione quod suis partibus compleatur*; hoc est, his tribus constet.] Quicunque alius numerus a Deo lectus fuisset, in eo necessarias perfectiones omnes invenisset Augustinus. Talia erant Platonismi commenta, a quibus alienum non fuisse Augustinum miror, vel propter hoc quod nihil haberent fixum ac certum.

Cap. 35, § 56. *Dies ergo ille, quem Deus primitus fecit, si spiritalis rationalisque creatura est, id est, angelorum supercœlestium atque virtutum, præsentatus est omnibus operibus Dei, hoc ordine præsentiæ quo ordine scientiæ, qua et in Verbo Dei facienda præno-*

sceret, et in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed prius et posterius habens in connexione creaturarum, in efficacia vero Creatoris omnia simul. Sic enim facit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora.] Hæc omnia, quibus summatim profert quod particulatim in hoc libro docuit, quis non miretur vocari interpretationes *ad litteram*? Quis non obstupescat cum cogitat serio esse dicta? Quibus hæc somnia febricitantis eximia videbantur, eos oportet fuisse aut valde hebetes, aut valde affectu obcæcatos. Quis interpres hodie talia scribere vellet?

Ibid. *Ac per hoc isti dies septem, quos lux corporis cælestis circumeundo explicat atque replicat, secundum quamdam umbram significationis admonent nos quærere illos dies in quibus lux creata spiritalis omnibus operibus Dei, per senariam numeri perfectionem præsentari potuerit, atque inde septimam requiem Dei mane habere et vesperam non habere*, etc.] Placere hæc potuerunt iis qui Platonis aut Pythagoræ mysticam arithmeticam magni faciebant; sed qui eam irridebant, sine dubio hæc omnia etiam exsibilabant, et quidem merito; ut jam liquet vel ex interpretum recentiorum consensu, quibus alia omnia placuerunt. Ignoscere hisce commentis possumus, sed mirari eos qui tam sæpe indulgentia nostra indigent, non possumus.

Libro v, cap. 14, § 32. *Nec prætermittendum est, quod emendatiores codices habent* (Joan. i, 3 et 4): quod factum est in illo vita erat; *ut sic intelligatur* vita erat *quomodo*: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. *Quod ergo factum est, jam* vita erat in illo, et *vita non qualiscunque*, etc.] Emendatiores illi codices sine dubio vitiosa interpunctione laborabant, ut editiones omnes hodiernæ et res ipsa ostendunt.

Libro vi, cap. 24 et seq., § 36. *Non ait Apostolus, corpus quidem mortale propter peccatum; sed corpus mortuum propter peccatum. Illud quippe ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat; id est, mortale, quia poterat mori.*] Nondum hac de re cogitasse videtur Augustinus, cum scriberet libri iii, cap. 21, ut indicavimus obiter ad eum locum.

Libro vii, cap. 2, § 3. *Sacrilega opinio est eam et Deum credere unius esse substantiæ.*] Loquitur de opinione Manichæorum qui volebant animum humanum esse ὁμοούσιον, sive consubstantialem Deo. Vide librum de Hæresibus cap. 46.

Cap. 22, § 32. *Quærendum est quomodo possit intelligi quod causalis ejus* (animæ) *ratio fuisse dicebatur in primis sex dierum operibus Dei, quomodo fecit Deus hominem ad imaginem suam, quod nisi secundum animam non recte intelligitur.*] Sequitur Augustinus stylum philosophorum, qui omnibus *seminalem rationem* σπερματικὸν λόγον fuisse docebant, quibus vocibus videntur intellexisse veluti principium quoddam, ex quo materiæ primæ mistiones omnes conflatæ sunt. Vide Justum Lipsium in Physiol. Stoicorum lib. ii, dissert. 8. Iidem philosophi aliique dixisse etiam videntur αἰτιατικὸν λόγον, *causalem rationem*, qua locutione sæpe utitur in hisce libris Augustinus.

Ibid. *Verendum est autem, ne cum dicimus, non ipsas tunc naturas atque substantias quæ futuræ fuerant, Deum creasse, dum crearet omnia simul, putemur inania quædam dicere.*] Deum omnia simul creasse jam nemo credit, sed multi credunt Deum materiam corporum ante omnia creasse, ex Gen. i, 1, nec absurda ea potest haberi sententia. At *causalem rationem* aut corporis, aut mentis qui dicunt, illi *inania dicunt*, nec contrarium in sequentibus ostendit Augustinus. Miras ratiocinationes quas postea affert non confutabo, neque enim timendum est ne quis iis assensum præbeat. Augustinus, assuetus Platonicis argutiis plura sæpe scribit quam quæ intelligit, consequentiasque passim admittit quasi bonas; quæ si negentur, statim corruunt; omnes enim ratiocinationes neque ullo modo probari possunt.

Ibid. *Et corporis quidem humani, etiamsi fuit aliqua occulta ratio qua futurum erat ut formaretur, erat et materies de qua formaretur, id est terra, in qua videri poterat illa ratio, veluti in semine latuisse.*] Docebant Stoici, ut habet Laertius lib. vii, § 136, principio Deum, cum esset apud se, substantiam omnem per aerem in aquam convertisse. Καὶ ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, οὕτω καὶ τοῦτον σπερματικὸν ὄντα λόγον τοῦ κόσμου τοιόνδε ὑπολιπέσθαι ἐν τῷ ὑγρῷ, καὶ τὰ ἑξῆς: *Et quemadmodum in fetu semen continetur, ita et hanc, cum seminalis ratio mundi sit, eamdem in humore reliquisse*, etc. Hanc Stoicorum locutionem imitatus manifesto est Augusiinus.

Libro ix, cap. 10, § 16. *Quamvis honestius meliusque credatur ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora*, etc.] Appetitus ille, ut liquet vel ex brutis, tam naturalis est quam appetentia cibi, aut potus voluptasque quam experimur cum comedimus esurientes, vel bibimus sitientes. Non puto sane quemquam dicturum sitim aut famem, voluptatemque quam iis explendis experimur, effectus esse peccati. Figmenta mera sunt quæ hic et alibi dicuntur. De his copiosius egit Augustinus de Civitate Dei lib. xiv, cap. 16 et seqq.

Libro x, cap. 9. *Illud ergo jam videamus, cuinam potius sententiæ divinæ testimonia suffragentur, eine qua dicitur animam unam Deum fecisse, et dedisse primo homini, unde cæteras faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora; an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa cæteras.*] Has duas sententias quasi probabiles admittit Augustinus, cæteris rejectis, et in priorem quidem pronior est, quod ex ea facilius explicari posse putet et qui omnes *in Adamo* peccasse dicantur, et qui peccatum originis ab eo propagetur. At nescio quomodo hanc suam sententiam cum eo quod sentiebat de natura incorporea mentis stare posse intelligeret. Vide cap. 24. Itaque difficultatem difficulate solvebat, hoc est, ex impedito impeditiorem lectorem reddebat; sed

difficultatibus bonus, vir non terrebatur, nec admodum curabat an intelligeret quod dicebat. Quis enim intelligat ejusmodi propagationem ex traduce, si ponas mentem esse prorsus incorpoream?

Cap. 19. Prolato loco Heb. VII, 4 et seqq., de Levi in Abrahamo decimato : *Si ergo*, inquit, *hoc etiam valet ad istam distantiam, quantum præemineat sacerdotio Levitico sacerdotium Christi, quod sacerdos Christus per illum præfiguratus est qui decimavit Abraham, in quo et ipse Levi decimatus est, profecto Christus ab eo non est decimatus.*] Non debet figurata locutio Apostoli, quam non sustinuit adhibere, nisi præmissa emolliendi formula, ὡς ἔπος εἰπεῖν, usque adeo urgeri, quasi ex ea sequatur omnem omnino posteritatem Abrahami, ad ultimos usque nepotes, in eo decimatam fuisse. Nam revera hinc sequeretur ipsum Christum decimas Melchisedecho solvisse; nemo enim dubitare queat quin Christus, secundum carnem, hoc est, humanitatem, ex Abrahamo sit oriundus. Voluit duntaxat ostendere scriptor ad Hebræos, non mirum esse si sacerdotium Christi Levitico præferret, quandoquidem sacerdos fuerat in Palæstina temporibus Abrahami, qui ab ipso Abrahamo Levis proavo decimas accepisset, et bene precatus ei esset, adeoque Abrahamo superior fuisset ; qui sacerdos poterat haberi Christi adumbratio. Non est ulterius progrediendum, nec consectaria, quasi ex mathematicis quibusdam doctrinis hinc rigide deducenda. Satis habebant veteres suas interpretationes allegoricas aliquo sensu esse veras, non eas quasi axiomata geometrica proferebant.

Ibid. *At si propterea decimatus est Levi quia erat in lumbis Abrahæ, propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porro autem si non secundum animam, sed tantum secundum carnem accipimus Levi fuisse in Abraham ; ibi erat et Christus, quia Christus, secundum carnem, ex semine est Abrahæ, et ipse itaque decimatus est.*] Sed cum dicerent Hebræi nepotes *prodiisse ex lumbis* majorum suorum, aut *in iis fuisse*, non ita hoc intelligebant, quasi et corpora et animi nepotum in lumbis majorum proprie fuissent; non ita subtiliter philosophabantur Hebræi ; sed volebant tantum propagationis ordine ab iis esse oriundos. Itaque hoc vult auctor ad Hebræos, Levin, ortum ab Abrahamo, posse censeri decimas Melchisedecho solvisse, cum Abrahamus ejus proavus eas solverit.

Ibid. *Quid est ergo quod affertur pro magna differentia sacerdotii Christi a sacerdotio Levi, quod Levi decimatus est a Melchisedech, cum esse in lumbis Abrahæ, ubi et Christus erat; unde pariter decimati sunt; nisi quia necesse est intelligamus secundum aliquem modum ibi Christum non fuisse? Quis autem neget eum secundum carnem ibi fuisse? Ergo secundum animam ibi non fuit. Non est igitur anima Christi de traduce prævaricationis Adæ. Alioquin etiam ipsa ibi fuisset.*] Sed quamvis concederentur animi esse ex traduce, quod non puto, non sequeretur animos nepotum fuisse in majoribus ; quidni enim, ut corpora, possint mentes generari, ita ut ante generationem non fuerint ? Deinde per exiguum duarum ætatum intervallum, quod intercessit inter Abrahamum et Levin, licet, ὡς ἔπος εἰπεῖν dicere Levin in Abrahamo decimatum ; at post quadraginta et aliquot ætates idem de Christo affirmare, nonnisi audaciori æquo figura, liceret. Denique si vellemus, ex philosophicis Augustini placitis, contra eum philosophari, negaremus ex ejus sententia, qua statuit mentem ex traduce propagari, Christum esse ortum ex Abrahamo ; nisi solum corpus ejus, excluso animo, Christus dici possit, quod noluisset concedere ; nec posset Christi exemplum nobis proponi, quia mens ejus non esset ejusdem generis ac nostra ; nec esset, ut idem scriptor ad Hebræos docet, per omnia similis nobis, excepto peccato. Hæc et talia possent ejus sententiæ objici, quibus factum est ut a plerisque theologis postea rejecta sit. At, inquit forte aliquis, ratiocinatione scriptoris ad Hebræos ut ita sentiret adductus est Augustinus. Imo illic quæsivit firmamentum sententiæ suæ, de mentis propagatione, quod tamen nullum est, ut antea ostendimus.

Libro XI, cap. 9, § 12. *Sic eos (malos) fecit (Deus) ut eis relinqueret unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam et justam pœnam.*] Nemo non videt hæc potuisse recte dici a Pelagio, et quidem eo sensu quo sunt intelligenda ut quæstioni satisfiat, cur Deus crearit eos quos malos fore prævidit; nam ex ejus sententia mali *voluntatem malam* a se habent, a Deo *naturam bonam* qua possunt aliquid facere; quod sane quæstioni illi necessario respondendum. Verum ex Augustini sententia, hæc non possunt, nisi valde improprie dici, eoque sensu qui quæstioni nequaquam satisfacit. Sed ita solet Aristoteles Pœnus, Pelagii more, objecta in Providentiam resolvere; dum nihil objicientes contraria omnia docet. Jam nonnulla talia superius animadvertimus, pluraque animadvertent quicunque quæ hisce de rebus habet accuratius expendent.

Cap. 16, § 22. De quæstione an beatus fuerit diabolus ante peccatum : *Quomodo enim*, inquit, *duxisse etiam vitam beatam inter beatos angelos credi potest, qui futuri sui peccati atque supplicii, id est, desertionis et ignis æterni præscius non fuit? si præscius non fuit, merito quæritur cur non fuerit ?*] Delenda negatio in verbis, *ignis æterni præscius non fuit*, ut liquidum est ex sequentibus; nec sane beatus esse potest, qui præscit se miserum fore. In editione Erasmi, deterius mendum est, nam post *æterni* sequitur absurde *si præscius non fuit*, omissis tribus antecedentibus vocibus. Sic autem pergit Augustinus : *neque enim sancti angeli æternæ suæ vitæ ac beatitudinis incerti sunt. Nam quomodo beati, si incerti?* etc. Hanc argumentationem, ut alia multa, Ciceroni suo debuit, qui sic loquitur de Finibus lib. II, num. 86 : *Si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim con-*

fidit semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est ne aliquando amissis illis sit miser.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS LOCUTIONUM.

Libro I. Sic titulus concipitur : *Loculiones Scripturarum, quæ videntur secundum proprietates, quæ idiomata Græce vocantur, linguæ Hebraicæ vel Græcæ.* Itaque Hebraismos atque Hellenismos hic notare aggressus est Augustinus, optimo sane consilio, quia Græca translatio sæpe verbo tenus Hebraica sequitur, Græcam vero similiter expresserat vetus Itala; unde necesse erat sæpe magnam obscuritatem nasci Latine tantam scientibus. Verum hoc ab Hieronymo, utriusque Linguæ Hebraicæ et Græcæ perito, melius præstitum fuisset quam ab Augustino, Hebraicæ plane imperito, Græcæ vero tenuissima cognitione perfuso; qui ex conjectura idiomata vocat quæcumque Latine erant inusitata, et intacta multa relinquit. Interea utile est hoc opus, si non in eum finem quem sibi proposuerat Augustinus, at certe ad confirmandas et eruendas veras lectiones LXX interpretum restituendamque, quatenus licet, veterem Italam, ut liquet ex Flaminii Nobilii adnotationibus in versionem Latinam LXX interpretum. Pauca, exempli gratia, expendemus, nam non instituimus ipsi locutionum opus scribere.

Num. 1. *Et dividant inter medium diei et inter medium noctis.* Verba exstant Gen. I, 14 de quibus nihil addit Augustinus. Sermo est de luminaribus cœli quæ vult esse Deus, *ut dividant* בין היום ובין הלילה *inter diem et noctem*, nimirum tempus; vel ut omne tempus dividant in noctis et diei vices. Græci verterunt particulam בין *ben*, hic et alibi, ἀνὰ μέσον, quod vertit Latinus interpres *inter medium*, cum debuisset simpliciter *inter*, unde nata obscuritas.

Num. 2. *Volatilia volantia super terram, secundum* (κατὰ) *firmamentum cœli.*] Est versus 27 ejusdem capitis, ubi Hebraica habent על פני *hal pne*, ad faciem; quod optime versum κατὰ, *secundum*, hoc est, juxta ejus extensionem. At Augustinus quærit *quomodo accipiendum sit* secundum firmamentum, additque : *sic etiam* faciamus hominem secundum imaginem et secundum similitudinem, *quod multi Latini codices habent* ad imaginem. Sed hæ locutiones nihil habent simile, nam prius κατὰ, *secundum*, situm significat, posterius similitudinem.

Num. 6. Observat Græcum habere Gen. II, 9, *et lignum ad sciendum cognoscibile boni et mali*, hoc est τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, *quod nescio*, inquit Augustinus, *utrum locutionis sit et non magis certum sensum aliquem insinuet.* Est tantum prava versio, nam Hebraica simpliciter habent : *scientiæ boni et mali*, quod verti non debuit (si modo ita verterunt LXX interpretes) *scire quod potest cognosci de bono et malo.*

Libro II. Num. 2. *Fecerunt sibi domos, quoniam timuerunt Deum.*] Exod. I, 21, ubi sermo est de obstetricibus, quod suspicatur Augustinus intelligi de divitiis ex Gen. XXX, 31, quæ sane absona non est interpretatio; malim tamen de liberis intelligere; ita ut Moses velit, quia obstetrices pepercerunt vitæ infantium Israelitarum, iis prolem esse a Deo numerosam concessam. Si Hebraica, aut versionem Aquilæ legere potuisset Augustinus, aut si inspexisset Hieronymianam, observasset in Hebraico contextu esse *Deum ædificasse domos* obstetricibus.

Num. 5. *Quid sit* thibin (Exod. II, 3) *ideo difficile est nosse, quia nec Græcus interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, sed sic transtulit, ut invenit.*] Est Hebraicum תיבה *thebah*, hoc est, *arca*, quam θίβιν vocarunt LXX interpretes, fortasse quod ea vox esset quoque in usu in Ægypto. Si Augustinus ad manum tunc habuisset versionem Hieronymi, vidisset *fiscellam* intelligi, hoc est cophinum.

Num. 31. *Si loquitur vobis Pharao dicens : Date nobis signum aut portentum, et dices Aaron fratri tuo, sume virgam.* Ita habet Moses Exod. VII, 9. Quærit Augustinus, *quid ibi additum sit* et (ante *dices*) *nisi aliqua proprietate locutionis Hebraicæ?* Verum est, nam in ea lingua passim abundat conjunctio *Vau*, quod intelligere potuisset ex Hieronymo. Vide et Lib. III, num. 23, 30.

Num. 32. *Non mihi videntur*, inquit, *satis commode interpretati Latini* σοφιστὰς *Pharaonis* (Exod. VII, 11), *ut dicerent* sapientes; σοφοὶ *enim sapientes dicuntur. Potuit enim Latinus interpres* sophistas *dicere, quoniam non est quemadmodum Latine dicatur, et ideo isto verbo jam utimur pro Latino*, etc.] Sed auribus Latinis *sophista* aliud sonabat quam quod Græce hic significat σοφιστὴς, quod usurpatur pro magiæ perito. Vide de hac voce quæ congessit vir eruditus Lud. Cresollius, in Theatro rhetorum quos in Græcia nominabant sophistas, ab initio.

Libro III. Num. 22. *Hæc usitatissima locutio est et creberrima in Scripturis*, locutus est dicens. *Sed ea quæ sequitur* (Levit. XII, 1) *rarius reperitur et Latini sermonis coarctat inopiam; Græcus enim habet,* καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων, *quod Latine exprimi posset*, et dices ad eos dicens, *minus autem offendit si dicatur*, et inquies ad eos dicens; *et similius est Græco, quia et ille non dixit* : λέξεις πρὸς αὐτοὺς λέγων.] Verum (ne dicam futurum λέξω non ita usitatum fuisse) in sensu ipso nullum est vel minimum discrimen, mirumque est ita λεπτολογεῖν Augustinum, qui tot idiomata linguæ Hebraicæ passim omittit. Sed pluribus hasce minutias non persequemur.

ANIMADVERSIONES
IN QUÆSTIONES IN HEPTATEUCHUM.

Libro I. Quæst. 3. *Quæritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur.*] Non male quæstionem de angelorum concubitu solvit; in quam, quasi in scopulum, impegerant multi Patres Græci; sed frustra dat operam ut ostendat fuisse *gigantas*. Ante omnia, quærendum fuisset an esset vox Hebraica quæ *gigantas* significaret, Gen. VI, 4. Voces certe

נפלים *nphilim* ac גבורים *gibborim*, fortes ac militares viros sonant, et prior quidem *latrones* fortasse significat; sed gigantas, hoc est inusitatæ proceritatis homines, iis significari nemo ostenderit. Fateor LXX interpretes, quos et ipse secutus est Hieronymus, sic vertisse ; sed neque nativa vis vocum, neque locorum circumstantiæ iis favent. In hanc vocem iterum impegit Augustinus Quæst. 18.

Quæst. 9. *Notandum*, inquit *quod scriptum est* (Gen. VII, 15), in quo est spiritus vitæ, *non solum de hominibus, sed etiam de pecoribus dictum; propter illud quod quidam de Spiritu sancto volunt intelligere, ubi scriptum est* (Gen. II, 7), et insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ ; *quod melius quidam codices habent* flatum vitæ.] Nimirum, voce *spiritus* vulgo utebantur Latine ad significandam rem incorpoream et intelligentem, non vero voce *flatus*. Attamen Augustinus initio libri VII de Genesi ad litteram interpretatur locum Genes. II, 7, de mente immortali, non de anima, quæ possit nobis cum brutis esse communis. Eam vero cur *flatum* potius quam *spiritum* dici malit non intelligo. Gen. II, habent Græci πνοὴ ζωῆς; capite vero VIII, πνεῦμα. Sed ad significatum quod attinet, nullum est inter eas voces discrimen. Multa hic quæruntur quæ quæsita non fuissent, si Hebraice aut certe Græce doctus fuisset Augustinus ; multaque aliter solvuntnr quam soluta fuissent.

Quæst. 11. *Aquila dixit* obtinuit ; *Symmachus* prævaluerunt (Gen. VII, 24), *id est aquæ*.] Ab alio hæc acceperat Augustinus, sed mirum est eum sibi eas translationes non comparasse, et Latine vertendas non curasse ; non poterat enim ignorare quam magni usus esse possent. Quis non obstupescat eum, usu ipso interpretandi, non intellexisse quibus subsidiis indigeret; aut, si intellexerit, sibi quatenus potuit non comparasse ; aut denique, si non poterat ea nancisci, a tot quæstionibus proponendis, conscribendisque tot libris in Vetus Testamentum, et usque adeo verbosis, abstinere? Credo excitatum fuisse adulationibus, aut stulta admiratione Afrorum suorum; ut non desineret dictare, dum illa dictata sua tam avide excipi videbat. Sic homines putant se magnos ac eruditos, non quia sunt, sed quia ab aliis putantur, sumuntque inde audaciam quæ persæpe male eis cedit.

Quæst. 105. *Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo*: Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei? *Utrum paventis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? An secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis etiam quia dicti sunt et gentium Dei, quæ sunt dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dicit : quemadmodum si viderem faciem Dei, sed*, cum videt aliquis.] Oportuisset hic consultam fuisse versionem Aquilæ, unde intelligere potuisset Augustinus se frustra argutari in vocibus *si quis*, quibus nullæ sunt quæ respondeant in Hebraicis. Potea putat posse intelligi *Deos gentium*; *maxime*, inquit, *quia sine articulo in Græco dictum est, quo articulo evidentissime solet veri Dei unius fieri significatio. Non enim dixit* : πρόσωπον τοῦ Θεοῦ, *sed dixit* πρόσωπον Θεοῦ. *Facile autem hoc intelligunt qua distantia dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent.*] Verum est hanc esse consuetudinem Novi Testamenti, sed Jacobus neque more Novi Testamenti, neque Græce loquebatur, sed Hebraica lingua; in qua nullus est articulus, seu ה, ut loquuntur grammatici, emphaticus, sed simpliciter פני אלהים *phne elohim*.

Libro VI. Quæst. 4. *Et erunt vobis lapides isti memoriale filiis Israel, atque in æternum*. Verba sunt Jos. IV, 7, de quibus sic ratiocinatur Augustinus : *Quomodo* in æternum, *cum cœlum et terra transeant? An quoniam æternum aliquid significant hi lapides, cum ipsi æterni esse non possint*? Cur non memor erat observationis quam alibi ipse non semel protulit, præsertim in opere scripto eodem tempore ac hæ quæstiones? Locutione 93 de Exodo, ad hæc verba Exodi XXI, 6, *Serviet ei in æternum*; *quod Græcus*, inquit, *habet* εἰς τὸν αἰῶνα. *Ecce quemadmodum Scriptura multis locis dicit secundum hoc verbum Græcum*, sempiternum, *vel* æternum. *Ubi non intelligitur æternitas illa secundum quam nobis æterna* promittuntur... *neque enim servus iste, qui vivere in æternum non posset, posset servire in æternum, sed intelligitur* æternum *dictum, cujus temporis finis non est*. Notat etiam in locutionibus de Levitico XVII et XVIII, id aliquando *æternum* dici, quod utique non erit sine fine. Similia habet quæst. 31 in Genesim. Attamen pergit hisce verbis : *quamvis possit quod in Græco est*, ἕως τοῦ αἰῶνος, *dici Latine et usque in sæculum, quod non est consequens ut intelligatur æternum*. Sic cum palpando verum quærat, an id invenerit nescit, paratusque est deserere inventum non aliter ac errorem. Quod si Hebraicæ linguæ operam dedisset, scivisset עולם *holam* significare proprie tempus cujus occultus est finis, a redice עלם *halam*, occultatus fuit, latuit. Scivisset etiam Græcos, cum hanc vocem αἰῶνα interpretantur, eamdem potestatem subjicere voci αἰὼν, nec passus esset fluctuationibus academicis animum suum distrahi. Potuit sane, hac in re, ut et in aliis, *Carneades Pœnus* potius quam *Aristoteles* dici.

Libro VII. Quæst. 1. *In fine libri Jesu Nave breviter narrator porrexit historiam quo usque filii Israel ad colendos Deos alienos desciverunt.*] Quamvis Augustini Latinitas usque adeo casta non sit, mallem tamen hic legere *pertexit*, aut *pertexuit;* vix enim barbari ipsi, ex media Africa, dicant *porrigere historiam*.

Quæst. 16. Et servierunt Baal et Astartibus. Jud. II, 13. *Solet* (inquit Augustinus) *dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis, Astarte autem Junonis, quod et lingua Punica putatur ostendere. Nam* Baal *Punici videntur dicere Dominum* ; *unde* Baalsamin, *quasi* Dominum cœli *intelliguntur dicere:* samin *quippe apud eos cœli appellantur. Juno autem*

sine dubitatione ab illis Astarte *vocatur.*] Egregie hæc omnia, atque utinam multa similia apud Augustinum occurrerent! omnibus allegoricis interpretationibus atque argutiis rhetoricis ea præferremus. Non semel significavit sibi perspectum fuisse linguas Punicam et Hebraicam fuisse affines. Sic supra locutione de Genesi XXIV; *Quod scriptum est*, et *extendit manum suam, accepit eam et* induxit, *eam* etc., *locutio est*, inquit, *quam propterea Hebræam puto, quia et Punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa inveniuutvr Hebræis verbis consonantia; nam utique sufficeret*, et extendit manum, *etsi non adderet* suam. Alibi etiam talia habet, quæ usque adeo confirmavit vir summus Sam. Bochartus, in suo Chanaane, ut nemo amplius de iis dubitare queat. Quod cum ita sit, quis non miretur Christianorum Pœnorum socordiam, qui Hebraicæ linguæ e tenebris eruendæ operam non dederunt? Culpam maximam puto fuisse penes declamatores, qui præ declamationibus omnia spernebant, nec ulli labori, nisi loquendi, pares erant. De ipsa re quæ hic agitur, multis egit Joan. Seldenus, in opere de Diis Syris.

Ibid. *Hoc autem, id est nomine plurali Junones in Græcis secundum Septuaginta novimus, in Latinis autem singulariter erat.*] Quamvis terminatio עשתרות *hastaroth*, sit pluralis feminini, nihil vetat tamen quin significatio sit singularis, חכמות *hhochmoth*, sapientia, בהמות *bhemoth*, hippopotamus, etc.

Ibid. *Quorum in illo qui non habebat Septuaginta interpretationem, sed ex Hebræo erat* Astaroth *legimus, nec Baal, sed* Baalim.] Intelligere videtur Aquilam, quamvis textus hodiernus Hebraicus habeat בעל *bahal*, quemadmodum etiam legerunt Septuaginta interpretes.

Quæst. 25. *Et percussit alienigenas in sexcentos viros præter vitulos boum.* Jud. III, 31. Ad quæ verba, postquam frustra Augustinus quæsivit quid sibi velint hæc, *præter vitulos boum*, addit: *Non autem habet interpretatio ex Hebræo*, præter vitulos boum, *sicut ista quæ secundum Septuaginta est: sicut* (lege *sed*) *habet illa ex Hebræo*, vomere occisos sexcentos viros, *quod ista non habet.*] In codicibus nostris Hebraicis legimus במלמד הבבר *bmilmad habbakar*, hoc est, *stimulo boum*, pro quo legisse omnino videntur LXX interpretes במלבד *milbad*, hoc est, ἐκτός, *exceptis bubus.* Quæ, ut liquet ex hoc Augustini loco, vera est lectio LXX interpretum, quæ postea interpolata est versione Aquilæ, qui verterat ἀροτρόποδι, *vomere.* Hinc in Alexandrino codice utramque lectionem videmus conjunctam: ἀροτρόποδι ἐκτὸς μόσχων, *vomere, exceptis vitulis*; quod cum minus commodum videretur, in codice Vaticano est tantum ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Non dicam rectius vocem Hebraicam intelligi ab iis qui *stimulum* interpretantur; neque enim hoc nunc agitur, sed ex hoc loco Augustini, liquere quam corrupta fuerit versio LXX interpretum, et quidem ut rectæ rationi convenienter vertisse viderentur. Aquila autem verterat ἀροτρόποδι, quod ea pars aratri videretur aptior ad occidendos homines, quam stimulus, aut βουπλήξ. Plura in hunc librum non addam, neque enim commentarium scribo, sed tantum animadversiones, in quibus potissimum usum et abusum operum Augustini notare voluimus. Nihil dicam etiam de Adnotationibus in Jobum, quas Augustinus instar abortivi fetus habuit, nec dignatus est emendare. Ac sane difficilior est Jobus quam ut ab Augustino explicari posset.

CENSURA DESIDERII ERASMI
IN SPECULUM.

Hoc opus vix eram ascripturus Augustino, nisi Posidonius sive (ut quidam malunt) Possidius in Vita nominatim illi tribuisset: et præfatio non abhorret ab ejus stylo. Versatus est in simili negotio Cyprianus, et apud Græcos nonnulli, sed majore ingenio curaque. Cæterum infimis etiam inservire gaudet Christiana caritas.

ANIMADVERSIONES
IN SPECULUM.

Gravis sane est causa dubitandi an hoc opus, quale ad manus nostras pervenit, sit Augustini; quia in eo laudatur passim non vetus Itala versio qua Ecclesiæ Occidentales eo ævo utebantur, sed Hieronymiana. Viri docti qui editioni Parisiensi præfuerunt, in admonitione quam huic libro præfixerunt, adnotant cum ad vulgi usum hoc opus compararet Hipponensis episcopus, versione usum, non ex Græco LXX interpretum, quam sequi solebat; sed ex Hebræo, quod hanc demum comperisset esse illa multis locis planiorem. Sed hæc ipsa causa deterrere potuit Augustinum ne a versione recepta recederet, quod in gratiam vulgi exscribebat loca Scripturæ dignissima, quæ memoriæ mandarentur et assidua meditatione concoquerentur. Vulgus enim imperitum non potuit non offendi, si Scriptura ei discenda proponeretur quæ dissentiebat ab ea quæ in ecclesiis legebatur; nec ei saltem proponenda fuit nova versio sine præmonitione, qualis nulla hic occurrit. Addunt viri eruditi ab Augustino aliquoties versionem Hieronymianam, quasi planiorem laudari, in postremis libris Quæstionum in Heptateuchum, ac præsertim IV de Doctrina Christiana libro, cap. 7. At nescio utrum laudet semper Hieronymum, an vero Aquilam, cum in libris Quæstionum citat interpretem qui vertit ex Hebræo; nec locus ille ex lib. IV de Doctrina Christiana ejusmodi est, ut omnem interpolationis suspicionem excludat. Sed esto, probarit sub vitæ finem Hieronymi consilium Augustinus, in libris in doctiorum gratiam scriptis; in libro quale est Speculum, in usum plebeculæ conscripto, novam translationem vir, præsertim sine admonitione, plebi propositurus fuisse videtur? Quid ergo? inquies, an Augustino igitur hoc opus abjudicas? Nequaquam, sed suspicor citationes Scripturæ olim esse mutatas a monacho quopiam ex versione Hieronymiana.

De Psalmis, in psal. II. *Adorate pure, ne forte irascatur.*] Quis credat Augustinum spirituales sensus, etiam ubi nulli sunt, avidissime sectantem, hunc tam insignem locum ex Hieronymi versione citasse, cum

præsertim Hieronymo ingentem invidiam crearit? Nec Ecclesiæ quidem posteriorum sæculorum, cum admisissent versionem Hieronymi; in Psalmis, quia vulgo memoriter tenebantur, voluerunt veteris Italæ usum abrogari.

De libro Sapientiæ, cui hæc præfiguntur: *Ista de libris posuimus, quos et Judæi canonicos habent*, etc. Hæc ex Hieronymi sententia, nescio an ex Augustini. Vide lib. II de Doct. Christiana, cap. 8.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE CONSENSU EVANGELISTARUM.

LIBRO I, cap. 2, § 4. *Quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videntur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, nou superfluam cooperationem sui laboris adjunxit.*] Vix quidem dubitare possumus an Joannes tria alia Evangelia viderit; quia cum ad summam senectutem pervenerit, in suo etiam Evangelio operam dedit, ne repeteret quæ ab aliis occupata fuerant, præter pauca, eaque necessaria; quod ex Harmoniis Evangelicis, et præsertim quidem ex ea quæ a Joanne Clerico edita est, liquet. Sed non video qui pro comperto dici queat Marcus scivisse a Matthæo scriptum fuisse Evangelium, aut Lucas ab utroque. Si Marcus Matthæi laborem vidisset, multo credibilius est eum in labore apostoli Christi, hoc est, testis oculati, acquieturum fuisse: nec Lucas, qui, ut liquet ex initio ejus Evangelii, plures de dictis et factis Christi commentarios viderat, omisisset memorare apostolum qualis erat Matthæus. Quis credat eum novam Christi genealogiam allaturum fuisse, ne verbo quidem memorata genealogia a Matthæo antea edita, cum præsertim ad eos in concordiam redigendos non levis difficultas exoritura esset? Inspiratos quidem nemo diffiteatur; at non ita ut ratione sua uti desinerent inspirati fuerunt, et quasi inspiratione sua fidem historiæ apud incredulos, quibus probari non poterat ille afflatus, facturi essent. Multo rectius sentire videntur qui evangelistas tres priores scripsisse suas historias censent, cum neuter aliorum consilii conscius esset, unde etiam eorum testimonio majus accedit pondus. Cum enim consentiunt testes qui inter se capita contulerunt, suspecti potius habentur; sed testes qui idem testantur seorsim, nescii aliorum testimonii, merito verum dicere videntur.

Ibid. *Marcus eum subsecutus, quasi pedissequus et breviator ejus videtur.*] Miror ita loqui Augustinum de scriptore afflato, neque enim inspiratione opus est ut quispiam sit *pedissequus et breviator* operis alieni. Crediderim potius iis qui Marcum a Petro evangelicam historiam accepisse censent; nec dubito quin, cum multi, ut prodidit Lucas initio Evangelii, commentarios dictorum et factorum Christi scripsissent, Marcus et Lucas, qui testes eorum non fuerant, ex commentariorum illorum nonnullis quos videbant ab apostolis probari et veraces haberi, partim suas historias collegerint. Imo nihil vetat ipsum Matthæum aliquo usum esse commentario, quem veracem esse videbat. Facile autem contingere potuit Marcum incidere in commentarios similes maxima ex parte iis quibus usus fuerat Matthæus. Nec id obstat quominus eorum scriptioni præeset Spiritus sanctus, ne quid falsi scriberent.

Ibid. *Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet.*] Cur? Duabus de causis, si credimus Augustino. Prior est quia *ipse David, quanquam aperte rex fuit, figuravit tamen et sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus*; Lucas autem *ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt ex iis ad Nathan filium David, qui nec ipse rex fuit.* Nullus non videt commentitias has esse consequentias; quas si quis neget, nemo probare queat. Sed hisce rhetoribus satis erat quidpiam non esse impossibile, ut quasi probabile in medium proferretur. Non firmior est altera ratio, quæ sic habet: *Huc accedit quod solus etiam Lucas Mariam commemorat ab angelo manifestatam cognatam fuisse Elizabeth, quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis; de quo idem scripsit, quod eam de filiabus Aaron, hoc est, de tribu sacerdotum, habebat uxorem.* Ergone, quia Maria cognata erat mulieris ex sacerdotali prosapia, ideo ex sacerdotali stirpe et ipsa fuit? An igitur Aaronis posteri cum nulla alia tribu connubia miscuerunt? Nulla lege hoc iis impositum, nulla consuetudine observatum. Quæ ergo hinc colliguntur de diverso Matthæi et Lucæ consilio inania sunt. Non meliore nituntur fundamento quæ postea dicuntur de Joanne quidem circa virtutem contemplativam, cæteris vero evangelistis circa activam versantibus; tum etiam de animalibus singulis evangelistis attributis. Quæ tamen non observarem, nisi viderem somniis hujuscemodi applaudi a nonnullis, qui contra meliora vehementissime oppugnant: quasi mille anni pondus adderent somniis, res vero accuratissime demonstratas sola nuditas posset elevare.

Cap. 15, § 23. *Quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos quid de Christo responderent; illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt.*] Porphyrius non Siculus fuit, sed Tyrius, ut jam observavimus ad Retractationum lib. II, cap. 32. Porphyrii verba vide apud Eusebium Demonst. evangelicæ lib. III, cap. 6, et de Civit. Dei lib. XIX, cap. 23.

Cap. 22, § 30. *Alii dicunt Saturnus est, credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt.*] Alii Bacchum ab iis coli dicebant, propter nescio quas rituum similitudines, ut liquet ex Plutarcho Symposiacorum lib. IV, Quæst. 5. At hoc negat Tacitus Histor. lib. V, cap. 5; sed propter absurdam rationem: *quippe Liber*, inquit, *festos lætosque ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidusque.* Imo sapiens et sobrius mos Judæorum, ritus vero Bacchi

temulentorum ac furiosorum hominum. Sic absurde ethnici etiam viri graves et docti, de rebus divinis judicabant, et dum ex moribus suis de aliarum gentium diis loquuntur, alienas eis opiniones tribuebant. Vide quæ hac de re notavit Joan. Clericus Artis Criticæ part. 2, sect. 1, cap. 13.

Libro II, cap. 4, § 8. *Acute quippe animadversum est Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse.*] Voluit Matthæus nominare quadraginta duos homines, eosque nominarat, ut liquet ex vers. 17, ubi omnes dividit in tres tessaradecadas : quarum primæ decimus quartus est David, secundæ Jechonias Josiæ filius, tertiæ Josephus vir Mariæ. Sed duæ primæ generationes desunt in tertia tessaradecade, vitio librariorum; nihil enim potest absurdius fingi quam si dicas Matthæum ipsum, recensendo singulos, numerasse tantum quadraginta homines; subducendo vero summam, invenisse quadraginta duos. Perinde est ac si quis recensitis decem digitis singulis nominibus suis, undecim postea sibi esse diceret. Absit ut tale quid evangelistæ tribuamus ! Mysterium in mendo librariorum frustra quæsivit Augustinus, in sequentibus verbis.

Ibid. *Numerus autem iste illud tempus significat quo in hoc sæculo et in hac terra regi nos oportet a Christo, secundum disciplinam laboriosam qua flagellat Deus, ut scriptum est, omnem filium quem recipit,* etc.] Si ab Augustino petas cur ita numerum quadraginta interpretetur; *quia ergo,* inquit, *numerus iste laboriosi hujus temporis sacramentum est,..... etiam illud declarat quod quadraginta dierum jejunium, hoc est, humiliationem animæ consecravit ; et lex et prophetæ, per Moysem et Eliam, qui quadragenis diebus jejunaverunt ; et Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur a diabolo,* etc. Sed si quis dicat hoc esse somnium vigilantis, quidvis somniare parati de quovis alio numero ? Profecto contrarium nunquam probabilius hac affirmatione videbitur. Quamobrem miror Augustinum, qui ut os ethnicis obturaret hoc opus magno studio elaboravit, talibus arithmeticis allegoriis sustinuisse uti. Quod de sequentibus etiam allegoriis dictum velim. Nihil hæc excusare potest præter bonum animum eorum qui allegoriis indulserunt, et qui non viderunt pro divinæ sapientiæ consiliis sic credulæ turbæ mera ingeniose delirantium commenta proponi miranda. Quod si serio cogitassent, hæc omnia prætermisissent ; nec commisissent ut loquerentur, nisi habuissent silentio potiora.

De ordine et conciliatione locorum inter se nihil hic dicemus, quandoquidem tam multas habemus harmonias ex quibus peti queant. Vide vel Harmoniam evangelicam a Joanne Clerico editam. Is ubi tradit *Canones Harmonicos,* quibus tota ejus nititur Harmonia, sæpe utitur Augustini verbis, ex hoc libro petitis.

Cap. 66, § 128. *Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur Septuagintn, in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in Hebræo qui eam linguam noverunt, et qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebræos. Hujus item distantiæ causa si quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate quæ in Hebræis codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius existimo quam illos Septuaginta eo spiritu interpretatos quo et illa quæ interpretabantur dicta fuerunt ; quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur, consensione firmatum est.*] Atqui hæc consensio putida est fabula, quam doleo æque facile creditam ac quæ fidem sibi omnibus argumentis quibus verum a falso secernitur, faciunt; cum præsertim inde aliud falsum enatum sit consectarium, quo putabant aut bene vertisse LXX interpretes, aut Spiritu actos alia dixisse, quæ iis suggerebat Spiritus. Quod quam falsum sit norunt ii qui eam versionem cum Hebraico textu contulerunt, et qui eorum allucinationum causas aperuerunt. Verum iis qui nolebant Hebraicam linguam discere expediebat credi quod habet Augustinus, ne inscitiæ aut arrogantiæ insimularentur, quod per totam vitam ex vitiosi versione Scripturam Veteris Testamenti temere essent interpretati. Sic et multa credita sunt, aut credi visa, quod plebi vera videri interesset eorum qui eam regendam susceperant. Interea hinc confirmatur quod ad Speculum conjiciebamus a monacho quopiam recentiore versionem Hieronymianam esse veteri Italæ in eo libro substitutam.

Libro III. Cap. 7, § 29. Ad Matth. XXVII, 10 : *Si quis autem,* inquit, *movetur quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat fidei evangelistæ aliquid derogandum; primo noverit non omnes codices Evangeliorum habere quod* per Jeremiam *dictum sit, sed tantummodo,* per prophetam. *Possemus ergo dicere his potius codicibus esse credendum qui* Jeremiæ *nomen non habent; dictum est enim hoc* per prophetam, *sed* Zachariam, *unde putatur codices esse mendosos qui habent nomen* Jeremiæ, *quia vel* Zachariæ *habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam ; sed tantum,* per prophetam dicentem, *qui utique intelligitur Zacharias.*] Revera qui propterea carpebant Matthæum, hoc potius credere debuerunt quam hominem Judæum, perpetuo audientem prophetas in synagogis lectitari, et privatim etiam legentem atque inter alios sui similes versantem, in tali re aberrasse ; cum præsertim nihil ejus interesset Jeremiam potius dici quam Zachariam.

Sed, inquit Augustinus, *utatur ista defensione cui placet, mihi autem cur non placeat hæc causa est, quia et plures codices habent Jeremiæ nomen, et qui diligentius in Græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse; et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæstione quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur.* Hic plane criticum agit Augustinus, nec sine specie rationis vulgatam lectionem defendit.

Sed quidquid dicat nihil vetat credere in antiquissimo quopiam codice id fuisse mendum, quod postea in alios transierit; cum non auderent librarii id emendare, aut nescirent etiam an esset mendum. Quam in sententiam descendimus, qui, omnibus accurate pensitatis, non videmus qui verba Zachariæ possint Jeremiæ tribui; nam ratio quam habet in sequentibus Augustinus versimilis non videtur. *Quid ergo intelligendum est*, inquit, *nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes evangelistarum sunt gubernatæ?* Postea conjicit insinuatum esse hac citatione *ita omnes sanctos prophetas uno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubitanter accipi debere quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum.* Sed hoc posito, Mosi posset tribui quod dixit Zacharias, et cuivis alii prophetæ quod alius quivis scripsisset; quod nunquam tamen factum, neque fiet. Si Deus per evangelistam tale quidpiam nos docere voluisset, curasset ut hoc perspicue ab eo diceretur, non ita ut vacillante conjectura et facile neganda deducendum ex ejus verbis esset. Idem dicendum de aliis multis quæ velut fidiculis ex Scriptura hauriuntur ab Augustino et aliis veteribns, coactas conjecturas pro divinæ sapientiæ consiliis venditantibus. Atqui ea demum pro divina revelatione habenda sunt quæ diserte in Scripturis revelata leguntur, aut necessaria eorum consectaria: quemadmodum leges in republica habentur, quibus diserte quidpiam præcipitur aut vetatur; aut quæ ex illis ita fluunt, ut, positis legibus, necessario sequantur. Uno verbo ea demum suscipienda sunt quasi divinitus revelata quæ ex cognitione linguæ qua concepta est revelatio, sensuque communi, toti humano generi, grammatica ut ita loquar, ac dialectica necessitate colliguntur; ita ut sine pertinacia rejici nequeant. Quod semper fieri debet, cum ut nobis ipsi, tum etiam ut incredulis, alioqui licentiam conjectandi merito irrisuris, satisfaciamus; nisi forte interdum, cum nobis res est cum pertinacibus præconceptisque opinionibus mordicus adhærentibus, argumentatione *ad hominem* utamur; sicuti fecerunt apostoli cum illis res esset cum Judæis, placita doctorum potius quam rectam rationem audire assuetis.

A intellecta pulcherrimam et sanctissimam sententiam complectantur. Exempli causa quis non videt εἰρηνοποιοὺς dici, belli rixarumque et litium omnium osores? Quam in rem multa pulcherrima et saluberrima dici poterant; quæ dici nequeunt, si illata vi usui linguæ Græcæ, intelligas de pace affectuum. Sed noster perpetuo captat generales allegorias, quæ non docto, sed cuivis loquaci semper sunt in promptu, sine meditatione ulla; omissis ethicis peculiaribus præceptis, quæ explicari ordine non poterant sine studio et labore. Putabant vulgo, ignaris illis sæculis, majoris esse ingenii incertas allegorias ubivis, invitis grammatica ac dialectica, aucupari, quam grammatice et dialectice Scripturam interpretari; at, si verum amamus, multo minoris fuit B ingenii futilibus conjecturis ἀεροβατεῖν, quam litteralem sensum aperire, atque ex eo ita ratiocinari, ut nihil nisi a pertinacibus negari queat; ne dicam judicii hoc esse multo majoris, cum alterum illud nihil sit nisi in re seria nugantis. Conferantur cum hisce Augustinianis quæ ad cap. Matth. v, VI et VII, habet Hugo Grotius in adnotationibus, aut Henricus Hammondus in Catechismo practico, et liquebit tantum esse inter interpretationes allegoricas et veras discrimen, quantum est inter somniantium et vigilantium ratiocinationes.

Cap. 9, § 23. *Unum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec Græcum nec Latinum est* racha, *cætera vero in sermone nostro usitata sunt.*] *Judicium.* C *et consilium*, quæ hoc loco Matth. v, 22, habentur, sunt quidem voces Latinæ, sed quas tamen bonus Augustinus non intellexit; qui ne suspicatus quidem est ad Judaicos mores respici, ut pulchre ostenderunt recentiores critici.

Ibid. *Nonnulli autem de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes* pannosum *dici* racha, *quoniam Græce* pannus ῥάκος *dicitur; a quibus tamen cum quæritur qui* (non *quid*) *dicatur Græce* pannosus, *non respondent racha.*] Scribendum est *raka*, et Græce ῥακα, per *kappa*, non per *chi*, nam est Syriace רקא *raka* per *koph*, cui respondet origine et sono τὸ *kappa*. Nec qui pravam hanc Græcam etymologiam proferebant, retulissent ad ῥάκος, *pannus*, sed ad ῥάχος, unde ῥαχίστης, *proditus nebulo*. Sed D recte fecit Augustinus quod ad Hebraicam linguam confugerit.

Probabilius est ergo, inquit, *quod audivi a quodam Hebræo, cum id interrogassem; dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones grammatici vocant particulas orationis significantes commoti animi affectum: velut cum dicitur a dolente, heu! vel ab irascente, heu! Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguam facile transferuntur: quæ causa utique coegit tam Græcum interpretem* (quia Matthæus credebatur Hebraice scripsisse) *quam Latinum, vocem ipsam ponere, cum quomodo eam interpretaretur non inveniret.*] Vereor ut satis recte intellexerit Augustinus quid sibi vellet Judæus ille. Certe si Judæus Hebraice

EJUSDEM ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

Libro I, cap. 2, § 9. Ad verba: *Beati pacifici. In pace*, inquit, *perfectio est, nihil repugnat, et ideo filii Dei pacifici, quia nihil resistit Deo. Pacifici autem in semetipsis sunt qui, omnes animi sui motus componentes et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei*, etc.] Merito ab initio hujus libri observavit Augustinus, in hisce sermonibus Christi præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sed miror pleraque allegorice ab eo esse explicata, cum *ad litteram*, ut loquitur noster,

ac Syriace scivit, non potuit dicere רקא *raka* esse interjectionem indignantis, nulla enim est talis interjectio in iis linguis; sed ריקא *reka*, ut scribunt ac pronuntiant thalmudici, aut רקא *raka*, ut Syri, est convicium; quod non ita facile in aliam linguam transfundatur, sicuti nec aliarum linguarum convicia. Quod puto dictum fuisse a Judæo Augustino, qui non assecutus est quod volebat. Si scribamus ריקא *reka*, hac voce significabatur homo *vacuus* sapientia ac virtute, nam radix הריק *herik* est *evacuavit*; nec est contumeliosa vox Græca aut Latina qua hoc exprimatur. Si vero scribamus רקא *raka*, erit a Syriaca radice רקא *raka*, quæ est *sputare*, significabitque hominem dignum qui conspuatur. Quam originem probat Edmondus Castellus, in Lexico polyglotto, affertque obiter Theophylactus in hunc locum : τινὲς δὲ τὸ Ῥάκα Συριστὶ κατάπτυστόν φασι σημαίνειν : *quidam vero* Raka *Syriace aiunt significare despuendum.* Sed non puto κατάπτυστον dictum eodem sensu ac *Raka*; nam Græca vox *abominandum*, fugiendum translatitio sensu sonat, Hebraica vero vox contemnendum. Priori allatarum ejus originum favet usus thalmudicorum, posteriori prolatio ipsa vocis. Sed quidquid id est, *Raka* non est interjectio. Adi ad Matthæum Joan. Drusium, et Hug. Grotium.

Cap. 11, § 31, ad Matth. v, 25. *Esto adversario tuo benevolus*, etc.] Augustinus hic perperam argutus judicem interpretatur *Christum* et adversarium *Deum*, quo nihil absurdius fingi potuit. Dignum sane hoc erat retractatu, ut et pleraque alia quæ hic habentur, et quæ fere sunt contorta et aliena. Satius fuisset Augustino diutius tacere quam cruda studia publicam lucem protrudere. Erat enim tantum presbyter, cum hoc opus edidit, nec ita pridem theologiæ Christianæ et Scripturarum studio operam dederat.

Cap. 16, § 50. *Acyndinus tunc præfectus, qui etiam consul fuit*, etc.] Insignis est historia, et qua sarciri aliquatenus possit jactura temporis, quæ fit in legendis allegoricis interpretationibus hujus opusculi.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Cum ad orationem stamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum surgit*, etc.] Credo factum ut contrario ritu Judæis uterentur Christiani. Sanctuarium enim, in templo in Jerosolymitano, ad Occideutem spectavit; ac proinde ad eam cœli plagam conversi orabant Judæi. Vide not. ad Exod. XXVI, 33, a Joanne Clerico.

Cap. 7, § 25, de pane quotidiano, in oratione Dominica. *Panis quotidianus aut pro omnibus iis dictus est quæ hujus vitæ necessitatem sustentant..... aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus.*] Attamen, ut ait § 26, *plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ dominicæ communicant.* In Africa jam a temporibus Cypriani ea obtinuerat consuetudo, ut liquet ex ejus libro in orationem dominicam : *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus.* Ad quem locum vide Joan. Fellum episcopum Oxoniensem.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS QUÆSTIONUM EVANGELIORUM.

Libro I. Quæst. 2. *Quod discipuli Domini* cœperunt vellere spicas et manducare; *quod nisi confricantes eas facere non possent. Hinc est*, mortificate membra vestra super terram; *id est, quia quisque non transit in corpus Christi, nisi carnalibus exspoliatus fuerit indumentis.*] Tales sunt pleræque quæstiones, unde intelligere licet finem Augustini in hisce libris non fuisse inquisitionem veri sensus, sed commentitiarum allegoriarum, ad quas inviti evangelistæ torquerentur. O cerebri felices! qui in tam levibus argutiis acquiescebant.

Libro II. Quæst. 38, § 3. *Quanquam illa receptio* (in tabernacula æterna, Luc. XVI, 19.) *utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi, in resurrectione mortuorum, atque ultima retributione judicii, non minima quæstio est.*] Digna, hac de re, lecta est dissertatio viri doctissimi Ludovici Cappelli, quam inscripsit Mortuorum Vitam. Edita est in operibus ejus criticis quæ prodierunt Amstelodami anno 1689.

Quæst. 51. *Non omne quod fingimus mendacium est*, quando, nempe, pro vero id non dicimus. *Sed quando* inquit, *id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium.* Imo quando verum esse dicimus quod fingimus. Si quis parabolam habendam esse diceret pro vera historia, mendacium diceret, quæcunque cæteroqui significatio foret parabolæ. Sed ut omnis simulatio non est vituperanda, qualis ea est de qua Luc. XXIV, 28 : sic forte nec omne damnandum mendacium. Sed hac de re integrum opus scripsit Augustinus.

ANIMADVERSIONES
IN TRACTATUS IN JOANNEM.

Tractatu 1, § 13, ad Joan. I, 3. *Sine ipso factum est nihil.* Interpretatur Augustinus *quæcunque naturaliter facta sunt, quæcunque sunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, et quæ moventur in universa rerum natura... ab angelo usque ad vermiculum.*] Nihil verius; qui enim divinam providentiam negabant, iidem nolebant insecta a Deo facta. Multis hac de re egit, in notis ad hunc locum, Joannes Clericus, eaque dixit quibus possint Augustiniana illustrari. Utinam Hipponensis epicopus, missis omnibus frigidis allegoriis, coactisque interpretationibus quibus scatet quidquid in Scripturam elucubravit, tales semper interpretationes protulisset! Pro querelis et castigationibus, laudes et gratiarum actiones hic legerentur. Verissime in § 14 observat, si concedamus muscas a Deo non esse factas, nos posse sensim deduci ad negandum elephantem atque hominem Dei opera esse. Ut enim gradatione ex ipso desumpta utor, si musca sit fortuitus caloris fetus, quidni et locusta? Si locusta, quidni et lacertas? Si lacertus, quidni avis? Si avis, quidni pecus? Si pecus, quidni bos? Si bos, quidni elephas? Si elephas, quidni homo? Attamen nescio quomodo Augustinus concedit *vermes* (unde

muscæ) *ex putredine nasci.* Non video quid posset respondere gradationi ex ipso allatæ. Verum hi Tractatus populares sunt orationes, quod nomen ipsum ostendit: quibus neque Joannis verba, neque res ipsas ad amussim interpretatur, sed dicit quod in mentem veniebat. Itaque frustra sit, qui hinc quidquam exquisiti exspectet.

Tractatu 26, num. 11. *Panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera.*] Aut *vel* hic sumitur pro *saltem* aut est mendum, legendumque forte : *at non sint mortifera,* quod postea mutatum in *aut,* deinde in *vel.*

Tract. 28, § 11, in Joan. VIII, 25, ubi Christus, *principium quia et loquor vobis. Ecce,* inquit Augustinus, *quod est esse. Principium mutari non potest: principium in se manet, et innovat omnia; principium est cui dictum est: Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.*] Hæ sunt argutiæ hominis Græce nescientis, ut optimi quique interpretes dudum ostenderunt. Accepit tamen Augustinus ἀρχὴν esse in accusativo ; quamobrem putat Christum ita loqui, quasi antecessisset *credite me,* nimirum, *principium.* Sed qui Græce sciunt norunt solemni ejus linguæ consuetudine, subaudiendum κατὰ, quod non opus est pluribus ostendi ; non enim scribimus in Joannem sed obiter ostendimus sine cognitione linguarum, inane esse acumen Scripturam interpretantium.

Tractatu 43 § 17. *Non dixit,* antequam Abrahamus esset, ego eram ; *sed* : antequam Abraham fieret, *qui nisi per me non fieret,* ego sum.] Qui Græce sciunt norunt verbum γενέσθαι perinde esse ac εἶναι, ac proinde argutia hæc Latine tantum scientibus tolerabilis, a Græcis exsibilata fuisset : quemadmodum Fausti Socini interpretatio hujus loci ab omnibus rejicitur, qui voluit etiam verti *antequam Abraham fieret,* quanquam alio plane sensu.

Tractatu 47, § 4. *Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde adscendit in cœlum.*] Editores Parisienses observant de vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentionen fieri etiam in libro de locis Hebraicis, inter Hieronymi opera. Recte dicunt id opus esse *inter Hieronymi opera,* nam non est ipsius Hieronymi, qui in eo etiam laudatur. Exstat tom. III operum Hieronymi in editione Erasmi, subjiciturque libro de locis Hebraicis, et inscribitur, de Actis apostolorum. Ut dicam quod videtur, crediderim paulo ante hæc tempora, non in Judæa ipsa, nec in vicinis provinciis, sed procul, cœpisse fingi quod jactatum postea est, tanta verborum pompa, de inventione crucis Christi ab Helena Constantini matre, deque hisce vestigiis abeuntis Christi. Alioqui non modo Eusebius hæc in vita Constantini, in qua usque adeo eum Helenamque extollit, agitque de Ecclesiis in Palæstina ab hac ædificatis, non omisisset; sed nec etiam Hieronymus, non modicus locorum insignium Judææ prædicator. Hæc autem figmenta avide sunt arrepta ab iis qui putabant facile admittendum quidquid facere censebatur ad confirmationem Christianæ fidei, nec curiosius an verum esset expendendum : unde natæ sunt innumeræ fabulæ, et superstitiones quibus religionis Christianæ nativa pulchritudo non parum obscurata est. Multo satius fuisset, homines de veritate et divinitate doctrinæ Christianæ minime dubitantes, abhorrere ab omnibus argumentis non tantum falsis, sed etiam levibus ac incertis ; veritati enim exploratæ nulla potest esse conjunctio aut cum mendacio, aut cum incertis rumoribus, quæ eam non obscuret aut etiam dedecore afficiat. Quis non etiam indignetur incertam famam, aut etiam falsam, non aliter admissam ab hominibus religiosis ac ipsam Evangelii veritatem ? Quis non suspicetur, quanquam minime suspicacis ingenii, multos Christianos fuisse, non quia doctrinæ Christianæ veritate introspecta essent perculsi, sed quia utile erat, postquam Christiani rerum potiti erant ; cum turpibus fabulis illico assensum præberent, si modo prodessent ? Dehonestarunt religionem Christianam, qui fidem ei soli habendam quibusvis figmentis lubentes accommodarunt. Si contraria omnia credidissent inesse revelationi, quam proferebant Christiani, non aliter ea essent amplexi.

Tractatu 120, ad Joannis cap. XX, 42, § 5. *Quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi Latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.*] Multis de parasceve egit Jos. Scaliger de Emend. Temp. lib. VI, pag. 564, ed. Roverianæ. Prolato hoc Augustini loco subdit : « Vetus interpres Joan. Chrysostomi, sermone in natalem Joannis Baptistæ : *Qua enim die conceptus est Dominus, eadem die et passus est. Eadem ipsa dies* cœna pura *fuit, in qua et luna quarta decima occurrit.* Vides *parasceven* proprie dici tempus quod advesperationem inter et solem occasum interjectum est... Alioqui καταχρηστικῶς vel ἰδιωτικῶς, tota etiam dies Veneris dicitur παρασκευὴ, saltem ab hora sexta, ut est apud Joannem. Itaque ea dicitur παρασκευὴ antequam venerit, cum proprie iniverit ἀπὸ ἐνάτης ὥρας, quæ dicebatur מנחה, id est oblatio. Hinc deinceps a nona hora opus facere non licebat in προσορτίοις, ut diserte exstat in canonibus Hebræorum : *Quicunque facit opus in vesperis sabbatorum, et dierum festorum ab oblatione vespertina, et ultra, non videbit unquum bonum signum benedictionis.* Ex quibus potes percipere quare Augustinus dicebat acceleratum tempus sepulturæ ; ne, scilicet, eos qui Christum de cruce deposuerant, opprimeret ἡ ἐνάτη, sive עת המנחה tempus oblationis vespertinæ, a quo tempore opus facere nefas erat. Hæc vir summus ex doctrina Judæorum, quæ falsissima est, ut liquet ex Matth. XXVII, 46, Marc. XV, 34, unde liquet post nonam demum fuisse sepultum Christum. Merum etiam commentum est, quod dicit proprie dictam *præparationem* fuisse quatuor ultimas horas diei Veneris; cum non occurrat, nisi pro tota die Veneris. Cæterum Augustino quoque prius persuaserunt Judæi. Hi autem *cœnam puram* vocabant

parasceven, quod ethnici *cœnam puram* dicerent quæ apponebatur iis qui festi alicujus causa in casto erant, quod Græci dicebant ἁγνεύειν et προαγνεύειν, ut ad celebrationem festi se pararent; unde factum erat ut Judæi idem esse censerent *cœnam puram* et apparatum festi, eoque nomine diem Veneris vocitarent. In aliis nihil simile erat, ut recte animadvertit Is. Casaubonus, Exercitat. contra Baronium, XVI, num. 16, quem vide. Adi et Festum in voce *penem*, et Fulvium Ursinum in appendice libri Pet. Ciacconii de Triclinio.

ANIMADVERSIONES

IN TRACTATUS IN PRIMAM EPISTOLAM JOANNIS.

Tractatu 5, § 1. *Profiteri si esse sine peccato periculosum est; et non solum periculosum, sed etiam mendosum.*] Hoc est mendacio plenum, ut satis liquet cum ex sequentibus, tum ex proprietate vocis; nam deducenda a *mendum*, quod interdum falsum significat. Vide notata a Joan. Clerico in epist. Barnabæ cap. 2. Multis in hoc loco agit Augustinus ut redigat in concordiam Joannem dicentem I Epist. cap. I, 8: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est*, et cap. III, 9, negantem *natum ex Deo peccare*, tandemque hæc postrema verba intelligenda censet de peccato contra caritatem proximi. Multa melius interpretati sunt Joannem qui natum ex Deo habitu peccandi delinquere negant, sed tantum subita tentatione, aut infirmitate. Sic in plerisque omnibus, si quid paulo difficilius occurrat, cespitat bonus Augustinus, si præsertim dicta ejus cum recentiorum lucubrationibus conferantur.

ANIMADVERSIONES

IN EXPOSITIONEM EPISTOLÆ AD ROMANOS.

Hoc opus conscripsit presbyter Augustinus circa annum 394, cum ex communibus notionibus Scripturam interpretaretur. Quare in eo multa habet quæ mere Pelagiana sunt, ut vel ex Retractationum loco præfixo intelligere est. Mirum est hominem qui nunquam a quoquam propterea damnatus fuerat quasi hæreticus, imo vero ab omnibus laudatus, postea in eadem dogmata invectum esse, quasi cum religione Christiana consistere non possent. Si nunquam tamen exortæ fuissent rixæ Pelagianæ, in iis sententiis mortuus esset. Imo vero fortasse nunquam ita invectus in eas fuisset, nisi Pelagius aliquid in ejus scriptis carpsisset. In libro de Dono perseverantiæ, cap. 20, num. 53, narrat his verbis primam indignandi in Pelagium occasionem: *Quid meorum opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum? Cum et ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis exstitisset; in eis certe dixi*: DA QUOD JUBES ET JUBE QUOD VIS. *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum a quodam fratre et coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo qui illa commemoraverat litigavit.* Hinc prima origo mali, nam nihil magis irritabile est scriptoribus qui pro scriptis postea, tanquam pro aris et focis pugnant.

Proposit. 44. Ad Rom. VII, 19, 20. *Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis juste vivere conatur, sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat liberatori, et accipiat gratiam, ut, jam illo qui eam donat liberante et adjuvante, non peccet*, etc.] Hæc sunt minimum Semipelagianismus, qui si tunc temporis non docebatur in Ecclesia, summopere temerarius erat Augustinus, qui loquebatur de re tam gravi, contra omnium sententiam; aut si docebatur, non capio qui damnari potuerint quasi novatores et exitiales hæretici qui id docebant, quod antea ubique docebatur et quod cum laude scripserat Augustinus. Cæterum hunc locum retractavit Augustinus, ut et alia quædam quæ Pelagio favebant. Sed ad hunc locum quod attinet, optimi quique interpretes hic esse vere μετοσχηματισμον agnoscunt, quo Paulus veluti in suam personam transfert, quæ ad hominem non regeneratum pertinent; quod extra omne dubium posuerunt.

ANIMADVERSIONES

IN EXPOSITIONEM EPISTOLÆ AD GALATAS.

§ 24. Profertur sic vers. 19 cap. III. Epist. ad Galatas: *Quid ergo? Lex, transgressionis gratia, proposita est, donec veniret semen, cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris.*] Est mera depravatio, cum in interpunctione, tum in voce *dispositum*. Græca habent: Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου. Vulgata hodierna: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.* Atque ita legi oportere res ipsa ostendit, agnovissetque Augustinus, si meliores codices contulisset. Sic enim legit Pelagius in Commentario ad hanc Epistolam, si modo illic mutata ejus verba non fuerint. Sic quoque *Ambrosiaster* ille cujus Commentarii in Epistolas Pauli Ambrosio sunt conjuncti. Sed perinde erat Augustino quomodocunque legeretur, ex quibusvis sensum quemvis elicere parato, nec orationis seriem evolvere curanti. Sæpe non felicius sensum expedivit, ubi rectam lectionem secutus est, quam ubi falsam. At laudari non potuit, quod cum esset tiro, nam expositionem hanc etiamnum presbyter conscripsit, et præterea Græcæ linguæ imperitus, difficillimos Novi Testamenti libros, Epistolas ad Romanos et ad Galatas, interpretari aggressus sit, ne emendatis quidem codicibus sibi comparatis. Hæc ejus zelo bonoque animo condonanda quispiam forte existimabit; nec intercedo, modo ne laudentur quæ venia indigent, aut ne vituperentur meliora, iis præsertim collata, quod a multis tamen, inscitiane dicam, an partium studio? fieri solet.

§ 40. *Unde et Joannes* ad *Parthos dicit*: Scribo vobis, patres *etc.*] Verba exstant I Joan. II, 13. Sic recte editum a Benedictinis, non *ad Patres*. Vide in-

scriptionem tractatuum in hanc ipsam epistolam, et adi Hugonem Grotium, interpretum Scripturæ facile principem, ad I Epist. Joannis.

§ 64. *Ego enim stigmata Domini Jesu Christi in corpore meo porto.*] Verba sunt Apostoli Gal. VI, 17, quæ ita interpretatur Augustinus : *Id est, habere alios conflictus et certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior mecum dimicant.* His lectis, nemo non exspectet Augustinum locuturum de stigmatibus militum, de quibus hunc locum nonnulli interpretantur. Sed audi sequentia : *Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium ; ut si quis, verbi gratia, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur ; et ideo in jure manumissionis, inferioris est ordinis.* Quæ ut vero habeantur, nihil tamen ad interpretationem ejus faciunt. At hinc colligere potuit, Paulum hoc velle, servum se esse Christi, quod stigmata veluti a Christo ei impressa significabant. Præterea hic *stigmata* intellexerim, κατ' ἀντίθεσιν ad stigmata superstitiosa idololatrarum, de quibus H. Grotius et Henr. Hammondus ad Apoc. XIII, 15. Cæterum *stigmata* non proprie vibices dicibantur, sed inscripta puncta quibus interdum fugitivi servi notabantur ; unde στιγματίαι dicti, ut docebunt Græci lexicographi.

IN TOMUM QUARTUM.

DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM.

Enarrationes sacrorum voluminum apud populum habitas, quas Græci vocant homilias, divus Augustinus appellat *tractatus*: nos conciones possumus appellare. In his fere solebant notarii quod dicebatur excipere ; nonnunquam qui dicturus erat, vel antequam diceret, digerebat in schedulam quod parabat disserere, vel quod dixerat litteris mandabat. In hoc dictionis genere, multa dantur auribus imperitæ promiscuæque multitudinis. In primis aliquot psalmis astrictior est et accuratior. In posterioribus identidem exspatiatur in longas digressiones, mutata, ut apparet, voluntate. Lege diligenter, reperies arcanæ doctrinæ thesaurum inæstimabilem. Vale.

ANIMADVERSIONES IN ENARRATIONES IN PSALMOS.

Puto ab Erasmo, nomine *arcanæ doctrinæ*, intelligi sensus psalmorum allegoricos ; nam quid aliud hic arcanum dici possit non intelligo : neque enim ad litteralem sensum eruendum quidquam est in psalmorum Enarrationibus quod non cuivis et ubique occurrat. Ad theologiam vero atque ethicam Christianam quod attinet, nihil est hic reconditi et minime vulgaris. Sunt, nimirum, Enarrationes ad rudem plebeculam, suspensis auribus omnia bibere paratam, instituendam ; non doctis ac verorum Scripturæ sensuum studiosis scriptæ. Duo mihi videntur a psalmorum interprete posse postulari. Prius est ut, ante omnia, ostendat quis sit sensus proprius ac grammaticus, qui *litteralis* vocari solet. Is autem sensus inveniri non potest, nisi diligenter Hebraica consulantur ; utque facilius intelligantur, interpretes studiose inter se conferantur. Nam prorsus pendere ex vitiosa forte versione, aut, quod pejus est, ex ipsius versionis non meliore in aliam linguam translatione, et velle tamen Scripturam interpretari, hoc profecto est in tenebris micare. Itaque ad authentica et autographa Scripta confugiendum. Hæc autem plane neglecta sunt ab Augustino, et quod non posset Hebraicum textum ac interpretes illos consulere, et quod nollet in sensu litterali hærere. Hinc autem factum est, non tantum ut sententiam ipsius psaltæ assecutus passim non sit, sed etiam ut ne ipsos quidem LXX interpretes intellexerit, quorum sæpe barbara ac obscura translatio multo ex Hebraico textu intelligitur, quam si sola legatur. Præterea ubi litteralis sensus simplex atque apertus est, minime opus fuit illo deserto ad spirituales divagari ; quod tamen perpetuo ferme facit Augustinus, et quidem ita ut sibi propterea mirum in modum plaudat. Sic ille quæ obscura sunt minime reddit labore suo clariora, et quæ sunt perspicua quam maxime obscurat. Exempli causa litterali sensu psalmi CXIX ferme nihil est apertius ; totus quippe de præstantia deque observatione divinæ legis agit ; nec potuit quidquam tractari aptius a propheta, cum ut seipsum ad observandam legem confirmaret, tum etiam ut populares suos ad morum sanctitatem adduceret. Hisce tamen spretis, quasi spiritu prophetico parum dignis, quæsivit Augustinus sensus de quibus nemini unquam in mentem venisset qui litteralem sententiam probe perspexisset, pulcherrimaque ejus consectaria perspexisset. *Quanto,* inquit de illo psalmo, *videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet, ita ut etiam quam sit profundus demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas ; hujus autem nec ipsa, quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem atque auditorem, non expositorem necessarium habere credatur.* Quis non videt Hipponensem episcopum hic nodum in scirpo quæsivisse ; quia, in simplici interpretatione illa potuisset suam illam, quam ei exprobrat Erasmus epist. 67, lib. XX, ἀπεραντολογίαν ostentare, ut fecit? Ingeniosi et docti viri putabant esse illa sæcula, multam loqui de re quæ eloquentiæ nullum argumentum præbere videbatur.

Alterum, quod ab interprete psalmorum postulari queat, situm est in sensu spirituali eruendo ; qua in re sequenda est apostolorum cynosura, ut ita loquar. Nimirum, loca Psalmorum in Novo Testamento prolata ut prophetica, explicanda sunt ita,

ut liqueat non frustra fuisse ab apostolis laudata. Quam in rem adhibenda sunt omnia criticæ sacræ subsidia, quibus fere destitutus fuit Augustinus, qui propterea rem præstare non potuit. Sed quia apostoli loca nonnulla psalmorum spirituali sensu intellexerunt et interpretati sunt, propterea non sequitur a quovis, qualibet de causa, omnia pro arbitrio in spirituales sensus posse torqueri; quod tamen perpetuo, et quidem cum magna laude rudium sæculorum, eorumque qui illa imitati sunt, factitavit Augustinus. In illis citationibus apostoli sæpe, ut quidem videtur, ad traditiones opinionesque Judaicas respexerunt, ex quibus contra sui ævi Judæos merito ratiocinabantur; ita ut sint argumenta quæ a logicis vocantur *ad hominem*, quibus apud alios, quasi firmis, usi non fuissent. Sæpe etiam spiritus propheticus quo afflati erant apostoli, non minus ac antiquiores vates, quædam iis aperuit quæ nos alioqui fugissent. Itaque nemo non illorum auctoritati assensum præbet, nemo dubitat quin recte citata sint ab apostolis illa loca; cum tamen æquo animo nemo patiatur nunc a quovis ita Veteris Testamenti Scripturam explicari. Ac sane cur sinamus ea nobis magna verborum pompa obtrudi, ab hominibus minime afflatis, imo etiam imperitis, quæ si negentur nullo modo probari possint? Cur quasi sacrosanctum habebitur quidquid declamatoribus in buccam veniet de quovis Scripturæ loco? Quis tandem erit modus somniorum, in re usque adeo seria, si statuamus talia admitti oportere?

Igitur exiguus quidem est usus harum Augustini declamationum ad intelligendos Psalmos; sed non inutiles fuerunt olim ad docendam plebem, eamque ad virtutem excitandam, quia etiam ea quæ præter rem et alieno loco dicuntur, utilia esse possunt, si modo sint vera. Itaque legantur hæc quasi conciones ac miscellæ quædam meditationes theologicæ atque morales, non quasi interpretationes Scripturæ; excerpantur ex iis recte, acute, ingeniose dicta, eaque commodis occasionibus adhibeantur, laudato auctore; tribuetur Augustino quidquid honoris ei debetur, nec ejus opera suo fructu carebunt. Quisquis volumen aperiet, et aliquot in eo paginas leget, verissimum esse et æquissimum quod diximus competiet. Attamen aliquot exemplis rem illustrabimus, neque enim in hoc ingens volumen notas conscribere aggredimur; nec vero ullius id esset fructus, qui quidem laborem expendendum æquare posset.

Psalmo 1. Versum 1 sic interpretatur: *De Domino nostro Jesu Christo, hoc est, homine Dominico accipiendum est.* Quid ita? Beatus profecto erat et re et spe quisquis divinam legem observabat; ideoque absurdum hæc Christo violenter aptare, quæ optime omnibus conveniunt. Huc respexit auctor Expositionis psalmorum, perperam Hieronymo tributæ, quæ edita est in calce tomi II operum Hieronymi. Lutetiæ anno 1699. *Quidam*, inquit scriptor illius Expositionis, *istius psalmi clavem super Christi Domini nostri personam esse referendam, ut beatus iste vir secundum hominem Christus sit. Bona quidem voluntas, sed imperitia est.* Vere, quamvis ipse sit exigui pretii interpres.

Ibidem, ad hæc verba: *In cathedra pestilentiæ non sedit*, hæc habet Augustinus: *Noluit regnum terrenum cum superbia; quæ ideo* cathedra pestilentiæ *recte intelligitur, quia non fere quisquam est qui careat amore dominandi, et humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus late pervagatus, et omnes aut pene omnes involvens.* Sed quamvis sedeant reges in cathedra, aut in solio, ubicunque occurrit vox *cathedræ*, non agitur ideo de regno; nisi circumstantiæ loci eo lectorem deducant, quales hic nullæ sunt. Quamvis *pestilentium* potius quam *pestilentiæ* vertendum fuerit, ut mox dicam, attamen hac etiam posita lectione, facile potuit intelligere Augustinus hic sermonem esse de consessu hominum pestilentium, si paulo peritior fuisset artis criticæ. Docet hoc apertissime psalmus xxv, 4, 5 (sequor hic Græcam divisionem), ubi ita psaltes ex antiqua versione: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo*; ut et psalm. xlix, 21; cxviii, 23. Nimirum, homines otiosi solent una sedere in locis publicis, aut in quæ convenire solent, atque aliorum famæ maledicis sermonibus detrahere. Hinc Theophrastus Character. 29, qui est maledicentiæ, sic de maledico loquitur: Συγκαθήμενος δεινὸς περὶ τοῦ ἀναστάντος, εἰπεῖν, *sedens inter alios, paratus ad loquendum de eo qui surrexit.* Exemplum etiam καθεζομένων ἐν ἰατρείῳ ψογερῶν, *sedentium maledicorum in medici officina* habemus apud Ælianum Var. Hist. lib. iii, cap. 7.

Atque hoc quidem facilius intellexisset Augustinus si oculos conjecisset in versionem Græcam, quæ habet λοιμῶν, quæ vox frequenter significat *homines pestiferos*. Quod si præterea contulisset cum hac versionem Aquilæ, intelligere potuisset esse vocem hic Hebraicam, quæ soleret a Judæis verti χλευασταί *irrisores*. Unde etiam rescivisset hic esse nomen pluralis numeri, ex quo liquebat interpretem Latinum male vertisse *pestilentiæ*; et cum vix dici posset *cathedra pestilentiarum*, voce λοιμοί significari *pestiferos homines*. Vel ex enarratione Ambrosiana hujus psalmi hæc partim discere potuit, si eam consuluisset.

Ibid. ad vers. 2. *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte;* sic ratiocinatur: *Justo non est lex posita, ut dicit Apostolus; sed aliud est esse in lege, aliud sud lege. Qui est in lege, secundum legem agit; qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus.*] Quia olim Numidis et aliis Afris, qui doctiores non erant, hæc pulchra visa sunt, eruntne etiam nobis eximia habenda? Quæ si a nobis prodirent, exsibilarentur, an plausibus excipientur? Non puto. Itaque dicemus, cum pace et Numidarum et aliorum omnium quibus talia olim placuerunt, 1° locum Pauli plane extra rem esse; 2° non dici hic quemquam

esse *in lege*, sed ejus *voluntatem esse in lege*, hoc est, ex constantissimo linguæ Hebraicæ usu, lege divina delectari, eique libenter parere; 3° distinctiunculam *sub lege* et *in lege* inanem esse, cum nemo dicat, *Voluntas ejus est sub lege*. Pergit tamen argutari bonus Augustinus his verbis : *Deinde aliud est lex quæ scribitur et imponitur servienti ; aliud lex quæ mente conspicitur ab eo qui non indiget litteris.* At de nulla alia lege his agitur quam de Mosaica, quæ scriptis consignata erat et omnibus Judæis imposita, nemine excepto. Loquitur enim hic David, homo Hebræus, et quidem de hominibus suæ gentis, qui legem scriptam habebant, eamque observabant.

Ibid. *Meditabitur die ac nocte, aut sine intermissione intelligendum est.* Optime, si deleas illud *aut.* Sed fluctibus academicis abreptus, etiam in re clara, addit ; *aut* die, *in lætitia*, nocte *in tribulationibus.* Fateor aliquando *luce* res secundas, *tenebris* adversas significari ; sed *facere quidpiam die et nocte* nunquam significavit in secundis et in adversis. Quia voce quapiam aliquid in certo situ significatur, ideo non sequitur, ubicunque occurrat, eodem modo posse eam intelligi. Sed exempla ejus audiamus, nam duo profert : *Dicitur enim* (Joan. VIII, 56) : *Abraham diem meum vidit et gavisus est. Et de tribulatione dicitur : Insuper et usque ad noctem emendaverunt me renes mei ;* psal. XV, 7. Sed in verbis Christi, *dies* lætitiam non sonat, verum tempus quo futurus erat in terris ; locus vero psaltæ *etiam noctibus erudierunt me renes mei*, nimis obscurus est quam ut quidquam probare queat, et aliter commodius intelligi potest, ut quivis docebunt interpretes ex recentioribus.

Ibid., § 3. Hæc sunt verba vers. 3 : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum.* Vel pueri intelligant hic esse similitudinem, quæ nonnisi integra explicari potest, et quidem ita ut ostendatur quam sit apta tota similitudo, non ut particulatim discerpatur. Attamen, prolatis his verbis, sic ea interpretari aggreditur Augustinus : *Id est, aut secundum ipsam sapientiam quæ dignata est hominem suscipere ad salutem nostram ; ut ipse homo sit lignum plantatum secundum decursus aquarum : potest enim et hoc intellectu accipi quod in alio psalmo* (LXIV, 10) *dicitur : fluvius Dei repletus est aquâ.* Sed primum quis nescit in similitudine rem unde similitudo ducitur, esse *ad litteram*, ut loquuntur, intelligendam ? Ne ipse quidem Augustinus hoc ignoravit, sed argutandi immodica et intempestiva cupiditas et Africana ἀπεραντολογία obstitit ne judicio suo uteretur. Præterea nec locuis psalmi LXIV, 10, similis est, nec id significat quod vult. *Fluvius* enim *Dei* illic est Jordanes ut recte ex Theodoro, credo, Mopsuesteno, notavit Lud. Ferrandus. Pergit noster eodem acumine : *Aut secundum Spiritum sanctum, secundum quem dicitur : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, etc. Nemo neget Spiritum sanctum conferri sæpe cum aqua ; sed in hac similitudine non potest significari *decursibus aquarum.* Tertia post affertur interpretatio prioribus absurdior : *Aut secundum populorum peccata, quia et aquæ populi interpretantur in Apocalysi, et decursus non absurde intelligitur lapsus, quod pertinet ad delictum.* O acumen ! O Numidas patientibus auribus, aut oculis præditos ! Talia hodie a nostratibus sine risu non audirentur. Sed audi cætera : *Lignum ergo illud, id est Dominus noster de aquis decurrentibus, id est populis peccatoribus, trahens eos in via in radices disciplinæ suæ.* Quam hæc contorta sint non opus est monere, dicam tantum oblitum esse Augustinum, virum illum *beatum* de quo vers. 1, conferri cum arbore plantata juxta aquam, quæ proinde non potest esse Christus, si idem ille *vir beatus* Christus sit, ut dixit. Neque enim in similitudine prior et posterior pars idem esse possunt. Fructum dabit, *hoc est, constituet Ecclesias ; in* tempore suo, *hoc est, id est, postquam clarificatus est resurrectione et ascensione in cœlum*, etc. Qui felicissime versati sunt in interpretatione parabolarum Novi Testamenti, observant singulas partes similitudinum non esse nimium urgendas, sed duntaxat totam similitudinem esse aptandam toti rei de qua sermo est ; quia nulla parabola nititur perfecta similitudine singularum partium, et quia non constat an minutas illas similitudines attenderit Christus, Hæc si animo reputasset Augustinus, hæc et alia multa in hisce Enarrationibus resecuisset.

Ibid., § 4 ad vers. 4. *Non sic impii, non sic ; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ*, sic habet : *terra hic accipienda est stabilitas in Deo* ; ad quod confirmandum profert loca Scripturæ, in quibus *terra* allegorice, ut putabat, id significat ; sed cum omnia illa commenta allegorica sola negatione confutari queant, hic quoque locus respuit illam interpretationem ; quia in hac similitudinis parte proprie sumenda est vox *terra*, ut ad superiorem similitudinem ostendimus.

Postea *a cujus terræ*, inquit, *facie projicit ventus impium, id est superbia, quia inflat.* Feliciter vero inventum ! Impius non dicitur hic *projici a facie terræ*, sed esse *tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ ;* hoc est, incertissimam esse et vilissimam apud Deum ejus conditionem : ut est, apud homines, pulveris vento agitati. Vide similem comparationem psal. XVII, 42, et psal. XXXIV, 5, et alibi.

Ibid., § 5, ad vers. 5, *Ideo non resurgunt impii in judicio.*] *Ideo, scilicet*, inquit, *quia tanquam pulvis projiciuntur a facie terræ. Et bene hoc eis dixit auferri quod superbi ambiunt, id est, ut judicent, ut hoc ipsum planius dictum intelligatur sequenti sententia* : neque peccatores in concilio justorum. Verum ubi *resurgere*, aut *surgere in judicio* significat judicem agere ? si consuluisset aut Hebraicum textum, aut Judæum, accepisset verbum quo hic utitur David non tam significare *resurgere* quam *stare* ; unde collegisset hoc velle psalten, in judicio non posse consistere impios, hoc est, fore ut causa cadant. Vide Isaiæ VII, 12. Malach. III, 2, Rom. XIV, 4, et Hug. Grotium ad hunc locum.

ALMO II, § 6, ad verba vers. 6. *Ego hodie genui* A quem profert nullo modo quadrat in historiam mor-
nquam etiam, inquit, *possit ille dies in pro-*
dictus videri quo Jesus Christus secundum homi-
natus est, tamen hodie, *quia præsentiam significat,*
in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi
desierit ; *nec futurum, quasi nondum sit*; *sed præ-*
tantum, quia quidquid æternum est semper est;
itus accipitur secundum id dictum, Ego hodie
i te, *quo sempiternam generationem virtutis et sa-*
ie Dei, qui est unigenitus Filius, fides sincerissima
tholica prædicat,] Quamvis hæc interpretatio non
ugustino peculiaris, observandum tamen ante
ia psalmum hunc explicandum fuisse de Davide,
le se loquitur ; deinde sublimiori sensu de Chri-
quoniam ita hunc psalmum intellexerunt Apo-
Ad Davidem quod attinet, *genitus* tunc a Deo
ur, cum est rex constitutus, nam reges dicuntur
Altissimi, psal. LXXXI, 6. Ac sane ad regnum
respici liquet manifesto ex antecedentibus et
sequentibus. Ad spiritualem sensum quod spectat,
gavero *hodie* usquam in Scriptura sumi de æter-
e, non erit cur timeam ne quis erroris me ar-
; nec est Scriptura ex philosophis dogmatibus-
Platonicicis, sine ratione, explicanda, ut fecerunt
t alibi multi Patres. Deinde quandoquidem apo-
nos docuerunt hic sermonem esse de Christo,
alioquin ignorassemus, ab iisdem etiam apo-
petendus fuit genuinus hujus loci sensus; qui
is minime refertur ad æternam generationem,
d potestatem post resurrectionem in Christum
tam ; nam de resurrectione ejus hunc locum
at Paulus Act. XIII, 33. Scriptor vero ad He-
s de ejus sacerdotio, quo in cœlo præsertim
us est, cap. v, 5. Malim cum illis sentire quam
Platonicis. Quod visum etiam Hilario, qui ad
. II, § 30, edit. Benedictin. : *Non ad virginis in-*
partum, neque ad lavacri generationem, sed ad
genitum ex mortuis pertinere apostolica auctori-
t.

id., § 10. *Apprehendere disciplinam* interpretatur
ustinus intelligere erudiri ; nec sane aliter potuit.
si Hebraica consuluisset, hic singularem inve-
t prophetiam de Christo; nam est נִשְׁקוּ בֵן *oscu-*
i filium, quod de osculo, honoris causa, quasi
ferendo recte intelligunt recentiores. Vide Gen.
10 ; I Sam. x, 1.

ALMO III, § 1. Quamvis hæc sit inscriptio psalmi :
us *David, cum fugeret a facie Abessalon filii sui*,
narrationem suam orditur Augustinus : *Hunc*
um ex passione Christi accipiendum persuadet
dictum est: Ego dormivi et somnum cepi, et
rexi quoniam Dominus suscipiet me. *Magis enim*
d passionem et resurrectionem Domini congruenter
t, quam ad illam historiam in qua David scribitur
se a facie bellantis adversum se filii sui. Nescior
ratione præcaveri potuissent contortæ allegori-
m interpretationes, cum ne apertissima quidem
iptio psalmi hujusce nostrum coercere potuerit
legoricis somniis indulgeret. Nam locus quidem

quem profert nullo modo quadrat in historiam mortis et resurrectionis Christi, contra optime conditioni Davidis convenit. Cum multi de hoc actum esse putarent, quia longe maxima pars Israelitarum Absalomum sequebatur, ait propheta se ad Dei auxilium confugisse, atque ab eo exauditum fuisse, continenterque addit verba allata, *ego dormivi*, etc., quæ aptissime significant securitatem ac tranquillitatem animi Davidis, postquam in Deo fiduciam suam posuerat. Similiter describitur securitas psalm. IV, 9. Cur ergo alius erat quærendus sensus, cum hic pulcherrimus esset, et eximia documenta non desperandi, sed fiduciæ in Deo collocandæ, nobis præberet? Nempe, ut neglectis quæ ante pedes erant, ea quæ-
B rerentur quorum alioquin in mentem nemini venisset ; quod ferri posset, nisi sententia quæ primum animo sese objicit optima esset verbisque convenientissima; ea vero, quæ procul accersita est, coacta esset et a verbis serieque orationis aliena.

Sed audiamus Augustinum ingenio suo mire abutentem. Quidam significari vult nomine *Absalom*, ut Christum *Davidis* persona. Tum addit : *A cujus facie fugisse quanquam historice possit accipi, quando, illo discedente, secessit cum cæteris in montem ; tamen spiritaliter quando mentem Judæ Filius Dei, id est, virtus et sapientia Dei deseruit..... bene accipitur a facie ejus Christum fugisse.* Neque historicus, neque spiritualis sensus ferri potest; nisi ab iis qui in Scriptura vident quidquid volunt, ut pueri in nu-
C bibus.

At non parum hominem impedivit significatio nominis *Absalom* ; sic enim loquitur : *Absalon autem, sicut quidam interpretantur, in Latina lingua dicitur* patris pax ; *quod mirum videri potest, sive in historia Regnorum, cum bellum adversus patrem Abessalon gesserit ; sive in historia Novi Testamenti, cum traditor Domini Judas fuerit, quemadmodum* patris pax *posset intelligi.* Si Absalomo nomen, post mortem demum, fuisset impositum, aliud sine dubio nactus fuisset ; sed qui infanti imposuerant non præviderant eum olim bellum cum patre gesturum. Multo minus intelligere poterant fore olim rhetorem Numidam qui vellet Absalomi nomine significari Domini sui prodi-
D torem. Sed quis non miretur, post fictam a se allegoriam, Augustino mirum videri commento suo non bene convenire cum nomine Absalomi ? Cur non potius commentum illud abjecit ? Sed postea sese expedit, eo quod David in eo bello pacatus Absalomo fuerit, quia illi parci volebat, et quod Christus Judam æquo animo inter suos tulerit. Sic id genus conjectoribus nunquam deest posticum quo evadant, si alia via non possint. Si forte nomen filii Davidis bellicum quiddam significasset, quanto cum plausu hæc figmenta accepta fuissent; quæ ne plausu quidem caruerunt, quamvis pacificum quiddam sonet ?

Ibid., § 3, ad hæc verba vers. 4. *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, sic scribit : *Secundum hominem dicitur Deo, quia hominis susceptio est Verbum caro factum.* Tota vis hujus interpretationis petita est

ex voce *susceptor*, quia Verbum dicebatur *suscepisse* carnem humanam. Sed propheta non loquebatur Latine. Habet hic Hebraice : *es clypeus pro me*, cujus locutionis sensum, potius quam proprietatem vocabulorum, interpretati Græci habent, ἀντιλήπτωρ μου εἶ, hoc est, *adjutor meus es* ; nam male versum *susceptor*. Sic ex mala versione ingens deduxit mysterium Augustinus. Si verum amamus, aut plura debuit sibi comparare subsidia, aut munere interpretis abstinere, dum omnibus esset destitutus, excepta Punica ἀπεραντολογίᾳ.

Ibid. *Exaltans caput meum. Mentem*, inquit, *ipsam humanam hic accipiendam puto, quod* caput animæ *non absurde appellatur*. Imo absurde fingitur locutio, cujus in nulla lingua exemplum unquam auditum est : præsertim cum in promptu sit commodissima interpretatio, quam vide apud Martinum Geierum et alios interpretes.

Ibid., § 4, ad verba vers. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi ; id est*, inquit, *non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aeris promitur*, etc. Quidni ? an indecorum fuit Davidi clara et magna voce Deum invocare, cum in tantis angustiis versaretur ? Ego quidem non putarim. Attamen negat Augustinus voce ad Dominum clamavi *recte dici, nisi cum sola anima nihil carnis, nihilque carnalium intentionum in orationem attrahens loquitur Domino, ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur, propter vim ipsius intentionis.* Nolim equidem negare translatitio significatu posse dici *clamare ad Dominum* eos qui sine verbis atque intra animum eum orant ; sed pernego vere et proprie non dici clamare eos qui revera clamant.

Ibid. *Et exaudivit me de monte sancto suo. Montem quidem*, inquit, *ipsum Dominum per prophetam dictum habemus, ut scriptum est*, Dan. II, 35. Verum ut concedamus apud Danielem Christum montis imagine describi, an propterea quotiescunque montis Domini mentio occurret, credemus agi posse de Christo, etiam ubi circumstantiæ adversantur, ut hic ? Nemo Scripturæ peritus dixerit, et liquet hic de monte Sionis agi. Verum hanc interpretationem rejicit ipse Augustinus, nisi contorto quodam sensu : *Sed hoc*, inquit, *ab ipsius persona non potest accipi, nisi forte ita dicere voluit : de memetipso, tanquam de monte sancto suo, me exaudivit, cum habitaret in me, id est in ipso monte.* Quis unquam quidquam minus verisimile et ab omni usu Scripturæ sanctæ remotius audivit ? Nec talia Augustino aliud agenti temere interdum effusa sunt ; totum hoc opus, imo universa ejus opera scatent ejusmodi interpretamentis. Audi et sequens quod ipsi magis arridebat : *Planius autem et expeditius, si accipiamus exaudisse Deum de justitia sua, Justum enim ut innocentem occisum, et cui retributa sunt mala pro bonis, resuscitaret a mortuis et digna persequentibus tribueret.* Res ipsa verissima est, quis neget? Sed quomodo ex hoc psaltæ loco exsculpi queat, perpauci divinare possint, *Legimus enim*, inquit, *justitia tua sicut montes Dei*, psal. XXXV, 7. Ergone hinc sequitur *montem Dei significare justitiam Dei ?* Quis unquam præterea audivit hanc locutionem antequam ea uteretur Augustinus, *exaudire de justitia*? Sunt inter recentiores heterodoxos qui insimulantur coactarum interpretationum ; sed præ hac et similibus quæ in decem Augustini voluminibus quæ nobis supersunt, utramque paginam faciunt, omnia in illis sunt plana et facilia. Attamen heterodoxi conviciis ideo exagitantur, Augustinus ad cœlum laudibus tollitur.

Ibid. § 5. *Ego dormivi et somnum cepi. Non inconvenienter*, inquit, *animadverti potest quod positum est* Ego *ad significandum quod sua voluntate mortem sustinuit, secundum illud* : Propterea me Pater diligit quoniam ego depono animam meam, *etc.* Joan. X, 18. Quis unquam hanc esse emphasim in voce *Ego* cogitasset, nisi monitus ab Augustino? Sed si quis hoc negasset, quo exemplo potuisset probare? Nullo. Nam ad locum Joannis quod attinet, vocula *ego* non probaret Christum sponte esse mortuum, nisi alia addita essent quæ hoc perspicue significant.

Vidimus antea *somno* hic significari securitatem Davidis in mediis periculis, Dei auxilio freti. Itaque frustra Augustinus observavit *somnum pro morte positum innumerabiliter Scripturas continere.* Hoc enim ad ea loca pertinet in quibus aut constat agi de morte cujuspiam, aut certe nihil est quod eum sensum respuat. Nemo nescit hanc esse perpetuam interpretandi legem, ut ne quis ad metaphoricum sensum confugiat, dum proprio locus esse potest. Hic autem tota series orationis ostendit agi aut de vero somno, aut de securitate quæ est cum somno coujuncta.

Nec quærendum est, subdit Augustinus, *cur additum sit*, somnum cepi, *cum jam dictum esset*, dormivi. *Usitatas enim habent Scripturæ hujusmodi repetitiones, sicut in secundo psalmo multas ostendimus.* Quod habet de repetitionibus verum est, sed ab hoc loco alienum, in quo verba Hebraica sunt, שָׁכַבְתִּי וְאִישָׁנָה, hoc est, *cubitum ivi et dormivi*, quæ sunt distincta. Igitur inania sunt quæ hac de re in superioribus verbis et in sequentibus habet Augustinus.

Ibid. *Hoc magis*, inquit, *animadvertendum est, quemadmodum in una sententia et præteriti temporis verbum posuit et futuri. Et* exsurrexi *enim dixit, quod est de præterito ; et* suscipiet, *quod est de futuro, cum resurgere utique sine illa susceptione non posset.* Nihil est mirum Davidem hic uti verbo futuri temporis יסמכני *fulciet me*, aut *sustentabit me*, quia nondum erat liberatus a periculo sibi ab Absalomo creato cum hunc psalmum scripsit ; composuit enim illum in ipsa fuga, ut inscriptio docet. Igitur præter rem sunt quæ adduntur de prophetia futura præteritis miscente.

Ibid., § 7. *Non est ita distinguendum* (vers. 8) *quasi una sententia sit* : Exsurge, Domine ; salvum me fac, Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. *Non enim propterea salvum facit, quia percussit inimicos ejus ; sed potius, ipso salvo facto, illos percussit. Ergo ad id quod sequitur pertinet, ut iste sit sensus* ; quoniam tu percussisti omnes ad-

versantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti; *id est, inde contrivisti dentes peccatorum, quoniam percussisti omnes adversantes mihi.* Imo vero David Deum orat ut ipsum tueatur ac servet, quoniam antea semper de omnibus ejus adversariis pœnas sumpserat. Petit ut priora beneficia novis cumulet.

De *dentibus* quæ argutatur Augustinus non excutiam, uti nec duplicem rationem qua hunc psalmum postea interpretatur de Ecclesia conjunctim cum Christo capite spectata, aut tropologiam quæ postea sequitur. Superiores animadversiones in manifesta luce locarunt judicium nostrum de hoc opere; ex quo præterea a lectore, tædii patiente et otio abundante, possint colligi nonnulla quæ pertinent cum ad mores et dogmata Ecclesiæ ejus ævi, tum ad Augustini ipsius peculiares sententias. Sed hæc sunt ex ingenti frigidarum allegoriarum et contortarum interpretationum cumulo eligenda.

Psalmo lxxvii, § 3. *Quamvis enim proprie dicatur Synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet, tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam*] Recte observavit Isaacus Casaubonus, Exercit 16 contra Baronium, num. 42, huic argutiæ occasionem esse quod *congregare* deducatur a *grex*, sed in Græca voce συναγωγὴ nihil simile quæri potest. Sed et Jac. II, 3. Ecclesia vocatur *Synagoga*. Casaubonum ipsum adi. Sed quis ferat hæc observari ex occasione vocis *Asaph*, ascripta titulo psalmi, et quæ *congregationem* significat? *Asaphus*, ut notum, auctor est duodecim psalmorum, fuitque Levita ex familia Gersonitarum, sacræ musicæ a Davide præfectus. Vide I Paral. VI, 31, 39.

Psalmo cviii, § 1. *Quædam dicuntur quæ ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter* Primatum *quem in Discipulis habuit*, etc.] De primatu Petri ex Augustino aliisque Patribus copiosissime egit Isaac. Casaubonus in exercitatione 15 ad Annales Cæs. Baronii.

IN TOTUM QUINTUM.

DESIDERIUS ERASMUS LECTORI (*a*).

Quæ sine controversia sunt Augustini, primo posuimus loco. Impudentissimum figmentum Sermonum ad fratres in eremo agentes, in suum angulum rejecimus: de quo suo loco nonnihil dicemus. Insunt et cæteris multa parum referentia phrasim et eruditionem Augustini, quorum aliquot notavimus.

JOANNES ULIMMERII

CANONICI REGULARIS MONASTERII S. MARTINI LOVANIENSIS PRÆFATIO DEDICATORIA AD SERMONES S. AUGUSTINI, ALIAQUE OPUSCULA A SE EDITA LOVANII, APUD HIERONYMUM WELLÆUM ANNO DOMINI MDLXIV.

Reverendissimo in Christo patri ac domino D. Martino Rithovio, Ecclesiæ Yprensis primo episcopo dignissimo, Joannes Ulimmerius perpetuam felicitatem.

Cum nihil in omni rerum natura tam firmum, stabile ac perpetuum sit, amplissime præsul, quod non vetustatis (quæ, ut scribit Varro, pauca non depravat, multa tollit) insignem aliquam injuriam sentiat: præclaram mihi reipub. litterariæ operam navare videntur qui eo omne studium, omnem industriam, omne denique tempus conferunt, ut veteres auctores quorum opera aut plane corrupta sunt, aut prorsus desiderantur, quam emendatissimos, quoad licet, in lucem emittant. Quod si quisquam alius, in B. Augustino summo catholicæ Ecclesiæ columine summa industria præstitit, certe doctissimus et diligentissimus vir D. Martinus Lypsius imprimis præstitisse videtur. Neque enim illi, qui se totum ei operi illigasse visus est, satis fuit ab innumeris mendis quibus undique contaminatus erat, Augustinum vindicare: nisi etiam variis bibliothecis quæ ob antiquorum voluminum copiam celebriores habebantur, pari labore atque diligentia pervestigatis, si quid usquam hactenus non excusum reperiret quod Augustinianum pectus, majestatem ac phrasim referre videretur, id reliquis ejus scriptis adjiciendum curaret. Neque sane pium hominis conatum successus usquequaque destituit. Nam præter tertium contra Gaudentium librum, quem Parcensium canonicorum bibliotheca nobis suppeditavit, præter epistolas, quæ duæ sunt supra viginti, horum quoque qui jam hic primum emittuntur, sermones aliquot, quibus veteres *De diversis* titulum indiderunt, variis in locis inventos collegit. Atque adeo cum cæteris ejusdem sermonibus excudendos dare constituerat, nisi bellico illo tumultu qui per Martinum Rossenum ea tempestate, in hac nostra Belgica, excitatus erat circumcirca omnia turbata fuissent. Quæ res certe multum nobis et calamitatis et detrimenti advexit. Nam ut taceam depopulatos agros, incendia domorum, abacta pecora, omnisque ætatis hominum captivitatem, et incredibilem jacturam, quam multi ex tam nefario ausu fecerunt; id etiam Augustini studiosis incommodi accessit, quod tam præclaro thesauro tanquam e subterraneis ac divitibus metallorum venis effosso hactenus carere debuerint. Ita sine ut quemadmodum

(*a*) Erat hæc præfatiuncula præfixa tomo X, in quem omnes Augustini sermones conjecerat Erasmus; in editione vero Parisina ordo et voluminum et sermonum plane mutatus est. Verum ne hanc quidem admonitiunculam omittere voluimus. Sermones ad Fratres in eremo de quibus hic vir summus, sunt in tomum VI rejecti, ubi breves Erasmi censuræ proferentur. Pherepontus.

Ausonius eleganter scribit catenatos esse labores, negotiumque ex negotio seri : sic vinculorum quadam periodo colligatas sibi esse calamitates malumque ex malo nasci, dicere liceat. Cum enim, ut dixi, bellorum strepitu, omnia circumquaque perstreperent, neque itinera satis tuta a militum impetu esse viderentur, et decimus Augustinianorum operum tomus sub prelo sudaret, lucemque jamjam cogitaret, frustra exspectavimus qui hanc sarcinulam in Germaniam deportaret Unde non prius eo delata fuit quam is ad umbilicum usque, ut aiunt, pervenisset. Cum vero secunda editio in officina Frobeniana adornari diceretur, nos ne quid ulla ex parte nostro Augustino deesse posset, tum ne Lypsii opera quoquo modo periisse videretur, eam temporis iniquitatem nostro qualicunque labore resarcire conati, pleraque Augustini opera multo quam prius castigatiora, Basileam misimus. Inter quæ et decimus tomus, qui hactenus cæteris contaminatior fuerat, ad viginti et eo amplius vetusta exemplaria a nobis collatus, et ii quos jam emittimus sermones maxima ex parte fuerunt. Librarius vero ille omnibus retentis, et quinque duntaxat sermonibus delectis, reliquos, nescio qua ratione motus, suppressit, nec quidquam præterea ad nos remisit. Atque ea ratione quidquid antea laboris noster Lypsius devorarat, id summa cum nausea et tædio rursus nobis exantlandum fuit, tam in perquirendis iis quæ transmiseram, quam in describendis. Quod quanta me affecerit molestia (ut ne quid interim de sumptibus addam) haud facile dixerim : sed hoc unum boni accidit, quod, de quo antea nos post Lypsium et Costerium desperabamus, id aliud nobis agentibus, ac forte fortuna ejusdem B. Augustini vitam his adjunctam legentibus, repertum fuerit. Indiculum dico a Possidio episcopo prius in Vita promissum, posterius vero compositum, quem quidem quia eximius theologus D. Jacobus Pamelius, Brugis canonicus, mihi ad hos labores perferendos, non obtusum calcar sæpenumero addidit, ei dedicatum ac consecratum volui. Is enim tanto fervore tantisque impendiis veterum scriptorum ac præsertim theologorum opera conquirit, ut confidam eum aliquando quidquid ubivis terrarum Augustini delitescit, id totum in studiosorum utilitatem a tenebris asserturum ac quod nostris adnotationibus marginalibus deest, suppleturum esse. Cæterum nec hoc unum dolorem nostrum, quem ex suppressis D. Augustini sermonibus gravem conceperamus, mitigavit. Sed et alios plurimos sermones antea nunquam typis excusos invenimus, quos Lypsianis adjunctos, et immensis laboribus castigatos T. C. dedicare visum fuit. Multæ vero causæ sunt quæ me moverunt ut D. T. potissimum hæc offerenda existimarem : quas latius recenserem, nisi singularem tuam modestiam id ægre laturam arbitrarer, et vererer ne plerisque adulari magis quam ex animo loqui censeri possem. Hoc unum tamen silentio præterire nequeo, nihil mihi accommodatius visum esse quam ut episcopi monimenta episcopo dedicarentur ; eoque magis quod tui mores, eruditio, pietas, et omnis denique vitæ ratio cum Augustini virtutibus congruere videantur. Quanta illi suarum ovium cura fuit! quo ardore subditos suos ad perfectam et beatam vivendi rationem instituit! quam suaviter ac tempori convenienter variis concionibus ad pietatem vitæque sanctimoniam populum excitavit! At quis est qui non hæc in T. C. ut maxima suspiciat? Omitto quod solus fere episcoporum tecum monasterium clericorum habeas, quod et noster sanctissimus Augustinus de se profitetur in præclarissimis illis duobus sermonibus quos de communi vita suorum clericorum ad populum Hipponensem habuit. Quos ab Erasmo denique, nescio studione an oblivione aliqua omissos, postea vero suppositiliis ac sermonibus eremiticis commixtos, ab iisdem resecui, et vitæ, quia plenissimam ejusdem divi mentionem faciunt, adnexui. Accipias itaque episcopus episcopum, Augustinum Augustinianæ vitæ ipse non minus admirator quam imitator, et hos sermones tuis commendare ne graveris, ut posthac a frigidioribus lectuque indignioribus rebus abstinentes, malint in studiis sanctioribus utilioribusque oleum operamque collocare. Porro operæ pretium non putavi, multa in medium adducere, quibus hæc vera ac germana Augustini esse, si qui forte sint temerarii censores demonstrarem : tum quod tibi id persuadere difficile non sit, qui adeo ejus attentus lector semper exstitisti, ut ubique Augustinum quantumvis aliis immersum sese angusta quadam pietate prodentem agnoscas, tum quod Possidius, hæc in numero operum ejus recenseat, et (si quid veterum codicum consensio valet) in vetustissimis quibusque libris Augustini nomine legantur. At ne quis objiciat phraseos jugem ac perpetuam rationem habendam esse, sciat is iis id convenire qui libros tantum aut scripserunt aut dictarunt : concionanti autem apud vulgus promiscuum, qui possit, non video : cum sermo vulgi moribus attemperandus atque accommodandus veniat. Nam et D. Augustinus, quo diutius plebeis auribus concionando servivit, hoc magis remisit sermonis elegantiam, hoc etiam rusticiore, ne dicam contemptiore usus est orationis genere. Nam et mystica suum dictionis genus habent, nec iis quæ ad docendum parata sunt, Ciceroniana myrothecia conveniunt, huc accedit quod non semper in cathedralibus ecclesiis, ubi plerosque doctiores fuisse extra controversiam est, verum etiam in reliquis suæ diœcesios civitatibus et oppidulis, concionatus sit. Jam vero canescente potissimum Augustino, Africam ob Gothorum Vandalorumque incursiones assiduas, magna ex parte, infectam barbaris fuisse quis ignorat? Aut quis ex sancto Victore episcopo Vitensi dicere non potuit? qui elegantissimum de hoc nostro antistite elogium describens : Qua, inquit, tempestate Hippone Regium obsessa fuit civitas, qam omni laude dignus beatus Augustinus, librorum multorum confector pontifex gubernabat. Tum illud eloquentiæ quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata,

in amaritudinem absinthii versa est : ut Davidicum præconium conveniret, dum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum et silui a bonis. Usque ad illud tempus ducentos jam triginta et duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii et Evangeliorum atque tractatibus popularibus, quos Græci homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est. Hactenus ille. Hæc et his similia, D. Paulini, Prosperi, Leonis, Fulgentii, Eugippii, Gregorii aliorumque, quantæ apud omnes auctoritatis et æstimationis beatiss. Augustinus fuerit, testimonia allegare possem : nisi te divinas Augustini virtutes assidue meditantem, et tuos ipsius mores ad illarum normam exigentem, diutius interpellare mihi religio esset : quas si usquam, certe in his ad populum sermonibus amplissimas reperire licet. In quibus emaculandis et repurgandis, si non quod volui præstiti, certe quod potui. Nihil enim adeo unius alicujus opera absolutum reddi queat, ut non sit quod in eo desiderare liceat, quod egregie expertus est noster Lipsius, cujus incredibiles sudores, neque unquam æstimandæ vigiliæ, quas in Augustino emendando pertulit, abunde mihi exploratæ sunt; ut perpaucos futuros existimem, quos hac de re plura dicere gestienti, fidem habituros credam, nisi suis ipsi oculis mecum una, quid is præstiterit, periculum fecissent. Id autem jam mihi in mentem venit, quod nonnullos esse sciam, qui ipsius labores tanquam infrugiferos et parum utiles elevare ac passim arrodere cœperunt. Quos hoc unum oratos velim, ut candoris et humanæ imbecillitatis rationem habeant, neque omnia, si alicubi forte vel dormitatum vel cessatum sit, statim damnanda judicent. Dura enim imprimis est castigandorum librorum provincia, parum amœnitatis, plurimum vero molestiarum secum trahens : potissimum ubi sæpe codicum subsidiis destitutus, solam habeas divinationem : qua utcunque e labyrinthis ac tenebris eluctari queas, difficile id fuerit persuadere iis qui in hanc arenam nunquam descenderunt : quorum sane hoc est ad carpendum voluntas proclivior, quo magis id nesciunt quod calumniantur. His adde quod quamvis accuratissimus quisque eo totis nervis incumbat, ut auctor aliquis quam castigatissimus in lucem exeat, adeo id illi incuria operarum et negligentia præstare integrum non sit, ut etiam plures aliquando maculæ, ipsis aut nescientibus aut temere quidvis immutantibus, irrepsisse, quam radicitus exstirpatæ esse comperiantur. Atque hinc fieri arbitror, ut nonnunquam prior editio posteriori etiam laboriosissimæ a morosulis plerisque præferri soleat : quod et Lypsio obtigisse quidam magna voce stomachabundi quiritantur : ac ne mihi eveniat summopere metuendum existimo, dum aliis frequenter distracto adesse prælo non licuit. Nostrum itaque conatum ac qualemcunque laborem boni consule, præsul ornatissime, cui studiorum meorum rationem, quod ad ea amplectenda semper mihi auctor fueris; reddendam putavi : præsertim ne T. C. et ad tantum honoris apicem evectæ, et ex sacrosancto œcumenico concilio reduci, cum tam multi sint qui voce gratulabunda applaudant, unus ego tacere videar, quem singulari semper favore prosecutus videris. Oro autem Deum Opt. Max. ut T. R. C. et nobis et Ecclesiæ suæ quam diutissime servet incolumem, cui me etiam atque etiam commendo. Lovanii e nostro monasterio Martiniano, anno salutis 1564, mense Martio.

JAC. SIRMONDI S. J. PRESBYTERI PRÆFATIO AD S. AURELII AUGUSTINI SERMONES NOVOS NUMERO XL, EX DIVERSIS ANTIQUIS EXEMPLARIBUS COLLECTOS, EJUSDEM SIRMONDI STUDIO ET OPERA, EDITOSQUE PARISIIS APUD SEBAST. CRAMOISY, VIA JAC., SUB CICONIIS, 1631.

Lectori.

Sancti Augustini sermones qui hactenus latuerint, reperiri novos posse non mirabitur, qui ab Augustino ipso, a Possidio, a Victore Vitensi, et aliis, infinitam ejus tractatuum homiliarumque multitudinem prædicari meminerit. In his vero, quos damus in lucem, ut Augustini, quod proximum erat, non falsum fuisse titulum censeremus, confirmavit, partim vetustissimi et probatissimi exemplaris in cortice scripti auctoritas, partim Possidii ejusdem episcopi, et Bedæ presbyteri, plerosque ex iis laudantium præjudicium, cujus in censendis approbandisque Augustini operibus vim esse maximam, non erat ambiguum. Accessit et Roberti de Bardis, cancellarii olim Pariensis, non antiquissimum quidem, sed minime contemnendum suffragium; qui annis ab hinc trecentis *Collectorium sermonum sancti Augustini*, sic enim appellavit, singulari studio et industria condidit, universosque pro diversa ratione argumenti, quinque in partes tanquam in classes distribuit. Cujus operis cum partes duas priores in Bibliotheca Regia, singularum deinde omnium indicem amici opera nactus essem, ex cancellaria Parisiensi, gratulatus sum ab auctore, perpaucis exceptis, qui in ejus fortasse manus non pervenerant, nostros omnes in Augustinianis sine controversia numerari. Tute vero, lector, ut alii judices non sint, Augustini genium et facundiam hic statim agnosces. Cumque suavissimi sanctissimique Ecclesiæ magistri omnia plurimi facere merito soleas, erit tamen, ni fallor, quod in his sermonibus præcipue delectet, cum ad cæteras utilitates animadverteris non pauca continere quæ ad illustrandam illorum temporum memoriam historiamque conducant. Quæ nos itidem causa permovit ut in hunc libellum, quo frui omnibus possis, sermones etiam illos conferremus, qui postrema editione Parisiensi a nobis expressi, sed præter votum nostrum excusi fuerant, una cum fragmentis Nicolai Fabri : quæ et ipsa, hucusque manca et lacera, nunc tandem aliorum ope codicum pristinam ad speciem et nitorem explevimus. Fruere igitur feliciter, et vale.

ANIMADVERSIONES IN SERMONES.

Sermone 1. Class. 1, § 2. *Quid enim dicturi sunt, cum ipsum principium* (Genes. 1, 1.) *Filium Dei esse*

respondero, in quo Deum fecisse cœlum et terram Genesis loquitur? etc. Utitur postea ad hoc probandum Joan. VIII, 25, quod confutavimus in Animadversionibus ad tom. III, de explicationibus Scripturæ, quæ sunt in hisce sermonibus, idem sentiendum ac de Psalmorum interpretationibus. Cæteroqui sunt hic quoque varia dogmatica, moralia et historica; quæ non sine fructu excerpi possunt ab hominibus otio abundantibus, atque in usum suum converti.

Sermone 2. De tentatione Abrahami, § 5. *Ergo impleta Abrahami devotionis obedientia, audit a Deo*: Nunc cognovi quoniam tu times Deum. *Quod ita intelligitur, quod Abraham fecerit Deus ut sibi innotesceret.*] Itaque hoc, ex sententia Augustini, vellet Deus: nunc feci ut ipse cognosceres te timere Deum. Sed contorta plane hæc est interpretatio, et qua admissa, non intelligo quæ alia, quod dura sit et coacta, poterit rejici. Audiamus tamen Augustinum exemplum, ut ipsi quidem videtur, simile ex Scriptura proferentem. *Sicut*, inquit, *quando loquitur propheta, quid dicimus*? dixit Deus, *plane dicimus. Dicimus etiam*, dixit propheta, *et utrumque recte dicimus*, etc. Verum quando dicimus: *dixit Deus*, intelligimus per prophetam, si quid ex prophetarum libris a nobis profertur: ut etiam cum de iisdem verbis dicimus, *dixit propheta*, intelligimus jussu aut nomine Dei, per eum loquentis. Nimirum, unus idemque effectus causæ *principali* et causæ *instrumentali*, ut metaphysici loquuntur, tribui æque vere potest, quamvis non eodem prorsus sensu; eaque est omnium linguarum consuetudo. At hic non possumus dicere perinde esse an dicas, *cognovit Abrahamus se timere Deum*; *aut, cognovit Deus se ab Abrahamo timeri*. Abrahamus enim hic non est instrumentum quo utatur Deus ad aliquid cognoscendum. Igitur multo satius erat agnoscere hic ἀνθρωποπαθείας Dei, aut angeli sese moribus ac locutionibus humanis attemperantis, quam prorsus dissimilia inter se, quasi similia, perperam conferre.

Sermone 5. *De luctatione Jacob.*] In codice S. Vitoris titulus est: *De lucta Jacob*; apud Possidium: *De luctatione Jacob cum angelis*. Secutus sum inscriptionem veteris exemplaris nostri, quam exhibet etiam codex bibliothecæ Regiæ, is qui Collectorium cancellarii Parisiensis, de quo præfatus sum, pro parte continet, præfixumque habet numerum CLXXXII. SIRMONDUS.

§ 5. *Jussit imperator Romanus jam Christianus, ut ad ipsam Jerusalem non accederent Judæi.*] Constantinus Magnus. Is enim ut docet Chrysostomus adversus Judæos homil. 3, Judæos, quod urbem suam contra interdictum instaurare aggressi essent, amputatis auriculis, male mulctatos in diversas regiones sparsit, ut terrori cæteris essent, ne idem in posterum conarentur. SIRMONDUS. — Recte, quidquid censeat Benedictinus, qui notulam hic addidit; nam nullus imperator Christianus ante Constantinum. Quod de Philippis jactatum ab Orosio, et aliis, hoc jam ab omnibus explosum.

Ibid. *Et sparsi per orbem terrarum facti sunt quasi custodes librorum nostrorum.*] Capsarios alibi Judæos vocat et librarios Christianorum. Tractatu in psalm. XL: *Major serviet minori modo impletum est; modo fratres, serviunt Judæi. Tanquam capsarii nostri sunt. Studentibus nobis, codices portant.* Et in psalm L: *Codicem portat Judæus. unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt. Quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* SIRMONDUS.

§ 7. *Tractavi inde aliquando.*] Sermonem innuit ex his nostris 17 (editionis Parisinæ 244), qui est de verbis Evangelii: *Noli me tangere.* IDEM.

Sermone 6, § 2. Ostendit Deum per angelos apparuisse, qua in re multo melius ratiocinatur quam in superiori explicatione. Itaque eum paucis audiamus: *Quomodo ergo Verbum Dei, id est, Filius Dei, ut appareret oculis carnem assumpsit: sic semper Deus, ut appareret oculis hominum in aliqua creatura visibili apparere dignatus est. Nam apertissime habes in Actibus apostolorum* (Cap. VII, 30) *quia angelus apparuit Moysi in rubo. Nunquid ista Scriptura vera, et illa* (Exod. III, 2 et seqq.) *falsa est; aut illa vera et ista falsa est? Sed quid? si Christiani sumus, si bene credimus, ambæ sunt veræ. Si ergo ambæ sunt veræ, quomodo hic Deus apparuit; quomodo ibi angelus dicitur apparuisse, nisi quia ille spiritus qui in Actibus apostolorum dixit apparuisse angelum, exposuit hanc lectionem, quomodo apparuit Deus. Illa declaratio expositio est obscuritatis hujus; ne intelligeres Deum per seipsum apparuisse, illic tibi expositum est quemadmodum apparuerit Deus per creaturam, angelum. Sic quid miraris, quia dicitur, cum apparet angelus*, Dixit Deus, et vocabit Deus *etc.? Quia non attenditur templum angelus, sed inhabitator angeli. Ipse enim angelus templum Dei erat.* Nihil verius. Hanc sententiam aliis in locis copiosius exposuit Augustinus, ut observavit Joannes Clericus ad Genes. XVIII, 1. Vide eumdem ea de re copiose agentem ad Gen. XVI, 13, et in indice ad Pentateuchum ad vocem *Angeli*.

Sermone 19. Ad titulum: *In basilica restituta.*] Quæ basilica major Carthagine, in qua sedes episcopi, ut tradit Victor Vitensis lib. I. Eadem in concilio Carthaginensi II duplici nomine appellatur *basilica Perpetua Restituta*, in cæteris deinceps conciliis quæ ibidem celebrata leguntur, *Restituta* simpliciter, ut hoc in loco. SIRMONDUS.

Ibid. *Die munerum.*] Vetus exemplar in fine sermonis: *Explicit sermo die munerum spectaculorum.* De gladiatorum itaque spectaculo accipiendum, quod proprie *munus* appellabatur, unde *gladiatorium munus* cod. Theod. de Gladiatoribus lege 2, et in calendario Romano Constantinianorum temporum, mense Decembri, quando committi gladiatores solebant, crebra muneris est mentio ex A. D. IV nonas, quo die initium muneris adnotatur usque in A. D. IX calendas Januarias, quo cruenta καὶ σκυθρωπὰ hæc spectacula desinebant, ut Julianus quoque Cæsar docet, extrema oratione sua in Solem. IDEM.

Voce *munus* significatos illo ævo frequenter non tantum gladiatorios ludos, sed et ferarum venationes

lerunt Franciscus Juretus ad Symmachi lib. VII, 4, et Jacobus Gothofredus ad cod. Theodos. , tit. 4, lege 4.

Quoniam iniquitatem meam, etc] Codex colle- varrici versum habet : *averte faciem tuam a pec- ceis.*

De regione felicitatis Christus venit, et hic eam e invenit. Irrisus est, exprobratus est, apprehen- , flagellatus est, vinctus est, palmis cæsus est s contumelia sputorum, spinis coronatus est, li- spensus ; ad extremum Domini exitus mortis.] ostrema verba sunt e psalmo LXXVII, 21 ; sed num sensum plane detorta. Illic enim psalles tus *mortis Dei esse*, hoc est, mortem esse in Do- otestate ; hic vero Augustinus ita hoc sumit, significaret Dominum mortuum fuisse. Attamen loco, quasi per parenthesin, adnotarunt libra- ic *acclamaverunt qui cognoverunt.* Cum sibilo acclamaretur, quid supererat, nisi ut optima ie fastidiose rejicerentur, aut oscitanter audi- ab Afris ? De acclamationibus hisce, vide no- l opus de Doctrina Christiana lib. IV, cap. 24, . III.

Terræ motus magni de Orientalibus nuntiantur, læ magnæ repentinis (adde *casibus* aut, *ruinis*) *æ sunt civitates.*] De his Marcellinus comes, in ico, Monaxio et Plinta coss., ad annum Christi *Multæ Palæstinæ civitates villæque terræ motu col- Multæ tunc utriusque sexus vicinarum gentium s, tam visu quam auditu perterritæ, atque cre- sacro Christi fonte ablutæ sunt ; omniumque ba- rum in tunicis crux Christi Salvatoris, Divinita- is, exemplo impressa refulsit.* Idatius quoque in Chronico : *Durante episcopo quo supra* (id nne), *gravissimo terræ motu sancta in Hierusa- m quassantur* ; et in Fastis Monaxio et Plinta *His consulibus S. Joannes epistolam dirigit per as orbis terrarum, quæ habetur, de signis terro- e divinitus perpetratis.* SIRMONDUS.

. Præter ea quæ habet Marcellinus et Idatius, stantiam singularem addit Augustinus, in se- is verbis. Judæos enim docet fuisse eos in a tunicis cruces, postquam baptizati fuerunt ctæ. *Territi*, inquit, *apud Jerosolymam, qui in- Judæi, pagani, catechumeni, omnes sunt bapti- icuntur fortasse baptizati septem millia hominum. Christi in vestibus Judæorum baptizatorum it. Relatu fratrum fidelium constantissimo istu tur.* Multo credibilius foret, si infidelium re- nfirmatum fuisset ; fideles enim facile crede- acerdotibus, quibus fides detrahi non semper uit et qui jam iis sæculis, Christianæ reli- fraudibus piis, famam recte parari putabant. ero spargi ab episcopo quidpiam cœperat, alii ordinis, imo Christianæ religionis interesse pu- verum id videri. Indidem nata alia circumstan- am habet Marcellinus, loco a Sirmondo allato, cur omissa a doctissimo jesuita sit nescio ; te fabellam exscribere eum piguit. Sic enim habent verba Marcellini, postquam dixit civitates villasque terræ motu collapsas : *Dominus noster Jesus Christus semper ubique præsens et super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestavit. Multæ tunc utriusque sexus*, etc. Talium ineptiarum per sacerdotes didita fama facillime inter imperitos spargebatur, altasque in animis radices agebat.

Ibid. *Sitifensis etiam civitas gravissimo terræ motu concussa est.*] Sitifis, quæ provinciæ in Africa nomen dedit, id est Mauritaniæ Sitifensi. De hoc ejus civitatis terræ motu an meminerint alii non habeo compertum. Episcopum sane Sitifi tum fuisse constat Novatum, qui et hoc ipso anno interfuit subscripsitque concilio Carthaginensi, post consulatum Honorii XII, et paucis ante annis collationi quoque Donatistarum adfuerat. SIRMONDUS.

§ 6. *Pauci quidem convenistis, sed si bene audistis, abundatis.*] Ideo pauci ad ecclesiam, quia plurimi ad spectaculum confluxerant. Chrysostomus de spectaculo circensi, in exordio sermonis *de Consubstantiali* : Πάλιν ἱπποδρομίαι, καὶ πάλιν ὁ σύλλογος ἡμῖν ἐλάττων γέγονεν. *Iterum circensia et iterum ad nos pauciores convenerunt.* Asterius episcopus de festo calendarum : Πολλοὶ προτιμῶντες τὴν ἐκ τῆς ματαιότητος τρυφὴν καὶ ἀσχολίαν, ἀπελείφθησαν τοῦ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν συλλόγου : *Complures, dum vanitatis inhiant voluptatibus, et in illis occupantur, ab ecclesiæ conventu abfuerunt.* SIRMONDUS.

Sermone 20, § 1. *Voce consona, voce concordi, pro ipso corde nostro, Dominum depreecantes diximus.* etc.] In Collectorio Sermonum pag. 3, et in codice S Victoris CC 16, subjicitur sermoni *De humilitate agendæ pœnitentiæ et de psalmo* L, *Miserere mei Deus*, quæ est homilia 28 de quinquaginta. Quare illius in utroque inscriptio est : *De versu ejusdem psalmi, Cor mundum crea in me, Deus.* Cæterum quæ desiderabantur in exemplari scripto in cortice, quod mutilum et acephalum erat, omnia supplevimus ex Victorino. Collectorii enim 3 partis et sequentium solum indicem nacti sumus. SIRMONDUS.

Post sermonem.] Similis huic allocutio plebis post sermonem legitur, in fine 32 de verbis Domini : et post sermonem, *Quod novit caritas vestra suggerimus*, etc. IDEM.

§ 5. *Exhortamur caritatem vestram ut impigre et vigilanter verba Dei, ministrantibus presbyteris vos audire non pigeat.*] Verbum Dei soli olim in ecclesia prædicabant episcopi, quorum id proprie munus erat. Post etiam presbyteris, sed non uno apud omnes tempore, permissum. Primi Orientales cœperunt, quod et Pierii presbyteri apud Alexandrinos, et Chrysostomi adhuc item presbyteri apud Antiochenos, aliorumque apud alios exempla declarant. In Africa inusitatum fuit ante Augustinum, cui primum omnium, apud Hipponem, ea potestas facta est a Valerio episcopo. Possidius in ejus vita cap. 5 : Eidem *presbytero potestatem dedit coram se, in ecclesia, Evangelium prædicandi ac frequentissime tractandi, contra usum quidem et consuetudinem Africanarum Ecclesia-*

rum. Valerii exemplum postea secuti sunt alii, et Aurelius episcopus Carthagine, cui hoc nomine gratulatus est Augustinus epistola 77, quod usurpare cœpisset ut presbyteri, præsente ipso, sermonem populo funderent. Itaque, tanquam usu jam in Africa recepto, presbyteros in hoc genere, cum episcopis conjungit, sermone 49 de verbis Domini : *Nunquid non ascendit aliquando aut presbyter, aut episcopus, et non dicit aliud de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ.* Apud Gallos serius usurpatum videtur ; nam synodus Vasensis II, quæ centum annis posterior fuit Augustino, verbum faciendi presbyteris dat potestatem. Antea ergo non habuisse conjectura est, quam Cyprianus quoque diaconus in Cæsarii Arelatensis episcopi vita confirmat. SIRMONDUS.

Ibid. In Oriente, non presbyteri tantum præsentibus episcopis, sed etiam laici diu ante Pierii tempora, interdum concionabantur. Liquet hoc ex insigni loco Eusebii Hist. Eccles. lib. VI. cap. 19, ubi ita de Origene : Ἐλθὼν ἐπὶ Παλαιστίνης, ἐν Καισαρείᾳ τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἔνθα καὶ διαλέγεσθαι, τάς τε θείας ἑρμηνεύειν γραφὰς ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἐκκλησίας οἱ τῇδε ἐπισκοποι, καί τοι τῇ τοῦ πρεσβυτερίου χειροτονίας οὐδέπω τετυχηκότα, αὐτὸν ἠξίουν. Ὅ καὶ αὐτὸ γένοιτ' ἂν ἔκδηλον, ἀφ' ὧν περὶ τούτου Δημητρίῳ γράφοντες Ἀλέξανδρος ὁ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος καὶ Θεόκτιστος ὁ Καισαρείας, ὡδέ πως ἀπολογοῦνται· Προσέθηκε δὲ τοῖς γράμμασιν ὅτι τοῦτο οὐδέποτε ἠκούσθη, νῦν γεγένηται, τὸ, παρόντων ἐπισκόπων, λαϊκούς ὁμιλεῖν, οὐκ οἶδ' ὅπως προφανῶς οὐκ ἀληθῆ λέγων· ὅπου γοῦν εὑρίσκονται οἱ ἐπιτήδειοι πρὸς ὠφελεῖν τοὺς ἀδελφούς, καὶ παρακαλοῦνται τῷ λαῷ προσομιλεῖν ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐπισκόπων, ὥσπερ ἐν Λαράνδοις Εὔελπις ὑπὸ Νέωνος, καὶ ἐν Ἰκονίῳ Παυλῖνος ὑπὸ Κέλσου καὶ ἐν Συννάδοις Θεόδωρος ὑπὸ Ἀττικοῦ τῶν μακαρίων ἀδελφῶν. Idest, interprete Henrico Valesio *Palæstinam petiit et Cæsareæ domicilium fixit ; ubi etiam ab illius regionis episcopis rogatus est ut publice in ecclesia disseret, et divinas Scripturas: tametsi nondum presbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifestum fuerit vel ex iis quæ Alexander Hierosolymorum et Theoctistus Cæsariensis episcopus ad Demetrium, pro hujus facti defensione, scribunt in hunc modum : Quod vero in litteris tuis adjecisti, nunquam antea visum, nec adhuc factum fuisse, ut, præsentibus episcopis, laici concionarentur, in eo nescio quomodo a veritate longissime aberrasti. Nam sicubi reperiantur qui fratribus prodesse possint, eos sancti episcopi ultro adhortantur ut ad populum conciones habeant. Sic Euelpis Larandis rogatus est a Neone, Paulinus Iconii a Celso, Theodorus apud Synnada ab Attico, fratribus nostris beatissimis.*

Sermone 21, § 1. *Jocundabitur justus in Domino.*] Hujus sermonis reliqua tantum erant fragmenta in codice corticeo. Integrum postea exemplar offendimus in codice S. Victoris CC 16. Fuit et in collectione cancellarii Parisiensis parte 3, ut ex indice didicimus. SIRMONDUS.

§ 6. *Servum tuum manumittendum manu ducis in ecclesiam. Fit silentium, libellus tuus recitatur, aut fit desiderii tui prosecutio.*] Manumissiones ut in ecclesia coram episcopo facere liceret, Constantini Magni beneficio indultum est, ut alias observavimus ad *Ennodium* ; apud quem, inter opuscula, exstat libellus, seu petitorium Agapeti nomine compositum, in quo Gerontium ille servum suum libertate donari postulans ab episcopo desiderii sui causas persequitur, quæ cum Augustini verbis mirifice consentiunt. IDEM. — Exstat columna 1719 tomi I editionis Parisinæ operum omnium Jac. Sirmondi.

Ibid. *Ut manumittas servum tuum frangis tabulas ejus.*] Frangebantur in manumissione servorum tabulæ quibus emptio illorum et servitus continebatur. Augustinus epist. 51 de Donatistis : *Pessimorum servorum, ut liberi abscederent, tabulæ frangebantur.* IDEM.

Ibid. De hac manumissione qui plura voluerit adeat doctissimum jurisconsultum Jacobum Gothofredum ad lib. IV codicis Theodosiani, tit. 7, lege 1.

Sermone 24, § 1. *Gratias Domino Deo nostro*, etc.] Egregii sermonis unicum exemplar vidimus, in codice S. Victoris C C 16. Recensetur tamen a Possidio cap. 9 indiculi, et in Collectorio cancellarii, parte 3. SIRMONDUS.

§ 2. *Lapides mortui utinam in se sentiant misericordiam lapidum vivorum.*] *Lapides* mortuos vocat ethnicos, propter stuporem, et quibus *dii similes sunt.* Interdum ipsi ethnici simili comparatione usi sunt. Juvenalis sat. 8, 52 :

. . . . . At tu
Nil, nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

§ 6. *Quomodo Roma, sic et Carthago, Si in capite gentium res præcessit, membra non sunt secutura ?*] Hinc apparet [Carthagine habitum hunc sermonem, et episcopum paulo ante intelligi Carthaginensem ; et judicem infra proconsulem, cui suggestum a Christianis fuerat ut Herculi illudere liceret. Herculis cultum colerant Carthaginenses a Tyriis, quorum erant coloni ; Tyrus enim Herculi sacra. Neque vero Carthagine duntaxat, sed aliis Africæ locis, constat in cultu Herculem fuisse ; ut apud Suffectanos, in provincia Byzacena, ubi cum Herculis statuam comminuissent Christiani, repentino in eos impetu populi, cæsi sunt sexaginta. Quam furoris immanitatem exagitans Augustinus epistola 267, simul Herculem deum, ut hoc loco, scite deridet : *Si Herculem*, inquit, *vestrum dixeritis, porro reddemus. Adsunt metalla, saxa non desunt*, etc. SIRMONDUS.

Sermone 35. In titulo : *Si sapiens fueris*, etc.] Consentit inscriptio codicis Victorini D D 12 cum ea quæ apud Possidium legitur, et cum indice partis 3, Collectorii. Proverbiorum locus expressus est, juxta editionem LXX interpretum, quæ aliquanto uberior est in his verbis et explicatior quam Vulgata. Apud Chrysostomum autem homilia in psal. c et alibi, quando hæc verba recitat, priore loco pro, *si sapiens* ἐὰν σοφος, sed *si bonus fueris* legitur in hunc modum : Τέκνον, ἐὰν ἀγαθος ἴῃς, σεαυτῷ ὠφελὴς ἔσῃ, καὶ τοῖς

πλησίον σου. *Fili, si bonus fueris, tibi ipsi sapiens eris et proximis tuis;* reliqua vero non discrepant. SIRMONDUS. — Melior est lectio Augustini quam Chrysostomi, ut liquet ex Hebræo textu, si modo hæc posterior lectio dici queat, non minus accurata citatio, quales quæ ex memoria fieri solent.

Sermone 41, in titulo : *Fidem posside cum proximo in paupertate ipsius.*] Huic ut cætera deessent fidem astruit vetustas exemplaris, quod maximam ejus partem continebat: Reliqua suffecta sunt ex eodem codice S. Victoris DD 12, non priscæ quidem illo ætatis, sed qui omnium generum sermones S. Augustini plurimos collegerat. Fuit etiam in parte 3 Collectorii, ut index declarat. SIRMONDUS.

§ 3. *Prior quidem pars sententiæ hujus secundum istum intellectum popularem, placet mihi; posterior tamen, fateor, offendit me* (ut et bonis ejus perfruaris Ecclesiastici XXIII, 18). *Si enim propterea manes cum amico in paupertate ejus, ut quando dives fuerit perfruaris divitiis ejus ; adhuc non amicum, sed aliquid aliud amas in amico.*] Sed sapiens Hebræus non ita loquitur, quasi velit ea sola de causa in paupertate amico servandam fidem, ut, si forte divitias recuperet, utilitatem ex eo capiamus ; verum si velimus amico secundis utenti frui, oportere nos ei fidem in adversis servare.

Sermone 45. *De eo quod est in Isaia cap.* LVII, etc.] Apud Possidium, cap. 8, non auctoris culpa, sed librarii, titulus hic temere in duos divisus est quasi unus sermo de verbis Isaiæ, alter de verbis Apostoli. SIRMONDUS.

§ 7. *Si dixisset, crevit ille mons et implevit Africam, numquid dicerent illi, nisi quia pars Donati est.*] Tractatu in psalm. XLIX : *Locutus est et vocavit terram. Quam terram? An forte Africam, propter eos qui dicunt, Ecclesia Christi pars Donati est.* Donatistæ, nimirum Ecclesiam in omnibus mundi partibus communione traditorum exstinctam, apud se in Africa sola remansisse delirabant. Augustinus idem epistola 165 ad Generosam : *Vos dicitis propter traditores, quos non ostenditis, remansisse Ecclesiam Christi in sola Africa partis Donati. Quod non de lege, non de prophetis, non de Psalmo, non de Apostolo, non de Evangelio ; sed de corde vestro et de parentum vestrorum calumniis recitatis.* Eodem rursus alludens in psalm. XXI : *In omni loco Paulus dicit bonum odorem esse omnes fideles ; et contradicitur et dicitur : Africa sola bene olet, totus mundus putet.* SIRMONDUS,

Ibid. Sic Augustinus eos alloquitur § 8, qui vellent quidem peccare si tuto fieri posset, sed propter pœnam et infamiam non audent : *Libido ardet, timor revocat. Quid times? inveniri et damnari, inveniri et expompari.*] Hoc est, infamari, conviciis exagitari, ut verbum Græcum πομπεύεσθαι, de quo vide Henricum Stephanum in Thesauro linguæ Græcæ. Adde et Harpocrationem in vocibus πομπείας καὶ πομπεύειν.

Sermone 81. *De verbis Evangelii Matth.* XVIII.] Habitus anno Christi 610, post urbem captam a Gothis, cum allato in Africam ejus cladis nuntio, Roma funditus eversa periisse diceretur. Titulum ex vetustissimo codice ascripsimus, qui apud Bedam in vulgatis exemplaribus desideratur, quo loco sermonis hujus, non expresso ejus nomine, verba proferuntur. SIRMONDUS.

§ 9. *Roma ruit quam condidit Romulus.*] Sermone 29 de Verbis Domini : *Transient quæ fecit ipse Deus, quanto citius quod condidit Romulus?* Ubi de Roma capta, totoque hoc argumento non dissimilia tractat ; atque iterum et in sermone 106 de Diversis, et in lib. III de Civitate Dei capp. 17 et 18. SIRMONDUS.

Sermone 90. *De nuptiis filii Regis.*] Ex eodem volumine Corbeiensi ex quo Valeriani olim homilias descripsimus. Sed mutilus erat, fine avulso. Quod ergo deerat supplementum, ad nos postea missum est ex alio codice ejusdem monastèrii. IDEM.

Carthagine in Restituta.] De basilica Restituta dictum est ad sermonem 19. In eadem habitum etiam fuisse sermonem 102 de Diversis, indicat inscriptio. Tertius præterea de Diversis, qui est de verbis psalmi : *Confitemini Domino quoniam bonus,* et tractatus in psalmum LV. Ille in codice S. Germani, hic in nostro, Carthagine habiti dicuntur, in basilica Restituta. Neque in hac solum, quæ primaria erat, sed in aliis etiam Carthaginensibus basilicis habiti ab eo sermones memorantur, ut in basilica Fausti 12 et 122 de Diversis, in basilica Leontiana 11 de Diversis, in basilica Celerinæ 195 de Tempore, in basilica Novarum 110 de Tempore, in basilica Petri regionis tertiæ 251 de Tempore; in basilica Pauli regionis sextæ 24 de Tempore. IDEM.

Sermone 113, § 2. *Primum quid est mammona? Verbum est enim quod Latinum non est. Hebræum verbum est cognatum linguæ Punicæ. Istæ enim linguæ sibi significationis quadam vicinitate sociantur. Quod Punici dicunt* mammon *Latine* lucrum *vocatur. Quod Hebræi dicunt* mammona *Latine* divitiæ *vocantur.* Vide not. in lib. VII Quæstionum in Heptateuchum, quæst. 16, ubi similia habet Augustinus de lingua Punica ; quæ quo frequentius legimus, eo magis movent iram nostram in Pœnorum socordiam, qui eam linguam sine usu interire passi sunt, dum tot frigidas et nullius pretii homilias Latinas exscriberent.

Sermone 118. *De eisdem verbis evangelistæ Joan.* I, etc.] Hujus etiam unicum vidimus exemplar in codice S. Victoris DD 12. Sed designari videtur a Possidio indiculi cap. 5, cum inter ea quæ Augustinus scripsit adversus Arianos tractatum numerat *In Principio erat Verbum.* Est præterea de Diversis sermo 14 de iisdem verbis Genesis et Joannis, adversus Manichæos, cujus item meminit Possidius cap. 2. SIRMONDUS.

§ 1. *Si non potes intelligere, crede ut intelligas. Præcedit fides, sequitur intellectus, quoniam propheta dicit* : Nisi credideritis, non intelligetis.] Hoc eodem loco sermonem claudit, de quo vide notata ad opus de Libero Arbitrio lib. I, cap. 2.

Sermone 125. *De quinque porticibus.*] Hunc nobis suppeditavit codex S. Vincentii Metensis. Quod vero

in sermonis exordio ait Augustinus, de eodem capitulo Evangelii se jam locutum, sermonem, opinor, innuit 42 de Verbis Domini, qui inscribitur, *De infirmo jacente ad piscinam.* Sed nostri diserte meminit Possidius. SIRMONDUS.

§ 7. *In quadragenario numero completio justitiæ figuratur.*] Pluribus rem enarrat § 9. Dixit hac de re et libro II de Doctrina Christiana, § 25, ubi tamen non tam justitiæ completionem, quam vitam hanc ærumnosam interpretatur. Vide quæ ibi diximus.

Sermone 140. *Contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa blasphemabat.*] Segisvultum comitem Prosper in Chronico narrat in Africam missum fuisse contra Bonifacium, Hierio et Ardabure consulibus, hoc est anno Christi 427. Cum eo venisse Maximum episcopum Maximinus ipse profitetur, initio collationis quam Hippone habuit cum S. Augustino. *Ego,* inquit, *in hanc civitatem missus a comite Segisvulto* (sic enim legendum est), *contemplatione pacis adveni.* Præter collationem autem et libros duos post collationem contra Maximinum scriptos, qui collationi vulgo adhærent, cum sejungi ab iis debeant, scripserat etiam Augustinus epistolam dogmaticam ad Maximinum, cujus sola mentio superest apud Possidium, nunc enim non exstat. SIRMONDUS.

Sermone 167, § 4. *Proverbium notum est Punicum, quod quidem Latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis. Punicum enim proverbium est antiquum*: NUMMUM QUÆRIT PESTILENTIA, DUOS ILLI DA, ET DUCAT SE.] Sapiens sane proverbium, et quod possit in nobis Punicorum librorum vehemens desiderium excitare; quos utinam hisce tractatibus possemus redimere! Hebraice dixeris : שְׁאֹל דבר כסף אחד תן לו שנים ויהלך.

Sermone 118. *De Versu psalmi* CV.] Hanc tituli partem ipsi adjecimus, cum in antiquo exemplari nuda et sine auctoris nomine esset inscriptio : *Die calendarum Januarii* Congruit autem pars utraque; nam et totus est auctor in arguendis ejus diei paganis ritibus, et Davidis verba in eam rem eleganter accommodat. De iisdem calendis Januarii, quæ varia gentium superstitione polluebantur, exstat Asterii Amaseæ episcopi, quem supra laudavi, λόγος κατηγορικος τῆς ἑορτῆς τῶν καλανδῶν. Petri etiam Chrysologi sermo 155, et Maximi Taurinatis 10. Sed et Augustinus noster de Diversis sermone 59 : *Calendæ,* inquit, *Januarii venturæ sunt. Christiani estis omnes; Deo propitio, Christiana est civitas. Non fiant illa quæ odit Deus. Per lusum iniquitas, per jocum improbitas. Non sibi faciant homines judices, ne veniant in manus veri Judicis.* Judices, videlicet, magistratusque, inter alia ejus diei ludicra, effingebant. Quin et deos etiam suos, ut Chrysologus docet, repræsentabant et ludibriis infamabant. SIRMONDUS.

§ 3. *Dæmonia delectantur canticis vanitatis, delectantur nugatorio spectaculo, et turpitudinibus variis theatrorum,* etc.] Copiosissime hac de re egit Augustinus de Civitate Dei lib. II, cap. 8 et seqq.

Sermone 244. *In diebus paschalibus* 15.] Habetur in codice Regio parte 2 Collectorii et in Victorino DD 12.

§ 4. *Procedat Arianus; prius procedat Photinianus. Respondemus Photiniano,* etc.] Apud Bedam, cum hæc verba citat, in Epistolam ad Philippenses cap. II, aliu quædam intexta leguntur, hoc modo : « *Procedat Arianus, prius procedat Photinianus.* Hæretici qui Dominum, nisi hominem, omnino non noverunt, Homuncionistæ dicuntur isti hæretici; homuncionistæ, quia non noverunt Christum, nisi hominem. *Respondebimus Photiniano,* etc. » Quæ verba, cum absint a manuscriptis, omittenda visa sunt. SIRMONDUS.

§ 2. De verbis Christi Joan. XX, 17 : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum,* postquam quæstiones proposuit quas ferme sibi insolubiles fatetur, ita pergit : *Adjuvet me Dominus ut solvatur; qui dignatus est eam proponere, dignetur exponere. Orate mecum effectum; ad me aures; ad illam cor. Quod mihi suggerere dignatur communicabo vobis,* etc.] Si nihil parati domo attulerat hanc in rem Augustinus, temere sane Deum oravit in ipso suggestu ut sibi ex tempore verborum Christi sententiam suggereret. Iis pulsantibus non aperit Deus, qui, exceptis iis qui prophetico spiritu ab eo donantur, cæteros nihil docet; nisi laborem et intentionem animi, quales par est adhiberi, in re gravi ac seria, cum precibus conjunxerint. Si vero jam meditatus erat quod postea dicit, histrioniam, si ita loqui fas est, apud plebem Hipponensem fecit, cum ita loquatur quasi subita suggestione Dei accepisset difficilis loci interpretationem. Sed utrum malis, perinde est; nam a Deo non est profecto exauditus Augustinus, qui *tangere* hic interpretatur credere, et ita sensum loci evolvit § 3 : *Quid ergo sibi vult* : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum? *Quod me vides hoc me putas :* nondum ascendi ad Patrem; *hominem me vides, hominem putas; sum quidem homo, sed non hic stat fides tua. Noli me sic tangere ut hominem tantummodo credas.* Nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Ascendo ad Patrem meum et tange me;* id est, *profice, intellige me æqualem Patri, et tunc tange et salvus eris.* Interpretationem homine paulo peritiore prorsus indignam a Deo suggestam non fuisse facile omnes intelligunt; et antequam eam proferret, fassus est Augustinus hisce verbis quæ § 2 proxime sequuntur, ea quæ initio attulimus : *Qui melius intelligit, docet me; sic doctor sum, ut indocilis non sim.* Hæc, inquies, hominis sunt modesti. Fateor. Sed modesti non est dicere a Deo tibi ea esse suggesta, quibus meliora discere paratus sis. Jam alibi ἐνθουσιασμὸν, nec secum satis consentientem, redolentia notavimus.

Sermone 256. *Conversi ad Dominum.*] Solemnis precatio qua sermones suos claudere solebat Augustinus. Ejus in veteri codice prima tantum verba de more legebantur. Cætera descripta sunt ex sermone 30 de Verbis Domini. Sed incertum istamne, in hoc sermone nostro usurparit, an alteram breviorem,

st in sermone 121 de Diversis, in hunc mo- *Conversi ad Dominum ipsum deprecemur pro pro omni plebe sua, astante nobiscum in atrio ne; quam custodire protegereque dignetur, per filium ejus, Dominum nostrum, qui cum eo vivat in sæcula sæculorum. Amen.* SIRMONDUS.

one 159, § 2. *Regnabit enim Dominus in terra etis suis, sicut dicunt Scripturæ, et habebit hic m, quo nullus malus intrabit, separatam atque m ab omni contagione nequitiæ; quam significatum quinquaginta tres illi pisces de quibus jam, memini, aliquando tractavimus.*] Sermone 4 Diversis, et sermone, 22 (in hac editione 270) is. Sed aliis præterea locis Augustinus, cum itibus, tum in aliis libris suis, in hoc sæpe mento, ut ostenderet numero piscium 153 resurrectionem capti sunt ad mare Tiberiaerum sanctorum in æterna vita significari. et Græci Patres interdum, ut Gregorius enitanus episcopus, qui, sermone 10 eorum θίνα inscripsit, Rebeccam propterea docet typum repræsentasse, quod litteræ nominis s, si ad calculos revocentur, numerum redcibus 153 parem. Ἡ γοῦν Ῥεβέκκα τὴν Ἐκκλησιαν συναφθεῖσαν Χριστῷ διὰ βαπτισματος. Τῶν γὰρ τῆς Ῥεβέκκας ὀνόματος εἰς ψήφους μεταλαμν, τρεῖς καὶ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μονάδες ονται, ὅσους καὶ τοὺς ἀγρευθέντας ἰχθῦς εὑρισ- *Rebecca igitur imago erat Ecclesiæ conjunctæ per baptisma; litteris enim nominis Rebeccæ in mutatis, centum quinquaginta tres unitates tur, quot captos pisces comperimus.* Etenim P, ima est nominis littera, centum valet; E quinluo, K vigenti, K rursus vigenti, A unum; quæ mum redacta centum et quinquaginta tres nt. IDEM.

Ludi quidem hi erant, et quidem ingenio abu-, cum pro somniantium arbitratu conficti d parciores in ejusmodi ludis fuisse oportee talia commenta, quasi eximias quasdam æ interpretationes proferre.

icti sunt dies feriati, succedent jam illi con-m, exactionum, litigiorum.] Quindecim, ut et; hoc est septeni ante Pascha, totidem post quibus diebus, lites omnes et contentiones nt ex lege Theodosii lib. II cod. Theodos. de *Sacros quoque Paschæ dies, qui septeno vel ni numero, vel sequuntur, in eadem feriarum ione numeramus.* SIRMONDUS.

one 268. *In die Pentecostes.*] Vidimus, non so-Regio et in Victorino DD 12, sed in aliis anuscriptis. Quod vero inter sermones de ste primo hunc loco statuimus, Bedam secuti qui appellat sermonem 1, de Pentecoste. IDEM.

one 270. *De die Pentecostes.*] Citatur hic etiam ut admonui, II ad Corinthios, III. At in vulgatis ribus Bedæ, *ex sermone de Pascha* scriptum *ex sermone de Pentecoste.* Exstat autem cum codice, tum in Victorino DD 12. IDEM.

§ 3. *Quadraginta dies quater habent decem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, sacramentum. Homines enim hominibus loquimur et recte Scripturarum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores.*] Ille demum jure est *Scripturarum tractator*, qui agit de re quæ sine dubio habetur in Scriptura; non qui levissimas et futilissimas quasque conjecturas pro divinis mysteriis venditat, qualia sunt hæc arcana arithmetica, quæ qui affirmat ille suas profecto opiniones affirmat. Sensit hoc ipse Augustinus, ut liquet ex hisce Platonicis verbis, *homines enim hominibus loquimur*, hoc est, nos qui verisimilibus ducimur dicimus apud eos quibus verisimilitudo satisfacit, quando ipsa veritas inveniri non potest. Sic enim Timæus apud Platonem : Ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας, ἀγαπᾷν χρὴ, μεμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρώπινον ἔχομεν· ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει μηδέν ἔτι πέπα ζητεῖν : *Si certe non minus verisimiles quam quisquam alius* (rationes) *præbeamus, contentum te esse oportet, memorem et me qui dico, et vos qui estis judices, humanam habere naturam. Itaque si de hisce verisimilem famulam acceperitis, decet vos nihil amplius quærere.*

§ 7. *Iste numerus* (153) *tanquam arbor a quodam semine videtur succrescere, semen autem hujus magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem et septem.*] Fundamentum appellat sermone 4 de Diversis, ubi planius explicat quo pacto ex 17 exsurgant 153. *Jam ergo*, inquit, *de numero 153 piscium, quid opus est eadem retexere? Nostis illa. A decem et septem nascitur numerus crescens. Incipe ab uno, perveni ad decem et septem, ut omnes addas : id est unum addas duos, et fiant tres; addas tres, et fiunt sex; addas quatuor, et fiant decem. Sic omnes adde usque ad decem et septem, et pervenies ad centum quinquaginta tres.* Quæ ipsa uberius itidem et explicatius persequitur tractatu in psalm. 49. SIRMONDUS.

Sermone 279. *De S. Paulo apostolo.*] In codice Regio et Victorino, titulus est : *In conversione S. Pauli.* Sed Bedam sequi placuit, qui perpetuo citat, *Ex sermone de Paulo apostolo.* Quanquam et alterum quoque laudat de conversione Apostoli, qui est 34 de Diversis. Cæterum ex hoc uno nostro, membratim dissecto, conflati sunt duo in vulgatis, sermo 14 de Sanctis et 36 de Diversis. IDEM.

§ 4. *Quidquid est quod sævit, pro nomine Christi; si potest vivi, tolerabile est; si non potest vivi, migrare hinc facit.*] Hoc est, quamvis sævus tibi videatur dolor quem pateris pro nomine Christi, constanter patere; nam si vitam tibi non eripiat, poterit ferri : si eripiat, tibi felicitatis initium erit. Igitur nihil hic mutandum. Hanc autem sententiam debet Augustinus Epicuro, cujus apud suum Ciceronem legerat hanc κυρίαν δόξαν *magnun dolorem brevem, longinquum levem esse*, quam pulcherrime illustratam invenies in notis Petri Gassendi, ad X Diogenis Laertii librum.

Sermone 288. *In natali S. Joannis Baptistæ.*] Ex codice Regio et altero S. Victoris DD 12 suffecta sunt

quæ in vetustissimi libri fragmentis desiderabantur. In utroque autem codice, post hunc sermonem sequebatur alter de eodem natali S. Joannis, quem citat itidem Beda ad Philippenses II. Est autem sermo 23 de Sanctis. SIRMONDUS.

Sermone 294. *In natali martyris Guddentis.*] Quamvis Benedictini existiment restituendum hic Gaudentii, Theodoricus tamen Ruinartus ejusdem societatis monachus, vir eruditus, in Actis sinceris et selectis martyrum, admonit. in Vitam et Acta S. Cypriani, putat legendum *Gudennis, Gudenis,* aut *Gundennis,* quæ virgo passa est Carthagine, sub Severo imperatore, consulibus Geta et Plantiano, et cujus festum vulgata martyrologia die 18. Julii commemorant.

§ 3. Recitato loco Matthæi XXV, 33. *Hac,* inquit, *regnum nominat, hac cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio; non te offendat qui dextram quærit. Et te ipsum admoneo, recede de medio; sed noli in sinistrum,* etc.] Hæc quomodo consentiant cum iis quæ de limbo a scholasticis postea scripta sunt non intelligo. Sed nec capio qua ratione redigi in concordiam queant cum iis quæ alibi docet de purgatoriis pœnis, ut Civit. Dei lib. XXI, cap. 13.

§ 6. *Vos* (Pelagiani) *dicitis : Vitam quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed non habebit regnum cœlorum. Ille contra : Imo et vitam et regnum cœlorum. Quare enim patrimonium regni cœlorum abripis innocenti?* etc.] Recte argumentatur Augustinus, nec erat ulla ratio distinguendi regni cœlestis a vita æterna. Sed eo devenire coacti sunt Pelagiani loco Joan. III, 5, quem de pædebaptismo intelligebant, ut alii : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei;* cum satis liqueat in eo loco de adultis tantum Christum agere, ut et in cæteris omnibus in quibus cœlum pollicetur iis conditionibus quæ non nisi ab adultis impleri possunt.

§ 12. *Quid ei dicis ut credat? Hoc enim respondetur a portante parvulum. Ad verba aliena salvatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Fit interrogatio, respondetur credit.*] Imo vero *credo,* in prima persona, quia formula baptismi adultorum ad infantes sine mutatione fuerat translata. Vide dicta ad tom. II, epist. 98, § 9.

§ 17. *Dic mihi, obsecro te, parvulis baptizatis Christus aliquid, an nihil prodest? Necesse est ut dicat prodesse, premitur mole matris Ecclesiæ. Forte quidem vellent hoc dicere, nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere, sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantium lacrymis, tanquam fluvio pertrahantur.*] Rhetoricum hoc posterius est argumentum, prius a terrore petitum, non a veritate. Ubi enim promisit Deus fore ut nulla in re maxima Christianorum pars erraret? Nusquam. Ubi revelavit necessario baptizandos infantes, aut morientibus in infantili ætate prodesse baptismum? Nusquam etiam. Itaque Augustinus frustra auctoritatem Ecclesiæ oggerit miseris Pelagianis; nec ea magni facta fuisset, nisi rationibus destitutæ edicta imperatorum suppetias tulissent; quod odiosius factum in causa Pelagianorum quam in Donatistarum.

§ 19. *Si etiam gravissimis delictoribus et in Dominum multum ante peccantibus, cum postea crediderint remissa peccatorum datur et a baptismo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ, prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi dimittuntur non propria, sed aliena peccata.*] Sunt verba Cypriani, quæ proferuntur ab Augustino, ex epist. 64 ad Fadum, ut probet ejus auctoritate peccatum originale. At quidni licuit Pelagianis rejicere ejus auctoritatem, in hoc negotio, ut Augustino licuit quod attinet ad baptismum hæreticorum? Profecto multo clarius, plenius ac constantius baptizandos esse ab hæreticis ad Ecclesiam catholicam venientes affirmavit, quam quod vult hic Hipponensis episcopus. Deinde non dicit in infantes transire ullam labem internam, qua eorum facultates sint vitiatæ; sed tantum trahere eos *contagionem mortis* ab Adamo, quia ex patre mortali non nisi mortales nascuntur; quod multum abest a sententia Augustini. Denique rhetorice potius fortasse dixit remitti aliena peccata, quam didactice; ac sane nec imputari, nec remitti aliena peccata, si proprie loquamur, a justo judice possunt. Satis est multa oratorum ecclesiasticorum dicta esse vel diluto sensu vera, cum satis constet eos minime accurate loqui solitos.

§ 20. *Impetremus ergo, si possumus, a fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos, quod eos talia disputantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus.*] Hæc scribebat Augustinus anno 413, initio ferme controversiarum, cum nondum scriptionibus contrariis et odiis incensi essent animi. Postea pleno ore hæreticos vocavit, et conviciis omnibus proscidit, ut solet fieri.

Sustineat, inquit, *eos mater piis visceribus sanandos portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium est quo progrediuntur, multum est, vix ferendum est, magnæ patientiæ adhuc ferri,* etc.] Mellita hæc sunt, sed dehonestata fuerunt sequentium temporum incredibili acerbitate; ut propemodum suspicari quis possit mansuetudinem hanc data opera simulatam, ut major invidia miseris hominibus conflaretur, nisi cederent, utque homines imperiti magis in illos postea exardescerent. Has artes a sacrorum præsidibus sæpe adhibitas nemo nescit, ejusque rei insigne exemplum videmus in damnatione Donatistarum. Profecto cum ejusmodi initiis minime consentiunt viginti minimum synodorum intra paucos annos festinatæ Pelagianorum dogmatum damnationes, ut episcopis sæpius ad damnandos Pelagianos adductis, nulla iniri posset amplius ratio audiendarum partium tam sæpe damnatarum; cum enim synodi quempiam damnarunt, honoris esse

sui putant hominem videri jure damnatum, nec patiuntur decreta sua iterum expendi. Sed legantur edicta Honorii et Constantii, contra Pelagianos, quæ sunt ad calcem tomi X, et sæpe alibi edita, et liquebit multo vehementius illis quam rationibus esse pugnatum.

Sermone 305, in titulo : *Habitus ad mensam S. Cypriani.*] Ad altare S. Cypriani. Mensam enim altare dicebant, ut Græci ἱερὰν τράπεζαν. De hac autem apud Carthaginem mensa S. Cypriani agens sermone 113 de Diversis : *Sicut nostis*, inquit, *quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco in quo propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani, mensa Deo constructa est. Tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur.* Ad eamdem porro mensam S. Cypriani Carthagine habiti etiam sermones 94 et 137 de Tempore, et tractatus in psalmum XXXVIII. SIRMONDUS.

Sermone 318, in titulo : *De martyre Stephano.*] Ejusdem argumenti est apud nos sermo nondum editus Fausti episcopi, fortasse Reiensis, cujus exordium sic se habet : *Præsente lectione percepimus visionem omnibus Ecclesiis celebratam. Audivimus non somnia sensuum errore delusa, sed oracula rerum effectibus approbata. Merito revelationi credimus in sermone, qui fructum tenemus in munere. Ubi sunt qui dicunt pios martyribus honores non esse deferendos? Ecce iste, qui jam dudum beato paradisi splendore perfruitur, nunc mundo ad hoc ostenditur ut colatur. Unde dispensator utilitatum nostrarum Deus evidenter eum præcepit honorari, quem præstitit inveniri. Ait ergo sermo revelationis*, etc. De revelato in Palæstina sub finem anni 415 corpore S. Stephani, ejusque reliquiis inde allatis in Africam, et de memoriis in earum gratiam Uzali ab Evodio episcopo, Calamæ a Possidio, Hippone ab Augustino excitatis, Augustinus ipse omnium instar narrat lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8. IDEM.

Ibid. Inventionem reliquiarum S. Stephani vide in narratione Luciani presbyteri Caphargamalensis, apud Photium cod. CLXXI. Miror hisce sæculis quibus, ut ait ille,

Vel pueri nasum rhinocerotis habent.

ejusmodi figmentis fidem haberi, quæ omnia indicia piarum scilicet fraudum præ se ferunt. Plerisque ecclesiarum rectoribus, ut ex rebus ipsis liquet, tum persuasum fuit quæcunque per se mala non erant, poterantque aut ethnicos ad fidem Christianam adducere, aut hæreticos sanare, aut certe plebem catholicam in fide confirmare, ea omnia esse licita; neque nimis rigide inquirendum verane essent, necne. Adde quod quicunque poterant semel vulgo persuadere miracula frequentiora apud se, per reliquias sanctorum fieri ii ingentem plebis multitudinem ad ecclesiam suam alliciebant, ejusque donis ditabantur. Hinc factum ut tot fictæ eo tempore fuerint reliquiæ, totque narrata miracula, quot antea nunquam audita fuerant. Sed quid, inquies, an nemo tunc fuit cui veritas antiquior esset quam utilitates sacerdotum, et qui fraudes illas candide retegeret? Non dubito quin a multis eo tempore fuerint agnitæ et irrisæ; sed tanta erat potentia eorum qui illis artibus utebantur, tanta apud plebeculam gratia, tantus denique furor superstitiosæ plebis semel deceptæ, ut tutum non esset contra eas artes palam quidquam tentare aut scribere. Quod satis liquet exemplis Vigilantii et Joviniani ab Hieronymo et aliis tam male habitorum, quod negatis hujusmodi historiolis sacri ordinis utilitatibus adversari viderentur.

§ 1. *Ante aliquot annos, nobis videntibus apud Mediolanum constitutis, apparuerunt corpora sanctorum martyrum Gervasii et Protasii.*] In Victorino. *nobis juvenibus.* De inventis Mediolani a S. Ambrosio reliquiis SS. Gervasii et Protasii, cum in ea urbe versaretur S. Augustinus, anno Christi 387, ipse itidem scribit lib. IX Confessionum cap. 7, et loco citato de Civitate Dei : *Tantæ*, inquit, *gloriæ martyrum etiam ego testis fui, ubi Mediolani cram facta miracula novi*, etc. SIRMONDUS.

Ibid. Attamen vox *constitutis*, quæ sequitur, ostendit legi non posse *videntibus*, quod addiderunt homines male sani, ut majorem Ambrosianæ scenæ fidem facerent. Igitur rectius plures mss., ut Benedictini testantur, habent *juvenibus.*

Sermone 322, legi potest et sane debet fabula ex qua de tota illius ævi histrionia certum judicium ferri queat. Primo die Paschæ producitur Paulus nescio quis e Cappadocia, hominum nequam feracissima, si veteri famæ et Isidoro Pelusiotæ credimus, curatus a S. Stephano; sed *libellus ejus*, hoc est, historia morbi et curationis differtur, ut magis plebs cognoscendi cupidine inflammetur. Is est primus actus, qui est sermone 320. *Qui nostis*, inquit Augustinus, *quid in illo videre soleatis* (lege *solebatis*, sermo enim est de re præterita), *in præsenti gaudentes legite quod videtis.* Actus secundus habetur sermone 321, ubi promittitur plebi libellus ille mirificus Pauli, quia nonnulla Augustino indicarat quæ nosse debebat plebs *ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam.* Tertius est sermone 322, in quo Augustinus præfatur, deinde historiam Pauli, die Paschæ curati, jubet recitari. Quartus actus continetur sermone 323, ubi Augustino ad populum dicente, subito curatur Pauli soror, sequiturque acclamatio plebis. Quintum denique actum complectitur sermo 324, ubi pius antistes sapienter omnia in rem suam convertit, populumque prudenter monet cum Deus alibi potuisset hæc miracula tam insignia facere, ubi etiam erant reliquiæ S. Stephani, tamen Paulum et sororem ad se fuisse directos : quo, nisi fallor, spectabat tota fabula. Quia vero fortasse hoc volumen incidet in eorum manus qui non habebunt omnia Opera Augustini, aut etiam sunt quos pigeret volumen ejus V in manus sumere, dum hæc evolvunt, totam comœdiam hic subjicere visum est. Sed non possum dolorem dissimulare qui animum meum subit cum reputo dum imprudentes homines

majorem auctoritatem conciliare conantur religioni Christianæ ejusmodi dolis, eos quidem lucrum fecisse sibi fortasse non spernandum, sed valde nocuisse religioni apud homines suspicaces et iniquos; qui ob ficta utilitatis causa recentiorum miracula, apostolicis fidem immerito detrahunt, quamvis hæc tot habeant veri indicia quot sunt in recentioribus non credendi rationes. At faxit Deus ut aliquando ad defendendam veritatem sola veritas adhibeatur, luceque sua sola omnium animos ad sanctissimam Evangelii doctrinam credendam ac moribus exprimendam adducat.

Sermo 320. *Ubi Augustinus se excusat quod sermonem facere non potuit, habitus ipso die Paschæ.*] De miraculis Dei per orationes beatissimi martyris Stephani, libellos solemus audire : libellus hujus aspectus est, pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre solebatis, in præsenti gaudentes legite quod videtis : ut Dominus Deus noster abundantius honoretur, et quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. Date veniam, quia diuturnum non reddo sermonem ; nostis etenim fatigationem meam. Ut heri jejunus tanta agere possem, et non deficere, ut et hodie vobiscum loquar, orationes sancti Stephani præstiterunt. Conversi ad Dominum, etc.

Sermo 321. *Ubi alio die sermonem fecit, et libellum sanati hominis promisit feria secunda Paschæ.*] Diximus quidem, hesterno die, sicut meminit caritas vestra, hujus libellus aspectus est. Tamen quia nonnulla nobis indicavit quæ nosse debetis, ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam, de suorum sanctorum memoriis, de quibus dictum est, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, etiam libellum dare decet, qui habet omnia quæ ex ejus ore cognovimus. Sed si Dominus voluerit, hodie parabitur, et vobis die crastino recitabitur.

Sermo 322. *Ubi libellum promissum sanati hominis præsentavit, feria tertia Paschæ.*] Hesterno die libellum promisimus caritati vestræ, ubi de illo sanato audire etiam possitis quæ videre non potuistis. Si ergo placet caritati vestræ, imo quia placere debet quod et mihi placet, ambo fratres stent in conspectu vestro : ut qui illum non videant, in isto videant quid ille patiebatur. Stent ergo ambo, unus cui donata est gratia, et alter cui petenda est misericordia.

Exemplar libelli dati a PAULO, sancto Augustino episcopo.

Rogo, domine beatissime papa Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi jubeas recitari.

« *Cum adhuc in patria Cæsarea Cappadociæ moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit in tantum injuriis, ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro, pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem feminei doloris stimulis agitata injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cumque ad sacri baptismatis fontem, post gallorum cantus, memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in patrui nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, et ab ea prior quo pergeret requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo, ob intolerabilem contumeliam, se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus, nudatisque uberibus hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur : eumdemque continuo fratrem nostrum ætate culpaque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum vestra sanctitas vidit. Servato autem ordine quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam et opprobrium hominum diutius ferre non potuit ; sed laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes, passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum sequitur ad gloriosi martyris Laurentii memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hac sorore mea, quæ me ætate subsequitur, ubicunque gentium, ubicumque terrarum loca esse sacra in quibus operaretur Deus miracula, comperissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de cæteris celeberrimis sanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per gloriosissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina prædestinatione servabar. Nec Usalim civitatem Africæ prætermisi, ubi beatus martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menses, id est, calendarum Januariarum die, tam ego quam soror mea, quæ hic mecum est, eadem adhuc passione detenta, evidenti sumus visione commoniti. Ait enim mihi quidam aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas adfutura. Sorori autem meæ in visione sanctitas tua in ea effigie in qua te præsentes videmus apparuit : per quod nobis significatum est ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego beatitudinem tuam sæpius postea videbam per alias civitates ; in itinere quo veniebamus, talem prorsus qualem modo conspicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. Passionis meæ vel oculi vestri testes sunt, vel miserabilis soror mea, quæ ad eruditionem omnium communis mali præbet exemplum ; ut qui in illa qualis ego fuerim vident, in me quantum per Spiritum sanctum*

Dominus sit operatus, agnoscunt. Orabam ego cum magnis lacrymis in loco ubi est memoria ssimi martyris Stephani. Die autem Dominico , sicut alii qui præsentes erant viderant, dum um magno fletu cancellos teneo, subito cecidi. us autem a sensu, ubi fuerim nescio. Post pau- ssurrexi, et illum tremorem in corpore meo non Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, bellum obtuli: in quo etiam quæ de nostris ca- ibus ignorabatis, et quod de mea incolumitate et cognovistis exhibui, ut et pro mea sorore orare ini, et pro me agere Deo gratias. »

10 323. *Sermo Augustini habitus post libellum to Stephano.*] Misericordia quidem Dei, fratres, redendum est, omnes isti fratres quos una Dei terna plaga percussit, ad hujus de quo gaude- quandoque perventuri sunt sanitatem. Verum- discant filii obsequi, timeant parentes irasci. m est, *Benedictio patris firmat domum filiorum*; tio *matris eradicat fundamenta.* Modo isti per in fundamentis patriæ suæ non sunt; præbent spectaculum, proponunt suum supplicitum; t oculis miseriam suam, terrent superbiam n. Discite, filii, quod dicit Scriptura reddere m parentibus debitum. Sed et vos parentes offendimini, parentes vos esse recordamini. mater contra filios, exaudita est; quia Deus stus est, quia vere injuriam passa fuerat. Unus n et verba contumeliosa et manus injecerat, ri matris injuriam patienter tulerunt, nec pro ea verbum contra fratrem responderunt. Deus, qui audivit precantem, audit dolentem. id illa misera? Nonne unde citius exaudita, ns punita? Discite hoc petere a Deo, ubi non s exaudiri. Nos autem, fratres, satagamus o Deo nostro gratias referre pro illo qui sana- , et pro illa quæ adhuc tenetur preces funda- benedicamus Deum, quia dignos nos habuit ut leremus. Quid enim sumus, quia ego apparui sciens? Illi enim me videbant, et ego nescie- et admonebantur ut ad istam civitatem veni- uis sum ego? Homo sum unus de multis, non nis. Et vere, ut audiat caritas vestra, multum et gaudeo nobis esse concessum, quoniam iste nec Anconæ curari potuit: imo potuit, sed r nos factum non est, quia facillime fieri potuit. enim multi quanta miracula per beatissimum em Stephanum in ista civitate fiant. Et audite niremini: Memoria ejus antiqua ibi erat, et ipsa . Sed fortasse dicis: Corpus ejus nondum ap- at, memoria ibi unde erat? Latet quidam sed quid ad nos fama pertulerit non tacebo i vestræ. Quando lapidabatur sanctus Stepha- liqui etiam innocentes, et maxime de iis qui i Christo crediderant, circumstabant; dicitur emisse in cubito, et excussus inde venisse ante am religiosum. Tulit illum et servavit. Homo e navigantibus, sors navigationis attulit illum s Anconæ, et revelatum est illi ibi debere re-

A poni lapidem illum. Ille obedivit revelationi, et fecit quod jussum est: ex illo cœpit esse ibi memoria sancti Stephani, et rumor erat quia brachium sancti Stephani ibi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verum autem intelligitur propterea ibi fuisse revelatum, ut ibi poneret lapidem qui de cubito martyris excussus est, quia Græce cubitum aucon dicitur. Sed qui sciunt quæ ibi miracula fiant, ipsi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri ista miracula, nisi posteaquam corpus sancti Stephani apparuit. Ecce ibi non est curatus iste juvenis, ut nostris oculis servaretur. Apud Usalim, ubi est episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite, et invenietis. Prætermissis autem aliis, indico vobis unum B quod ibi factum est, ut videatis quanta sit ibi præsentia majestatis. Mulier quædam subito ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio suo catechumenum amisit: quæ clamans, Mortuus est, inquit, filius meus catechumenus.

Et cum hæc diceret Augustinus, populus de memoria sancti Stephani clamare cœpit: Deo gratias, Christo laudes. In quo continuo clamore, puella quæ curata est, ad absidam perducta est. Qua visa, populus cum gaudio et fletu nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito aliquandiu clamorem protraxit, et silentio facto, Augustinus episcopus dixit: Scriptum est in psalmo: *Dixi, Proloquar adversum me delictum meum Domino Deo meo, et tu dimisisti impietatem cordis mei.* Dixi, *Proloquar*, nondum prolocutus sum: C dixi *Proloquar*, et tu dimisisti. Commendavi istam miseram, imo ex misera commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, et exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citius exaudita est mater Ecclesia, quam in perniciem maledicta mater illa. Conversi ad Dominum, etc.

Sermo 324. *Sermo Augustini, quo complet partem sermonis mox præcedentis miraculo interrupti.*] Debet a nobis hesternus sermo compleri, qui majori interruptus est gaudio. Statueram enim et cœperam loqui caritati vestræ, quare mihi videntur isti fratres divina auctoritate ad hanc civitatem esse directi, ut hic in eis diu optata et exspectata sanitas impleretur. Et hoc volens dicere, prius commendare cœperam caritati vestræ loca sancta, in quibus non sunt sanati, et D ad nos inde sunt directi. Et dixi de Ancona civitate Italiæ: cœperam de Usali civitate dicere, quæ est in Africa (episcopum habet fratrem meum, quem nostis, Evodium), quia et ad illam civitatem eos venire fama ejusdem martyris et operum ejus compulisset. Non est illic datum quod dari potuit, ut hic daretur ubi dari debuit. Cum autem opera divina per sanctum martyrem commemorare breviter vellem, omissis cæteris unum institueram dicere: quod cum dico, restituta illi puellæ sanitate, subito lætitiæ tumultus exortus est, et nos aliter compulit finire sermonem. Ergo tale ibi miraculum scimus factum inter multa alia, quæ commemorari utique cuncta non possunt, Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium catechumenum infantem lactantem. Quæ cum vidisset

amissum et irreparabiliter perditum. cœpit eum magis flere fideliter quam mater. Non enim filii sui desiderabat vitam nisi in futuro sæculo, et hanc sibi ablatam et perisse plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, et cucurrit ad memoriam beati martyris Stephani, et cœpit ab illo exigere filium, et dicere : *Sancte martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti perisse : tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conspectum Coronatoris tui.* Hæc et talia cum precaretur lacrymis quodammodo non petentibus, sed, ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus. Et quia dixerat, Nosti quare illum quæram, ostendere voluit etiam. Deus verum animum ipsius. Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus; completis omnibus sacramentis, assumptus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem sepulcri, sed ad sinum martyris Stephani. Probatum est cor fidele mulieris. Ubi ergo tale miraculum fecit Deus per martyrem suum, non potuit ibi istos curare? Et tamen huc nobis directi sunt. Conversi ad Dominum, etc.

Hæc hactenus, quibus nihil addemus, nisi omissam hic esse solemnem clausulam, quæ hoc, aut simili modo concipi potuit : *Quæ res bene vertat mihi et vobis, spectatores, plaudite.*

Sermone 330.] Pars prior eadem est cum priori parte sermonis 118 de Diversis. Sed quæ in illo sermone subjiciuntur cum præcedentibus non cohærent. Hic vero apta et connexa usque ad finem sunt omnia. SIRMONDUS.

Tit. *De viginti martyribus.*] Ad martyres 20 habitus etiam sermo 110 de Diversis. Horum vero memoriam Hippone Regio celeberrimam fuisse docet Augustinus, illustre quod in ea contigerat miraculum commemorans lib. XXII de Civitate Dei, cap 8 : *Erat quidam senex,* etc. Horum nomina, cum ignota fuerint hactenus, tres hoc loco memorantur, Fidentius episcopus, Valeriana et Victoria sanctæ feminæ. Quo uno ex capite non leve est quod huic sermoni debemus; sive martyres hi, ut Baronio cardinali visum est, iidem habendi sunt cum martyribus viginti qui apud Tarsum Ciliciæ passi sub Diocletiano leguntur VIII idus Junias; sive, quod certius reor, a Tarsensibus diversi fuerint Hipponenses de quibus hic agitur. SIRMONDUS.

Sermone 330. *In natali plurimorum martyrum.*] Ita Regius codex, cum Victorino; at Beda citat : *ex sermone de verbis Evangelii.* IDEM.

Sermone 332. Habetur hic etiam cum in codice regio, tum in Victorino. DD. 12. IDEM.

§ 4. *Cum Scriptura commemorasset eos qui non intrabant, ibi etiam nominavit homicidas, non expavistis. Nominavit fornicatores, audivi quia pectora tutudistis.*] Hinc videre est pectora tundere solitos, cum aliquid audiebant quod conscientiæ peccatorum vel confessionis admoneret. Quod quidem usque adeo frequentabant, ut intempestive nonnunquam usurparent. Unde in sermone 8 de Verbis Domini, cum ad illa *confiteor tibi, Pater,* pectora populus de mor disset, scite arguens illos Augustinus. *in hoc* inquit, *quod sonuit* confiteor, *pectora tutudistis dere autem pectus quid est, nisi arguere quod l pectore et evidenti pulsu occultum castigare pec Quare hoc fecistis, nisi quia audistis* : confite Pater. *Confiteor audistis, qui confitetur non atte Nunc autem advertite. Si confiteor Christus d quo est longe omne peccatum, non solius est pec sed etiam laudatoris. Confitemur ergo sive la Deum, sive accusantes nos ipsos.* IDEM.

Sermone 340. In titulo : *In die ordinationis* In anniversario suscepti episcopatus. Celebrar terdum episcopi natale cathedræ, seu episcopat sicut principes imperii; quod natale episcopi c tur. Ejus moris apud Romanos indices sunt ser tres S. Leonis papæ, in die assumptionis suæ. Afros, præter homilias 24 et 25 de anniversar scopalis ordinationis Augustini, quibus terti sermo additur, in antiquis codicibus, fidem etia anniversarius Aurelii episcopi, de quo est Au ad plebem allocutio quam protulimus. Quo aut ordinatus fuerit Augustinus non liquet; ordi paulo ante Natale Domini ex homilia 25 do IDEM.

Sermone 341. In titulo : *De sacrificio vespe* Ita inscribitur in codice S. Victoris CC 16, nec citat Beda, quam, *ex sermone De sacrificio vesp* At in Collectorio sermonum parte 3 dicitur, *de versu psalmi* CXL : *Elevatio manuum mearum ficium vespertinum.* IDEM.

Sermone 344. *De amore Dei et amore s* Unicum nobis fuit exemplar ex codice S. V DD 12. Fuit tamen et in Collectorio sermonum 5, ut index docet. Utrobique titulum præfe *amore Dei et proximi.* Sed aptior et Augustini congruentior visa inscriptio quæ apud Bedam batur : *De amore Dei et amore sæculi.* IDEM.

Sermone 345. *De contemptu mundi.*] Vetus auctoris nomen non habet. Augustini tamen es dubitavimus, cum quod aliis ejus sermonibus tus erat, tum maxime quod stylum et geniu fert Augustini.

§ 5. *Nam quantumvis habeas, cum veneri quinta, antequam ad mensam accedas esuris, et quia miser es.*] Quæ sextam, id est, meridiem cedit, et legitima est hora prandii. Sidonius lib. II, epist. 9, De nuntio qui ad prandium v *quem probabat competenter ingressum quinta diens.* Quem ad locum, nonnulla de prisco horarum in eamdem sententiam adnotavimus.

§ 6. *Feminarum martyrum Tuburbitanorum nitatem celebramus.*] Perpetuæ et Felicitatis, q corpora in basilica majore condita Carthagi harum natali tres exstant sermones S. Aug Anniversarius autem dies agitur nonis Martii. F et aliæ, sed virgines, Maxima, Donatilla et Se quæ apud Tuburbum etiam passæ dicuntur II,

igusti. Duplex enim fuit ejus nominis civitas, A *monitione conveniant, hoc per singulas Ecclesias ante*
ium Majus et Tuburbum Minus; unde Tubur- *tractantes, quatenus a die disputationis ac loco omnis*
Majores et Minores, in collatione Donatista- *se multitudo contineat, ut religioso patientiæ magiste-*
IRMONDUS. *rio delinitum Christianæ paci populum parent.*' Quod
ione 357. *De laude pacis.*] Ex codice S. Victo- edictum episcopi catholici se observaturos professi
12. Fuisse autem et in Collectorio parte 5 sunt notaria sua, quæ ibidem recitata est, cap. 16.
demonstrat. Pertinet cum duobus sequentibus IDEM.
pora collationis Donatistarum, quam ex Acto- Ibid. *Orationes etiam vestras, sicut jam ante præmo-*
cordio celebratam liquet P. C. Varanis, anno *nuimus, jejuniis et eleemosynis adjuvate. Addite pen-*
412, inchoatamque calendis Juniis. Quod *nas illis, quibus volant ad Deum.*] Nempe eleemosynæ
mpus congruit verbis Augustini, qui sub finem et jejunia dicuntur duæ alæ quibus ad cœlum evehun-
is paulo ante peractum fuisse ait jejunium tur preces. Vide Act. x, 4, et ad eum locum inter-
ostes, quod illo anno desiit IV calendas Junias. pretes.

Sermone 359, *habito post collationem.*] Prior pars
Unde sum frater tuus.] Nolebant, videlicet, se B edita est sermone 91, de Diversis; posterior, quæ de
dici Donatistæ, et tamen fratres a nostris di- Donatistarum causa tractat, ab iis omissa, quia ea ca-
ar. *Optatus*, lib. I adversus Parmenianum : rere se posse judicabant. Nos integrum repræsenta-
, inquit, *se dici fratres nostros. Sunt sine dubio* vimus, qualem exhibuit codex in cortice exaratus, et
, *quamvis non boni. Quare nemo miretur eos me* quidem a Beda agnitum fuisse non ignorabamus. SIR-
re fratres, qui non possunt non esse fratres. Et MONDUS.
: *Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem* § 5. *Diximus posse in una Ecclesia, pacis causa, esse*
entorum visceribus una mater Ecclesia genuit, *fratres concordes; speciosa enim res est concordia fra-*
dem modo adoptivos filios Deus Pater excepit. *trum.*] Ex eadem epistola notoria quam episcopi ca-
genere plurima etiam Augustinus in psalmum tholici Marcellino judici obtulerunt, constat eos cum
ib. III contra Gaudentium, ac libro item III Donatistis, veritatis fiducia, ita condixisse ut si Dona-
Parmenianum, cap. 2. IDEM. tistæ causam obtinerent, honorem apud eos nullum
Spiritus sanctus loquitur per Isaiam prophe- requirerent; sin ipsi victores forent, illos tamen in
udite, qui pavetis verbum Domini; dicite, fra- societatem episcopatus admitterent. Ad hanc ergo
stri estis, eis qui vos oderunt, *etc.*] Eximia societatem pertinent quæ hoc loco dicuntur et quæ
erba, quamvis sint tantum apud LXX inter- C in eadem notoria fusius explicantur, his verbis : *Po-*
Isai. LXVI, 5. At proh dolor! sequentia facta *terit quippe unusquisque nostrum, honoris sibi socio*
s responderunt hisce blanditiis; nam hosce *copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino*
suos gravissime vexari fas esse postea conten- *episcopo, juxta considente collega. Hoc cum alternis*
tis ille ac misericors Augustinus, cui profecto *basilicis utrisque conceditur, uterque ab alterutro ho-*
s fraternus est animus. Vide epist. 93, et quæ *nore mutuo prævenitur; quia ubi præceptio caritatis di-*
notavimus. *lataverit corda, possessio pacis non fit angusta; ut*
ione 358. *De pace*, etc.] In codice S. Victoris *uno eorum defuncto, deinceps jam singuli pristino more*
ndice Collectorii præponitur præcedenti. Ut *succedant.* Sed jam olim respuere hanc societatem
neremus persuasit, quod sub hujus finem, ubi solitos Donatistas docet Optatus lib. I. *Et quia colle-*
niis et eleemosynis cum oratione jungendis se *gium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non*
nuisse ait, ad præcedentem alludere videatur. *sint collegæ, si nolunt; tamen, ut supra diximus, fra-*
DUS. *tres sunt.* IDEM.
Ad collationis locum nullus vestrum irruat, fra- Ibid. Si postea humanos se præbuissent catholici
ri.] Ad Thermas Gargilianas. In harum enim erga Donatistas, nemo esset qui hæc non laudaret,
rio Carthagine habita est collatio. Exstat lib. D et a Christiano animo profecta non censeret. Nunc
rum Epigrammatum quæ Pithæus collegit, vero, postquam Donatistas, pertinaces quidem illos
nma de Thermis Gargilianis a Thrasamundo et factiosos, quis negat? sed tamen Christianos,
novatis; quod versuum primæ postremæque usque adeo male habuerunt; sunt qui suspicentur
indicant his verbis : *Thrasamundus vota sere-* catholicos probe iniisse calculos, atque ex numero
DEM. episcoporum Donatistarum, plebisque eis addictæ,
Edictum viri illustris publice propositum legi- collato cum numero catholicorum, collegisse non sine
larcellini tribuni et notarii, qui judex, Honorii lucro, aut certe sine jactura ulla illam conjunctionem
i nomine, præfuit collationi. Ejus edicto, Ecclesiarum fore. Fortasse et aliud latuit quod nesci-
a gestis primæ cognitionis continetur, de admo- mus. Profecto ita avidi erant homines aureorum illo-
per episcopos plebe, inter cætera cavebatur : rum, si multis credimus, temporum honoris et redi-
ergo, inquit, *vel laicus, vel episcopus, ultra,* tuum episcopalium, ut eos nacti non facile dimitte-
m præstitutum, in illum tranquillissimum con- rent, atque in eos irrumpere quavis data occasione
um contra prohibitum moliatur accedere. Quin niterentur. Itaque periculosum erat ne, præter
etiam plebes suas, pia quietis ac modestiæ com- pacta, qui superior auctoritate futurus erat successo-

rem, pro more Afrorum, vivus ipse sibi designaret. Notum est omnibus diuturnum schisma Antiochenæ Ecclesiæ, ex simili origine ortum. Ad *fiduciam veritatis* quæ hic jactatur quod attinet, vereor ne sit mutanda in fiduciam victoriæ, non minus ex perspecto favore judicis Marcellini, quam ex bonitate causæ conceptam. Alioqui periculosum fuit, ut ita loquar, compromissum, causam tot episcoporum et Ecclesiarum velle ex judicio unius hominis, et qui alteri parti addictus erat, pendere.

§ 6. *Suscepimus eam* (causam Cæciliani) *discutiendam, sed tanquam fratris, non tanquam patris aut matris. Pater nobis Deus est, mater nobis Ecclesia est; Cæcilianus frater fuit,* etc.] In collatione diei 3, cap. 235. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit: Ecce dico, quoties voluerint dico: Cæcilianus non est pater meus, quoniam audio Dominum meum dicentem*: Ne vobis patrem dicatis in terra, unus est pater vester Deus. *Dico Cæcilianum fratrem, bonum fratrem, si bonus; malum fratrem, si malus est; quoniam, propter communia sacra, frater meus est.* SIRMONDUS.

Ibid. *Semel absens damnatus, præsens ter absolutus.*] Damnatus fuerat a Donatistis in synodo. Absolutus est primum Romæ in concilio sub Melchiade; iterum Arelate, a concilio generali; postremo Mediolani, a Constantino imp., ad quem pars adversa provocarat. Tota autem in eum criminatio quod ordinatus fuisset a Felice Aptungensi episcopo, qui sacros codices sub Diocletiano tradidisse ferebatur. Quod etsi verum foret, ad schismatis causam satis non erat; quia alia est causa Ecclesiæ, alia hominum. Cæterum ex actis publicis comprobatum est Felicem episcopum traditorem non fuisse. IDEM.

§ 8. *Nova enim nobis nuntiata sunt; quidam presbytero nostro linguam exsecuerunt.*] De altero episcopo cui linguam et manum præciderant Donatistæ, Augustinus epist. 50 ad Bonifacium : *Episcopi,* inquit, *et clerici horrenda et dura perpessi sunt, quæ commemorare longum est; quando quorumdam et oculi exstincti sunt, et cujusdam episcopi manus et lingua præcisa est.* Calcem etiam et acetum in oculos clericorum Hipponensium misisse narrat epistola 122, et aliis locis alia eumdem illorum furorem testantia. Quo etiam spectat Honorii Augusti constitutio 14 proxime nuper edita in appendice codicis Theodosiani. IDEM.

Ibid. Propter nefaria hæc scelera graves pœnas dare debebant quicumque eorum convinci poterant; sed non quivis Donatistæ etiam integris moribus, propter opiniones vexari, ut jam ad tom. II diximus.

§ 9. *Honorastis episcopum vestrum, ut hanc basilicam Florentiam vocare velletis, sed Florentia ejus vos estis.*] Quemadmodum basilica Fausti et basilica Leontina dictæ sunt a Fausto et Leontio conditoribus, sic Florentia, hoc loco, basilica de nomine Florentii episcopi. Cujus vero sedis episcopus fuerit incertum est; nisi Florentium intelligi placeat Hipponensium Diarrhytorum in Proconsulari provincia episcopum, qui et collationi Donatistarum cum cæteris hoc anno interfuit, ut cognitionis primæ gesta declarant, et aliquot post annos Leporii Monachi epistolæ ad Gallos subscripsit cum Augustino et aliis. Quod si verum est, non Carthagine, neque Hippone Regio, sed Hippone Diarrhyto habitum dici sermonem consentaneum fuerit. SIRMONDUS.

Ibid. *Hæc erit Florentia, vere Florentia.*] Sic loquitur de cœlesti beatitudine. Itaque *Florentiam,* hic et in superioribus, interpreter de statu æternum florente, et quo gloriari vere liceat. Hæc et alia multa finxit Numidica ejus ævi Latinitas.

Sermone 360. *Donatista reversus ad Ecclesiam.*] De tempore hujus sermonis cum affirmare nihil liceret, ut proximis subderemus adducti eo sumus, quod ex Donatistarum schismate, post collationem, plurimos ad Ecclesiam rediisse auctor sit Augustinus, non solum in sermone præcedenti, sed multo apertius lib. I contra Gaudentium cap. 29. *Quantum existimas,* inquit, *nos habere consolationis, quod a tanta dementia partis Donati, ubi non solum nefariæ divisionis error, verum etiam furoris lex facta est, longe atque incomparabiliter plura millia liberantur?* SIRMONDUS.

Ibid. *O vinea dilecta Domino meo, non solum labor meus nihil tibi proderat, verum etiam contra te inimico tuo serviebam,* etc.] Hunc sermonem lectum a Donatista episcopo, dictatum ab Augustino censent editores Parisienses; nec dissentio. Sed non puto prætermittendum hic esse videri veluti formulam quamdam, ut ita dicam, palinodiæ, qualem cani oportebat a Donatistis. Nec dubium hanc non fuisse exiguam partem triumphi adversariorum. Sed qui præ ignorantia in illis partibus fuerant, non poterant sine gravi dolore, cum tanta contumelia, in unitatem Ecclesiæ recipi. Hæc Pœnorum fuit humanitas.

Sermone 363 in titulo : *De Cantico* [*Exodi.*] Codex Regius sermonem vocat, *De Cantico Exodi, post transitum maris Rubri.* At in codice S. Victoris *tractatus* dicitur, itemque a Possidio, qui inter diversos Augustini *tractatus,* duos commemorat, *De Cantico Esaiæ,* et, *de Cantico Exodi.* SIRMONDUS. — An vir longe doctissimus oblitus erat *tractatus* passim dici sermones, quales in tomo IV *Tractatus in Joannem*? Nescio. Sed nihil frequentius, ita ut *tractare* et concionari in Augustiniano ferme idem sint.

§ 1. *Sensum nostrum in Scripturis sanctis considerantis atque tractandis regere debet earumdem Scripturarum manifestissima auctoritas; ut ex eis quæ aperte dicta sunt, ad nutriendos nos; ea quæ obscurius dicta sunt, ad exercendos nos fideliter disserantur.*] Optima profecto regula, et qua certior in Scripturarum interpretatione nulla est. Igitur postquam Scriptura sacra nonnulla de Deo nos docuit, ita ut de eorum sensu nemo dubitare possit, nisi insaniat; nunquam quidquam ex obscuris locis eliciendum, quod iis sit contrarium. Exempli causa, nihil clarius in Scriptura sacra docetur quam Deum esse bonum, misericordem, ac justitiæ observantem; hoc est, qui reo possit quidem ignoscere, et revera ignoscat, certis legibus, sed qui innocentem plectere nequeat. Qui in Scri-

ptura hæc non inveniet, nihil profecto in ea intelliget; nullum enim dogma majori perspicuitate habetur. Hoc autem posito, ex obscuris nonnullis locis non sunt colligendæ doctrinæ quæ omnem bonitatis, misericordiæ ac justitiæ laudem Deo manifesto detrahunt; qualia sunt dogmata illa quorum confirmandorum causa, hisce temporibus, cœlum terræ miscuerunt Africanæ synodi. Neque hic dixeris in rebus divinis profunda esse quædam quæ ingenii humani acumen fugiunt; nam non debent ex obscuris locis profunda illa fingi quæ repugnent claris Scripturæ dogmatibus; ut si Deum facias crudelem aut injustum, ut locum obscurum explices. Multo sapientius illi faciunt qui si commodam ac convenientem cæteræ Scripturæ sententiam invenire nequeant, fatentur ea loca a se non intelligi; quam qui ita ea explicant, ut manifesta atque acris pugna locorum Scripturæ et dogmatum theologicorum in doctrinam Christianam intromittatur. Nullæ exclamationes rhetoricæ, nulla episcoporum anathemata, nulla regum edicta rectum ut posterius bonis ac prudentibus viris videatur efficient. Facile fieri potest ut non intelligamus locum Scripturæ, sed fieri nequit ut secum ipsa pugnet, detrahatque Deo quod illi clarissimis verbis, astipulante etiam recta ratione, tribuit.

Sermone 366. *De psalmo* XXII.] In codice S. Germani, unde primum ad nos pervenit et in duobus S. Victoris CC 6 et DD II, titulus est : *Expositio S. Augustini de psalmo* XXII. Atque in his omnibus libris insertus est, tanquam eodem spectans, diversis S. Augustini lucubrationibus contra Pelagianos. In Collectorii parte 3, *Sermo, seu expositio super psalmum* XII. Habitus est ad baptizandos. SIRMONDUS.

Sermone 389.] Posterior pars eadem est cum posteriore semonis 50 De tempore, nisi quod ibi omissa est tota narratio de homine, qui de pretio solidi pauperibus erogarat. Ac vetus sane ista confusio. Nam et sermo ille 50 in manuscriptis nihil discrepat a vulgatis, et hunc nostrum fideliter expressimus ex codice Regio et altero S. Victoris DD 12. IDEM.

§ 3. *Cum solidum, ut assolet, vendidisset.*] Quanti solidum aureum vendiderit non declarat; intelligi autem potest ex novella Valentiniani 25 inter Theodosianas, qua cautum est, *ne unquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur.* Cassiodorus sex olim millibus venditum docet lib. I Variarum, epist. 10, *Sex*, inquit, *millia denariorum solidum esse voluerunt.* IDEM.

Ibid. *Centum folles ex pretio solidi pauperibus, jussit erogari.*] Folles æreos dicit, non argenteos. Argentei enim folles centum pars solidi exigua non essent. Ut denarios ergo appellabant tum argenteos, tum æreos: sic folles argentei alii fuerunt, alii ærei. Follium æreorum valor aut idem fuit ac nummorum seu denariorum, quorum sex septemve millia in solido censebantur, aut utriusque generis non magnum discrimen. Folles autem argentei, Augustini ævo, quid valerent æstimari potest ex lege 3 cod. Theod de suariis, quæ porcinæ pretium in singulas libras senis follibus definit, et ex iis quæ de Florentio sartore Hipponensi habentur de Civitate Dei lib. XXII, cap. 8, § 9. Utrobique enim congruere omnia possunt, si pro follibus asses sive solidi sumantur monetæ nostræ Gallicanæ. Nam et porcinæ in singulas libras solidorum sex justum fuerit pretium, et grandem piscem trecentis assibus nostris vendi nihil est absurdi. Quo tit ut follium et solidorum nostratium valorem eumdem conjicere liceat, vel affinem. Verum hæc de folle accipienda, quatenus certum nummi genus significat. Follis enim aliæ sunt, in re pecuniaria, notiones, quæ ad rem hoc loco non faciunt. IDEM.

IN TOMUM SEXTUM.

DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM,

DE QUÆSTIONIBUS LXXXIII.

Agnoscit quidem hoc opus Augustinus, mihi tamen videtur a studioso quopiam ex omnibus illius libris collectum, in quod congestum est si quid haberetur argutius dissertum. Huic studio favens Augustinus recognovit, et quædam elimavit. Hanc conjecturam non omnino somnium esse declarat illud, quod quæst. 12 habet fragmentum ex Fontei libris decerptum. Et cap. 31 habet locum ex secundo M. Tullii de Inventione libro descriptum. Sunt autem et alia quæ mihi non videntur per omnia sapere phrasin Augustini. Ad hæc erant quædam confusa, vel huc translata ex quæstionibus Evangeliorum, vel hinc illo transmissa. Postremo multa sunt quæ non habent ullam speciem quæstionis, nisi quod quidquid doceri potest, idem et quæri potest. Ita tot nascentur quæstiones quot sunt sententiæ, sive proloquia. Ipsum tamen opus eruditum est et lectu dignum.

ANIMADVERSIONES

IN EASDEM QUÆSTIONES LXXXIII.

Quæst. 9. *Quod non manet percipi non potest, illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis.*] Sic solvit Augustinus quæstionem, utrum sensibus corporeis percipi veritas possit. Est Platonica ratiocinatio, cujus quis sit usus non intelligo; nisi si quis velit in dubium revocare testimonium sensuum in rebus corporeis, quo tamen ipsa Christiana fides nititur. Scio philosophico quodam sensu posse dici sensus a Deo nobis datos non fuisse ut intimam rerum naturam, et veritates occultas eorum ope cognoscamus; sed hæc ad theologicas quæstiones non pertinent. Multa hic sunt quæ Platonismum redolent.

Quæst. 16. *Deus omnium quæ sunt causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ*

causa est.] Quare non dicit *sui ipsius causa est*? Nimirum, quia certissimis metaphysicorum axiomatibus hoc repugnat. Attamen idem aliis verbis dicit, nam sapientia Dei est ipse Deus. Non est dissimulandum ita loqui solitos Platonicos. Aristides tom. I, Or. 1, p. 5, de Deo : Ἐποίησε πρῶτος αὐτὸς ἑαυτόν : *Primus ipse se fecit.* Paulo post : Ὅδε ἐστὶ, πρῶτός τε καὶ πρεσβύτατος καὶ ἀρχηγέτης τῶν πάντων, αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ γενόμενος.... αὐτοπάτωρ τε καὶ μείζων ἢ ἐξ ἄλλου γεγονέναι · καὶ ὥσπερ τὴν Ἀθηνᾶν ἄρα ἐκ τῆς κεφαλῆς ἔφυσε, καὶ γάμου οὐδὲν προσεδεήθη εἰς αὐτὴν, οὕτως ἔτι πρότερον αὐτὸς ἑαυτὸν ἐξ ἑαυτοῦ ἐποίησε. *Hic est primus et antiquissimus, et omnium princeps, ipse ex se factus.... pater sui ipsius, et major quam ut ex alio esset, et quemadmodum sane Minervam ex capite genuit, nec nuptiis ejus causa indiguit, sic adhuc prius ipse se ex se fecit.* Sic vero colligit Augustinus æternitatem Filii, ex allatis verbis : *Igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna, nec tempore prior est, quam sua sapientia.* Idem collegeris, si recta sit hæc ratiocinatio, de reliquis omnibus Dei attributis. Deus enim erit causa suæ bonitatis, suæ potentiæ, suæ justitiæ, etc., ac proinde totidem erunt Filii Dei quot sunt ejus attributa, quo nihil absurdius fingi potest. Præstitisset ergo abstinere ejusmodi ratiocinationibus, quibus nihil probari potest ; præsertim in re tam seria, et tot acerrimis controversiis usque adeo vexata.

Quæst. 18. Sic probat Trinitatem : *Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque ejus trinam esse oportet : qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit.*] Præterquam quod hæc abstractione duntaxat animi distinguuntur, ac proinde non opus habent diversis causis, an non variarum rerum potest esse una eademque simplicissima causa? Nisi hoc admittatur, quot distingui poterunt in creaturis proprietates, totidem erunt personæ divinæ. Hæreticos illius ævi oportet valde stipites fuisse, si ad talia argumenta obmutescerent, aut adversarios non irriderent. Sed et orthodoxorum aures atque oculi patientes fuerunt quorumvis sermonum et librorum, si ejusmodi ratiocinationibus delectati sunt. Me profecto, ne quid dissimulem, offendunt, cum reputo tam graves quæstiones usque adeo levibus ratiunculis solvi, et theologiam Christianam iis contaminari, ac ludibrio interdum exponi. De iis quæ nonnisi revelatione divina innotuerunt, nec ratione possunt probari, satius fuit et sola Scripturæ auctoritate, et solis ejus verbis uti. Sed audiamus et sequentia : *Creaturæ autem causam, id est Deum auctorem dicimus.* Vere sane, sed quid inde? *Oportet ergo esse Trinitatem, qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest.* Esse Trinitatem, hoc est, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, docent nos sacræ paginæ ; quibus credere nos par est, non minus quam ratiocinationibus nostris. At colligi ex antecedentibus, ut jam diximus, hoc non potuit. Alioquin eodem jure, ex philosophia illius ævi, quinque collegeris esse divinas personas, quod sint quatuor elementa, et quinta essentia, qua cœli et hominum mentes constant. Qualia innumera possent fingi. Sed et audi rhetoricum argumentum, ne suæ artis oblivisceretur bonus antistes. *Ideoque etiam cum veritas quæritur, plus quam tria genera quæstionum esse non possunt utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit,* Quidni alius similiter quatuor esse personas dicat, quod sint quatuor rhetoricæ partes, inventio, dispositio, elocutio ac pronuntiatio, aut quod sint quatuor figuræ syllogismorum? At, inquies, Augustinus hæc quasi argumenta firma non protulit, sed potius quasi illustrationes quasdam philosophicas ac rhetoricas veritatis aliunde exploratæ profudit ; et quidem tiro, cum primum in Africam ex Italia rediisset. Sed primum hæ non sunt, si veritatem amanus, illustrationes, verum obscurationes veritatis, quæ futilibus hujusmodi argutiis minime indiget, et dehonestatur. Præterea, ut ipse testatur, hunc librum jam episcopus ex antiquis schedis colligi jussit, cujus maxima parte, sine ulla vel minima jactura, Numidæ potuerunt carere ; et in libris ipsis de Trinitate, ab episcopo magno studio elaboratis, talia multa sunt.

Quæst. 24. *Meritum autem pœnæ peccatum, et meritum præmii recte factum est.*] Hoc est meritum est, quo pœna contrahitur et quo præmium accipitur. Subdit: *Nec peccatum autem, nec recte fatum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum in libero, voluntatis arbitrio.* In Retractationibus vero ad hanc quæstionem : *Quod ita esse,* inquit, *omnino verissimum est, sed ut ad recte faciendum liberum sit, Dei gratia liberetur.* Verum hoc est quoque. Sed ut stet illa prior Augustini responio, ita ut actiones hominum malæ et bonæ tribui queant eorum libero arbitrio, non tantum ii homines qui servantur debent liberari Dei gratia, sed et ii qui damnantur, ita servi peccati facti esse debuerunt, ut non necessario peccarent, atque in illa servitute remanerent. Deinde quomodo infantes qui moriuntur non baptizati, et quibus, ex Augustini sententia, pœnæ infliguntur, propria voluntate peccarunt? Ita opiniones suas retractat Augustinus, ut quam minimum in iis mutatum videri velit ; unde fit ut excuset sæpe nonnulla, omissis aliis quæ non minori retractatione indigebant. Verum, hac in re, δεύτερος πλοῦς non fuit felicior.

ANIMADVERSIONES

AD DIVERSAS QUÆSTIONES AD SIMPLICIANUM.

Libro I. Quæst 1. Ad Rom. VII, 7 et seqq. *Videtur mihi Apostolus transfigurasse in se hominem sub lege positum, cujus verbis ex persona sua loquitur.*] Fuit hæc vulgo tum temporis recepta sententia, eaque verissima, et quam nunquam revocasset Augustinus, nisi postea exortus esset Pelagius. Vide ad tom. III, Animadvers. in epist. ad Romanos.

Quæst. 2, § 2. *Intentionem Pauli, quæ per totam Epistolam viget, tenebo quam consulam. Hæc est autem*

perum meritis nemo glorietur : de quibus aude- A *raelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent ac evangelicam gratiam tanquam debitam meri- percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant n gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi a sacramenta susciperent.*] Si paulo attentius le- priora undecim capita Epistolæ ad Romanos, uæstiones potissimas in illis a Paulo tractari non intelliget. Prior pertinet ad justificationem is apud Deum. Contendebant Judæi neminem ustum, hoc est, bonum haberi a Deo, nisi le- saicæ, cum ad cærimonialia, tum ad moralia ta quod attinet, observantem. Negat hoc Pau- multis ostendit, sine legis Mosaicæ observa- homines justificari, seu justos a Deo haberi; B ne justificationem obtineri non operibus, sed , hoc est misericordia Dei ; qua bonus habetur legem nunquam observavit, si modo Evangelio eique in posterum obsequatur. Posterior quæ- t utrum a Deo gentes idololatricæ possent ad alii cognitionem vocari, et populus ejus haberi, neglectis Judæis. Negabant hoc Judæi, affir- Paulus, qui ostendit Deum, in vocandis popu- sui cognitionem, nullam rationem habere ope- eu meritorum, sed beneficia sua in quosvis re, quamvis indignos, iis omissis qui beneficiis indigniores cæteris non erant. Hæc sunt duo capita, ad quæ tota disputatio Pauli referenda n quod hic habet Augustinus. Itaque nihil ad cit quod sequitur apud eumdem : *Multis locis* C *pe testatur, fidei gratiam præponens operibus, opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera entia gratiam, sed consequentia ; ut, scilicet, non que arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene us est ; sed bene operari non posse, nisi per fidem rit gratiam. Incipit autem homo percipere gra- x quo incipit Deo credere ; vel interna vel externa itione motus ad fidem.* Nolo hæc excutere rnego Paulum quidquam ejusmodi cogitasse, isputaret contra Judæos. Nec hi contendebant n fidei sibi aut ulli alii deberi, nec Apostolus rium probat. Adeat lector optimos quosque interpretes, sed præsertim ipse Paulum legat, etque ab Augustino Apostoli scopum nullo D animadversum fuisse. Ac sane obscurior est la ad Romanos quam ut a semiplatonico rhe- riticæ plane imperito, intelligeretur.

., § 4. Allatis verbis Pauli Rom. IX, 11, 12. inquit *occurrit animo quærere cur dixerit :* ut lum electionem propositum Dei maneret ? *Quo- st enim justa, aut qualiscunque omnino electio, lla distantia est ? Si enim nullo merito electus est ondum natus et nihil operatus, nec omnino tuit nulla existente differentia, qua eligeretur. i nullo merito improbatus est Esau, quia et ipse n natus et nihil operatus erat, cum diceretur* et serviet minori *quomodo ejus improbatio justa test ?* etc.] Si hunc ipsum locum paulo attentius ita dicam, κριτικωτέρως considerasset Augusti- nus, prolixam disputationem quæ sequitur, de electione singulorum hominum compendii fecisset, quippe quæ plane extra rem est. Liquidum enim est *Jacobum* et *Esauum* non spectari hic quasi singulos quosdam homines, de quorum conversione deliberet Deus ; sed quasi conditores duarum gentium, quarum hanc, non illam ad sui cognitionem vocaturus sit et pro populo suo habiturus. Tota series orationis occasioque disputationis hoc clamant ; sed et ipsa illa verba, *major serviet minori,* Gen. XXV, 23, manifesto ostendunt ; nam hæc verba dicuntur non de hominibus, sed de populis. *Duæ gentes sunt,* inquit Deus suscitanti Rebeccæ, *in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori.* Ac sane Idumæi, quorum opes citius convaluerant quam Israelitarum, postea tamen iis servierunt ; sed ipse Esauus nunquam Jacobo obnoxius fuit, cui terrori potius erat ; ut ad eum Geneseos locum ostendit *Joannes Clericus*. Igitur ἀπροσδιόνυσα sunt quæ quærit postea Augustinus, an electio Jacobi sit ex præscientia fidei, ac reprobatio Esaui ex præscientia contumaciæ, an fides inter dona gratiæ numeretur, etc. Attamen dum extra oleas ita vagatur oraculum Numidiæ, invenit, non ex institutione ecclesiastica, neque ex Paulo, qui ea de re hic quidem nihil habet, *fidem esse donum Dei* ; hoc est, ex ejus sententia, nasci eam ex interno afflatu cui reluctari non licet, et qui pauculis tantum electis conceditur, quamvis sine eo nemo possit fidem ad finem usque vitæ Evangelio habere. Presbyter hoc tam grande arcanum nesciverat, uti nec cum episcopus primum factus est, sed dum meditatur hæc responsa ad Simplicianum, invenit ; atque ad hoc suum dogma poster Scripturam, reluctantem licet, traxit ; nulla habita ratione nexus orationis, significatus recepti verborum, quæstionumque ac controversiarum quæ inter apostolos et Judæos agitabantur. Ita legebat Scripturam, quasi singulæ periodi aut sententiæ essent axiomata quædam mathematica, cum superioribus ac sequentibus minime connexa, sed quæ seorsim et per se possent explicari ; et si quid occurreret quod speciosæ declamatiunculæ occasionem præberet aut præbere videretur, id vero avide arripiebat, et Punicæ eloquentiæ vela pandebat. Nullo in opere specimen dedit illustrius mirificæ illius consuetudinis, quam in hoc ; ex quo tamen postea tot fluxere allucinationes, quæ tolli potuissent, nisi vis et auctoritas remediis fuissent objectæ. Humilium enim scilicet oratorum illius ævi hæc fuit indoles, ut ad loquendum de iis quæ non intelligebant, nullo quamvis præsidio cincti facillime accederent ; sed difficillime a præconceptis semel opinionibus possent revocari, quas anathematibus et edictis acerrime tuebantur, si quis eas oppugnare auderet.

LIBRO II. Quæst. 4, § 2. Ad quæstionem quomodo Samuel per pythonissam evocari potuerit, postquam dixit Samuelis ipsius animum potuisse forte evocari, subjicit : *Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiri-*

tum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.] Cur non potuis dixit loqui Scripturam illic ex sententia Saulis, qui revera Samuelem evocatum credidit? Cur etiam nihil de fraude pythonissæ viro acuto suboluit, quæ tamen plane videtur os credulo et perterrito Sauli sublevisse? Sane ne ipse quidem Saul vidisse narratur spectrum hoc, cujus nomine loqui facile potuit subornatus quidam nebulo a pythonissa. Sed vide hac de re acutum atque eruditum virum Antonium Van Dale, in dissertatione de Divinationibus idololatricis sub V. T., cap. 9.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

Quæst. 1, § 6. Ad locum I Cor. III, 11 et seq., statuit *fundamentum* esse fidem in Christum, *aurum* vero, *argentum* et *lapides pretiosos* esse eximia quædam bona opera; *ligna* vero, *fenum* et *stipulam* ea esse quibus carnale aliquid admissum est. Miror ei in mentem non venisse hic agi de doctrina, et tot propositas quæstiones homini qui in re plana usque adeo cespitabat, aut eum tam leviter in Scriptura versatum tot quæsitis respondere sustinuisse. O vacuam studiosis Scripturæ Africam! O stupidos quibus hæc admirationi erant et qui tam verbosas disputationes, ut nihil discerent, legere sustinebant!

§ 13. *Tale aliquid post hanc vitam fidei, incredibile non est, et utrum ita sit quæri potest; et aut invenire aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve* (sic lego, non *citiusque*) *salvari; non tamen tales de quibus dictum est:* regnum Dei non possidebunt.] Majore cum fiducia hac de re loquitur in opere de Civitate Dei lib. XXI, cap. 13. Vide et quæ collegerunt Benedictini in præfatione ad Hilarium cap. 8. Sane ad affirmandum esse ignem purgatorium recta deducebat consuetudo jam recepta eo tempore orandi pro mortuis, de qua Augustinus ad quæstionem sequentem. Quamobrem tandem opinio de pœnis purgatoriis, apud plerosque Christianos, decretis synodorum consecrata est; ne Ecclesiæ preces viderentur mortuis inutiles, quippe quæ nullis pœnis eos liberarent. De iis precibus suo loco aliquid dicemus.

Quæst. 6, § 2. *Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saule videretur*, etc.] Vide notata ad lib. II diversarum Quæstionum ad Simplicianum quæst. 4.

DESIDERII ERASMI CENSURA

LIBRI DE FIDE.

Libellus hic ex diversis Augustini epistolis consarcinatus est, maxime quod ad sententias attinet. Probabile est hunc esse Hugonis Victorini.

At hanc Erasmi censuram recte confutarunt Benedictini. Quod si quid decerptum hic est ex epistolis Augustini, nihil vetat id ab ipso Augustino factum; qui se ipse non semel exscribit, in superiore libello, quo Dulcitii quæstionibus respondet.

Cap. 1, § 3. *Certe enim si rebus non visis credere non debemus, quandoquidem et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus, et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum ergo nos benevolentiam credimus potius quam videmus.*] Ascribunt editores Parisienses margini *locum hunc perplexum esse et vitiatum*; sed omnis difficultas, nisi fallor, tolletur si pro *quando*, legamus *quomodo*, et notam interrogationis fini periodi addamus: *nisi quia tanta fides est* (sequuntur hæc proxime allata verba) *ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus: cum propterea credere debeamus, quia videre non possumus*? Sic omnia sunt plana, ut intelliget quisquis periodum integram legere non gravabitur.

Cap. 2, § 4. *Omitto dicere quam multa isti, qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ et historiæ, vel de locis ubi ipsi non fuerunt; nec dicant: non credimus, quia non videmus.*] Ad hoc fuit palmarium argumentum, quo adversarios ad silentium adigere facile potuit, idque ab omnibus non ægre intelligendum, et rei quæ hic agitur accommodatissimum; quandoquidem, si rem probe pensitemus, fides nostra nititur potissimum evangelicæ historiæ veritate. Sed nescio quomodo veteres quæ firmissima erant rei Christianæ fundamenta sæpe ferme negligunt, aut obiter certe attingunt; dum operose exponunt quæ apud incredulos vim nullam habere poterunt. Sic Augustinus copiosissime de prophetiis agit in sequentibus, habetque quæ apud Christianos cum fructu dici poterant, sed apud incredulos pondus nullum habebant, cum vix unquam ex vi vocum et nexu orationis, si cum homine veritatem Judaicæ et Christianæ religionis negante sit nobis negotium, probare possimus ea vaticinia ad Christum pertinere. Itaque apud incredulos his potius argumentis abstinendum fuit, historiisque utendum, quibus nihil sanum reponi ab iis poterat.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE FIDE ET SYMBOLO.

Cap. 3, § 3. *Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut enim verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad cognitionem alterius proferatur: sic illa Sapientia quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissime nominatur.*] Miror catechumenis propositas res usque adeo dubias, quasi fidei capita. Nam si quis negasset Augustino vocem λόγος apud Joannem vertendam *verbum*, contendissetque esse *rationem*, quomodo contrarium probare potuit? Quinimo Platonicorum, quos magni faciebat, similiaque Christianis hac in re sentire putabat, auctoritate premi potuit. Præterea si quis negasset munus esse Filii, ut animos per se illustraret, eo modo quem dicit Augustinus; qui probare potuis-

od hic contendit, nisi forte ex suis Platonicis, mines rationales esse putabant, participatione ou, quos tamen audire noluisset de propria rocis significatione? Multa alia dici potuerunt, mitto et quæ legi potuerunt apud Joannis in- es ad cap. I, 1. At eo tempore, si verum dicere s, non quærebatur tam quid esset verum. pos- contra quosvis adversarios firmis rationibus i, quam quod vel levi probabilitate tinctum t apud aures omnia admittere paratas speciose otuit. Legantur sequentia, expendanturque ab veritatis amante, et ni verum tulisse judicium abjiciantur hæ chartæ, tineisque et blattis de- læ permittantur.

. 5, § 8. *Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu, a nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum m suscipere dignaretur.*] Scio et alios sic locu- d profecto et Scripturæ sacræ et recte rationi contrarium *humilitatem* divinæ naturæ tri- Virtus est hominis quæ a Latinis *modestia* , sed quæ Deo tribui non potest sine blaspheuadam specie, cujus tamen incusare Augustiolim. Locum ad Philippenses II, 6, qui objici posset, intelligendum de natura humana Christi lerunt Hugo Grotius et Joannes Clericus in mentis ad II. Hammondi Adnotationes ad No- Testamentum. Quod factum ab æterna ratione, o *caro facta est*, id non humilitatis, absit! sed æ bonitatis et munificentiæ specimen fuit.

. 5, § 11. *Credimus itaque in eum qui sub Pontio crucifixus est et sepultus. Addendum enim erat nomen, propter temporum cognitionem*, etc.] ulla mentione facta *descensus ad inferos*, pro- subjicitur: *credimus etiam illum* tertio die re- isse a mortuis, *primogenitum conseculturis fra-* , etc. Unde liquet eo tempore in Symbolo Ec- Africanæ, ut et in Romano aliisque, abfuisse de *descensu ad inferos*; quod tamen postea te- conjunctum est. Vide quæ doctissimus omnium retum Symboli Joannes Pearsonus, hac de re gliea interpretatione Symboli scripsit.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRI DE FIDE ET OPERIBUS.

. 7, § 11. *Quidquid enim homo veluti recte fecerit, d pietatem quæ ad Deum est referatur, rectum dici ortet.*] Quomodo hæc intellexerit Augustinus, bus rationibus fretus ita locutus sit, quisquis vebit, adeat tomo X librum IV contra Julianum 3, ubi multis hac de re agit. Consulendus et ntiss. cardinalis Henr. Norisius in Vindiciis tinianis paragr. 4. Attamen, si verum amamus, i hanc suam sententiam persuadebit Augustinus, iidem in nuda ejus auctoritate non acquiescat, tiones expendat. Nam certum est quæcunque ecundum naturæ et rationis rectæ impulsum, ea ons, quamvis revelatio non accesserit. Exempli colere parentes, eosque omni ope adjuvare, rum malis tangi et opitulari, castitatem colere, familiam educare et sexcenta talia quæ suadet recta ratio, postulatque humanæ societatis felicitas, recta sunt et Deo placent, qui rectæ rationis et humanæ societatis non minus auctor est quam revelationis. Qui sine revelatione possunt damnari ob delicta in rectam rationem admissa, eosdem necesse est et posse absolvi, si recte rationi obsequantur; quod docet etiam Paulus Rom. II, 14, 15. Nemo qui rem expenderit sibi persuadebit legem naturæ a Deo per rectam rationem latam, et per ipsam humanæ naturæ constitutionem confirmatam, perfractam aut observatam pariter damnare; nec pium erga parentes esse Deo gratiorem quam parricidam. Monstra sunt illa ex contendendi et paradoxa defendendi libidine nata.

Cap. 15, § 24. *Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia plane ad intelligendum difficilis, ubi ait:* Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, *etc.* I Cor. III, 11 et seqq.] Jam de hoc loco egit in libello de Quæstionibus Dulcitii, nec tamen hic potuit sese expedire difficultate, quæ magna esse non potest, nisi oscitanti. Liquet enim Paulum agere illic non de moribus, sed de dogmatibus, cum sermo sit de doctoribus; qualis ipse atque Apollo, quorum se discipulos dicebant Corinthii, propterea que in partes ibant.

ANIMADVERSIONES

IN ENCHIRIDION AD LAURENTIUM.

Cap. 11, § 4. *Quid est aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni?*] Eodem jure dicas Pœno philosopho: quid est aliud quod virtus dicitur, nisi privatio vitii? Nam sane virtus, exempli causa, fides, spes, caritas, etc., non est magis habitus animi nostri, repetitis actibus comparatus, quam incredulitas, desperatio et odium proximi; nec effectus vitiorum sunt minus magni quam virtutum. Quod si dicas, detracto vitio, poni virtutum; similiter dixero, detracta virtute, poni vitium. Contraria hæc quidem sunt, sed non opposita, ut privatio et habitus, ignorantia et scientia. Verum Augustinus comparatione hanc in rem utitur, qua forte quispiam negotium confectum putet. Non dicam comparatione rem veram et probatam illustrari tantum, aut altius memoriæ infigi; non vero, si dubia est, probari; sed ipsam comparationem expendam. *Nam sicut*, inquit, *corporibus animalium nihil est aliud moribus et vulneribus affici, quam sanitate privari: ita et animorum quæcunque sint vitia, naturalium sunt privationes bonorum, quæ cum sanantur non aliquo transferuntur; sed ea quæ ibi erant nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* At morbi aut vulnera non sunt tantum privationes sanitatis; nisi quis dicat febrim, exempli causa, cujus sunt tot genera, et symptomata, quamque omnes norunt sitam esse ut plurimum in motu extraordinario sanguinis, meram esse privationem; quemadmodum motus, quamvis violentus, mera est privatio quietis. Quis ferret eo modo ratiocinantem? Quis dicat sectionem musculi aut nervi, effusionem sanguinis, luxationem aut fractionem ossis meras esse privationes eorum quæ antea erat? Caprimulgis et

fossoribus hæc philosophia tradatur, non hominibus litterarum studiis expolitis. Quod addit vitia, cum sanantur, non alio transferri, sed nusquam esse, tam valet an probandum virtutem esse nihil, quam ad ostendendum vitium meram esse privationem; nam virtus, quam quispiam contrario vitio mutat, non aliquo transfertur, sed nusquam est. Quis in metaphysicis nonnihil exercitatus nescit accidentia non transferri, cum mutantur aut intereunt, nec tamen esse merum nihil? Quam hoc sit manifestum nemo non videt, nec eo secius in tam mirifica argutia sibi placet Augustinus, qui inter duo membra allatæ comparationis hanc parenthesin infarcit: *Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista quæ inerant, id est morbi ac vulnera, recedant hinc, et alibi sint, sed utique, ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnâlis substantiæ vitium est vulnus aut morbus; cum caro sit ipsa substantia, profecto aliquod bonum, cui accidunt ista mala, id est privationes ejus boni, quod dicitur sanitas.* Pariter ratiocinari queam ut probem, contra Augustinum, sanitatem esse tantum privationem morbi; nam quando propinatur, exempli causa, venenatum poculum, ut sanitas labefactetur, hoc non sit ut alibi sit sanitas, sed ne omnino sit. Quis præterea non miretur nostrum hunc philosophum, quem usque adeo acutum multi putant, ita loqui quasi inter substantiam et nihil ens nullum, ut philosophice loquar, interesset, accidentiaque omnia pro nihilo essent habenda? Si verum hoc esset, *sanitas* et *virtus* habenda etiam essent nomina meri nihili, sunt enim accidentium vocabula. Nescio quid hisce reponerent Manichæi; sed si ita se confutari taciti patiebantur, valde stolidos fuisse oportet. Hisce tamen usque adeo non immorarer, nisi viderem et scholasticos et alios acutiores philosophos, in accepto hoc a veteribus commento, veluti de manu in manum, acquievisse. Propterea argutias philosophicas quæ sequuntur non moror, quamvis parum idoneo loco sint collocatæ: in Enchiridio quippe, quo Laurentius volebat non metaphysicas contemplationes, sed religionem Christianam in summa capita contractam, breviterque explicatam habere. Sed hoc est hominum loquacium ingenium, ut quidvis quod sese animo objicit, quovis tempore et loco effundant.

Cap. 21, § 7. *In quibus autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur an non; vel utrum vera sive sint, sive putentur, an falsa; in his errare, id est aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse ac levissimum.*] Si *peccatum*, dici queat error quo minus Dei timentes, ac præceptorum ejus minus observantes non fimus; est *peccatum*, ut ita loquar, *philosophicum*, hoc est delictum in leges logicas, quæ, si semper a nobis observarentur, nos ab errore immunes conservarent. Sed talia peccata, quibus non fit ut de Deo minus magnifice sentiamus, vel ut evangelicis legibus minus teneri nos putemus, non sunt ea quibus evangelica doctrina pœnas minatur. Itaque recte in sequentibus Augustinus, memoratis nonnullis innocuis erroribus: *In his atque hujusmodi falsitatibus salva fide quæ in Deum nobis est, fallimur, et via non relicta quæ ad illum ducit, erramus; qui errores, etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt; quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis.* Hæc reputare secum deberent theologi nonnulli, qui cum magni Augustinum facere videri velint, attamen contendunt omnes errores esse peccata, omniaque peccata, ut scholæ theologi loquuntur, esse *mortalia*; unde, ut putant, sequitur nullos errores ferri oportere, quandoquidem nulla lethifera peccata ferenda sunt.

Ibidem, postquam probavit omne mendacium esse peccatum, *plurimum quidem*, inquit, *ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum; sed in eorum tali profectu, merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur sat est, non ut etiam prædicetur*, etc.] Videtur Augustinus loqui de *salute* æterna, ad quam nonnullis conciliandam multi tunc temporis mentiebantur, innumeris miraculis confictis; eum, ut dicebant, duntaxat in finem, ut infideles ad fidem adducerentur. Eos non laudat Augustinus, sed facile iis ignoscit; quod frequens, ut quidem videtur, malum esset inter ecclesiasticos homines illius ævi. Sed dignum est observatu, primum eos qui servandi proximi causa mentiebantur, sæpissime ex illo mendacio non contemnendum lucrum fecisse. Exempli causa, qui fingebant tot miracula in suis ecclesiis fieri ope reliquiarum S. Stephani, ii ita se gerebant ut infideles aut dubitantes de fide lucrifacerent; sed eadem opera oblationes ab iis accipiebant minime spernendas; quis enim, si modo posset, non aliquid contulisset in usum ecclesiæ, quam tot ac tantis miraculis dignabatur beatus Stephanus? Itaque sine nimia malignitate, mentitos eos dixeris, non minus spe lucri quam cupiditate servandi proximi. Certe qui ita mentiuntur digni non sunt qui meliores a nobis putentur. Secundo loco gravissimum est peccatum in Deum inque humanum genus, cum certissimas rationes habeas quibus infideles, si fieri id possit, ad credendum adducas, confugere ad mendacia; dehonestas enim plane veritatem quam mendacio tueris; deinde eam in grave periculum conjicis, quia si forte mendacium tuum retegatur, veritas ipsa in dubium revocabitur. Sed mendacii tam inimicus non erat Augustinus quam volebat videri.

Cap. 30. *Hæc pars humani generis, cui liberationem Deus, regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit.*] Quis Augustino non astipuletur? Nulla enim possunt esse merita malorum, dum mali sunt, quæ Deo grata esse queant, ita ut propterea de iis ad se convertendis consilium capiat. Pergit: *Quid enim boni operatur perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit.* Hæc omnia vera sunt, nemo enim malus recte quidquam facit quatenus malus est. Nemo etiam qui non plane

est liberi arbitrii sui *meritis reparari* potest, enim illic sunt merita, si rigide loquamur, ubi opus est, nec ulli homini Deus salutem debet. ta hæc sunt dogmata, eademque verissima, sed um an sequentia eis respondeant : *nam libero, arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* is quidem, qui primus male usus est libero ar- imo vero solus, si Augustinum audiamus), se llo usu in æternum perdidisset, nisi divina mi- dia delictum illud ei ignovisset ; sed nec per- berum arbitrium, neque enim ea sola actione essario peccator factus est, ut nihil boni am- nisi ineluctabili Dei gratia adjutus, facere pos- illo hoc Scripturæ loco constat, nec ratione titur. Posteri ejus etiam non ita amiserunt, tudine peccandi, libertatem, ut sensim jugum , meliore contracta consuetudine, excutere ssint, nisi afflatu interno cui resistere nequeant ntur. Frustra enim alioqui Deus eis leges fer- citas præmiis et pœnis, quas ab iis minime bservari probe nosset, nisi eos constanter af- quod tamen erga omnes facere minime consti- erum hic non est locus confutandæ ejus sen- ; hoc tantum diligenter memoriæ mandandum cunque Augustinus *liberum* hominem agnoscit s post controversias Pelagianas conscriptis, id sententia valde improprie intelligendum, cum ertissime doceat hominem et se et liberum m perdidisse. Audiamus et sequentem com- nem : *Sicut enim* inquit, *qui se occidit, utique se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se- poterit resuscitare cum occiderit ; ita cum libero tur arbitrio, victore peccato, amissum est libe- bitrium.* A quo enim quis devictus est, huic et addictus est (*II Petr.* II, 16). Ut comparatio- a comparatione eludam, dicam ut nemo fit in rvus, nisi invitus, et quamprimum libertatem are potest, occasionem avide arripit : sic quo- minem, qui se a peccato victum animadvertit, servitutis incommoda sentit, si quis eum me- ceat, peccato libenter valedicere. Sed ut Ada- o peccato non potuit amittere omnem liberta- nec una proba actione peccandi consuetudi- isquam delere potest. Vicit quidem peccatum, servi facti sunt homines, quia ei parere vo- ; sed nihil vetat ut nolint ei obsequi, præter ndinem, quæ paulatim vinci potest ; ut liquet quod Deus omnes homines ad pœnitentiam Ex locutione translatitia, qualis est *servire* , non ita ratiocinandum quasi ut captivus ami- rtatem corporis, quam recuperare nequit dum est : sic qui *servus* est *peccati* nunquam ejus tionem excutere posset. Neque enim homi- ptivum, catenisque vinctum, et carcere clau- ortatur quisquam ut excussis catenis carcere t nisi faciat indignatur, quia omnes norunt e hoc in ejus potestate ; at homini nequam indignantur, cum nullam rationem habet ad- num eorum a quibus ad meliorem frugem revocatur ; quia nemo putat eum ulla necessitate teneri quominus malis moribus valedicat.

Pergit Augustinus : *Petri certe apostoli est ista sententia, quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat ? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit ; ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est.* At quo libentius peccato serviunt homines, eo magis ei sunt addicti et mancipati ; sed eam servitutem sensim excutere possunt. Aliud est *liberaliter hero servire*, aliud *libere servire.* Prius esse potest, si servus herum amet, ejusque caritate libenter ad parendum adducatur ; at posterius esse nequit, quia repugnat liberum esse qui servit ita ut servitutis jugum excutere non possit. Itaque ex sententia Augustini negandum est servum peccati ullo modo liberum esse, si proprie loqui velimus. Verum ille sæpe improprie loquebatur, quia paucorum aures aliter loquentem ferre poterant.

Unde, inquit, *ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas, propter recte facti libentiam* (assentior enim Benedictinis ita legentibus, pro *lætitiam* aut *licentiam*, ut habent aliæ editiones et libri), *simul et pia servitus, propter præcepti obedientiam.* Hinc videmus regeneratorum, qui, ex Augustini sententia, ineluctabili afflatu aguntur, nullam etiam esse proprie dictam libertatem, si illi credimus, sed tantum parendi *libentiam*, quæ rhetorice, non vere, libertas dici potest. Vox *libentia* occurrit apud A. Gellium lib. XV, cap. 2 : *Cui libentiæ gratiæque omnes conviviorum incognitæ sint, quique illorum omnino expers sit ; si eum forte ad participandas ejusmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas compulerit, deliniri plerumque et capi ;* nimirum, dicit Plato similiter in Veteri Onomastico : *lubentia*, εὐπάθεια. Quæ quidem significatio nonnihil distat ab Augustiniana, nam *libentiam* vocat eam affectionem animi qua libenter quidpiam facit ; Gellius vero et Onomasticon, voluptatem ; sed tamen, non analogice tantum formatam vocem *libentia*, sed et usitatam ostendunt. *Sed ad bene faciendum ista libertas* (imo libentia) *unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat cujus illa vox est* (*Joan.* VIII, 36) : Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis ? *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat ?* Quam cohibet Apostolus dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem* (*Ephes.* II, 8). Revera libentia illa recte faciendi non nascitur in homine malo, nisi liberatione Filii ; qui præmiis et pœnis in Evangelio, cœlestis veritatis luce fulgente, homines servituti peccati eripit, sed nulla tamen necessitate, ut nec ulla necessitate eos in officio continet ; quo modo non *libenter* tantum bonis factis adhærent, sed et *libere.* Nec quisquam potest jactare liberum arbitrium, antequam eo recte utatur ; nec postquam recte usus est, gloriari tamen potest, ut ostendimus ad tom. II,

epist. 175, § 2. Fides sane *Dei donum* est, sed invitis tamen non donatur; invitis enim rapere possis, invitis dare nihil possis. Ac sane Deus fidem dat, quod sit auctor doctrinæ quæ credenda proponitur, quod homines eam nuntiaturos ad nos miserit, et omnia fecerit quæ ad persuadendam veritatem liberis creaturis a Deo fieri debuerunt. Verum hæc satis superque de libertate, cætera quæ habet Augustinus non attingemus. Sed intelligere facile licet bono viro multo plus cordi fuisse Laurentium controversa illa sua dogmata, quam Christianam religionem, docere.

Cap. 94, § 24. *Apertissime namque Dominus dicit*: Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. *Nec utique Deus injuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse,* SI VELLENT.] Benedictini testantur viginti quinque codices antiquos habere hic SI VELLET, quemadmodum legit Petrus Lombardus, legendumque censuerunt Lovanienses et alii. Ac sane sententia ipsa Augustini et sequentia ita legendum suadent. Sensus est: cum possent servari si Deus voluisset, juste noluit esse salvos; quamvis rationem ejus rei nesciamus, si cum aliis damnati non melioribus conferantur. Attamen editiones et undecim mss. habent SI VELLENT, quod nimirum exscriptores aut critici magis attenderent rem ipsam, et receptam suo tempore sententiam, quam Augustini mentem. Ac sane sequentibus sæculis, cum totus ferme Occidens in Pelagianismum aut Semipelagianismum (cur enim hoc dissimularetur?) esset delapsus, nec tamen exuisset cæcam illam reverentiam qua superiores ætates erant Augustinum prosecutæ; in eo sententiam suam invenire voluerunt, ne eum damnare cogerentur, quem magni faciendum acceperant. In hoc præsertim loco, minus acutis facile persuaderi potuit esse legendum *vellent*, quod *justitiæ* meminisset Augustinus; quæ nulla profecto est, si longe maxima pars hominum, culpa Adami, cui Deus necessarium prorsus remedium afferre noluit, non potuerit velle servari. Vult tamen Augustinus inesse ei rei justitiam, sed quam in altera demum vita intelligemus.

Eo facilius in errorem delapsi sunt, quod Augustinus, ne Scripturæ contraria affirmare aperte videatur, interdum dicat homines ideo non esse servatos quod noluerunt. Audi quæ habet cap. 97: *Quamobrem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum* (*I Tim.* II, 4), qui omnes homines vult salvos fieri. *Cum enim non omnes, sed multo plures non fiant salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt.* Hæc erat, nempe, sententia omnium Christianorum, qui solebant ita loqui, eaque nixa iis quæ de bonitate et justitia Dei et recta ratio et Scriptura docent. Nec ulla est in ea re difficultas, cum enim Paulus dicit Deum *velle omnes homines salvos fieri*, hoc ita intelligendum non est, quasi Deus vellet ipse homines, nulla ratione habita e luntatis, volentes nolentes æterna beatitat Deus vult omnes homines salvos fieri, quia communem pœnitentiæ legem tulit, qua salvi fieri possint et quam revera observar si velint; et quia neminis animus usque pravatus est, ut beneficiis quæ Deus in omi nes spargit, paulatim certe emendari nequ quam fert Deus hominibus et ex qua pen observari ab iis non posset, quamvis hon lent; aut si essent ita affecti ut voluntas ill Deo nasci in iis non posset, nisi Deus eos a eluctabili movere dignaretur, quo nollet or nari: tum vero negandus esset Deus homin velle salvos fieri.

Subjicit Augustinus: *quod quidem dici d non potest, quorum nondum est velle seu* quis eum docuit parvulos damnari, cum aperte dicat ad tales pertinere regnum c *Sed apertius*, inquit, *Dominus in Evangeli lans impiam civitatem*: Quoties, *inquit*, volui filios tuos, sicut gallina pullos suos, et nolui *quam Dei voluntas superata sit hominum v infirmissimis nolendo impedientibus, non potu potentissimus quod volebat.* Sed aliud est vell afficere obsequium naturarum liberarum, obsequi nolint; aliud facere ipsum ut creat felices. Posterius semper Deus facit, quai prius non facit, quia non vult effectum d volente creatura, cui ullam vim afferre nolu inanis est exclamatiuncula quæ sequitur: *est illa omnipotentia qua in cœlo et in terra or cunque voluit fecit, si colligere filios Jerusal et non fecit?* At quis nescit Deum, propositi non uti omnipotentia sua ut observentur, iis libere pareri? Quis ignorat, si Deus creaturarum nullam rationem habere vell eum quidvis ab iis extorquere? Itaque n omnia Deus quæ vult facit, cum vi creatura libertatem concessit, non expugnat: quia vult facere. *An potius illa quidem filios suo colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios ej ipse quos voluit? Quia in cœlo et in terra non voluit et fecit, quædam vero voluit, et fecit, quæcunque voluit fecit.* Sed quis non videt conqueri quod pertinaciam Jerosolymitari adhortationibus, nullis miraculis flexisset? si paucos quosdam afflatu ineluctabili alli tum statuerat, idque effecerat, nihil erat q reretur. Deus omnia facit, quæ vult ipse fac negat? Sed non facit quæ vult a creaturis lil quia earum libertati vim non infert. Au agnoscendum, aut negandum cum nonnul ullas leges ferri proprie dictas, sed tantum electis, quod ipse in iis facere vult; ad r vero quod attinet, Deum nolle eos legibu quia probe novit eos non parituros, nec pos ac eos damnatos cupit. Quæ omnia cum r atque institutis Christi et apostolorum pugna

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE AGONE CHRISTIANO.

15, § 17. *Nec eos audiamus qui indignantur* achantur *quia non tres Deos colendos dicimus.* t *enim quid sit una eademque substantia, et* matis *suis illuduntur, quia solent videre corpo-* vel *animalis tria, vel quæcunque corpora tria* is *esse separata. Sic putant intelligendam sub-* n *Dei, et multum errant*, etc.] Videtur eos in- e qui objiciebant synodo Nicænæ *tritheismum*, iam memorat Gregorius Nazianzenus oratione . 607, ubi eorum objectioni respondere co- Vide hac de re ipsum quoque Augustinum itate lib. VII, cap. 4, et si ita videatur, do- m virum Dionys. Petavium Dogm. theologi- tom. II, lib. IV, cap. 2, ex editione Amstelo- i, unde quid senserit Augustinus ex notulis iquebit.

20, § 22. *Verbum in principio per quod facta* nia, *non sic assumpsit hominem illum ut cæte-* tos, *sed multo excellentius multoque sublimius ;* o *ipsum solum assumi oportuit, in quo Sapien-* inibus *appareret, sicut eam visibiliter decebat* .] Sapienter sane et ut theologum decet loqui- Augustinus, de ineffabili conjunctione divinæ cum homine ; sed postea exortis Nestorianis ersiis, cum omnia odiis ac contentionibus ar- dum volunt audaciores theologi explicare sciunt, omniaque novis nominibus insignire, ifficultatum mæandros inciderunt, ut sese ex- nequeant, et risum male sentientibus moveant. tas rixas, quidquid vulgo dici aliter hac de t, melius et candidius homines loquuntur de uæ postea in controversiam veniunt, quia mi- ctibus præpediuntur, nec victoriam quærunt, itatem.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CATECHIZANDIS RUDIBUS.

5, § 9. *Si enim aliquod commodum exspectando* inibus, *quibus se aliter placiturum non putat,* uod *ab hominibus incommodum devitando, quo-* nsionem *aut inimicitiam reformidat, vult fieri* inus ; *non fieri vult potius quam fingere. Fides* on *res est salutantis corporis, sed credentis* Editores Parisienses ita habere testantur me- otæ mss. codices, non *salvandi corporis* ; in- nturque, *salutem, seu assensum gestu signifi-* At malim interpretari *salutantis* hic, eodem e dicebant Latini *salutare imperatorem*, hoc re. Sensus est fidem non esse corporis salu- tium nomine *fratris* aut *Christiani*, sed cre- nimi. In veteribus glossis *salutatio* non tan- πασμὸς, sed et προσηγορία vertitur. Cæterum ore, facile poterant ethnici spe aut metu ad- fierent Christiani ; nam Christianis propositi onores in aula, quos facilius assequebantur thnicismo pertinacius adhærentes ; propositæ ; dignitates ecclesiasticæ minime contemnen- tra ethnicis multa erant timenda, præsertim A si avitæ religionis studio flagrantes a sacris faciendis abstinere nollent, quæ erant constitutionibus imperatorum Christianorum vetita.

Cap. 9, § 13. *Noverint* (grammatici aut oratores qui catechizantur, cum Christiani fieri volunt) *etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum* ; *ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare* ; *vel eadem verba quæ pronuntiant, non intelligere, perturbateque distinguere.*] Pigri sane fuerunt et indigni qui publice conciones ad populum haberent, aut preces coram eo funderent ; qui cum uni linguæ Latinæ, nec eæ Ciceronianæ, sed qualem ætas illa ferebat, operam dare deberent, ne eam quidem ita discebant, ut sine crassioribus peccatis dicere aut legere possent. Magnam vero et memorandam difficultatem discere bene loqui lingua vernacula, cum nullis aliis studiis destineris ! Sed quid facias illis sæculis quibus erant episcopi qui ne scribere quidem norant, ut liquet ex subscriptionibus conciliorum ?

Capite V et seqq. multis persequitur causas tædii, quo catechistæ afficiebantur, cum rudiores erant instituendi, cum catecheseos duas formulas proponit, alteram longiorem, breviorem alteram, ad quarum exemplum possent sacerdotes se componere. Non dicam eas parum accuratas esse descriptiones religionis Christianæ, et declamatiunculas potius extemporaneas videri quam elaboratas Christianismi enarrationes ; sed mirum esse Augustinum auctorem non fuisse erudito presbytero conscribendi libelli, quem legendum præberet catechumenis, et de quo postea quæstiones eis proponeret ; aut ipse prælegeret, et explicaret, ut hodie fit. Commodius multo hoc fuisset et catechumenis et catechistis, quam quod hic habet.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN LIBRUM DE CONTINENTIA.

Libellus pius, nec indoctus ; Augustini non esse phrasis arguit. Mihi videtur Hugonis Victorini. (*Sed vide editores Parisienses in admonitione huic libello præfixa, ubi Erasmum confutant.* PHEREP.)

ANIMADVERSIONES

IN EUMDEM LIBRUM.

Cap. 3, § 6. *Sed aliud est bene pugnare, quando mortis contentioni resistitur* ; *aliud adversarium non habere, quond tunc erit quando mors novissima inimica destruetur.*] Recte notarunt monachi Benedictini respexisse Augustinum ad I Cor. XV, 55, *Ubi est, mors, contentio tua ?* Sic enim citat Augustinus hunc locum, quasi esset scriptum, Ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νεῖκος, non vero νῖκος, victoria, ut est in nostris codicibus. Non tantum affinitas scripturæ, sed et pronuntiationis similitudo fallere interpretem potuit. Attamen Ambrosius epist. 44 ad Horontianum, sic profert hunc locum : *Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est mors, aculeus tuus ?*

Cap. 6, § 16. *Non autem potestas Deo defuit talem facere hominem qui peccare non posset ; sed maluit*

eum talem facere cui adjaceret peccare si vellet, non peccare si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens; ut prius essent bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non posse peccare.] Hæc sunt intelligenda non de solo Adamo, sed et de quibusvis hominibus; alioqui non solveretur objectio eorum qui excusabant peccata sua, quod Deo non displicerent, qui alioquin ea non pateretur. Non enim sermo est de eo quod habuit Adamus, sed de eo quod habent singuli homines, in ea conditione in qua nunc sunt.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE BONO CONJUGALI.

Cap. 2, § 2. *Sive ergo, sine coeundi complexu, alio aliquo modo, si non peccassent, habituri essent filios,* etc.] Ea de re vide quæ ipse comminiscebatur Augustinus in opere de Civitate Dei lib. XIV, capp. 23 et 24.

Cap. 13, § 15. *Illis vero temporibus* (patriarcharum) *cum adhuc propheticis sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales* continentes) *erant, officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate; quibus si optio talis daretur qualis revelato Novo Testamento data est, dicente Domino: Qui potest capere capiat*; *non eos dubitat* (Lege *dubitet*) *etiam cum gaudio suscepturos fuisse, qui diligenter intentus legit quomodo conjugibus utebantur, cum et plures habere uni viro licebat, quas castius habebat, quam nunc unam quilibet istorum quibus videmus quid secundum veniam concedat Apostolus.*] Multum in hoc commento sibi placuit Augustinus; cum id sæpe repetat et confidenter proferat; quia inserviebat ad compescendos Manichæos, homines imperitos ac fatuos, qui solebant detrahere antiquis patriarchis, propter polygamiam. Plura etiam ea de re habet in sequentibus. At qui legent Vetus Testamentum paulo studiosius, animadvertent facile priscorum patriarcharum ætatem fuisse veluti veræ religionis infantiam, in qua multa Deus tolerabat quæ nunc adulta religione amplius non ferret; et in qua fidem cæterasque virtutes probabat, pro modo revelationis et captu illius ævi. Illi ergo fuere instar cæterorum virorum, qui non tantum prolem quærebant, sed et cætera quæ in conjugio quæri solent, nec cogitabant de iis quæ nobis narrat Augustinus, et quorum in Vetere Testamento nec vola, nec vestigium. Dolendum est eum passim non quod verum esse accurato examine adhibito compererat, sed quod expediebat dici, et ῥητορικώτερος apud imperitum vulgus poterat tractari protulisse.

Sed non potest non laudari quod habet cap. 23, § 29. *Majus est bonum obedientiæ quam continentiæ. Nam connubium nusquam nostrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur.* Unde merito colligit si conjugata præceptis Evangelii fidelius pareat quam virgo, meliorem esse. Sed censet, cæteris omnibus paribus, præstantiorem esse virginem quam nuptam; quod non ita videtur, nam usu conjugii homines ingratiores Deo non fiunt, si cæteroqui reliquorum Evangelii præceptorum observantes sint, quam usu ciborum bene conditorum, aut sponte naturæ gratorum quibus natura nostra carere n

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE SANCTA VIRGINITATE.

Cap. 4. De Maria Virgine: *Ipsa quoque vir ejus ideo gratior et acceptior, quia non eam con Christus viro violaturo, quam conservaret ipse, puit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicata qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba quæ sibi annuntianti angelo Maria reddidit:* Quomod *quit,* fiet illud, quoniam virum non cognosco? *profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vov* Atqui ex hisce verbis Mariæ liquet potius in annuntiatione, vers. 31, hoc comprehensum eam e vestigio concepturam, antequam cum vi desponsata erat concumberet. Vide Luc, I. 27. inania sunt quæ sequuntur: *Sed quia hoc Isr rum mores adhuc recusabant, desponsata est vi sto, non violenter ablaturo, sed potius contra vic custodituro quod illa jam voverat.*

Cap. 12, § 12. *Habeant conjugia bonum suum quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite pudice, quia socialiter procreant, et procreatos p salubriter, instanter educant, quia thori fidem i servant, quia sacramentum connubii non violant.* omnia maximi esse momenti nemo negarit, cun societatis humanæ fundamenta contineant, nec recte possint omnia sine summa virtute. Pe enim multa imminent conjugatis, multæ tenta incumbunt, ex quibus sese, ut Christianos expedire semper non est facile. Ferenda sæpe i sa ingenia, resistendum pravis conjugis cupidita occultanda ac molliter emendanda delicta aut gum aut liberorum; quod non est exiguæ m tionis, constantiæ et prudentiæ. Labore qua sunt plerisque patribusfamilias sumptus, quos peditent uxori et liberis; gerenda est eorum cu in nimia paupertate relicti tentationibus succum quæ sine cujusquam injuria facere, et æquo omnibus honestis laboribus defungi, est sane b prudentis viri. Inter hæc omnia divini cultus n rem esse, et ad Deum omnia referre, suisque plum religionis esse, est hominis vere sancti ac giosi. At qui cælibem vitam agunt nullius cura runt nisi sui, nec indigent tanta virtute ad se sustentandos, et viam virtutis calcandam, quæ minoribus periculis cincta est. Atqui, inquies, bes spernunt voluptatem conjugii, qua in re n animo opus est. Verum si ea sint temperation poris ut conjugium non possint non appetere, faciunt qui ab eo abstinent; nam *melius est quam uri.* Quod si natura frigidiores nullo ejus appetitu tententur, exigua sane virtus est ab e stinere quod minime cupias. Scio objici verba I Cor. VII, 32 et seqq., ubi docet conjugatos esse quomodo sibi invicem placeant, deque rebu jus mundi; cælibes vero cogitare quæ Domini Sed hæc non obstant quominus facilius sit ac pr minoris virtutis in cælibe vita quæ sunt Domi gitare, quam in conjugata, in qua multis neces

omines distrahuntur; ad quas curas ita animum re, ut semper de præceptis Evangelii cogites, bitum ea perfringendi ullum contrahas, non aris sanctitatis. Paulus habet quid vulgo fiat gatis, non quid fieri debeat; et vice versa quid beat a cælibibus, et facile etiam fieri possit, id revera fiat. Cælibatus alioqui non est res r se magis placeat Deo quam matrimonium; lemum ei gratior, in alterutro sit statu, qui torum ejus est observantior. Ea autem intercidunt tempora quibus præstat vitare connuam eo illaqueari: qualia sunt tempora grapersecutionum, ut ætas apostolica. Atque eo espicit Paulus vers. 26 ejusdem capitis, ubi prose ita loqui propter *instantem necessitatem*. Qui obe expenderit non multum movebitur rhetorimentis quæ in hoc libro deinceps sequuntur.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN LIBRUM DE BONO VIDUITATIS.

dictionis facilitas, et candor clamitat non esse ini. Probabile est esse Juliani, cujus exstat ad Demetriadem de Virginitate. Nam et oralum congruit, et hic bis citat eum libellum. men quædam de libero arbitrio quæ videntur correcta. Adde quod titulus alienissimus sit istini consuetudine. Hunc affinxit aliquis, ut um alioquin pium gratioso nomini vindicaret. *hac censura vide admonitionem editorum Pari- huic libro præfixam.* (PHEREP.)

ANIMADVERSIONES

IN EUMDDM LIBRUM.

9, § 12. *In conjugali quippe vinculo, si pudi- servetur, damnatio non timetur; sed in viduali nali continentia, excellentia muneris amplioris r; qua expetita et electa, et voti debito oblata, solum capessere nuptias sed etiamsi non nu- bere velle damnabile est.*] Ante omnia ostenfuisset Deum alicubi in Novo Testamento sse sibi accepta esse talia vota; quod profei non constat; imo vero nihil tale usquam atis mihi constat. Deinde fac talia vota Deo esse, ea demum accepta erunt quæ fient a bus quæ suæ temperationis sibi probe consciæ entur quod præstare possunt, non quod nepræstare. Nam si juvencula quæpiam vidua, o nuper amissi viri confecta, et præ mœstitia is sui compos voveat perpetuam viduitatem, sedato luctu, intelligat se amplius servare non an ejusmodi temerarium votum gratum Deo nputo. Itaque superest ut veniam a Deo petat tevoti, et castum ineat connubium, potius quam otum temerarium servare, in perpetuo verriculo, et uratur interea dum virum nacta sit. Augustinus auctoritate Apostoli hanc in rem *Nam, ut hoc demonstret Apostolus, non ait:* deliciis egerint, in Christo *nubunt, sed:* Nuunt; habentes, *inquit*, damnationem, quoniam fidem irritam, fecerunt; *et si non nubenem volendo, quia ipsæ nuptiæ vel talium dam-* *nandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides*, etc. Sed ante omnia observandum Paulum agere non de quibusvis viduis, sed de iis demum quas Græci diaconissas vocabant; quæ variis usibus ecclesiasticis adhibebantur, oblationibusque Ecclesiæ alebantur. Optandum erat has postea non nubere, multis de causis, et præsertim quidem quia non erat commodum Ecclesiæ subinde aliarum atque aliarum ministerio uti; timendumque erat ne si nuberent ethnicis, qualia sine dubio multa fiebant tunc temporis matrimonia noceret hoc Christianis. Atque hoc omnino significare videtur Apostolus hisce verbis I Tim. v, 11, ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσι, hoc est, *cum enim immodestius se contra Christum gesserunt, nubere volunt.* Sententia est, si quid commiserint quod Christianas viduas dedeceat, propterea que castigentur, volunt nubere, Ecclesiæque valedicunt. Quod addit Apostolus eodem pertinet: *habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.* Intelliguntur vulgo hæc verba de fide data Ecclesiæ, cui promiserant se posthac ea curaturas quæ iis committebantur; sed nescio an non de ipsa fide Christiana sint intelligenda, quam irritam facerent nubendo ethnicis, quorum religionem sequebantur. Certe hoc non significari nulla sat firma ratione ostendi potest. Scio ab Augustino aliter interpungi hunc locum, hoc modo: *cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt;* sed jam nemo paulo doctior dubitet an interpungendum sit ut antea fecimus; nam ita necessario Græcæ phraseos ratio postulat.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE CONJUGIIS ADULTERINIS.

Cap. 1. LIBRO I, § 1. *Prima quæstio est..... quod ait Apostolus* (I Cor. VII, 10 et 11): His autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat; *utrum ita sit accipiendum, ut eam prohibuisse nubere intelligatur, quæ sine causa fornicationis discessit a viro; id enim sentis: an, sicut ego sensi..... illas innuptas manere præceperit quæ a viris suis ea causa recesserint, quæ sola permissa est. id est fornicationis.*] Quamvis Paulus respiciat ad verba Christi quibus vetat conjuges, excepto casu adulterii, separari, iisque utatur ad impediendas dissolutiones matrimonii, quæ quavis de causa fiebant apud Græcos suis legibus utentes; non sequitur quod vult Augustinus, non licere adulterii causa publico judicio separatis novas nuptias contrahere. Nam quamvis ex legibus Christi non liceret, ulla de causa præter adulterium, dimittere conjugem; non sequitur Græcos, recens ad Christianam religionem adductos, pristinis moribus non esse interdum abusos. Hoc satis indicat Paulus cum dicit, *quod si discesserit, manere innuptam;* nam hinc liquet ejusmodi discessum non probari Apostolo. Sed consulendi recentiores interpretes ad locum Pauli, et alios Novi Testamenti, quos hanc in rem profert Augustinus, longum enim esset omnes ejus παρερμηνείας excutere.

LIBRO II. Cap. 6, § 5. *Nonnulli modicæ fidei, vel potius inimici veræ fidei credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit auferrent de codicibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit:* jam deinceps noli peccare, *aut ideo non debuerit a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani.*] Videtur indicare Augustinus abrasam a codicibus eam solam particulam quam memorat. Mirum est Augustino non innotuisse integram historiam defuisse in plerisque exemplaribus Græcis. Ac sane Theod. Beza et H. Grotius ostenderunt graves esse rationes dubitandi de tota hacce historia. Vide et quæ adnotata sunt a Joanne Clerico in additamentis H. Hammondi.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE MENDACIO.

Cap. 5, §7. De exemplis eorum qui in Vetere Testamento mentiti dicuntur: *Credendum est,* inquit, *illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur omnia quæ scripta sunt de illis prophetice gessisse atque dixisse; nec minus prophetice iis accidisse quæcunque sic acciderunt, ut eodem prophetico spiritu memoriæ litterisque mandanda judicarentur.*] Nescio cui *credendum* hoc velit Augustinus, nam sane nusquam Scriptores sacri hoc sibi credi voluerunt. Historia optimorum quorumque qui temporibus propheticis vixerunt, historia est, non prophetia; nec dissimulat vitia et delicta patriarcharum et prophetarum ipsorum, ut Davidis; non quia ea vitia delictave habent aliquid propheticum, sed quia hoc postulat veritas historiæ, et lectorum etiam utilitas. Hinc enim intelligimus quanta diligentia cavendum sit a peccato, in quod inciderunt etiam viri alioqui laudati; et si forte, per imprudentiam infirmitatemque in id delapsi fuerimus, non esse desperandum de misericordia divina. Præterea si leges Veteris Testamenti et leges Novi comparemus, intelligemus facile antiquis temporibus fuisse veluti religionis infantiam, in qua multa ferebantur quæ nunc minime ferrentur; eritque cur Deo gratias agamus quod nos ampliori luce donaverit, majoribusque aut certe clarioribus promissis nos a peccando revocaverit. Hæc aliaque, quæ per se patent, et ex rebus ipsis necessario nascuntur dicenda sunt potius quam fingamus quidlibet, ut allegorice simplicissimas historias interpretemur.

Subdit Augustinus: *De obstetricibus autem* (de quibus Exod. I, 16) *quia eas non possunt dicere prophetico spiritu significandi futuri veri gratia, aliud pro alio renuntiasse Pharaoni; etiamsi aliquid, ipsis nescientibus, quod per eas actum est significavit, pro gradu suo dicunt approbatas et remuneratas a Deo. Qui enim nocendi causa mentiri solet; si jam consulendi causa mentiatur, multum profecit.* Verum quod facto obstetricum aliquid significatum ait Augustinus eorum nomine quorum sententiam refert, id quid est, præter somnium. Si talibus, quæ omni verisimilitudine destituta sunt, pondus tribuatur, quid tandem habebitur leve? Sed sunt multa quæ et dicuntur et repetuntur, duntaxat quia aliquando a celebri scriptore prolata sunt, a quo auctoritatem trahunt: quamvis negata ab aliquo, qui sine argumentis persuaderi mera auctoritate fallacium hominum sibi nihil patitur, abeunt in auras. Deinde quis non videt mendacium obstetricum, quod prolatum erat non eo fallendi animo ut fallacia noceret et quod nocere revera nemini poterat, cum præsertim nulla alia ratio esset vitæ infantium consulendi, maximum fuisse officium humanitatis? Nemo certe non eo modo delinqueret: et delinquere se debere censeret, si se ejusmodi occasio daret. Ponenda sunt tantum tria quæ diximus, primum est nullum esse oportere animum nocendi mendacio; alterum ejusmodi debere esse mendacium, quod nocere revera non possit: tertium denique non esse aliam viam qua imminens malum vitetur. In hisce sane circumstantiis licitum esse debet mentiri, si non illicitum sit joco mentiri, quod per Augustinum licet. Vide cap. 11. Nec putes qui usque adeo ab utili et necessario mendacio abhorrere se dictitabant, tam rigidos fuisse veri satellites, ut nunquam emolumenti causa mentirentur. Contrarium persuadent tot ficta miracula, ad venerationem plebis quibusdam ecclesiis ac basilicis conciliandam, totque rhetoricæ fictiones in disceptationibus cum hæreticis, quæ in multis scriptoribus utramque paginam faciunt. Sed, si liceat id quod suspicamur pro loqui, non alia de causa multi in licita mendacia, qualia descripsimus, tam acriter invehebantur, quam ut postea in rem suam fructuosius mentirentur. Simpliciores enim homines non suspicabantur ab iis sibi fucum fieri, qui tam infensos profitebantur se mendacio. At a tot sæculis videmus, mutatis duntaxat personis, eam fabulam agi, hominesque omnium sæculorum tam multis in rebus sibi similes esse, ut jam tandem prudentiores esse debeamus, aut dignissimus qui ludibrio habeamur, et vel a Cappadocibus fallamur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM CONTRA MENDACIUM AD CONSENTIUM.

Cap. 7, § 17. *Si propterea justa sunt, non qualiacunque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt ut occulti hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria.*] Merito sane invehitur Augustinus in eos qui improbe simulabant se esse Priscillianistas, ut eos quos putabant occultare apud animum suum hæresin Priscilliani, retegerent. Etenim animo nocendi miseris Priscillianistis hoc fiebat, ut cum iis legibus contra hæreticos latis ageretur. Hæretici autem habendi erant, ex lege Arcadii anno 395 lata, *qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis et tramite detecti fuerint deviare.* Est vigesima octava tituli 5 lib. XVI codicis Theodosiani. Deinde impium fuit simulare se esse Priscillianistam iis qui opiniones Priscilliani pravas esse putabant; quales revera erant, si eæ fuerunt quas a scriptoribus ecclesiasticis scribuntur. Noxium autem fuit veritati et contrarium divinis præceptis veritatem in re gravi non profiteri: ac proinde ne ea-

m de ratione talia mendacia innoxia haberi runt.

. 18, § 37. Postquam quæsivit an patri ægrosit dicendum filium esse mortuum, ne pater ia moriatur, subdit : *Huc accedit, ubi miserabifulandum est quod si concesserimus pro salute egri de vita filii ejus fuisse mentiendum, ita pauminutatimque succrescit hoc malum, et brevibus bus ad tantum acervum mendaciorum sceleratosim subintrando perducitur. ut nunquam possit inveniri, ubi tantæ pesti per minima addita- in immensum convalescenti possit obsisti.*] Sed nendaciorum decursui modus facile imponitur e ad superiorem librum notavimus ; si, nempe, am mentiamur, nisi ubi mendacium ita prodest ut nunquam nocere ulla in re possit, et quia ut necessitate eo adducamur. Ac sane pii, qui icio utili et necessario aliquando usi sunt, nolt tamen pejerare, blasphemare aut quidaliud facere quod divina lege prohibitum sit ; sque etiamnum hodie sic affectos esse puto. osito, corruunt quæ paratragœdiatur orator la, si semel concedatur aliquando licere menuti, fore ut ad perjuria et blasphemias, imo et ipra deveniatur : cum hæc proderunt iis in m gratiam admittentur. Talia contendimus semse mala, nec unquam posse prodesse, quicunngatur casus ; nec est ejusdem naturæ mendain indifferentibus situm rebus, quæ ad virtunt veritatem in genere spectatam nihil faciunt. mnat, inquies, Scriptura uti stuprum, ita et icium. Nimirum, noxium, et quod fit aniccendi ; nam hoc semper est contrarium husocietatis legibus, quemadmodum et stuprum. pli causa, verba psaltæ psal. v, 6, 7. *Odisti qui operantur iniquitatem ; perdes omnes qui itur mendacium ; virum sanguinum et dolosum abitur Dominus :* quis dubitet spectare fraudun mendacium, in detrimentum perniciemque m excogitatum ? Verum hæc satis superque.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE OPERE MONACHORUM.

im est per Orientem perque Africam, ubi priingentia monachorum examina esse cœperunt, eos in solitudinibus suis manibus laborasse, ut n saltem victum sibi compararent. Sed cum in irrumpere cœperunt, maluerunt, labore illo celomisso, ex oblationibus religiosorum homivere ; ex quibus tandem, ut videmus, maxipes sibi conflarunt, præsertim antiquiores or- Contra hosce homines hoc opusculum, rogatu Carthaginiensis episcopi, scripsit Augustiujus argumentum optime expresserunt monaedictini. *Primum*, inquiunt, *demonstrat Apodedisse servis Dei præceptum et exemplum faoperis corporalis, quo victum et vestitum sibi prout. Deinde ostendit evangelica illa præcepta, uam monachi illi non solum desidiam, sed etiam arrogantiam fovebant, apostolico præcepto non esse contraria.* Candide sane, nec possunt non laudari, qui Augustini præceptorum memores honestiori multo et animi et corporis labori operam dederunt ; intelligo editiones Patrum, quas magno studio curarunt. Nam tametsi eo labore victum sibi non conpararunt, quod ex prædiis et latifundiis sat amplos fructus percipiant quibus sese sustentent, attamen omnibus digni visi sunt qui iis fruerentur, quicunque litterariam rempublicam ita juvarunt ; et præsertim quidem ii qui monasticæ modestiæ memores probum neminem momorderunt, dum de omnibus bene mereri videri volunt. Sed quid fiat tot fucis et mendicis, de quibus Erasmus in dedicatione ad cardinalem Fonsecam ? Ii sane legant et relegant hoc opus Augustini, ut si erudito labore sibi de necessariis prospicere nequeant, aut digni esse quibus ab aliis prospiciatur, manuum suarum opera hanc in rem utuntur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CURA PRO MORTUIS.

Cap. 1, § 2. Prolato loco II Cor. v, 10, ubi ita Apostolus : *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* ; ex quo singulorum post mortem sortem prorsus pendere ex anteactæ vitæ ratione liquet, unde sequebatur preces pro mortuis inanes esse, sic respondet Augustinus : *Hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos ; ac per hoc, secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint adjuvantur.* Sed locum aliquem Scripturæ, aut revelationem certam hanc in rem proferri oportuit ; qui enim norat Augustinus hoc velle Deum, ut preces Ecclesiæ prosint post mortem nonnullis ; cum altum sit ea de re silentium, et ubique ad mores præteritos defuncti sors ejus post mortem referatur ? Non enim satis est ut possit hoc fieri ; quam multa enim Deus non vult, quæ potuisset velle ? *Sunt enim*, inquit, *quos nihil omnino adjuvant ista* (Ecclesiæ pro iis defunctis deprecationes), *sive pro iis fiant quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari ; sive pro eis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis.* Nihil verius, nam quos aperte damnant leges Evangelicæ, ii propter preces superstitum servari nequeunt ; et quos aperte servatos volunt, ii non minus servabuntur, si taceant superstites quam si orent. Sed judice Augustino, sunt medii quidam generis quibus prosunt preces Ecclesiæ ; at hoc probandum ei fuit, nam Deum orare ut iis ignoscat de quibus nihil promisit, est verba perdere, et fortasse etiam eum offendere, qui coli vult non ut hominibus videtur, sed ut ipse jussit. Affert tamen postea Hipponensis episcopus locum Mach. XII, 43, et *in Machabæorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium.* Sed ubi lex talia sacrificia jussit, aut ubi Deus se adinventis ab hominibus sacris propitium fore promisit ? Nusquam. *Sed*, inquit, *et si nusquam in Scripturis veteribus* (*adde* et novis)

omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. At quis docuerat Augustinum a temporibus Apostolorum nullas pravas opiniones ac consuetudines sensim irrepere potuisse? Nullum Dei legitur hanc in rem promissum; eademque est ratio hominum in rempublicam ecclesiasticam, ac in civilem coeuntium, nec in hanc, magis quam in alteram, malæ consuetudines sensim irrepere possunt. Quod eo facilius contigit, quod cum quibusdam consuetudinibus magnum et certum lucrum ecclesiasticorum esset conjunctum; dualis est deprecatio pro mortuis, quæ nunc magno ære, per totum Occidentem, redimitur. De origine precum pro mortuis vide Joan. Fellum ad epist. 1 Cypriani.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN LIBRUM DE PATIENTIA.

Augustini non esse phrasis arguit, congruens cum ea quam habent libelli superiores. *Sed vide de hac Censura Admonitionem huic libro ab editoribus Parisiensibus præfixam.* (PHEREP.)

ANIMADVERSIONES

IN EUMDEM LIBRUM.

Cap. 15, § 12. *Sed vera patientia, quæ hujus est nomine digna virtutis, quæremdum est unde sumatur.*

Sunt enim qui eam tribuant viribus voluntatis [illegible] non quas habet ex divino adjutorio, sed quas ex arbitrio.] Ex quo Augustinus cœperat cum Dor et Pelagianis digladiari, eos εὐκαίρως, ἀκαίρως que aggreditur et insectatur, etiam ubi simil exspectares: quemadmodum Cicero Catilinar ctionis reliquias. Ac sane facile erat; nam s eadem repetebantur, eademque invidia miser flabatur. Sic hic ita distinguit *adjutorium* De *bero arbitrio*, quasi hoc quoque non esset donu minime patientis hominem in immedicabilia p vitia incidere, quia beneficio facultatum a De ptarum semper potest homo ea, si non sul sensim vincere. Ita infamat Pelagianos, quasi rent implorandum auxilium divinum, cum se plorare profiterentur, atque ex doctrina sua deberent. Sed hæc alibi jam attigimus, et copiosius commodiore loco persequemur. Nu sit morem Augustini indicasse, ne quis dub ejus sit hic libellus.

DESIDERII ERASMI CENSURA

IN SERMONES AD FRATRES IN EREMO.

Oratio consarcinata ex Augustini regula, nih qui habens Augustini. Artifex qui finxit, h ut ordinem qui Augustinensium dicitur orb mendaret. Itaque quotquot sunt hujus gen præfixo notavimus (*a*).

(*a*) Quoniam Benedictini omnes, hosce sermones, quorum plerisque θ præfixerat Erasmus, exceptis duobus, obelo critico jugularunt, 'nihil opus i eos quos vir summus damnarat, PHEREPON.

IN TOMUM SEPTIMUM.

JOANNES LODOVICUS VIVES

INCLYTO PRINCIPI HENRICO VIII ANGLIÆ REGI, HIBERNIÆ DOMINO, etc.

Ita comparatum est natura humanorum ingeniorum, clarissime rex, ut illos demum vere et ex animo admiremur quos in ea præstare videmus arte quæ maxime nobis inter omnes placet ac probatur. Alii aliis dediti sunt studiis ac exercitamentis. Sic fert natura rerum, ut hac varietate speciosus ac mirabilis consistat mundus: et tamen, ut inquit ille, *Suum cuique pulchrum.* Jam olim opibus et imperio tam late patenti, non armis et sanguine quæsito, sed a parentibus per manus tradito, et robore animi corporis, et virtute bellica, tum carus eras omnibus, tum etiam suspiciendus. Nunc vero postquam etiam, quantum ingenii viribus studiisque sapientiæ valeres documenta dedisti, major litteratis omnibus cœpisti esse ac admirabilior: non quin te antea permagni æstimarent; præsertim cum regno, cujus potestas majestasque est in terris secundum Deum maxima, animi clementiam probitatemque adjunxeris, quo verior fieres expressiorque naturæ Principis imago: qui ut maximus, ita est et optimus; ac prius quidem optimus quam maximus. Sed qui studiis dediti non perinde vel divitias suspiciunt, vel potentiam, quod esses quidem bonus, id in te complectebar amore prosequebantur ingenti; quod rex ess ita admirandum ducebant, cum et scelesti h sæpe reges fuerint, corporis etiam dotibus ir Ubi vero tua sacramentorum assertio prodi nihil vel elegantius fieri potest, vel purius, ctius, et uno uti verbo dicam, Christianius probitatis animi tui confirmatior reddita modo id fieri poterat: nam certissima firm que in omnium animis erat multis exempl clavis infixa, et admiratio jam apud omnes Nempe et apud illos qui amplius augustiusq putant potestate regia, et eos qui divi pra res universas constituunt; et qui corporis ribus, formæ, lacertis, agilitati plurimum tr et qui belli artium sunt studiosi, velut omni ac rerum domini: quo fit ut certatim princi nes amicitiam tecum, quibuscumque possint bus viisque, ambiant: omnes tibi sive fœde quod optatius est, sanguine jungi affectant privatorum tibi studia desunt, quæ ipse fulg rum virtutum facis: alios liberalitate seu mag tia potius alliciens, alios humanitate ac suavit rum, cunctos prudentia atque justitia, duab

regiis virtutibus. Qui cum talis sis, profecto impudentiam meam fateor, sæpe numero tibi innotescere affectavi: quoniam, hæc est mea sententia, laus non mediocris tibi vel notum esse. Et cum alias semper defuerit occasio, nunc seipsa sponte obtulit, paratis a me in Augustini libros de Civitate Dei commentariis, quos cum dispicerem cui dicare sic possem, ut tum aliquam ipse laboris mei gratiam inirem non omnino contemnendam: tum cui dicarentur, non perinde litteras dari existimaret, ac stipulas, et libros, ac sarcinas capsarum molestas; tum etiam ceu ad censorem gravissimum mitterem; qui unus si approbasset, suffragiis omnium probati commendatique viderentur, ipse multis nominibus rationibusque occurristi. Primum, quod ea es virtute ac doctrina, ut tibi etiam dicassem si privatus esses. Deinde quod viam hanc expeditissimam cernebam, qua voti facile compos fierem jam pridem concepti et nuncupati. Accedit huc, quod, quemadmodum experti narrant, obvius es ac expositus hujusmodi muneribus: quibus gratiora vix tibi ulla possunt contingere. Nam aurum, argentum, gemmas, vestes, equos, arma tibi qui offerat plane mari, quod aiunt, aquam, aut saltibus ligna. Et profecto ut aliis in rebus omnibus, ita in hoc quoque prudentissime agis, qui dignam virtute ac meritis tuis apud posteros gloriam libris doctorum hominum parari cogites: si non meis aut mei similium, certe facilem te et perhumanum litteratis exhibendo, in aliquem incides cujus stylo ceu penicillo quodam eruditissimo, effigies istius præstantissimi atque optimi animi depicta et formata immortalitati commendetur: nec ullo oblivionis operiatur situ, aut vetustatis injuria corrumpatur, et memoratu digna non taceat posteritas virtutum testis incorrupta, simul in gloriam tui jam olim cœlo redditi, quamvis leve hoc et negligendum, simul quod magnum imprimis est, et optandum in exemplum eorum qui tunc vivent. Præter hæc omnia congruit sive ingenio sive studiis tuis hoc opus, in quod Augustinus optimam eorum partem, quæ apud veteres legerat auctores, tanquam in thesauros conjecit: nempe, cum omnibus acutissimis, summa præditis et eloquentia et doctrina disputaturus. Quo factum est ut aliud agens magis optimarum rerum servarit reliquas, domiciliis earum et quasi sedibus unde prius peti solebant eversis. Itaque pro Varrone, pro Sallustio, pro Livio, pro Cicerone in libris de republ. magni posterioris ætatis viri hisce Augustini scriptis sunt adjuti: ut Hermolaus, Politianus, Blondus, Beroaldus, quæ tu omnia non ita leges, ut nova tibi et inaudita, sed ut vetera recognosces. Adde quod Augustini tuumque scribendi institutum eodem propemodum videntur pertinuisse. Nam ut tu contra Babyloniam pro meliore illa scripsisti Roma, ita et Augustinus contra Babyloniam illam veterem Romam Christianam et sanctiorem defendit. Congruit et magnitudini tuæ non opus meum, sed Augustini, sub quo ipse delitesco, sive auctor spectetur, sive materia operis. Auctor est Augustinus, vir, Deum immortalem, quam sanctus, quam doctus, quale specimen columenque reipublicæ Christianæ! quo uno multis ritibus, multis statutis, moribus, cærimoniis piis ac venerandis est illa innixa: nec injuria. Fuit enim in viro illo studium uberrimum, cognitio sacrarum Scripturarum exactissima, judicium acre et extersum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipse sincerioris pietatis diligentissimus propugnator, moribus mansuetissimis, et ad caritatem evangelicam effictis atque expressis, vitæque integritate sanctitateque insignis et adorandus: quæ omnia persequi ne volumine quidem justo possis, nedum epistola. Bene quod de scriptore agimus omnibus noto, tibi etiam familiari. Jam opus non est de filiis Niobe, quod aiunt, aut de portis Thebarum; non de sarciendis vestibus, aut parandis voluptatibus, non de agro colendo: quæ alioqui argumenta magis sunt quoque regibus dedicata; sed de utraque civitate mundi et Dei, quibus angeli, dæmones, hominesque universi continemur: ut natæ, ut educatæ sint; ut adoleverint, quo tendant, et quid, ubi ad metam percurrerint, facturæ. Quæ ut explicet, nihil neque profanæ prætermisit eruditionis, neque sacræ, quod non attingat et exponat. Romanorum res gestas, deos, sacra, et cærimonias, philosophorum placita, cœlorum terræque, tum angelorum, dæmonum, hominum originem. Hinc quibus initiis populus Dei creverit, et quomodo usque ad Christum Dominum deductus est; tum duæ civitates comparantur, Dei et mundi, regnaque adducuntur Assyrium, Sicyonum, Argivum, Aticum, Latinum, Persicum. Post hæc quid de Christo vates et ethnici, et Judæi prædixerint. Jam dicturus de vera felicitate, opiniones veterum philosophorum de illa confutat et refellit. Deinceps ut venturus sit Christus de bonis malisque pronuntiaturus judex vivorum et mortuorum. Ad hæc de sceleratorum suppliciis. Postremo de gaudiis piorum et æterna felicitate. Atque hæc omnia miro ingenio, maximo acumine, eruditione excultissima, stylo mundo et exterso, qualis auctorum per omne disciplinarum scriptorumque genus versatum exercitumque, et res illas magnas et præstantissimas, et eos quibuscum disputabatur, decebat. Leges itaque, clarissime et optime rex, iis horis, quas tu immensis regni negotiis atque occupationibus suffuraris, ut litteris et ingenii cultui impendas, simul nostros Commentarios degustabis: de quibus licet mihi dicere, quod Ovidius de suis Fastorum libris dixit cum eos Germanico Cæsari mitteret:

Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda deo

Quos si tibi non displicuisse sensero, nihil verebor ne parum aliis probentur. Quis enim adeo inpudens sit, ut a tam exacto judicio dissentire non erubescat? Quod si quis audeat, tua tamen vel tacita mihi patrocinabitur auctoritas. Vale, optime rex, et Vivem tibi addictisssmum quovis loco numera, modo inter tuos, Lovanii, nonis Juliis, 1522.

JO. LODOV. VIVIS VALENTINI,

IN SUOS COMMENTARIOS AD LIBROS DE CIVITATE DEI.

Quando de Augustino deque ejus opere, quantum quidem videbatur, sumus locuti, nunc cum lectore ipso aliquanto familiarius de hisce meis Commentariis libet paulisper commentari. Erasmus Roterodamus, vir adeo laudatus a plurimis, ut ad eum gloriæ cumulum nihil sit mea de illo prædicatio, aut perparum additura, cum post Hieronymum et Cyprianum recognitos, Augustinum quoque eumdem in modum perpurgare decrevisset, nec uni ipsi vacaret tantum operum librorum obire, aliis quoque magnis et præstantibus rebus occupato, alios sibi adjunxit sive operis socios, sive ministros: inter quos me etiam ascivit; cumque aliis, quod eorum esset et amplior eruditio, et ingenium felicius, et diligentia dexterior, graviora mandasset atque majora, mihi libros attribuit de Civitate Dei duos et viginti. Quod opus bona ex parte tum rerum gestarum fabularumque narrationibus; tum disputationibus philosophicis consumeretur; quibus rebus bonam ætatis partem videbamur impendisse, magno quidem conatu ac voto, utinam pari successu. Theologica tametsi multa inerant, tamen non ita forsan, ut aliis libris crebra, quanquam ab hac etiam sacrosancta disciplina nunquam alieni fuimus, quantum per ætatem nostram, et aliarum artium quæ nos mirifice ceperunt studia, licuit. Neque vero sic sum ad hoc ipse munus electus, tanquam optime rem exsecuturus; sed ne prorsus nullus esset qui hoc ageret, reliquis Erasmi amicis aliis in alias res intentis. Ac, ut verum fatear arripui opus ab Erasmo oblatum avidissime, pollicitus me postremam Commentariis impositurum manum ante secundum mensem aut tertium. Nam memineram me olim aliquot ejus operis volumina legisse, quæ mihi nec admodum erant visa mendosa, et satis facilia; ac ejusmodi, in quæ non parum ejus notitiæ antiquitatis, quam jugi paraveram lectione, possem effundere, ut eodem labore simul exercerem stylum atque ingenium meum, simul aliis mea studia nonnihil afferrent fructus, simul aliquam ingenii atque eruditionis gratiam pararem. Et fuit illa profecto juvenilis quædam cogitatio, quæ longe aliter experiendo processit, quam ipse mecum eram ratiocinatus: nam opus, præterquam quod est longissimum, habet in se miram rerum omnium varietatem, historias, fabulas, naturalia, rhetorica, mathematica, geographica, moralia, theologica; et horum nihil prope, vel tenuiter vel mediocriter. Jam libri erant supra quam dici possit mendosi, qui totam Augustini sententiam prava scriptura alio avertebant. Hic jam non exiguus in castigando ex veteribus libris, tum etiam in divinando labor; nam et divinandum sæpenumero fuit et conjecturis vera restituenda lectio. Orsus nihilominus sum scribere circiter calendas Januarias, anni superioris id est 1521, et confecto ad finem mensis primo libro, affertur de Guilielmi Croji cardinalis patroni mei morte, qui Vormaciæ naturæ concesserat. Facile intelligere quisque potest, ut ea res studiorum meorum quietem concusserit, sublato eo qui mihi unus otia faciebat quanta cupiebam. Hinc, ut nulla unquam calamitas venit sola, in morbum incidi non simplicem: ita ad curam valetudinis coactus sum me Brugas conferre ad meos Hispanos, inter quos æger more ac modo meo commodius tractarer. Convalui mense Junio. Et quoniam dicebantur eodem Carolus Cæsar, et Britannus cardinalis venturi, ea me res ibi aliquot mensibus tenuit, ut Erasmum et Morum convenirem, videremque Tonstallum, et Montjojum, et doctos alios, tum amicos plerosque meos, qui eodem venturi dicebantur. Eo loco scribere non licebit, quod bibliothecam qualem optabam non haberem, unde quæ scribenda forent suppeditarentur. Tantum libros aliquot ad vetusta exemplaria contuli, quorum unum dederat mihi Marcus Lautinus, decanus Sancti Donatiani Brugensis; alterum carmelitæ Brugenses; tertium Erasmus missum ad se Colonia Agrippina, scriptum, ut ferunt, manu divi Lutgeri episcopi. Mira dictu res quanta in codicibus varietas: ut unusquisque describentium putaret sibi licere verba arbitratu suo ponere, modo constaret sensus, quasi interpretatio esset, non exscriptio. Ita in hoc libro legas arbitror, in illo puto; in hoc significatum, in illo figuratum; hic præsens, alibi iste; hic habet ergo, ille igitur; hic æternus, ille immortalis; hic flexisse, ille deflexisse, alius inflexisse. Sed hæc fortassis tolerabilia. Quid illa detracta, quid addita, inversa? Jam quoties erratum, cum versionem LXX interpretum, quam ubique Augustinus adducit, voluerunt ad hanc nostram detorquere, et ex duabus male cohærentibus unam facere: nec aliud æque fuit molestum mihi, ut variam lectionem expendere, examinare, excutere in uno quoque capite non semel. Quæ erant difficiliora, in Commentariis adnotavi; quæ vero apertiora et promptiora, in margine. Id accuratius feci in locis sanctarum litterarum, propter earum mysterium. In plerisque veriorem indicavi lectionem, et quid sentirem aperui. In cæteris adjecisse quid legerint alii contentus, nihil lectori præjudicans, liberam illi atque integram censuram reliqui. Fruetur per me suo quisque sive ingenio, sive judicio. Post Cæsaris et cardinalis digressum redii Lovanium sub finem Septembris; hic, compositis rebus, et digesta bibliotheca, cœpi totus in scriptionem incumbere: ita mihi ea hyeme usque ad quintum decimum librum est progressum. Extremo vere, quod salutandi erant amici parantes in Hispaniam proficisci cum Cæsare, intermisi opus. Erasmo subinde stimulante et instante ut perficerem, ut mitterem, redii Lovanium, et quanta maxime potui diligentia mense uno quatuor postremos libros absolvi, cum bona parte decimi octavi; venique ad has præfationes scribendas adeo fessus, et labore tanto tamque vario fractus, ut litteras omnes librosque nescio quemadmodum animus aversaretur, velut crudus stomachus ac redundans cibos omnes; liberari tandem ea molestia misere cupiens, et universis atque unicis votis exoptans: ita ut cum ad calcem perveni, nec pecuniam, nec gratiam stu-

diosorum ullam, nec aliud quidquam existimarim æque esse pretium operæ, ac solutum tandem liberatumque esse me labore tam sinuoso, et plerumque inamœno. Narrandæ fuerunt fabulæ et historiæ; describendæ regiones et urbes; tum consulendi Platonici pene omnes, et reliquæ philosophorum nationes, et theologica tractanda: in quibus parcior quam in profanis, aliquot de causis, fui. Primum, quod non decebat profanum hominem, nec natu grandem temere de sanctissimis rebus vel definire, vel disputare. Deinde, quod historia sacrarum litterarum notior solet esse lecturis Augustinum et hujusmodi auctores, quam ut opus sit eam per me repeti, quæ indicatis locis ex sacris libris fusius. et apertius cognosci potest, quam ut a me hic pluribus videretur explicanda. Jam dicta ex arcanis nostræ religionis litteris, ab Augustino adducta, nonnulla enarravimus; alia præterivimus, quod viderem non hunc esse illorum explicandorum locum. Auctores profanos crebros ad confirmanda Augustini dicta, velut testes, induximus: quod fides dictorum penes illos esset, præsertim in profanis rebus, quas ab illis est Augustinus mutuatus. Nam in rebus nostræ pietatis neque ethnicis quidquam est negotii; et scriptoribus nostris non perinde multis sum usus, ne parum firma Augustini auctoritas existimaretur, nisi illis velut tibicinibus suffulta. Satis enim videbatur esse dixisse Augustinum. Hieronymum frequentius advocavi, præcipue ubi de linguarum significationibus aut interpretationibus agebatur: quoniam is, ut Græci aut Hebræi sermonis peritia ita et cognitione sanctarum Scripturarum omnes nostræ religionis scriptores longe antecellit. Nec putavi fore interpretis controversias illas movere quas nostri theologi in scholis magis animis agitant; quanquam iis prima ætate fuimus imbuti, quæ ab instituto, a mente rationeque Augustini plurimum dissident; aspernatusque fuisset illas, atque indignatus operi suo admistas, velut tritico lolium, quacunque cœli parte purus ille ac sanctissimus animus res hominum despectat. Itaque nec disputandum mihi censui vel cum hoc hominum genere, vel cum antiquioribus, quicumque alieni a sententia Augustini essent; nam hoc jam non esset interpretis, sed defensoris ac patroni, cum non modo mea, sed nec ullius defensione aut patrocinio ille indigeat. Feci igitur quod Hieronymus in Commentariis Epistolæ ad Galatas præfatur se fecisse, ut magna ex parte aliorum sententias tantum referret: sic et nos quid alii dixissent sensissentque contenti lecturis explicuisse sententiam nostram continuimus, veterem Academiæ morem imitati; tum quod id magis ad enarratorem alieni operis existimavi pertinere, tum etiam quod cunctari, et sententiam suam non prodere, et consectari magis aliena quam sua proferre atque ostentare ante canos decere potius arbitrabar, qui censuris ac judiciis non parum auctoritatis addunt: nec immerito. Multa nunc mihi vera, certa, explorata videntur: quæ, si diutius contingat vivere, non modo ambigua per ætatem videbuntur, A sed forsan etiam falsissima. Idcirco plerisque in locis delectare magis lectorem placuit quam docere. Et si quid docerem, non tam severe imperando volui persuadere, quam blande rogando monendoque. Adducti sumus nonnunquam ea causa, quoniam Augustinus fusus est plerumque, ac ipse interpres sui: ideo labore docendi adempto ludere libuit, et lectorem in digressus aliquos interim non prorsus inamœnos ducere; simul ut mei laboris quandoque partem levarem, etsi non onere deposito, certe frigida suffusa, et per viam aliquanto munitiorem, et inter sata cultaque spectatu jucunda commodiorem. Nam hæc omnia quæ dixi, etsi habent suas animi ceu reparationes refectionesque, habent nihilominus suas salebras, suos acclives colliculos, per quos non sine sudore agas onus: suos quoque descensus, per quos B non sine lapsus periculo facias iter, ne fasce pressus in pronum ferare. Illic vero non stratam ullam viam invenias, nec quod recreet oculos, nec quo vel momentum divertas, ac ne ubi sedeas quidem fessus, cum conferenda sunt tempora, cum diversitas inter auctores atque adeo adversitas ostendenda cum sæpenumero tollenda, cum quærendum et evolvendum, et divinandum ubi sit locus quem Augustinus affert ex scriptore aliquo: quem locum invenire multum ac diu quæsitum, casus est sæpius quam eruditionis. Nam in eum incidat frequenter imperitissimus, quem doctus investigare non potuit diu vestigatum. Et hoc mihi tanto fuit difficilius ac plus temporis extraxit, C quod et imparatus ad hoc opus accessi, cum antea quatuor aut quinque tantum in eo volumina legissem, nec indices ullos mihi ex lectione confeci, vel in hunc, vel in similem aliquem usum: quos qui habent, næ hi felices in litteris sunt, quibus haud exigua laboris demitur pars. His angustiis et difficultatibus inopia Græcorum voluminum accessit, quæ est in hac regione mira. Nam cum passim doctis fias obvius, si Aristotelem Græcum, aut Demosthenem, aut Vetus Testamentum; aut Pausaniam, aut Isocratem, aut Julium Pollucem, aut Eustathium utendum petas, negat se habere; nec apud bibliopolas venales invenias. Cum hic adesset Erasmus, ejus bibliotheca adjuvabar; et illinc aliud agens, aliquot mihi decerpseram loca, quæ ceu præsagiebat animus usui D mihi aliquando futura. Nam ea in hæc Commentaria intuli. Græcum Platonem habui in octavum, nonum et decimum librum scribens; Strabonem plerumque, Pausaniam nonnunquam; sed præcipue cum in decimum octavum commentarer, et aliquot alios, quibus non perinde atque istis indigebam. Non quidem quod Augustinus ad se enarrandum magnam Græcorum auctorum copiam desideret, qui Latinos tantum est secutus, quos solos pene legerat aut versos e Græcis; sed certe si adjutus majore Græcorum suppellectili fuissem, potuisset opus paulo exire ornatius ac locupletius. Itaque nonnulla sunt a nobis prætermissa, quæ partim ex nullo potuerunt auctore peti, eorum duntaxat qui exstant: partim ex reconditis Græcorum litteris fuerunt eruenda, alias bibliothecam

nacti Græcorum codicum ampliorem, per occasionem ea lectori sarciemus. Quanquam sedulo illud ante alia est a nobis advigilatum curatumque, ne multa sint quæ in hoc opere studiosi homines cordatique possent desiderare. Quæ omnia præstare aliis vel cognitione rerum ampliore, vel ingenio majore, vel feliciori memoria leve et facile fuisset. Nobis certe haud sane credat quisquam, quam tædiosum fuerit ac fastidiorum plenum : quo fit ut prima illa quæ me in opus stimulabat, perficiendi facilitas plane perierit. At utilitas quanta sit futura, pronuntiare non est meum, quod nec in opere suo quisquam vel incorruptus est judex, vel non suspectus; et eventum rei situm in fortunæ manu potestateque prædicare nemo potest, nec ego promittere. Vivet, et legetur, et placebit, et proderit opus, si faverit genius; sin adversetur, concidet ac interibit. Multa grata sunt et utilia tantum ea causa, quod sic libuit fortunæ. Illud modo precari possum, si quid optando proficitur, tam utile ut sentiant opus legentes, quam mihi grave et molestum fuit scribenti. Jamque primum illud amisimus, secundum incertum est, tertium non profecto certius de gratia, unde nomen gloriaque ad scriptorem redit. Primum non ignoro quantum famæ admirationisque operi etiam optimo detrahatur, cum in alium scribitur : id est, ædificatur in aliena superficie, et velut scribendi argumentum ab alio est suppeditatum ; nisi forsan in sacras litteras aliquid commenteris propter sanctam majestatem earum, aut in Aristotelem propter receptam scholis omnibus auctoritatem. Accedit huc, quod multi quibus omnia quæ negligunt, aut non capiunt, in grammaticam vertuntur, quamlibet in hoc libro sacra et philosophica et recondita tractaverimus, grammaticam dicent, ideo præcipue, quod historias narravimus, et fabulas ; idem de ipso Augustini opere dicturi, nisi pudor impediret, et reverentia nominis tam omnibus sacri et admirandi. Alii hoc totum nec visum, nec judicatum, qualicunque censeatur nomine, rejicient et damnabunt : ut proxime quidam theologiæ licentiatus, cum audisset me in libros de Civitate Dei scribere, magno fastidio operam meam tanquam inutilem prorsus vanamque aspernatus est. Et quid, inquit, opus est libris illis illustratore plus satis ex se perspicuis et claris ? O te felicem quisquis es, cui tam aperti facilesque sunt hi de Civitate Dei libri ! Cæterum mirari qui audiebant vel ingenium hominis, vel eruditionem, vel certe impudentiam. Nam imperitissime loquebatur, et rerum omnium veterum erat omnino expers et rudis ; rogavitque ex his qui audierant unus cur sic censeret, cum essent tot historiæ, tot fabulæ, tot philosophica, tot geographica, tot mathematica. Quid, inquit, illa ad theologum ? Deinde sint *a* vel *b*, non sum sollicitus. Hoc illud est, istis nec Cicero, nec Virgilius, nec Plinius, nec alii similes interprete indigent : cum eorum nihil intersit, quis fuerit Scipio, quis Cæsar, quis Pompeius, quis Cato ; quæ aut ubi Carthago, Babylonia ; herbane an saxum, malva aut beata ; lapis an lignum magnes vel adamas ; animal an metallum, tigris vel milvus : sitne qui ardeat mons Ætna an Alpes ; ardeatne sulphure accenso an arena. Quid dixerit, quid senserit Plato, quid atomi Democriti conficiant ; quid similares partes sint Anaxagoræ, aut dissimilares ; quid Pythagoræ transanimatio. Isti ad hæc omnia linea sunt alba, sicut dici solet, in lapide albo. Tantum illa curanda et expendenda ducunt, an Deus possit supposititare hanc pennam qua scribo, an jubere possit odium sui ; possitne dispensare pontifex super voto profectionis Romanæ, aut Hierosolymitanæ ; an peccunia sacerdotii pensionem redimere, sit simonia. Verum enimvero isti censeant quomodo voluerint cumque de opere. Nec eis sccibo, nec eos curo mea legere ; nec eorum judicium censuramque naucifacio, nec eis placere studeo : et doctius putabo me scripsisse, si displicuero. At illud magnopere dolendum est, insistere sæpenumero ingeniis doctorum quidem, sed non perinde bonorum hominum perniciosum invidentiæ virus, qua bona opera incessant, lacerent, proscindant, aut perdere conentur profutura, aut allatura lucem obscurare. Hinc odium, et ex odio rabiosa maledicentia, et impotentis animi verba, et rixæ, et jurgia, et calumniæ. Hinc sæpe desperatio et desponsatio meliorum ingeniorum, cum pertæsa rem sic amaram et inamabilem ab omni scribendi et juvandæ posteritatis ratione avertuntur, plerumque et ab studiis etiam : quod tantum abest ut invida ingenia fieri doleant, ut se ex hoc fructum capere singularem existiment, ac laboris sui præmium ; finem vero quem destinarant si consequantur, ut cessent omnes, nemo bene faciat. Quod Terentius, ut alios vitæ humanæ mores, sic et istum prudenter expressit, cum malevolum et invidentem poetam omnibus contendisse viribus ait, ab scribendo uti deterreret et in otium traderet. Neque vero id ego dixerim quod ægre feram me vel admoneri, vel etiam reprehendi, dii meliorem mentem ! Imo debere me multum profitebor potiora suggerenti et reprehendenti docte. Nam et meipsum non pigebit mutare sententiam, si vel studium, vel ætas alia docuerit meliora. Cæterum permolestum est atque intolerandum pronuntiari semel de toto opere, damnarique ceu imperitum aut futile, cum nec legeris, nec forsan si legeris, inveneris usque adeo multa quæ convellas ; vel ipse si tantumdem præstare tentes, vel non valeas, vel sudes satis. Aut si unum, aut ad summum alterum deprehendas erratum, propter illa opus tantum tamque varium rejicias universum, et contemnas : velut si egregio inspersos reprehendas corpore nævos, ut Horatius inquit. In summa, quandoquidem hominum linguas nec habeo in manu mea, et liberas decet in liberis studiis, non deprecor quo minus sentiat loquaturque de opere quisque pro libito. Si enim malum est opus, irasci ob veritatem non debeo : sin bonum, eos qui maledixerint, sua invidentia exedet tanquam venenum : in quo uno justissima est invidia ipsa, cæteris in rebus iniquissima. Hoc solum etiam atque etiam rogo, et obsecro, ut si quis a me dissen-

serit, voluerit que id scriptis testari, meminerit modestæ, et sine conviciis asperisque morsibus me quod ignoraverim doceat. Nam ut convicia et gravem fortassis objurgationem mereatur liber, non meretur institutum et conatus animi mei : ita eadem opera fiet, ut ego cum aliis fructum eruditionis illius percipiam, agnoscamque permagnum beneficium, atque habeam gratiam immortalem : et ipse melior magister tum se profuisse intelligat, tum doctrinæ suæ nulla immodestia, quæ pejor est quam inscitia, corruptæ et inquinatæ laudem amplissimam auferat. Neque absit ab studiis humanitatis humanitas, serveturque illa tranquillitas animorum qua super res omnes alias Musæ gaudent. Et incipiamus morem hunc tollere quem infidæ omnibus furiæ in præstantia studia immiserunt, impetendi et lacerandi eum quem conjunctissimum nobis carissimumque debebat reddidisse communio studiorum ac earumdem Musarum cultura, ut præteream baptismum et caritatem Christi : quandoquidem hæc jam olim surdis auribus inania sunt nomina, et ægris oculis vanæ sine corporibus umbræ ; colamusque litteras ut nos delectent, ut juvent ; non ut in certamen acerbum committant, et tela vel eruditionis, vel styli subministrent, quibus pravos affectus nostros explentes feriamus sauciemusque inimicum. Sed de his rebus erit tempus, cum locum inveniam dicendi aptiorem. Nunc mihi, ut ad quod cœperam revertar, tota spes in iis est qui candido, qui integro pectore ad lectionem horum librorum accedent, sive docti sint, sive indocti. Denique ita me consolor, si ab hominibus nulla redeat ad nos gratia, non deerunt quibus adductus impulsusque hanc me operam navasse nunquam pœniteat. Nam et obsecutum esse Erasmo meo, tam me juvat, quam nefas fuisset quod imponeret onus recusare, qui in me et hominis arcta mecum amicitia conjunctissimi, et præceptoris optime meriti, jus ac potestatem habet. Tum interea dum hæc sum meditatus honestissimo me exercitamento occupasse, et animum mentemque crebris cogitatis honestate ac sanctitate refertissimis imbuisse, quæ promptiorem me atque expeditiorem ad bene et Christiane vivendum reddant. Hæc una, si cætera desint universa, abunde ampla et magnifica merces est. Postremo, ut aliud nihil reputem, nisi me voluisse Augustino, et proinde Christo aliquid studiorum meorum sacrare, præclare mecum actum existimare debeo. Quippe qui etiam frigidæ poculum propter se suumque nomen præbitum irremuneratum se non præteriturum pollicitus est : huic quoque meæ voluntati, quam unam ille curat, gratiam referet : præsertim cum ipse labores omnes meos ita demum ratos mihi esse velim, si Christo ejusque castissimæ et integerrimæ sponsæ Ecclesiæ approbentur.

DE VETERIBUS INTERPRETIBUS HUJUS OPERIS.

Narravit hodie mihi amicus quidam meus inter colloquendum cum nonnullis fratribus Dominicani ordinis atque instituti, incidisse se in sermonem de his meis commentariis : illos respondisse inanem me operam atque industriam ludere, ac potuisse hujus temporis compendium facere, cum in libros Augustini de Civitate Dei scripserunt Prædicatorii quidam fratres ad miraculum erudite, dextre, exacte, feliciter, nihil supra. Quæ si sic habent, nimis profecto confidens fui, qui me hac ingenii et eruditionis tenuitate scripta usque adeo miranda superare posse sperarim ; et demens, qui tantam lucem mea facula obscurari posse crediderim ; et stultus, ut non illis sim usus potius, sicut Valerii Probi, Servii, aut Donati commentariis ; et male feriatus ut ultro tanti temporis fecerim jacturam actum agendo, quod aiunt ; et Erasmus ipse imprudens, qui novos commentarios mandarit scribendos, ubi tales essent veteres ; et doctissimus quisque ineptissimus huic nostræ operæ votis favendo, scilicet, ut illi fratres putant, supervacaneæ. Quos ego fratres dejerare ausim, ne litteram quidem in illis Commentariis legisse, titulos vidisse solummodo ; aut si legerunt, et probant, plane similes sunt ipsi commentatorum. Ut nunquam fuit animus refellere tam apertam inscitiam, tam insipidas expositorum ineptias, non collegi locos aliquot in primis ridiculos et imperitos ; ex quibus de opere toto qui non legissent, possent judicium facere. Nec profecto fuit necesse. Nam in sæculo jam tot litteris disciplinisque excultissimo rarissimi sunt qui quemcunque in illis Commentariis legerint locum, non statim qualis sit tota massa ex quamlibet parvo exemplo possint judicare. Itaque ad doctos homines magna sane ac injucunda sum molestia liberatus stultitiis illis patefaciendis. Nihil enim est neque gravius, neque insuavius, quam stulta refutare prudenter. Quæ si tantum indices, pro stultis rejicientur ; sin operam in eorum natura declaranda insumas, non tam contemnenda reddas, quam minus apud quosdam facias stulta. Nec desunt ex hominibus ejusdem ordinis qui censere possint ; et haud dubie censent quam vilia et despicienda sint scripta illa non modo Augustino, sed ne Theodolo, vel Faceto, vel Floreto digna. Tamen quia id non illi solum qui totam meam operam seu inanem damnarunt, sed alii permulti non credunt, tantum quia illi Fratres Prædicatores nuncupantur, volo istis rationem approbare laboris mei : si modo approbari sinant, aut approbationem intelligant : quorum ego aliquos credo tales esse, ut illis nihil inter dictionem Ciceronis et Catholicontis intersit ; aut inter historiam Livii et Vincentii, vel inter cognitionem rerum Plinii et Bartholomæi Anglici, aut Hieronymi et Hugonis Carrensis. Qui poterit, cum nec Latine sciant, nec ullos bonos unquam attigerint scriptores, innutriti semper et ad ambas aures immersi sermonariis Parati, Discipuli, aut Dormisecure? Ego vero si apud illos non mea, sed eorum culpa non profecero, proficiam apud alios et ingenio saniore, et eruditione meliore : quales habent in ordine suo quosdam etiam mihi amicissimos, qui beneficio meliorum litterarum communem popularium suorum et agnoscunt errorem, et dolent,

et, quatenus licet, vitant. Faciam igitur invitus, quod a principio non statueram, ut homines vita functos, et extra invidiam omnem jam positos, in judicium censuramque revocem : præsertim cum illi homines, quantum mea fert opinio, probi, quod potuere præstiterint : tametsi hoc imperitum atque ineptum, ut fere illo erant sæculo. Profitentur ergo se in hoc opus scribere Thomas Valois, et Nicolaus Trivet, et Jacobus de Passavant. Et veritates colligit Franciscus de Maronis Minorita, ne solum regnum Prædicatores teneant. Primum Thomas Valois arbitratus credo ingens esse opus, et unius viribus majus, non omnia solus est obire ausus, sed socium sibi sumpsit, ac velut succedaneum sodalem suum Nicolaum Trivet, tam similem sibi quam ovum ovo; cui ipse lampada, quod aiunt, traderet fessus, nescio quo volumine : nam etsi legi, non tamen adnotavi. Neque vero aliud susceperunt explicandum quam fabulas aut historias : sacrilegum credo rati sacra contrectare ; in quo certe modestiam hominum non mediocriter laudo, quibus satis visum est profana contaminare, a sacris abstinuerunt. Ita ab undecimo ad decimum octavum, et a decimo nono ad vigesimum secundum nihil fere scripserunt. Quod promptum est unicuique videre, nam libri sunt in manibus. Octavo vero, et nono, et decimo libris, quibus Augustinus adversus Platonicos disputat, quid dixissent miselli, qui non modo Platonem, aut Platonicum ullum, sed ne umbram quidem philosophi viderant? Itaque ne quod agant desit, toti sunt in contextu partiendo et distribuendo. Hic Augustinus tractat de hoc, aut illo, et facit duo. Primum est, quod reprobat Platonem, ibi; secundum quod dicit hoc aut illud, ibi et dicit. Tum quæ Augustinus pure ac Latine dixerat, ipsi ut chartas impleant, ad suum cœnum suamque obscenitatem trahunt, ceu non aliter posteris intellecturis. Jam in quinque libris, et parte decimi octavi fabulæ et historiæ tractantur. Hic putant se esse in sua arena, et vagantur jactantque se ut equus, quod dicitur, in campo. In quibus omitto sermonis sordes ac spurcitiam, fatuasque et insulsas narrationes : quas tamen ipsi interdum ex facundissimis desumebant scriptoribus ; quas nullus sit tam impatiens stomachus, qui unam ex eis aut alteram possit devorare, nisi quibus forte salubria sunt noxia. Sed ad res ipsas veniam. Sunt certe commentarii utiles iis qui nihil vere recteque scire volunt : qualia sunt ingenia quædam quæ ne historiam quidem audire possint, vere et uti gesta res est, narratam ; nefas credo existimantes aliquid remanere sinceri ac incorrupti. Falluntur igitur infinitis locis, et fallunt, si quis sequatur; tum propter confusam incertamque eorum quæ scribebant notitiam, tum etiam quod ignoratione Latini sermonis in ipsis rebus passim labebantur. Ad hæc afferunt commentitia pleraque, et nunquam ab auctoribus vel somniata : partim ex gestis Romanorum moralizatis, partim quæ fando narrari audierant inter compotandum in hospitali cœnaculo sodalitatis. Colligam quæ prima erunt ad manum paucula quædam, velut exempla. Primo libro, capite quinto, cum Cæsar apud Sallustium referat quæ soleant in bellis fieri, rapi virgines, pueros divelli a complexu parentum ; etiam commentator hæc jam esse a Catilina facta, Cæsarem significare dicit : verus scilicet commentator quasi commentor. Tum capite vigesimo quarto, Portium Latronem declamatorem Catonem fuisse dicit : ibi egregie disputat an iste sit qui Catunculum puerorum composuerit. Et libro secundo capite quarto, Atym dicit oblatum matri deum in ejus templo, ut voveret castitatem. Quod credo eum didicisse ab aliquo ex Gallis matris deum. Et post paulum : Symphoniaci, inquit, sunt canentes tubis, vel alio modo sonitum magnum facientes. Ex dulci consentu magnos facit sonos atque tubas. Et paucis verbis post : Vocat, inquit, hic Augustinus symphoniacos qui in honorem deæ Pudicitiæ quædam turpia faciebant : non melius dixisset si illa ætate vixisset; et paucis interjectis verbis, Palladem dicit lavari cum matre deum in Almone amne. Credas Varronem hoc dicere : tantum quoniam Augustinus virginis cœlestis illic meminit, ceu non esset alia dea virgo quam Pallas. Et mox : Fuit, inquit, scena proprie domuncula in medio theatri, quales sunt domunculæ tabernariorum vel mercatorum in nundinis, secundum Huguitionem, O miseræ Scauri et Curionis, et Pompeii scenæ latissimæ, et auro argentoque ornatæ, quomodo ad domunculas mercatorum in nundinis recidistis? Sed hoc tolerabilius. Et addit : In scena pulpitus erat, quem ascendebant illi qui fabulas recitabant; et quot erant carmina, tot reputabant apposuisse fercula. Hæc est argutissima interpretatio ferculi. Pergit vero : Infra etiam latebant larvati histriones, et mimi, qui subito exeuntes coram populo motibus corporis expresserunt historias, seu fabulas recitatas; et isti proprie fuerunt appellati scenici. Scena etiam quandoque ponitur pro ipso toto theatro, quandoque pro fabula, quandoque pro recitatione fabulæ. Hæc omnia quis neget esse admirabilia, cum antea nullus unquam audierit? Quis unquam vel theatrum dixit scenam, vel fabulam, vel fabulæ recitationem? Tum addit Valerium Maximum dicere, antequam imago matris deum translata esset ex Pessinunte, imperatores Romanos sæpe ad Pessinuntem ivisse, ut vota solverent. Ubi hoc unquam somniavit Valerius? Ita non satis est te fingere, nisi et aliis mendacia assignes. Narrat quidem ivisse illuc Romanos imperatores libro primo, sed non ante matrem deum translatam, quo tempore nullus unquam Romanus eo est profectus. Adjicit Pantheon templum a Domitiano magnæ matri deum exstructum fuisse, cum Pantheon exstruxerit ante Domitianum Agrippa Jovi Victori, deinde cæteris diis. Et hæc omnia in eodem vere aureo et copioso capitulo 4 libri II, quod licet cornu copiæ appelles. In sexto vero capite versiculi sunt Persii, quos ipse festivissime explicat :

Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus?

nquit, ordinata est humana natura, quod est bruta animalia. Putabam esse infra, Aut metæ mollis flexus ? Metæ, inquit, id est mortis. At- x hac nullus est flexus. Quid asper utile num- abet. Hic cum ignoraret cur asper nummus di- r, non defuit moralizatio. Asper, inquit, id est m habeat asperitatis : propter curas magnas ingerit ; propter quod et spinis comparantur e. Non sic Persius sua tam acute intellexit, nec ancte. Et capite octavo, de poetis adnotatio quæ ad verbum ediscatur. Poetarum, inquit, unt genera, veteres et novi. Veteres omnia quæ ant convertebant ad risum: unde de meretri- stupris, et his quæ poterant provocare risum bant: sicut Plautus et Terentius. Novi vero bendebant vitia hominum nominatim ; undeque es lacessebant, eorum vitia carpentes vera et et pingebantur nudi, quia vitia denudabant. poetæ comici satyrici appellantur: sicut Ho- , Persius, Juvenalis, et hujusmodi. Et paulo Possunt autem poetæ tragici, sicut et comici, in duas partes. Primi puri tragici ; secundi elegi, tractantes de elegia, id est de miseria. e, ex Aristotele credo, aut si quis hoc quoque s de poetis scripsit, et tamen qui nihil un- de iis poetarum generibus audivit, non intel- quam frivola hæc et imperita sint, nedum stulta ridicula. Si audivit, huic perinde ista erunt, de novis et veteribus loquitur poetis, ac si quis architectorum officium est calceos suere, cer- m vero ædificare : et cum novos comicos vocat cos, ceu quis dicat fartores esse textores: cum os dixit elegiacos, velut aliquis agasones dicat s, aut tonsores carbonarios. Jam cum explicat , id est miseria, non secus quam si interprete- scrinium, id est liber. Et cap. 109, cum de o ageret, iste scripsit, inquit, comœdiam quæ latur Aulularia, quasi non aliam. At philoso- quoque voluit lib. VII. Nam cum dixisset Au- . Menam deam, quæ menstruis præest, con- fluores menstruos ad ejus quod conceptum est mentum, ignarus fluorem menstruum dici etiam brem sanguinem, qui fluxurus erat in mense, vel fetu vel alia causa detineretur, incipit di- ere sanguinem menstruum, uno modo pro eo est purgamentum naturæ, et singulis mensibus ar. Alio modo accipitur pro sanguine qui per onem purgatur, et post fluor menstruus non rt ad incrementum fetus, nisi per accidens, sci- per suam absentiam. Confert enim pro tanto : cum ipse expellitur, sanguis ille unde fetus au- , efficitur mundior, et ad augendum melior. Sed s Augustinus extensive loquens, vocat illum inem qui depuratur fluorem menstruum. Hæc rimum quis unquam sanguinem illum qui pu- remanet in corpore mulieris post ejectum men- m, vocavit fluorem menstruum ? Deinde quo- isti augentur fetus in locis ? qui si menstruus lefluat, fiunt imbecilliores; et si largius, et ut alio solet tempore effluat, abit cum eo fetus, nec augeri nec ali potest. Sed libet explicationes audire vocabulorum ? Exclamat August. lib. II : O animos germane, Romanos. Germane, inquit, id est alte, vel immaniter, nam Germani habent immania et alta corpora. Et in eodem loquens Augustinus de lino aut lanula flaminum, quo vinciebant caput, quem apicem nominabant, quasi summitatem : Apex, inquit, nomen est cujusdam historiographi, ut jam mirandum non sit fecisse Deum homines ex limo, cum iste faciat ex lino. Et cum libro quarto posuisset, Augustinus inter prodigia feminas et gallinas et homines versas in masculum sexum : Credo, inquit, litteram esse falsam, quam tamen multi libri habent. Deberet autem littera sic esse, in homines et masculum sexum. Vult enim sic dicere, quod feminæ conversæ sunt in homines : id est in viros, et gallinæ in masculum sexum. O tenebras illius ætatis miserandas, et tamen illis oculi assuefacti illatam jam lucem spectare non sustinent ! Claudite istas fenestras omnes et rimulas, ne qua lux penetrare queat, et fruantur libere, sua nocte ; tenuem quoque et languidulam in tenebroso cubiculo meridie ipso accendite lucernam. Illud in eodem miror interprete, quod cum gravissimos haberet auctores, ex quibus nonnulla solitus est desumere, possetque ex eisdem alia quædam afferre, maluit ab Isidoro petere, aut hoc pejoribus, Huguitione et Vincentio historiali : quod suspicari me cogit ipsum vel aliena esse usum in citandis auctoribus opera, vel citatos aut invenisse in aliquo vade mecum, aut rapiamus totum, aut de aliquo audivisse. Nam definitionem Dei, quam ex Ciceronis primo Tusc. quæst. citat Augustinus, colligi dicit ex his quæ in III De Nat. deor. sparsim tractat ; et consolationem de morte filiæ, nescire se dicit an sit lib. XII Orationum, cum Cicero ipse in Academ. et Tusc. quæst., et Lactantius et Plinius ejus libri meminerint. Valerii Sorani nihil recordatur se legisse, cum ejus sit mentio apud Plinium, Solinum, Lactantium, Plutarchum, Servium, Macrobium. Jam ex multis Diogenibus unum, et ex multis Æschinibus unum, et ex Socrate et Isocrate eumdem conglutinare et conferruminare invitos et male cohærentes, non rarum, ut nec alia omnia : quæ si persequi singillatim tentem, rem in infinitum extendero. Hæc quæ adduxi, tantum velut specimina posui, quæ prima profecto volventi librum occurrerunt. Sunt enim usque adeo frequentia et densa, ut periculum non sit ne lateant, si non indicentur : exstant, nimirum, et offerunt se atque adeo ingerunt oculis omnium volentium intueri, quæ nec in opere ipso sum consectatus. Tum ne fastidio lectori essem tanta prolixitate, tum quod ineptiora sunt, quam ut in eis refellendis aliquid collocari operæ debuerit. Quisquis mihi fidem non habet, legat ipse ; et vel judicet, si est doctus, vel a doctioribus sententiam exquirat, illisque assentiatur. Quod si quis est qui hæc unice forsan ac tenere complectitur et amat, habet non solum hos commentarios, sed etiam Huguitionem, Pa-

piam, Græcistam, Joannem de Garlandia, Catholicon; illis se omnibus oblectet, quod sit ei bonum prosperumque, et in eorum complexu hæreat. At Thomæ Valois et Nicolao Trivet prodiit velut succenturiatus Jacobus Passavantius, quem nomen ipsum indicat fuisse scurram aliquem festivum, qui sodalitium totum oblectabat: cui, ut credo, per jocum lusumque nomen Passavant est a reliquis fratribus inditum. Loquendum est de Tertulliano, nihil mihi occurrit, reservetur cum aliis; de Valerio Sorano, nihil mihi modo occurrit, reservetur cum aliis; de Xenophane et Anaxagora, de Lactantio, reservetur cum aliis. Quid malum sunt ista alia? ubi reservas? in quem usum? quid quod nec legerat expositores ipsos, quibus dicit se sua addere, ut lib. III, cap. 12, sic scribit: In hoc cap. 12 facit Aug. mentionem de dea Febre, de qua dicit expositor quod fuit mater Æsculapii, quod est dea inferni, et quod Numa rex sacravit deæ Febri mensem Februarium. Atqui nunquam id expositor scripsit, nisi forsan res tam stulta ex codicibus sit ab aliis fratribus, qui eam deprehenderant erasa: sed videlicet super cœnam frater aliquis Passavantio narraverat id expositorem dicere. Cæterum quo reprobet modo, audiamus. Quod non videtur bene dictum, inquit, salva sui gratia. Nam sicut infra dicetur, Æsculapius fingitur fuisse filius Phœbi et Coronidis: sicut vult Ovidius secundo Met. Nec unquam legitur quod Phœbus cum Febre convenerit, vel quod ex ea filium genuerit. Tum incipit philosophari et conjecturas quærere. Nec convenienter, inquit, fingitur Æsculapius filius Febris, cum ipse postmodum sit habitus deus medicinæ, quæ habet febrem expellere. Jam ne omnino desit quod alii possint pro se respondere, addit: Nisi dicatur ita crudelis filius, quod matrem persequatur ubique, et omni sede expellat. Joculares sunt additiones istæ, ad risum fratribus movendum paratæ. Istis omnibus accedit Franciscus de Maronis, non quivis doctor, sed illuminatus; et veritates colligit, quasi cætera essent falsa. Sed hic non magis ad hoc opus spectat quam ad cætera Augustini: ex quis omnibus ita videtur veritates selegisse ac seposuisse, ut Virgilius gemmas e stercoribus Ennii. Quod si alieni a nostra religione Augustini opera sumant in manibus, illius scilicet illuminatis veritatibus illuminata, quid eis veniet in mentem de hujusmodi veritatibus? quid suspicabuntur, quid credent? Nimirum esse cætera vel parum vera, vel Ecclesiæ suspecta; illa tantummodo teneri et asseri a nobis ceu firma et indubitata, ut quæ illuminatus doctor indicarit: in quibus tamen rixosa multa, alia ambigua, etiam falsa complura inveniat. Nam si omnia Augustini sunt æque vera, quid mihi cum tuis veritatibus, in quarum plerisque nihil Augustini dictis addis; cum vero addis, sophisticaris: et non tu Augustini veritatem sequeris, sed illum cum veritate obtorto collo, quo ipse vis torques, nempe ad factionem Scoticam, ut contra Thomam locutus videatur; et conaris ipsum putari dicere quæ ne cogitavit quidem ulA lus ætatis illius? Jam non minus ex historia et fabulis veritates, quam ex rebus theologicis colligis. Quæ glacies est, cum Augustinus narrat Ninum Assyriis imperasse primum, te illico ceu veritatum plastem cum formulis tuis ad fingendam ex hoc veritatem accurrere, ceu non aliter futura veritate? Veritas, inquis. Ninus fuit rex Assyriorum primus. Cur quod paulo ante legitur non est etiam veritas? cur non paulo post? Et unum exemplum adduxi pro multis millibus. Jam quale est te figulum veritatum, modo aliis incerta, et imprimis controversa admiscere: ut cum contra Aquinatæos disputas, quo nihil facis nec libentius nec proinde crebrius; modo etiam tibi incerta, ut verbi gratia, cum Holofernem illum ex libro Judith dicis fuisse Cyrum Assueri et Esther filB lium, de quo veritatibus aliquot post eam ambigis; modo etiam vel pueris falsa, ut de hoc ipso quod Darius sit filius Assueri et Esther, tum quod tertii libri Esdræ Augustinus non meminerit, cum citet ex eo quæstionem illam de re quæ fortitudine cæteris antestaret: etiam eodem capite, quo tu id dicis libro decimo octavo, ita veritates tuas non ex una simplici veritate videris effingere, sed partim ex veris, partim ex incertis, partim litigiosis, partim falsis: ut statua illa quam per quietem Nabuchodonosorus vidit, ex auro, argento, chalybe, ferro, et argilla erat conflata. Sed sint sane veritates istæ, quantum aliis libuerit, nihil impedio; et legantur ab his qui ejusmodi amant. Ego vero, quæ ipse ad verbum ex AuC gustino refert, Augustini esse puto; cætera quæ de suo addit, non peculiarius ad Augustinum pertinere, quam quæ a summulariis aut sententiariis auctoribus de similibus conscribuntur prope infinita. Hæc paucula de interpretibus hujus operis dixisse me lassum et festinantem ad alia sit satis, tantum ad bona ingenia commonefacienda non me omnino in his libris actum egisse.

QUINAM HOMINUM FUERINT GOTHI,

ET QUOMODO ROMAM CEPERINT.

Cum Augustinus ex Romana captivitate occasionem sumpserit scribendi de Civitate Dei, ut iis responderet qui eam cladem Christianæ religioni imputabant, operæ pretium erit altius narratione repetita explicare, quinam hominum fuerint Gothi, quomodo D in Italiam venerint, Urbemque ceperint. Primum omnium fere video constare, quos posterior ætas Gothos, priorem Getas nuncupasse,: ut illa pauca ex priscis vocabulis non corrupit. Sic Rutilius et Claudianus poetæ, cum de Gothis loquuntur, Getas eos semper nominant. Orosius itidem in Historia: Getæ, inquit, qui nunc Gothi quos Alexander evitandos pronuntiavit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar autem declinavit, relictis vacueque factis sedibus, ac totis viribus tuti Romanas ingressi provincias. Hieronymus in Genesim, Gothos ab eruditis antiquis Getas nominatos esse testatur. Getæ vero sunt qui circa Istrum fluvium habitant, ut auctores sunt Strabo, Mela, Plinius, et alii; lateque regionem possident incultam magna parte, et rigoribus immitem:

ue ulteriora Istri ad Scythiam, et citeriora A
eciam, ubi Tomus, Ovidii vatis exsilio clara,
pud Getas agere non semel in Tristibus et
cribit, tum et mediterranea occupant Ger-
a versus et Istri fontem, quos Strabo libro
Docas et olim Davos nominatos esse ait, cum
es Ponto diceretur a Græcis Getæ, eumdem-
iusque populis sermonem esse. Quanquam
non aliud inter hos populos videtur signifi-
crimen esse, quam quod Getæ Græcis sunt,
manis Daci. Sed nos Strabonem hoc seque-
co. Getæ barbara et fera gens est, viribus at-
imo immani mortis comtemptore, quod per-
habeant redire animas, sicut Mela scribit:
non redeant, non tamen exstingui, et in melio-
es immigrare: quod si neutrum contingat, B
re certe vitæ mortem. Fama est, posteriori-
inde temporibus Getas Ostrogothos esse di-
acos vero Visigothos patriis nominibus: quod
Occidentem, ad Orientem illi magis specta-
onfunduntur tamen plerumque hæ cognomi-
es rerum a scriptoribus, non modo recentio-
sed etiam antiquis. Hanc gentem tradunt
im florente cum plurimum Romana re, impe-
provinciam populi Romana Mithridatico fe-
ello: quos Lucullus, qui in Asia magno cum
u imperator res gerebat, e Mysia cum clade
Post vero Bœrebista duce, cum ab eo ad la-
militaremque disciplinam essent assuefacti,
is regionem suam multas sibi gentes subegisse, C
e cum maxima trajecto manu, Thraciam, Ma-
um, et Illyrium late depopulatos, ingentem fe-
omanis terrorem. Interimque, dum in eos Ro-
um arma expediuntur, Bœrebista fato conces-
gustus legiones fere decem in illos misit eo-
e opes usque adeo attrivit, ut ex ducentis
is militum ad quadraginta millia copias eorum
rit, ac parum abfuerit quin gentem totam im-
ubderet Romano. Aliquot annos post fines
os ingressi, Oppium Sabinum consularem vi-
am exercitu ceciderunt, qui a Cornelio Fusco,
ano principe, post varia prælia tandem com-
sunt. Trajanus imperator multum cum eis
que cum gloria belligeravit. Antoninus Cara-
per occasionem nihil tale suspicantes vehe- D
r afflixit. Gordiani vero temporibus in Roma-
es frequentissime se effundebant, quos minor
mus facili opera excedere provincia coegit.
et inquieta gens, suisque sedibus male con-
subinde causas alienas invadendi quærebat.
Philippo Bostrensi imperatore, qui primus ex
is principibus Christianam pietatem est pro-
, multis cædibus populationibusque editis am-
trecenta fere virorum millia in proximas sibi
am Mysiamque irruerunt. Ad quos expellen-
issus Decius rem parum plerumque prospere
um et ipse infectam reliquit, quam succedens
po in principatu dissimulavit. Gallus deinde
et Volusianus filius, certis conditionibus sibi

iniquis pacem cum illis fecerunt: quam Gothi non admodum diuturnam servarunt, ignavia et socordia Gallieni principis freti. Non jam Thraciam Mysiamque,sed Asiam ipsam Minorem sunt tentare adorti. Bithyniam vexatam spoliaverunt, reversique in Europam, Thraciam Macedoniamque pervastarunt. Quibus in Achaiam venientibus Macrinus se objecit, eosque vicit ac fugavit persecutus, quousque illos intra fines suos compulit. Quibus tamen se non diu continuere; quanquam egressi in strenuissimum principem inciderunt, virum nec minoris felicitatis quam virtutis, si vita modo contigisset in principatu diuturnior. Claudius fuit is qui trecenta millia eorum partim delevit, partim cepit. Infinitam fuisse gentis hujus multitudinem oportuit. Non enim multos post annos, Aureliano imperium tenente, ad arma redierunt, primoque prælio sunt ad Danubium superati. Fl. Constantinus tanta illos cæde affecit, ut cogeret tandem multos per annos quietos esse. Ita enim isti pugnabant, et magno hostium malo vincerent, non minore suo vincerentur. Atque hæc quidem gesserunt Gothi, quam diu certas ipsi habuerunt sedes. Valente principe, Hunni, qui et ipsi sunt Scythæ, sed immitiores rudioresque humani commercii, in Ryphæos montes inclinatiores, inter Tanaim Massagetasque conclusi. Gothos regione quam incolerent, per vim ejecere. Quæ tametsi rigoris intemperie parum humanis erat usibus commoda, tamen Hunni saluberrimam suavissimamque omnium existimabant, homines extra solis vias cursusque nati et educati. Hic jam Gothi sedibus, domibus, laribus penatibus, exutique qui ultra alienos erant soliti fines invadere, coacti sunt vel mortem fortiter oppetere, vel in alieni soli possessionem, cum ipsi nullum jam haberent, hærere. Sunt qui non Getas illos quos Ostrogothos diximus, venisse in agrum populi Romani perhibeant, sed Visogothos fortuna sociorum conterritos deliberasse de mutandis sedibus, veritos ne eadem essent passuri quæ Ostrogothi, extendentibus se velut marino æstu Hunnicis armis, vicinasque regiones delentibus. Hæc res Visogothos in eam sententiam impulit ut legatos ad Valentem Romanum imperatorem mitterent, qui gentis nomine Mysiam citra Danubium flumen sibi incolendam peterent, spondentes communi nomine se omnes Christianam pietatem accepturos, futurosque bonos fidelesque Romanorum stipendiarios, armis suis opibusque fines illos populi Romani ab incursibus reliquorum Scytharum sedulo defensuros. Quibus conditionibus adductus Valens Lupicinum et Maximum velut duumviros agris dividendis ad eos misit, qui sedes Visogothis distribuerent. Hi cum avare crudeliterque haberent gentem, primum ferre Gothi, et dissimulare injuriam, ne primo statim alienæ regionis ingressu res novarent, existimantes, cum exsatiati suis opibus duces essent, facturos sæviendi et rapiendi finem. Sed illi dum maligne commeatus partiuntur et curant, famem intolerabilem effecerunt, quæ et ipsis ducibus et Romano principi exitio fuit. Gothi enim cum fame jam se velut belluas viderent

peti, correptis tumultuosissime armis Romanos duces cum præsidiis atrociter cædunt, et ita armati totam Mysiam pervagantur, inque proximam transcendunt Thraciam, quam sibi vectigalem reddiderunt. Hic illis occurrit Valens; pugnatumque est acriter, fusis fugatisque Romanis, magna in eis facta strage. Saucius imperator in hostium potestatem vivus venit: quem illi efferatiores post tantum exhaustum sanguinem vivum cremaverunt, rectaque Byzantium petunt: et nullis obviam factis armis, urbem corona cingunt, quæ aliquandiu opera et consilio Dominicæ Valentis conjugis obsidionem suis opibus tulit, confirmatis in fidem principis civium animis magna Dominicæ largitione. Post Valentiniani Valentis fratris virtute soluta obsidione, retro abierunt. Valentinianus Theodosium Hispanum virum accitum ex Hispania adoptavit, participemque fecit imperii. Hic Gothos multis prœliis fregit contuditque, et supplices pacem coegit petere; quam cum dedisset, rexque eorum Athalaricus Byzantium ad Theodosium ægrum visendum venisset, rex in morbum lapsus, aliquot postea mensibus moritur. Gothi toto imperii Theodosii tempore sub Romano imperatore militarunt, nec regem habuerunt alium, nec ducem, nisi quem Romanus dedisset imperator. Inter hæc Theodosius, Mediolani, princeps sine controversia et bello et pace optimus, moritur, Basso et Philippo coss. relictis Arcadio et Honorio filiis, et Placidia filia. Arcadium Byzantio et illi Orientali præfecit imperio, Honorium Occidentali Romanæque urbi. Et quia juvenes admodum erant, tutores educatoresque testamento assignavit: illi Ruffinum, huic Stiliconem, vafrum utrumque et sceleratum hominem, cujusmodi ingenia facillime in intimas se solent aulas insinuare. Hi principum ætate injuriæ obnoxia ad suas ambo auguendas opes, magnamque sibi et immodicam parandam potentiam abutentes, non jam de privata aliqua magnitudine cogitare, sed ad principale ipsum fastigium animos nefariis cogitationibus adjecerant. Ruffinus sibi, Stilico filio imperium affectabat. Cum hæc uterque consilia agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempestate turbatis rebus cum minus eorum desideria deprehenderentur, tum vero perficerentur facilius perculsis principum animis bellorum terroribus, nihil non concedentibus proximis sibi viris, et qui rerum omnium administrationibus præessent. Nam in pace velut sereno et tranquillo cœlo, et cognosci tenebras suorum animorum, et puniri consulentibus per otium principibus posse non ignorabant. Quocirca Gothos, gentem ad res novas tumultusque bellicos exciendos aptissimam, spe ingentis prædæ uterque sollicitat ut suo principi bellum faciat. Gothi occasionem adesse rati, vel rei alicujus bene gerendæ, vel certe intentato bello domum cum haud parva redeundi præda, arma induunt, regeque de suo corpore ex Balthorum illustri familia Alarico creato, fines suos magno vicinorum terrore egrediuntur. Huic se paulo post Rhadagasus cum ducentorum Gothorum millibus conjungit: cumque nulla satis terra multitudini alendæ esset, castra duces dividunt, diversisque profecti viis per Pannoniam, Illyricum Noricumque, incensis vastatisque obviis rebus omnibus, in Italiam veniunt. Ruffinus cum imprudentius cogitata exsequeretur, ad Thessalonicam a militibus occisus est. Stilico astutius consilia celabat; et Rhadagasus quidem per Etruriam ad Urbem cum agmine veniebat, longe lateque quacunque iret fugam terroremque ostendens. Trepida Romana civitas mercenarios duces venienti opponit. Rhadagasus inconsultius exercitu castrisque dispositis, in loca se iniqua præcipitavit. Commeatibus ademptis multitudinem suam fame confecit. Ipse comploratis rebus, dum fugam per occulta cum paucis tentat, a Romanis militibus interceptus necatusque est, Gothorum multitudine vilissimis pretiis divendita. Secundum hanc Gothorum cladem, Alaricus in Italiam venit, majoribus adhuc miscens omnia terroribus quam fecerat Rhadagasus. At cujus rei nuntium, Stilico, qui Byzantii erat, præmissa copiarum parte, quæ extremum Gothorum agmen carpendo ab strage aliqua magna ægrorumque vastatione hostem deterreret; ipse per oram Superi maris cum viribus peditatus equitatusque ad hostes pervenit; uterque exercitus castra prope Ravennam contulit: Gothi Pollentiam viam obtinebant, numero quidem potiores, sed arte et disciplina militari nequaquam cum exercitu Romano comparandi. Stilico bellico astu plerumque Gothos superavit, compulitque in arctum quemdam locum, ubi sedens conficere poterat bellum, si voluisset: verum cum exercitu esse decreverat, quousque populares sui Vandali in Galliam venissent. Pro indubio enim habebat eam forte certam occasionem imperii Eucherio filio parandi. Ita levibus aliquot certaminibus hostem lacessendo tempus trahebat: quod Alaricus cum per occultos meatus olfecisset, ad Honorium detulit. Eoque velut munere cum placatiore sibi Honorio se usurum existimaret, per eosdem legatos quos ad detegendum Honorio scelus Stiliconis miserat, Galliæ partem suæ multitudini petiit: victuros se legibus Romanis, nec parvo futuros usui imperio bellisque Romanis, nullisque provincialibus vel fide vel obsequio erga Romanos cessuros. Imperator ancipiti malo concussus, in partem ditionis Gothos recipere, quam Stiliconis perfidia sibi suisque exitium parare maluit. Neque enim primus detulerat ad Honorium Alaricus, quod Stilico coqueret scelus. Nec tamen tutum putabat quovis tempore virum tollere ex duabus uxoribus sibi socerum, et opibus supra privatum fastigium pollentem potentemque. Simul igitur cum legatis Gothorum litteras ad Stiliconem mittit, ut primo quoque tempore Gothos in Galliam venire permittat. Nuntius hic fuit Stiliconi asper et importunus: quippe et se fraudari tanta spe videbat, et sua consulta palam fieri suspicabatur. Hæsit aliquandiu acer et ferox animus, tandem quod tutius erat secutus, pariturum se jussis principis sui respondit. Sed ne res in totum e manibus laberetur, Saulum quemdam cum Judaicis copiis subornat, qui Gothorum vestigiis proxime insistens, cæsis per oc-

am aliquot millibus, irritabilem populum ad rumpendum impellat. Saulus dominico die, quo lare nostræ religionis instituto feriamur, cum bus sacris intenti Gothi essent, impetum in eos primoque tumultu aliquot ex eis sternit. Ter- thi subito, quantum in trepidatione rerum fieri t, num ad arma concurrendum esset consul- Venerat enim in religionem festo Servatoris die tractare, humanum sanguinem fundere, cædes um facere. Sed cum Judæi modum occidendi andique non ponerent, sibi quisque consilium non exspectato communi, ut arma sui tuendi indueret, Cumque jam frequentes armati con- ent, Alaricus pro tempore instructa acie im- enus hominum facile sistit. Hinc connixi ali- am Gothi Judæos fundunt fugantque. Et questi s se a violatoribus humani juris divinum jus re ac contaminare, Christum ipsum invocantes, ijus juratum numen fœdus essent utrinque san- , cujusque ferias contra suam voluntatem , cædibus, strage fœdassent, ira incensi, per m Italiam ad Urbem ferre signa pergunt. Di- it Stilico nonnullos milites tanquam sine bello s, quos ad præsentem terrorem coactus est ab atore repetere, simul cum supplemento copia- ut maximis viribus Gothorum conatibus obviam . Honorius, patefactis Stiliconis consiliis, ma- militum manum ad eum mittit, dato ducibus e negotio, ut opportuno rei agendæ tempore o, Stiliconem cum filio obtruncent. Illi commu- inter se consilio, dieque destinato quo impe- rincipis strenue peragerent, diversi Stiliconem am adorti, et eos ipsos, et ex necessariis aliquot m parabant, Romæ in foro Pacis interficiunt. idens tamen et ignavus princeps, duce sublato, s locum neminem subrogavit : credo ne ultus i nactus potentiam, similia moliretur. Ita exer- sine præcipuo aliquo duce misere a Gothis fu- er multas clades terrorem Gothici nominis in- m imbibit. Gothi superiores facti, ad urbem m signa infesta ducunt, eamque obsidione diu m capiunt, diripiunt majori tumultu atque tione rerum, quam cædibus aut stupris, aliisque ac fœdis facinoribus quæ urbibus expugnatis itti per insolentiam militum solent. Alaricus urbem ingressurus, duo in castris edicta pro- rat : alterum, a cæde et violatione hominum erent, sibi ejusmodi res displicituras ; alterum, itale esset, si quis eum qui ad templa princi- spostolorum confugisset læderet, aut ipsa tem- iolaret. Capta est a Gothis Roma anno post em conditam 1164, cal. April., Flavio et Var- coss. Quo pacto sit capta parum explicant re- criptores. Baptista Egnatius se modum ejus rei ex Procopio Græco afferre, mirarique interpre- el eum locum scientem prudentemque transi- ; vel si in mutilum incidit codicem, parum dvertisse quid deesset. Procopium Græcum am vidi ; fides erit penes Egnatium, hominem diligentem, ac bene doctum, quantum ex scriptis judicare possum. Scribit ergo : Obsederat Romam Alaricus jam biennium, nec Honorius, qui Ravennæ desidebat aut ferre suppetias poterat aut audebat. Nam cum nihil minus quam de Urbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minime præfecerat qui rem adversus Gothos administraret. Unde Gothis obsidendæ Urbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam cum expugnare vi non possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosque juvenes corporis et animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det, instructos prius ut omni obsequio dominos suos promereri studeant, et ad certam diem circa meridiem, cum Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam advolent ; interfectisque improviso insultu custodibus, portam sibi præsto futuris aperiant. Interea Gothi cum reditum alia atque alia deesse sibi simulantes differrent, trecenti illi juvenes occasione egregie usi, portam strato die suis aperiunt, et intromissus Gothus majore ignominia quam damno urbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris feminæ et opulentissimæ opera patefactam Gothis portam existiment, cum plebem Romanam passim fame et morbis pecudum more cadentem miseraretur. Duo sunt cognitu non indigna : unum, edictum ab Alarico fuisse, ut quicunque in templa divorum confugerent, præcipue Petri et Pauli, his nulla vis inferretur : quod et summa fide servatum. Alterum, quod cum nuntiatum Honorio esset Ravennæ, Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratumque vehementer tam subito periisse eum qui cum paulo ante festivissime luserat. Hæc Egnatius. Has omnes clades maledicentissima et impia gens religioni Christianæ imputabat, negans futurum ut capta unquam esset Roma, si deorum religiones a majoribus cultas traditasque posteris tenuissent : quasi vero non eamdem ob causam, quia violatum est jus humanum, Galli olim vigentibus, ut aiunt, maxime impiis illis insaniis, Urbem ceperint et diruerint ; ceu non multi imperatores Christiani optime rem gesserint, et tanquam non hæc inclinatio imperii et manifestus ad ruinam casus cœperit sub imperatoribus gentilibus, et non per eamdem socordiam ignaviamque Honorius amiserit Romam, per quam Galienus Ægyptum, Asiam, Galliam, ad quarum perditarum rumores dictis luserit facetis. Adversus hos igitur homines sanctæ religionis, etiamsi nulla contigisset calamitas, inimicos et infensos, libros conscripsit Augustinus duos et viginti, Civitatem Dei, hoc est Christianam religionem adversus rabiosas atque impias eorum querelas defendens

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE CIVITATE DEI.

Libro I. Cap. 1. *An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt. Testantur hoc martyrum loca et basilicæ*

Apostolorum, quæ in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt.] Sed non erat dissimulandum hosce barbaros fuisse Christianos, quamvis Arii sectam sequerentur, Vide Paulum Orosium lib. VII, cap. 6, in fine. Sed laudandi fuissent hæreretici, et rei admirabilitas minuenda ; quod simplicior quidem scriptor facere potuisset, sed non callidus rhetor.

Cap. 3. *Ecce qualibus diis urbem Romani servandam commendasse gaudebant. O nimium miserabilem errorem!* etc. Irridet nempe deos qui nec templa sua, nec statuas servare potuerant. Idem facit Lactantius Instit. Divin. lib. II, cap. 4 et alibi. Idem quoque alii veteres Christiani ; sed, nisi fallor, imprudenter, cum similia aliquatenus Judæis objici possent, qui tamen verum colebant Deum. Sic et alias fecerunt minus prudentes Christiani, ethnicis objicientes quæ ipsis ab ethnicis objecta fuerant, ut viri docti animadverterunt. At si prudentiores fuissent, iis armis pro religione Christiana utendum fuit quæ usui nunquam ethnicis fuissent aut esse possent, cum veritati nihil commune sit cum mendacio. Verum rhetores, verisimilium æquo avidiores captatores, talia monita nequaquam attendebant.

Cap. 5. *Quem morem etiam Cæsar (sicut scribit Sallustius, nobilitate veritatis historicus) sententia sua, quam de conjuratis in senatu habuit, commemorare non prætermittit.*] Credebam illico, cum hæc primum legerem, hic legendum *nobilitatus*, sed inspecta Erasmi editione, vidi mendum hoc esse typographicum, legendumque *nobilitatæ*, hoc est, celebratæ veritatis. Observant autem hic Benedictini, in omnibus mss. legi non *Cæsar*, sed *Cato*, verum quia verba quæ profert postea Augustinus sunt in oratione *Cæsaris* non *Catonis*, a criticis mutatum esse nomen. Suspicantur ipsi potuisse fieri ut Augustinus memoria lapsus sit. Iis eo libentius assentimur, quod aliud agens Augustinus, ut fit, videnque hæc verba magis fecisse ad scopum orationis *Catonis* quam *Cæsaris*, ea potuerit propterea *Catoni* tribuere. Sæpe animo in rem quampiam serio intento, memoria minus fida est.

Cap. 9. *Suæ famæ ac saluti consulentes, dum insidias atque impetus malorum timent.*] Dudum observaverat Joan. Frid. Gronovius, Observat. in scrip. ecclesiasticos, cap. 17, in mss. deesse vocem *consulentes*, adeoque delendam. Sic enim sæpe loquitur Augustinus, ut infra cap. 30 : *Istam vobis metuens calamitatem* ; et cap. 32 : *Hanc probitatis et honestatis eversionem vobis Scipio ille metuebat.* Hanc animadversionem judicio suo confirmarunt editores Parisienses.

Cap. 17. *Ac per hoc ei quæ se occiderunt* (sanctimoniales ne vitiarentur a militibus) *ne quidquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus ei nolit ignosci?*] Hac de re multis agit in sequentibus, ubi merito et firmis rationibus αὐτοχειρίαν oppugnat. Sed aliud est velle ignosci iis qui in extremo casu et animo periculi atrocitate perturbato, simile quid fecerunt ; aliud factum probare. Vellem tamen ut Lucretiæ et Catoni æquior noster fuisset, cum declamatores ethnici similia in Christianas virgines et fervidiores martyres jacere possent. Sed iniquior fuit ethnicis omnibus, post controversias Pelagianas ; quia nihil sine *gratia*, hoc est afflatu divino inusitato, bonum esse dicebat, nolebatque eam *gratiam* ethnicis tribui.

Cap. 26. *Quædam sanctæ feminæ, tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent in raturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur.*] Tales Domninæ filiæ Bernice et Prosdoce, quarum natalem celebrant Græci die 4 Octobris et de quibus exstat elegans homilia Joannis Chrysostomi tomi primi 51. Eam Latine inseruit Actis sinceris et selectis martyrum Thod. Ruinartus, ubi etiam quædam habet, hanc in rem, in præfixa admonitione, lectu non indigna.

Ibid. *De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas nescio.*] Multo credibilius est a vicinis Ecclesiis primum eas virgines in ordinem martyrum relatas ; quod hoc, quidquid fuit peccati, satis elutum esse censerent, animo quo in id inciderant, hoc est intemeratæ castitatis et religionis Christianæ amore. Sane multa laudantur, in quibus tantus animus non emicuit, quantus in iis quæ excusatione indigent. Quamobrem id earum factum laudare non dubitavit Chrysostomus novumque et insuitatum baptisma vocare. Quæ in Ecclesia constituuntur sæpe sensim et sine matura ulla deliberatione in eam irrepunt ; quinimo et in ipsis conciliis, ubi suffragiis omnia decernebantur, non doctiores, qui pauci erant, sed plures, hoc est indoctiores aut certe auctoritate ac dicendi facultate superiores audiebantur, ut omnes norunt, nec ignorabant ipse Augustinus.

Libro II. Cap. 3. *Memento autem me ista commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium* : Pluvia defit, causa Christiani. *Sunt namque qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, quæ facillime ista noverunt ; sed ut nobis ineruditorum turbas infestissimas reddant, se nosse, dissimulent* etc.] Norant, nempe, quod antea dixit Augustinus, non minus ante Christiana tempora, quam deinceps siccitates aliasque id genus calamitates contigisse. Nemo copiosius objectionem hancce diduxit, et pluribus confutavit quam Arnobius lib. I contra Gentes. Inter eruditos illos quos memorat Augustinus, accensendus fuit Symmachus ille Urbi præfectus, qui talia habet in relatione oblata Valentiniano, anno 384, quam confutavit Ambrosius. Vide num. 14 in editione Ambrosiana. Ad eam calumniam confutandam, rogatu Augustini, historiam scribere aggressus est Paulus Orosius, ut in præfatione ipsa ad Augustinum testatur.

Cap. 7. Postquam exprobravit deos ethnicorum nulla virtutis præcepta cultoribus suis suppeditasse,

git: *An nobis forte philosophorum scholas di-*
mesque memorabunt ?..... Non deorum præ-
unt, sed hominum inventa, qui utcunque conati
ngeniis acutissimis præditi, ratiocinando vesti-
gid in rerum natura latitaret, quid in moribus
dum esset, quid fugiendum, etc.] Nimirum, id
eligionem vocabant ethnici erant disciplina
n superstitiosa de ritibus sacrorum, quibus
acari putabant, eaque a sacerdotibus et pon-
s discenda, non a philosophis. At quisquis
upiebat quid de Numine sentiendum, et quo-
mores instituendi, eum ad philosophos con-
e oportebat. Audiamus hac de re Latinorum
disertissimum Lactantium, lib. IV, cap. 3
ionum divinarum, quo in libro agit de vera
a: *Deorum cultus*, inquit, *non habet sapien-*
on modo quia divinum animal hominem terrenis
usque substernit; sed quia nihil ibi disseritur
officiat ad mores excolendos vitamque forman-
ec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed
odo ritum colendi, qui non officio mentis sed
io corporis constat. Et ideo non est illa religio
licanda, quia nullis justitiæ virtutisque præce-
lit, efficitque meliores. Itaque philosophia, quia
eligionem, id est summam pietatem non habet,
vera sapientia, etc. *Quoniam igitur, ut dixi,*
hia et religio deorum disjuncta sunt longeque
si quidem alii sunt professores sapientiæ per
que ad deos non discitur, alii religionis antistites
sapere non discitur; apparet nec illam esse
apientiam, nec hanc religionem, etc. Quæ
censenda est, meo quidem judicio, inter
s et firmissimas quibus ethnica superstitio
ri ac destrui penitus, et contra religio Chri-
lustrari et confirmari potuit, si quando Chri-
es fuit cum paulo doctioribus ethnicis.

17. *An forte populo Romano propterea leges*
a numinibus constitutæ, quia, sicut Sallustius
bonumque apud eos non legibus magis quam
alebat? *Ex hoc jure ac bono credo raptas esse*
Quid enim justius et melius quam filias alie-
de spectaculi inductas, non a parentibus ac-
vi, ut quisque poterat, auferri?] Merito Au-
hic et in sequentibus irridet quod Romani
t de virtute conditorum reipublicæ suæ, et
secutarum ejus ætatum. Nam sane, ut
ex Sallustio, quemadmodum etiam ex Livio
que Halicarnasseo, constat veteres illos Ro-
erpetuis seditionibus, ex intolerabili nobi-
stitia natis, domi agitatos fuisse ; foris vero
cinos omnes vexasse, quæ sine summa in-
inhumanitate et crudelitate gesta non sunt,
ab historicis speciosis nominibus amoris
patriæ et fortitudinis velentur. Si conscri-
historia Romana sine fuco, et adhibitis,
torum coloribus, quibus vitium pro virtute
ur, præconceptisque temere opinionibus, sed
tionis et veræ virtutis luminibus, liqueret
imos illos veteres Romanos fuisse meros

A latrones, sibi invicem domi inimicos, nec unquam consentientes, nisi ad infestandos latrociniis vicinos. Quod si nondum deliciis fracti essent, quia pauperes etiamnum erant, propterea meliores habendi non fuerunt quam ubi sumptuosius et delicatius peccare cœperunt. Quis enim pluris faciat barbaram duritiem Scytharum, quos hodie Moschos aut Tartaros vocamus, quam meridianarum gentium molliorem nequitiam? Fateor pauperem illam barbariem bello et propulsandis hostibus meliorem esse ; sed an est melior, ad mores quod attinet, hoc est, justior temperantior, prudentior? Non puto. Utrobique est barbaries et immanitas, sive sit cum deliciis, sive cum pauperiore cultu ac victu conjuncta. Sed solent
B homines, vitiorum suæ ætatis pertæsi atque impatientes, præsentibus semper præferre tempora præterita : quibus si vixissent, similes querelas profudissent, et in antiquioribus sæculis majorem virtutem ac felicitatem quæsivissent. Hæc si ad animum serio revocassent recentiores Romani, nemo dixisset cum Juvenali sat. 3 :

> Felices proavorum atavos, feliciaque illa
> Sæcula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
> Viderunt uno contentam carcere Romam!

Cap. 25. *Jam multos moverat quod miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem, nudato cadavere, agnovit, ac detestatus bella civilia, seipsum ibi perimens fraterno corpori adjunxit.*] Exstant in Veterum Poetarum a Josepho Scaligero editis Catalectis,
C elegantissima duo epigrammata *in Mævium qui fratrem ignarus interfecit*; sed refertur miserandum hoc facinus ad bellum Actiacum, quod Augustus cum Antonio gessit; quod vero hic narratur pertinet ad initium belli Syllani, contigitque in prælio quod commisit Cn. Pompeius cum L. Cornelio Cinna, de quo Livius lib. LXXIX. Bis idem potuit contingere, aut etiam poeta ad aliud bellum quod in alio contigerat retulit.

> Exit in immensum fecunda licentia vatum,
> Obligat historica nec sua verba fide.

Cap. 27. *Vir gravis et philosophaster Tullius ædilis futurus clamabat*, etc.] Quamvis ethnicam philosophiam sapientiæ Christianæ collatam merito sperneret Augustinus, tamen semper maximi fecit Ciceronem, honorificeque ubique de eo locutus est, et
D forte pleraque quæ de philosophia norat ei debebat ; nam ad Græcorum fontes nunquam, ut notum est, adiit. Itaque mihi persuadere non possum Ciceronem ab eo ita contemptim habitum, ut *philosophastrum* vocaret. Plerique mss. habent *philosophus tertullius*, alii *tertullius*, unus Corbeiensis *philosophaster Tullius*, quemadmodum legendum conjecerat Lud. Vives. Crediderim in antiquissimis codicibus scriptum fuisse PHILOSOPHUS M. TULLIUS, deinde pro M a festinante librario lectum aut scriptum III, quod postea expressum *ter*; unde nobis natus *philosophus Tertullius*, aut *ter Tullius*, aut denique *philosophaster Tullius*, invito, nisi fallor, Augustino, qui existimabat ab eo *in Latina lingua philosophiam inchoatam et perfectam*, contra Academ. lib. I, n. 8. Ac sane, hoc

ipso in loco, vox *gravis* ostendit Augustinum voluisse de eo honorifice loqui, nec consentiunt voces *gravis* et *philosophaster*.

Libro III. Cap. 4. *Vir doctissimus eorum Varro falsa hæc esse, quamvis non audacter, neque fidenter, pene tamen fatetur. Sed utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, diis genitos esse credant; ut eo modo animus humanus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius*, etc.] Nemo philosophiæ paulo peritior credidit æternum numen mulierum amore posse capi. Itaque quærendæ cordatioribus fuere causæ cur antiquissima fama tot filios deorum prædicaret; quarum rationum unam hanc Varro prodiderat, in quopiam libro ex iis quos tanto numero scripserat et qui perierunt. Verumtamen fraudibus sacerdotum et mulierciarum aut deceptarum, aut sponte impudicarum, filios illos deorum debitos, maxima ex parte, existimarim. Cum libidinosi sacerdotes virginem in templo aut luco numinis cujuspiam vitiarant, nec eorum intererat ducere eam uxorem, ut ejus honori consulerent, ex ipso numine natum puerum dicebant; nec puellæ eorumque propinqui rem negabant, cum honori vitiatarum ea fraude consuleretur. Antiquissimis temporibus rudes homines, nec ullis studiis expoliti talia sibi persuaderi stulte passi sunt. Pluribus hac de re egit Joan. Clericus in notis ad Theogoniam Hesiodi.

Cap. 10. *An respondeat quod nisi assiduis sibique continuo succedentibus bellis Romanum imperium tam longe lateque non posset augeri, et tam grandi gloria diffamari?*] Recte observavit J. Frid. Gronovius hic *diffamari* perinde esse ac celebrari, eamque vocem in utramque partem sumi, quod ex Nonio Marcello probat. Addit membranas mss. ignorare τό *succedentibus*, legendumque putat *assiduis sibique continuis bellis*. Observat. lib. III, cap. 16. Miror Benedictinos hujus variæ lectionis non meminisse. Quod attinet ad vocem *diffamare*, in bonam partem non raro ab Augustino sumitur, ut hujus libri cap. 31. *Multo autem minus eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos, si Christianæ religionis receptionem et diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tiberini fluminis igniumque illa depopulatio, vel quod cuncta mala præcedit, bella civilia sequerentur.*

Cap. 18. *Sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserant civitates..... Metellus pontifex suæ quodam modo salutis oblitus, irruens semiustulatus abripuit.*] Trojam, Lanuvium et Albam recte intelligi ostendit Justus Lipsius, Syntagmatis de Vesta et vestalibus cap. 2, ubi multis hunc Augustini locum illustrat.

Cap. 31. *Cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari solet hoc nomine, sed omnino lapidibus; hæc profecto etiam graviter lædere potuerunt.* Cum lapidibus pluisse dicebant, omnino majorem grandinem intellectam fuisse existimo, cum præsertim Augustinus *grandinem* ita dictam observet, si quæ, nimirum, solito major esset. Scriptor de Bello Africano cap. 47: *Vigilia secunda noctis, nimbus cum* SAXEA GRANDINE *est exortus ingens.*

Ibid. *Locustarum enim in Africa multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani provincia, litteris mandaverunt.*] Qui hæc multitudine exemplorum illustrata videre avebit, adeat oportet Samuelem Bochartum, Hierozoici part. 2, lib. IV, sex primis capitibus; et Joannis Clerici dissertationem de statua salina Genesi ab eo illustratæ subjectam.

Ibid. *Tunc Uticæ ex triginta millibus juniorum, quæ ibi erant decem remansisse confirmant.*] Recte animadverterunt Benedictini *juniores* dictos præsidiarios milites. Quod pluribus exemplis confirmatum invenies apud Justum Lipsium Epistol. quæstionum lib. I, epist. 1.

Libro IV. Cap. 4. *Remota justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia; quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?*] Mollius flueret oratio si pro *quia* legeremus *quin*, præposita interrogationis nota. De re ipsa permulta habet elegantia et vera Lactantius lib. v Institutionum divinarum.

Cap. 8. *Neque enim in hoc tam præclaro opere* (prolatorum imperii Romani finium) *et tantæ plenissimo dignitatis audent aliquas partes dcæ Cloacinæ tribuere, aut Volupiæ; aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet; aut Cuninæ, quæ cunas eorum administrat.*] Testantur Parisini editores non tantum in editionibus aliquot, sed et in mss. esse non *Vaticano*, sed *Vagitano*: quod cur in textum non receperint non intelligo, cum cætera deorum nomina ostendant hujus etiam vocabulum a *vagitu* duci oportuisse. Vide et cap. 21, Scio locum Varronis proferri ab Aulo Gellio lib. XVI, cap. 17, qui videtur lectioni *Vaticani* favere, sed cum sit absurda etymologia, vulgo potuis *Vagitanum* dictum fuisse existimo.

Cap. 9. *Hunc* (Jovem) *Varro credit etiam ab his coli qui unum Deum solum absque simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari.*] De hac opinione Varronis vide quæ observavit Joannes Clericus Artis Criticæ parte 2, sect. 1, cap. 13.

Cap. 10. *Quis enim ferat quod cum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint, aliquando Vestam non erubescant etiam Venerem dicere?*] Recto observavit Justus Lipius in Syntagmate de Vesta et vestalibus cap. 2, vix exempla inveniri Vestæ nomine Veneris appellatæ, nec ejus rei satis liquidam esse rationem nisi forte amoris æstus cum igne conferatur. Eam vide, si vacat.

Cap. 13. *Si autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non videt quidem si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separent.*] Intelligit Stoicos, qui mundum Deum esse dicebant. Vide Justum Lipsium Physiol. Stoicorum lib. I, diss. 8.

Cap. 16. *Vocaverunt..... deam Murciam, quæ præter modum moveret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiorum et inactuo-*

'ertullianus de Spectaculis cap. 8 : *Murciam* A *marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* n legendum, non *marmoris*, aut *amoris*, ut nt nonnulli. Nusquam veteres *Murciam* illam deam esse prodiderunt, sed marcoris et ignam *murcus* veteribus idem quod ignavus. Hinc s Latinitatis temporibus, *murcos* appellabant ter qui sibi pollices præciderant, ne militiæ darent. Ammianus Marcellinus : *Nec eorum do quisque, ut in Italia, munus Martium per- is pollicem sibi præscidit, quos jocaliter mur- ellant.* Desides et ignavos et imbelles ita vo- *Murcus, murcidus*, ut *flaccus, flaccidus*. Fe- *urcidum, ignavum, stultum;* Plautus : *murcide gnave, iners*. Male in editis *murricide*, quod : exponebat μυοκτόνον, hoc est muricidam. B is : *Murcia, segnium dea.* Hæc aliaque habet Salmasius in Solinum pag. 636 ed. Ultraje-

19. *Tantum sane huic, velut numini, tribuunt, 'ortunam vocant, ut simulacrum ejus, quod a s dedicatum est, etiam locutum esse memoriæ daverint, atque dixisse non semel, sed iterum, m rite matronæ dedicaverint.*] Valerius Maxi- . I, cap. 8 Exempl. Rom. 4, ex emendatione psii : *Non semel sed bis locutum* (*simulacrum*) , *his prius verbis* : RITE ME, MATRONÆ, VIDI- *inde* : RITE DICASTIS. Quæ vera est lectio, et lis Augustino fuisse videtur.

21. *Divæ Fructeseæ.*] Scripti codices Augu- C rba sunt Claud. Salmasii ad Solinum pag. 50 ject.) quos in Germania olim vidimus habe- *atque ipsi maxime divæ Frutes Seæ*, in aliis *utisscæ*. Scripsisse Augustinum opinor : *Divæ Seiæ. Seiam* vel *Seam* vocat deam frugis, cui agricolæ supplicabant ut ubertatem fructuum ret. Hanc idem Augustinus lib. IV, cap. 8, ex dicit segetibus præpositam fuisse, quandiu ra essent. Plinius a serendo *Seiam* dictam t lib. XVIII, cap. 2.

31. *Dicit idem auctor acutissimus* (Varro) *at- tissimus quod hi soli ei videantur animadver- id esset Deus, qui crediderunt eum esse animum ratione mundum gubernantem.*] Vox *motu*, in- D stus Lipsius Physiologiæ Stoicorum lib. II, 10, non omnino disconvenit, fateor, et verius credam *mente*. Cicero, I Acad. de Stoicis : *a natura sentiente teneri, in qua ratio perfecta quæ sit eadem sempiterna. Quam vim animum ant mundi, eamdemque esse mentem sapientiam- rfectam, quam Deum dicunt.* Nihil tamen in lectione mutandum ego quidem censeo, sic rme locutus est Manilius, non procul ab initio , ubi dicit sibi constitutum esse canere Deum moderantem

umque alterno consensu vivere mundum RATIONIS agi MOTU, cum spiritus unus vinctas habitet partes, etc.

o v. Cap. 1. *Prorsus divina providentia regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quisquam quæsierit quid dixerit fatum?*] Pulcherrima profecto sententia et digna quæ aureis litteris inscribatur auditoriis philosophorum et theologorum, ut discant illico perspicue loqui; quo compendium temporis fiat, expulsione tot inanium verborum, quæ explicationibus prolixis indigent; et quibus auditis, nihil quidem novi, ad res ipsas quod attinet, discimus, sed intelligimus duntaxat scholastici sermonis usum. Hanc autem admonitionem de *fato* necessariam fuisse intelliget quisquis leget dissertationem 12 et sequentes lib. I Physiologiæ Stoicorum a Justo Lipsio conscriptæ, ubi fatum ille contendit effectum esse providentiæ divinæ, quod et veteres multos credidisse ostendit.

Cap. 10. Postquam cap. 9 proposuit argumentationem Ciceronis, qua probare conabatur, si quid esset in nostra potestate, id a Deo certo non prævideri, quia poterat non contingere; aut si omnia a Deo certo præviderentur, nihil esse in nostra potestate, quia necessario omnia fierent. Capite 10 respondet Augustinus, sed ita ut vim objectionis non sensisse, aut dissimulasse, si sensit, videatur. *Non ergo*, inquit, *propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate.* At Cicero dixerat in *nostra potestate*, hoc est, quod poteramus nolle aut velle; ita ut ad alterutrum non esset necessario inflexa voluntas; quemadmodum est natura sua ita affecta, ut veritati manifestæ assentiatur, utque beatitudinem optet. Augustinus hic, ut et alibi, *voluntarium* et *liberum* confundit, quæ in omnium hominum sermone distincta sunt; nam voluntate quidem assentimur evidenti enuntiationi, sed non libere; et voluntate similiter cupimus felicitatem, sed non libere; neque enim possumus nolle evidentibus assentiri aut nolle esse felices, aut de hisce deliberare. Subdit : *Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit.* Verum non negavit Cicero Deum aliquid præscire, sed duntaxat quæ sunt libera. *Porro*, ait Augustinus, *si ille quid præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit profecto et illo præsciente, est aliquid in nostra voluntate.* Verum est, sed Cicero negasset illud quod in nostra voluntate futurum præscit Deus, esse in *nostra potestate*; qualia sunt optare felicitatem, perspicuisque assentiri; quæ sunt quidem in voluntate nostra, volentes enim assentimur et cupimus, sed non *in nostra potestate*, cum in contraria ire non possimus.

Quocirca nullo modo cogimur, inquit philosophus Pœnus, *aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium* (cur non addit *liberum?*), *aut retento voluntatis arbitrio* (addendum erat *libero*, hoc est in utramque partem flexili), *Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum. Sed utrumque amplectimur,*

utrumque fideliter et veraciter confitemur; illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Postrema hæc libenter amplectimur, sed si Cicero excitatus ex orco fuisset, aut si Ciceronianus aliquis philosophus reposuisset Augustino, negasset ab Augustino retineri liberum arbitrium; quod nec ille diffitetur, cum extra controversiæ æstum loquitur. Vide Enchiridion ad Laurentium cap. 30, in tomo VI.

Pergit : *Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes; quia et ipsas futuras esse præscivit et valent plurimum, quantum eas valituras esse præscivit; et preces valent ad ea impetranda; quæ se precantibus concessurum esse præscivit; et juste præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt.* Utraque essent injusta, si a bonis factis et peccatis abstinere non magis possemus quam ab assensu præbendo evidenti enuntiationi, aut a concupiscenda beatitudine. Reliqua etiam ideo non frustra sunt, quod homines sint liberi, hoc est, non tantum *volentes* peccent, mens enim humana non aliter quam volendo agit, sed etiam libere, ita ut nolle potuerint quod voluerint, et velle quod noluerunt. Legum quas Deus fert creaturis liberis non est ratio præscientia, sed sanctitatis Dei et creaturarum libertas.

Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit. Melioris notæ codices, ut testantur Benedictini, habent, hic : *Neque enim ideo non peccat.* Sed duplex hæc negatio plus non videtur valere quam una; qua de re vide Gerard. Joan. Vossium, de Arte grammatica lib. VII, cap. 61. Aut est altera negatio ponenda in sequentibus, *quia Deus illum non peccaturum esse præscivit.* Verissimum hoc est, sed reposuisset Ciceronianus ideo, ex Augustini sententia hominem peccare, quod non potuerit non peccare, eademque de causa hoc præscire Deum; quod alioqui non præsciret, si liberum esset. Nec evaderet vim argumenti Ciceroniani, sequentibus verbis : *Imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit.* Nam verum non est, ideo nos credere peccare homines, quia Deus hoc præscivit; ideo credimus quia videmus ab iis leges divinas perfringi, et conscii nobis sumus, ab iis potuisse non perfringi, quippe qui ejusdem libertatis participes sunt ac nos. *Qui si nolit,* inquit tandem Carneades noster, *utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Certe *si nolit* homo, non peccat; sed oportet ut possit velle ac nolle, ut sit peccati capax; ostendendumque fuerat, contra Ciceronem, Deum posse præscire id futurum quod poterit nolle is qui facturus est. Hinc liquere potest quantum sit discrimen inter rhetoricas argutias et philosophicas ratiocinationes.

Cap. 15. De Romanis. *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam;..... si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.*] Antea tamen ostendit eas virtutes fuisse mera vitia; nam, ut ait cap. 13, *causa honoris, laudis et gloriæ, consuluerunt patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus saluti patriæ præponere non dubitaverunt; pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem et multa alia vitia comprimentes.* Sed propterea Deus iis *mercedem* non debuit, præstaretque dicere Deum passum esse, aut etiam certis de rationibus, sed nobis ignotis, voluisse ut rerum potirentur, potius quam alius populus. Duo præterea ad hæc accedunt, quorum prius est antiquos Romanos tales non fuisse quales aliquando a nepotibus describuntur, quod demonstravit ipse Augustinus lib. II, ad quem etiam aliquid ea de re diximus. Alterum est vicinas gentes Italiæ, aut etiam Græciæ, aliasque, quas memorare nihil attinet, nequaquam deteriores fuisse quam veteres Romanos, ad mores quod attinet, ac proinde Deo ingratiores non fuisse.

Cap. 17. *Nunquid non multi senatores sunt, in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt?*] Non novum hoc fuit tempore Augustini, jam tempore Claudii, cum Galliæ Comatæ incolæ honores sibi concedi Romæ postularent, vulgo Itali quærebant. *An parum quod Veneti et Insubres Curiam irruperint, nisi cœtus alienigenarum veluti captivitas inferretur?* Tacitus Annal. lib. XI, cap. 23.

LIBRO VI. Cap. 1, § 2. *An vero illi peritissimi et acutissimi viri, qui se pro magno beneficio conscripta docuisse gloriantur* (Varro, de quo egit lib. IV, cap. 22), *ut sciretur quare cuique deo supplicandum esset, quid a quoque esset petendum, ne absurditate turpissima, qualis joculariter in mimo fieri solet, peteretur a Libero aqua, a Lymphis vinum; auctores erunt cuipiam hominum diis immortalibus supplicanti, ut cum a Lymphis petierit vinum, eique responderint : Nos aquam habemus, hoc a Libero pete; possit recte dicere : Si vinum non habetis, saltem date mihi vitam æternam?*] Editi libri habebant *Nymphis*, sed mss. constanter *Lymphis*, ut observant Benedictini. Eas voces sæpe misceri in antiquis libris monuerunt viri doctissimi Nicolaus Heinsius, ad epist. Œnonæ ad Paridem vers. 31, et Janus Brœkhusius ad Propertium lib. III, eleg. 14, 4. Hic tamen puto revera Augustinum scripsisse *Lymphas*, quia cum Nymphæ dicantur etiam Oreades, et Hamadryades, non videntur dictæ *Lymphæ*, nisi eæ quæ aquis præerant, quamvis ea vox sit a *Nymphis*, mutatione N in L deducta. Festus : *Lymphæ dictæ sunt a Nymphis. Vulgo autem memoriæ proditum est, quicumque speciem quamdam e fonte, id est effigiem Nymphæ viderint, furendi non fecisse finem, quos Græci* νυμφολήπτους *vocant, Latini lymphatos appellant.* Vide Æneid. lib. VII, 377.

Cap. 9, § 1. *Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo, per ejus beneficium, emissis seminibus liberentur.*] Eo respicit Seneca lib. IV, de Beneficiis, cap. 8 : *Hunc Liberum patrem et Herculem ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem,*

quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem. Qua et re et etymologia, quid absurdius fingi potuerit nescio; sed Varronianæ etymologiæ meliores sunt ejus theologia.

Cap. 10, § 2. *Sunt quæ Junoni et Minervæ capillos disponant, longe a templo. non tantum a simulacro stantes digitos movent, ornantium modo.*] Talia habet Seneca etiam epist. 95. Hoc autem munus dictum *curationem facere* docet Tertullianus libro de Jejunio cap. 16. *Qui in idolis comendis et in aris ornandis, et ad singulas horas salutandis, curationem facere dicuntur.*

Ibid. *Sedent quædam in Capitolio quæ se a Jove amari putant; nec Junonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ respectu terrentur.*] Ita Saneca loquebatur in pulcherrimo libro de Superstitione, quem ego, potius quam tot frigidas homilias, a monachis exscriptum vellem et ad nos diligenter transmissum. Impudicæ mulierculæ æditui forte amore captæ, in Capitolio sedebant, ut si forte gravidæ fierent, se ex Jove peperisse fatuis persuaderent. Nota est historia Mundi et Paulinæ, apud Josephum. Sed et vide quæ de deorum filiis notavit Joannes Clericus ad Theogoniam Hesiodi.

Cap. 11. *Usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt.*] Sunt verba inconsulta sane Senecæ de Judæis, ad quæ respexisse videtur Rutilius Numatianus in Itinerario vers. 395.

> Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset,
> Pompeii bellis imperioque Titi!
> Latius excisæ pestis contagia serpunt,
> Victoresque suos natio victa premit.

Libro VII. Cap. 1. *Qua in re non dico, quod facetius cit Tertullianus fortasse quam verius* : Si dii seliguntur ut bulbi, utique cæteri reprobi judicantur.] Adnotarunt in margine Benedictini simile quidpiam esse in Apologetico cap. 13. At ipsa verba exstant in opere contra Nationes lib. II, cap. 9, ubi Nic. Rigaltius, vir doctissimus, observat ab Augustino dictum hoc Tertulliani male carpi. Ac sane in eo, quod vocatur Deus, nulla potest esse selectio, quemadmodum in hominibus a quibus exempla perperam petit Augustinus; nam omnes dii omnia posse debent, ut idem observat.

Cap. 2. *Ibi Liber, qui marem effuso semine liberat. Ibi Libera, quam et Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat feminæ, ut etiam ipsa, emisso semine, liberetur.*] Hæc habuit cap. 9 libri superioris. Miror autem episcopum, et quidem gravem ac senem, quanquam olim adolescens sat libidinosam vitam duxerat, tam sæpe περὶ τοῦ σπέρματος verba facere, in opere hoc etiam a mulieribus et adolescentibus legendo. Scio ethnicorum has fuisse spurcitias, sed præstabat generalioribus verbis eos attingere, quam ad castarum aurium fastidium repetere. Vide et quæ habet eodem capite de Subigo, de Prema, et Pertunda. Sed alia alibi non honestiora observabimus in re graviore.

Cap. 14. *Si Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus, Deus non est.*] Miror non timuisse Augustinum ne sibi objiceretur quod passim habet de *Verbo;* nam similis objectio potuit fieri, responsioque Augustini pariter eludi.

Cap. 21. *In Italiæ compitis quædam dicit sacra Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur*, etc.] Similia fiebant in sacris Osiridis, ut docet Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. I, qui ea ab Ægyptiis ad Græcos traducta esse putat.

Cap. 26. *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo, per plateas vicosque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter viverent exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini.*] Miror cum innumeri scriptores de iis sint locuti, quorum loca plura indicabit Gérard. Joannes Vossius operis de Origine et Progressu idololatriæ lib. III, cap. 53. Adi et Catulli poema quod *Attis* inscribitur, et ad id intrepretes, qui affatim suppeditabunt quod hic Augustino deest. Μητραγύρται vocabantur sacerdotes illi, qua inscriptione comœdiam scripserat Menander, quæ utinam exstaret!

Cap. 27. *Totam de hoc Euhemerus pandit Historiam quam Ennius in Latinum vertit eloquium; unde quia plurima posuerunt, qui contra hujusmodi errores ante nos vel Græco sermone vel Latino scripserunt, non in eo mihi placuit immorari.*] Lactantium videtur potissimum intelligere, qui lib. I Institutionum divinarum sat prolixa nobis servavit Euhemeri fragmenta; de quo scriptores nonnulli ethnici ideo male judicant, quod religionem eorum plane infamasset; quamvis cæteroqui nollem omnia præstare quæ habebat. Miror a Christianis Græce aut Latine non esse servatum.

Cap. 34. *Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum et bubulcus ejus juxta sepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruisset ex terra libros ejus, ubi sacrorum institutorum scriptæ erant causæ, in urbem pertulit ad prætorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantum detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numæ mortuo senatus assensus est eosque libros, tanquam religiosi, patres conscripti, prætor ut combureret censuerunt.*] Plinius lib. XIII, cap. 13, dominum agri in quo libri effossi, vocat etiam Cn. Terentium, ut et Festus in voce *Numam*. At Livius lib. XL, cap. 29, et Valerius Maximus lib. I, cap. 1, vocant L. Petillium. Unde stet verum quis dicat? nec sane multum interest. Sed credibile est Numæ commentarios contemptim egisse de superstitione plebis Romanæ atque Italæ, cujus palato religionem aptare coactus fuerat. Nihil enim vetat quin cum philosophis de Deo senserit, quemadmodum Mutius Scævola et M. Terentius Varro, de quibus vide lib. IV, cap. 27, et VI, cap. 5, et una cum illis sese inconsultæ multitudini attemperarit. Augustinus autem ex Varrone dicit senatum *mortuo Numæ esse assensum*, quod, ut Numa curaverat eos libros secum sepeliri, ne populo

innotescerent ; sic censuerat eos comburendos. eadem de causa.

Libro VIII. Cap. 9. *Aliarum quoque gentium, qui sapientes vel philosophi habiti sunt, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, aliique reperiuntur*, etc.] Justus Lipsius Manuductionis ad Stoicam philosophiam lib. I, dissert. 5, multis hunc locum illustrat, et Atlanticos Mauritaniæ sapientes intelligit, duce Atlante eo delatos. Libycos aut Libyas intellexerim alios aut interioris Libyæ, aut ejus quæ Ægypto vicina.

Cap. 19. *Postremo ipse Apuletus nunquid apud judices Christianos de magicis artibus accusatus est?* Unde liquebat non posse reprehendi Christianos quod Platonicos magiæ insimularent, cum apud Maximum Claudium, judicem ethnicum, accusatus fuisset Apuleius, celebris Platonicus.

Cap. 22. *Restat ut nullo modo credendum sit quod Apuleius persuadere nititur, et quicunque alii philosophi sunt ejusdem sententiæ, ita esse medios dæmones inter deos et homines, tanquam internuntios et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias.*] Si hoc de cacodæmonibus intelligas, verum est eos non esse nec esse posse internuntios inter Deum et homines ; sed non video Augustinum de bonis dæmonibus contrarium probasse, quamvis tædiosissime hac de re agat. Quinimo hodie pars non exigua Christianorum tale quidpiam sentit de angelis. Interdum vitilitigat Hipponensis episcopus cum Platonicis, quemadmodum et cum aliis adversariis.

Cap. 23. *Diversa de illis ille Hermes Ægyptius quem Trismegistum vocant, sensit et scripsit.*] Multis ostendit Isaacus Casaubonus exercitat. 1 in Apparatum Annalium cardinalis Baronii, fictum hunc esse Hermetem a Christiano quodam, qui religionis Christianæ dogmata ejus auctoritate, dolo malo et indigno homine veritatis amante, confirmare voluit ; quod adeo manifestum est, ut mirum sit Patres ejusmodi nugis ausos esse uti. Fortasse non intelligebant ipsi fraudem, quamvis sit satis aperta ; sed mirum eos a nasutioribus ethnicis non fuisse exsibilatos. Certe digni erant qui albis dentibus irriderentur, qui tam avide usque adeo male consutos dolos arripiebant, si credebant suppositos illos libros eorum esse quorum nomina præferebant. Quod si fraudem quidem intelligebant, quod negare nollem, magnam injuriam veritati faciebant, quam turpibus mendaciis adjutum ibant, impediebantque ne ethnicorum reliquiæ fidem Evangelio haberent. Denique non possumus nunc de iis aliter judicare quam fuisse aut pessimos criticos, aut non satis vim veritatis intellexisse, quæ profecto ejusmodi fraudibus non indiget ; nec usque adeo mendacii inimicos fuisse quam libris editis simulabant.

Cap. 27. *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus ; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt*, etc. *Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane*, etc. ?] At pompa qua ferebantur reliquiæ, honor qui iis genuum flexione deferebatur, invocationes sanctorum quasi preces audirent, cujus rei exemplum habuimus antea ad tom. V, p. 152, col. 2, persuadebant ethnicis martyres coli quasi quoddam genus inferiorum deorum ; nec, si nunc tandem sine dissimulatione loqui licet, multum a vero aberrabant, nam et Christianos nonnullos offendebat quoque hujusmodi cultus. Liquet hoc ex libello Hieronymi, quo homo vehemens conviciis exagitat Vigilantium, quem talia gravissime offenderant. Itaque hic noster rhetorum more respondet dissimulatis iis quæ ab ethnicis objiciebantur, et prætermisso cultu qui revera reliquiis martyrum exhibebatur, et merito offendebat ethnicos.

Libro IX. Cap. 15. *Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum ; maxime quippe immortale, et maxime beatum Verbum longe a mortalibus miseriis* (non miseris) *sed mediator per quod homo.*] Vere, nam ad Deum quod attinet, non indiget ipse Mediatore, cujus opera nobiscum agat ; sed nos ad tantam majestatem, sine mediatore et quidem nostri generis, vix assurgere possumus.

Cap. 22. De angelis. *Ideo certius etiam temporalia et mutabilia ista noverunt ; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus ; quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur.*] Ante omnia vellem scire an qui talia de angelis et Verbo affirmant satis intelligant quid velint ; nam ad me quidem quod attinet, non intelligere me fateor quomodo angeli possint æternæ Rationis notiones et cogitationes videre, ita ut ex ejus naturæ contemplatione sciant quid fieri velit, quid nolit ; et, ut verum profitear, a nemine puto intelligi, qui creaturæ mentem Creatoris, quam non revelavit, assequantur sola ejus contemplatione. Deinde vellem scire unde hoc habeant theologi, ex philosophicisne ratiocinationibus, an ex Scriptura ; nam ad Scripturam quidem quod attinet, ausim affirmare nullum esse locum, qui quidem sit perspicuus, ex quo hoc verisimiliter deduci possit ; philosophicis vero ratiocinationibus quomodo talia possint colligi multo minus assequor. Attamen hoc Augustinus non semel affirmat, quasi theologiæ Christianæ dogma, et ita secure profert quasi res esset explorata, ac theologi scholastici magno consensu arripuerunt. Vide quæ hac de re collegit Dionysius Petavius theologicorum Dogmatum tom. I, lib, IV, cap. 2 ; et tom. III, de Angelis lib. I, cap. 4.

Cap. 23, § 1. *Illud vero dicitur* Deus deorum, *non potest intelligi Deus dæmoniorum* ; et rex magnus super omnes deos, *absit ut dicatur Rex super omnia dæmonia.*] Apud Hebræos, ut viri docti dudum ostenderunt, vox אלהים *elohim* significat quidquid colitur, σέβασμα seu in cœlo illud sit, sive in terris.

Itaque quando Deus verus dicitur *Deus deorum*, perinde est ac si diceretur omnium eorum quos colimus eminentissimus : ut *Canticun Canticorum* dicitur quod in suo genere est eximium. *Etsi sunt qui dicantur dii*, ait Paulus I Cor. VIII, 5, *sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia*, etc. Sic et psal. XCIV, 3. *Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos ;* perinde est ac Rex regum, aut Dominus dominorum.

Ibid. *Sed homines quoque in populo Dei eadem Scriptura deos appellat.* Ego, *inquit*, dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes. *Potest itaque intelligi horum deorum Deus, qui dictus est* Deus deorum, *et* super *hos* deos Rex magnus.] Nihil verius hac posteriore Augustini animadversione ; sed quod dicit *homines in populo Dei* dici deos, non est sat accurate ab eo dictum ; nam non quivis homines e populo Dei dicuntur *dii* psal. LXXXI, 6 ; sed tantum reges et judices, seu magistratus. Quamobrem male etiam concepta est capitis hujus inscriptio, quæ sic habet : *Nomen deorum falso ascribi diis gentium, quod tamen et angelis sanctis et hominibus justis, ex divinarum Scripturarum auctoritate commune est* Nam in Scriptura nusquam hoc est nomen hominum justorum, sed tantum ad honores reipublicæ evectorum, quicunque sint alioquin eorum mores ; non enim virtus in iis spectatur, sed dignitas.

Ibid., § 2. *Veruntamen, cum a nobis quæritur si homines dicti sunt dii, quod in populo Dei sunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus ; quanto magis immortales eo nomine digni sunt qui ea fruuntur beatitudine ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire? Quid respondebimus, nisi non frustra in Scripturis sanctis, expressius homines nuncupatos deos, quam illos immortales et beatos, quibus nos æquales futuros in resurrectione promittitur ; ne, scilicet, propter illorum excellentiam, aliquem eorum nobis constituere deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facile est evitare.*] Nos vero, qui non ex turbidis rivis, sed ex ipso fonte hasce aquas hausimus, aliud respondebimus ; nimirum, angelos disertissime *deos* seu אלהים dici psal. VIII, 6, ubi Hebraica habent de homine : ותחסרהו מעט מאלהים, *et fecisti eum paulo minorem diis* ; ubi LXX interpretes, Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Sic et Chaldæus pro מאלהים habet ממלאכי,א, *mimmalachajo*, quam angeli. Sic et scriptor ad Hebræos cap. XI, 7. Pariter Psal. XCVI, 7, ex divisione Græca, est apud LXX interpretes, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ, et scriptorem ad Hebræos cap. I, 6, ubi Hebraica verba habent : *adorate eum, omnes dii* אלהים. Non addemus alia loca, sed observabimus periculosum esse comminisci rationes usus sermonis sacri, antequam plane sit exploratus ; nam facile est commentis falli et indulgere, quemadmodum hic facit Augustinus, nisi Græca et Hebraica diligenter legerimus. Possemus hanc potestatem vocis *Deus* pluribus confirmare, sed adi Joan. Clerici Artem criticam par. 1 sect. 2, cap. 3.

Libro X. Cap. 1, § 2. *Hic est enim Divinitate vel, si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi necesse est, insinuo quid velim dicere.* Λατρείαν *quippe nostri, ubicunque sanctarum Scripturarum positum est, intepretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet.*] Intelligit vocem δουλεία. Quamvis λατρεία ex vocis proprio significatu non magis significet apud Græcos Dei quam hominum cultum, ut recte ad hunc locum animadvertit Joan. Lud. Vives ; attamen ex usu LXX interpretum et Novi Testamenti, ut in sequentibus habet Augustinus, λατρεία divinum cultum sonat ; at vox δουλεία promiscue pro utroque sumitur. ut docebunt Concordiæ. Igitur etsi λατρεία in sacris Libris significat cultum excellentiorem ; continuo non sequitur voce δουλεία minus excellentem significari, quod probe observandum.

Cap. 11, § 1. *Ibi quidem omnes homines reprobat, quos dicit ob imprudentiam trahere humidum vaporem, et ideo non in æthere, sed in aere esse sub luna, atque in ipso lunæ globo.*] Ex hac philosophia Lucanus lib. IX ab initio, de animo Cn. Pompeii Magni sic loquitur :

> At non in Pharia Manes jacuere favilla,
> Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram ;
> Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
> Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis.
> Qua niger astriferis connectitur, axibus aer,
> Quaque patet terras inter lumæque meatus,
> Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
> Innocuos vitæ patientes ætheris imi
> Fecit et æternos animum collegit in orbes.

Sed de hac re copiose egit Apuleius Platonicus, in libello de Deo Socratis.

Cap. 16, § 1. *Respondeant theurgi, vel potius* PERIURGI, *hoc enim sunt illæ artes vocabulo digniores.*] Audiverat, ut quidem videtur, Augustinus ab aliquo Græce sciente magicas illas artes περιέργας dici, hoc est, *perperam curiosas* ; cumque videret *theurgos* vocari, vacillante memoria, eos *puerirgos* vocari oportere dixit, quæ vox tamen non est usitata ; nam quamvis dicatur θεουργος, a vocibus θεὸς et ἔργον, ut κακουργός, πανουργός, χειρουργός, et similia, propterea non sequitur ex περὶ et ἔργον fieri περιουργόν, ut norunt usus et analogiæ periti. De voce περιεργος, in malam partem sumpta, vide Hug. Grotium ad Act. XIX, 19. Veteres Glossæ : περίεργος, curiosus, vesanus. Hesychius : Περίεργον (sic enim legendum ostendit series litteratum non περιερὸν) περιττὸν, ἢ στρεβλόν. Περιεργία (non περιεργεία) καθαρσια, aut potius κάθαρσις, vel τὰ καθάρσια, hoc est superstitiosa lustratio, qualibus plena erant theurgorum sacra, de quibus potissimum egit Jamblichus, in libro de Mystoriis Ægyptiorum. Vide et Augustinum infra in hoc libro cap. 22 et 27. Igitur perperam quærit vir sane eruditus Joan. Lud. Vives an *periurgi* dicantur a *perurgendo*, an *perurgi* a *perurendo*. Nec tamen audiverim Leonardum Coquæum, qui conjiciebat legendum *periergi* ; nam hoc corrumpit allusionis elegan-

peti, correptis tumultuosissime armis Romanos duces cum præsidiis atrociter cædunt, et ita armati totam Mysiam pervagantur, inque proximam transcendunt Thraciam, quam sibi vectigalem reddiderunt. Hic illis occurrit Valens; pugnatumque est acriter, fusis fugatisque Romanis, magna in eis facta strage. Saucius imperator in hostium potestatem vivus venit: quem illi efferatiores post tantum exhaustum sanguinem vivum cremaverunt, rectaque Byzantium petunt: et nullis obviam factis armis, urbem corona cingunt, quæ aliquandiu opera et consilio Dominicæ Valentis conjugis obsidionem suis opibus tulit, confirmatis in fidem principis civium animis magna Dominicæ largitione. Post Valentiniani Valentis fratris virtute soluta obsidione, retro abierunt. Valentinianus Theodosium Hispanum virum accitum ex Hispania adoptavit, participemque fecit imperii. Hic Gothos multis prœliis fregit contuditque, et supplices pacem coegit petere; quam cum dedisset, rexque eorum Athalaricus Byzantium ad Theodosium ægrum visendum venisset, rex in morbum lapsus, aliquot postea mensibus moritur. Gothi toto imperii Theodosii tempore sub Romano imperatore militarunt, nec regem habuerunt alium, nec ducem, nisi quem Romanus dedisset imperator. Inter hæc Theodosius, Mediolani, princeps sine controversia et bello et pace optimus, moritur, Basso et Philippo coss. relictis Arcadio et Honorio filiis, et Placidia filia. Arcadium Byzantio et illi Orientali præfecit imperio, Honorium Occidentali Romanæque urbi. Et quia juvenes admodum erant, tutores educatoresque testamento assignavit: illi Ruffinum, huic Stiliconem, vafrum utrumque et sceleratum hominem, cujusmodi ingenia facillime in intimas se solent aulas insinuare. Hi principum ætate injuriæ obnoxia ad suas ambo auguendas opes, magnamque sibi et immodicam parandam potentiam abutentes, non jam de privata aliqua magnitudine cogitare, sed ad principale ipsum fastigium animos nefariis cogitationibus adjecerant. Ruffinus sibi, Stilico filio imperium affectabat. Cum hæc uterque consilia agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempestate turbatis rebus cum minus eorum desideria deprehenderentur, tum vero perficerentur facilius perculsis principum animis bellorum terroribus, nihil non concedentibus proximis sibi viris, et qui rerum omnium administrationibus præessent. Nam in pace velut sereno et tranquillo cœlo, et cognosci tenebras suorum animorum, et puniri consulentibus per otium principibus posse non ignorabant. Quocirca Gothos, gentem ad res novas tumultusque bellicos exciendos aptissimam, spe ingentis prædæ uterque sollicitat ut suo principi bellum faciat. Gothi occasionem adesse rati, vel rei alicujus bene gerendæ, vel certe intentato bello domum cum haud parva redeundi præda, arma induunt, regeque de suo corpore ex Balthorum illustri familia Alarico creato, fines suos magno vicinorum terrore egrediuntur. Huic se paulo post Rhadagasus cum ducentorum Gothorum millibus conjungit: cumque nulla satis terra multitudini alendæ esset, castra duces dividunt, diversisque profecti viis per Pannoniam, Illyricum Noricumque, incensis vastatisque obviis rebus omnibus, in Italiam veniunt. Ruffinus cum imprudentius cogitata exsequeretur, ad Thessalonicam a militibus occisus est. Stilico astutius consilia celabat; et Rhadagasus quidem per Etruriam ad Urbem cum agmine veniebat, longe lateque quacunque iret fugam terroremque ostendens. Trepida Romana civitas mercenarios duces venienti opponit. Rhadagasus inconsultius exercitu castrisque dispositis, in loca se iniqua præcipitavit. Commeatibus ademptis multitudinem suam fame confecit. Ipse comploratis rebus, dum fugam per occulta cum paucis tentat, a Romanis militibus interceptus necatusque est, Gothorum multitudine vilissimis pretiis divendita. Secundum hanc Gothorum cladem, Alaricus in Italiam venit, majoribus adhuc miscens omnia terroribus quam fecerat Rhadagasus. At cujus rei nuntium, Stilico, qui Byzantii erat, præmissa copiarum parte, quæ extremum Gothorum agmen carpendo ab strage aliqua magna agrorumque vastatione hostem deterreret; ipse per oram Superi maris cum viribus peditatus equitatusque ad hostes pervenit; uterque exercitus castra prope Ravennam contulit: Gothi Pollentiam viam obtinebant, numero quidem potiores, sed arte et disciplina militari nequaquam cum exercitu Romano comparandi. Stilico bellico astu plerumque Gothos superavit, compulitque in arctum quemdam locum, ubi sedens conficere poterat bellum, si voluisset: verum cum exercitu esse decreverat, quousque populares sui Vandali in Galliam venissent. Pro indubio enim habebat eam forte certam occasionem imperii Eucherio filio parandi. Ita levibus aliquot certaminibus hostem lacessendo tempus trahebat: quod Alaricus cum per occultos meatus olfecisset, ad Honorium detulit. Eoque velut munere cum placatiore sibi Honorio se usurum existimaret, per eosdem legatos quos ad detegendum Honorio scelus Stiliconis miserat, Galliæ partem suæ multitudini petiit: victuros se legibus Romanis, nec parvo futuros usui imperio bellisque Romanis, nullisque provincialibus vel fide vel obsequio erga Romanos cessuros. Imperator ancipiti malo concussus, in partem ditionis Gothos recipere, quam Stiliconis perfidia sibi suisque exitium parare maluit. Neque enim primus detulerat ad Honorium Alaricus, quod Stilico coqueret scelus. Nec tamen tutum putabat quovis tempore virum tollere ex duabus uxoribus sibi socerum, et opibus supra privatum fastigium pollentem potentemque. Simul igitur cum legatis Gothorum litteras ad Stiliconem mittit, ut primo quoque tempore Gothos in Galliam venire permittat. Nuntius hic fuit Stiliconi asper et importunus: quippe et se fraudari tanta spe videbat, et sua consulta palam fieri suspicabatur. Hæsit aliquandiu acer et ferox animus, tandem quod tutius erat secutus, pariturum se jussis principis sui respondit. Sed ne res in totum e manibus laberetur, Saulum quemdam cum Judaicis copiis subornat, qui Gothorum vestigiis proxime insistens, cæsis per oc-

casionem aliquot millibus, irritabilem populum ad fœdus rumpendum impellat. Saulus dominico die, quo ex vetere nostræ religionis instituto feriamur, cum toti rebus sacris intenti Gothi essent, impetum in eos facit, primoque tumultu aliquot ex eis sternit. Territi Gothi subito, quantum in trepidatione rerum fieri poterat, num ad arma concurrendum esset consultant. Venerat enim in religionem festo Servatoris die arma tractare, humanum sanguinem fundere, cædes hominum facere. Sed cum Judæi modum occidendi trucidandique non ponerent, sibi quisque consilium cepit, non exspectato communi, ut arma sui tuendi gratia indueret, Cumque jam frequentes armati convenissent, Alaricus pro tempore instructa acie imbelle genus hominum facile sistit. Hinc connixi aliquantum Gothi Judæos fundunt fugantque. Et questi coactos se a violatoribus humani juris divinum jus polluere ac contaminare, Christum ipsum invocantes, per cujus juratum numen fœdus essent utrinque sanctum, cujusque ferias contra suam voluntatem cruore, cædibus, strage fœdassent, ira incensi, per mediam Italiam ad Urbem ferre signa pergunt. Dimiserat Stilico nonnullos milites tanquam sine bello inutiles, quos ad præsentem terrorem coactus est ab imperatore repetere, simul cum supplemento copiarum, ut maximis viribus Gothorum conatibus obviam iretur. Honorius, patefactis Stiliconis consiliis, magnam militum manum ad eum mittit, dato ducibus occulte negotio, ut opportuno rei agendæ tempore captato, Stiliconem cum filio obtruncent. Illi communicato inter se consilio, dieque destinato quo imperata principis strenue peragerent, diversi Stiliconem ac filium adorti, et eos ipsos, et ex necessariis aliquot qui vim parabant, Romæ in foro Pacis interficiunt. Imprudens tamen et ignavus princeps, duce sublato, in ejus locum neminem subrogavit : credo ne ultus parem nactus potentiam, similia moliretur. Ita exercitus sine præcipuo aliquo duce misere a Gothis fusus, per multas clades terrorem Gothici nominis ingentem imbibit. Gothi superiores facti, ad urbem Romam signa infesta ducunt, eamque obsidione diu pressam capiunt, diripiunt majori tumultu atque expilatione rerum, quam cædibus aut stupris, aliisque tetris ac fœdis facinoribus quæ urbibus expugnatis committi per insolentiam militum solent. Alaricus enim urbem ingressurus, duo in castris edicta proposuerat : alterum, a cæde et violatione hominum abstinerent, sibi ejusmodi res displicituras ; alterum, ut capitale esset, si quis eum qui ad templa principum apostolorum confugisset læderet, aut ipsa templa violaret. Capta est a Gothis Roma anno post eamdem conditam 1164, cal. April., Flavio et Varrone coss. Quo pacto sit capta parum explicant rerum scriptores. Baptista Egnatius se modum ejus rei dicit ex Procopio Græco afferre, mirarique interpretem vel eum locum scientem prudentemque transiliisse ; vel si in mutilum incidit codicem, parum animadvertisse quid deesset. Procopium Græcum nondum vidi ; fides erit penes Egnatium, hominem diligentem, ac bene doctum, quantum ex scriptis judicare possum. Scribit ergo : Obsederat Romam Alaricus jam biennium, nec Honorius, qui Ravennæ desidebat aut ferre suppetias poterat aut audebat. Nam cum nihil minus quam de Urbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minime præfecerat qui rem adversus Gothos administraret. Unde Gothis obsidendæ Urbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam cum expugnare vi non possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosque juvenes corporis et animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det, instructos prius ut omni obsequio dominos suos promereri studeant, et ad certam diem circa meridiem, cum Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam advolent ; interfectisque improviso insultu custodibus, portam sibi præsto futuris aperiant. Interea Gothi cum reditum alia atque alia deesse sibi simulantes differrent, trecenti illi juvenes occasione egregie usi, portam strato die suis aperiunt, et intromissus Gothus majore ignominia quam damno urbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris feminæ et opulentissimæ opera patefactam Gothis portam existiment, cum plebem Romanam passim fame et morbis pecudum more cadentem miseraretur. Duo sunt cognitu non indigna : unum, edictum ab Alarico fuisse, ut quicunque in templa divorum confugerent, præcipue Petri et Pauli, his nulla vis inferretur : quod et summa fide servatum. Alterum, quod cum nuntiatum Honorio esset Ravennæ, Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratumque vehementer tam subito periisse eum qui cum paulo ante festivissime luserat. Hæc Egnatius. Has omnes clades maledicentissima et impia gens religioni Christianæ imputabat, negans futurum ut capta unquam esset Roma, si deorum religiones a majoribus cultas traditasque posteris tenuissent : quasi vero non eamdem ob causam, quia violatum est jus humanum, Galli olim vigentibus, ut aiunt, maxime impiis illis insaniis, Urbem ceperint et diruerint ; ceu non multi imperatores Christiani optime rem gesserint, et tanquam non hæc inclinatio imperii et manifestus ad ruinam casus cœperit sub imperatoribus gentilibus, et non per eamdem socordiam ignaviamque Honorius amiserit Romam, per quam Galienus Ægyptum, Asiam, Galliam, ad quarum perditarum rumores dictis luserit facetis. Adversus hos igitur homines sanctæ religionis, etiamsi nulla contigisset calamitas, inimicos et infensos, libros conscripsit Augustinus duos et viginti, Civitatem Dei, hoc est Christianam religionem adversus rabiosas atque impias eorum querelas defendens

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE CIVITATE DEI.

Libro I. Cap. 1. *An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt. Testantur hoc martyrum loca et basilicæ*

parentur, non exigua intelligenda esse, sed nulla.] Acute sane et erudite; nam hominem laudamus æque libenter, ac a minus recte sentiente discedimus. Itaque tempus longum et breve dicitur respectu humanæ vitæ, non æternitatis, præ qua omnia tempora nulla sunt. Sed audiamus et sequentia: *Ac per hoc, si non quinque, vel sex, verum etiam sexaginta millia, sive sexcenta aut sexagies, aut sexcenties millies dicerentur annorum; aut itidem per toties tolidem multiplicaretur hæc summa, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit; similiter quæri posset cur ante non fecerit.* Omnia egregie, ita ut nihil melius dici hanc in rem potuerit. Aliquando mirari subiit scriptorem eruditum, singularique alioqui judicio præditum qui quæstioni quam sibi hic proponit Augustinus reponebat mundum fortasse esse antiquiorem quam vulgo hodie creditur, quod calculus LXX interpretum major sit calculo Hebraici codicis. Quod nunquam dixisset, si de hoc Augustini responso cogitasset. Sed quamvis sit verissimum, nequaquam minuit difficultatem propositam, ex qua semper sequetur Dei bonitatem infinitam nulla sui indicia dedisse per æternitatem præteriti temporis. Philosophos philosophicis rationibus coerceri oportere cum certum sit, dicamus iis, si ita videtur, non nostram duntaxat tellurem et vicina aliquot corpora a Deo esse creata; sed innumerabilia alia, longe antequam esset noster hic terræ planeta; ita ut si internoscerent operum illorum divinorum quænam priora, quænam posteriora creata sint, possent ab hac nostra terra numerare retrogradiendo in præterita temporum spatia, in sæcula sæculorum, nec unquam pervenire ad antiquissimum operum divinorum. Quomodo contrarium probarent non video, nec quidquam hic dicerent quod contra infinitatem spatii et numeri partium cujustibet corporis dici non possit; quæ tamen infinitas demonstrationibus mathematicis nititur. Itaque superba philosophorum ingenia eo modo retundi et ad modestiores cogitationes adduci possent. Aliquid jam antea hac de re diximus, quod expendi a philosophiæ peritis cupimus.

Cap. 16. *Dicit etiam apostolus tempora æterna, nec ea futurea, sed quod magis est mirum, præterita. Sic enim ait* (Tit. 1, 2, 3): In spem vitæ æternæ quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna; manifestavit autem temporibus suis Verbum suum. *Ecce dixit retro quod fuerint, quæ tamen non fuerint coæterna.*] Antequam ulterius progrediar, verbo indicabo veram loci sententiam. Χρόνοι, nempe, αἰώνιοι, ut docebit Hugo Grotius, sunt antiqua tempora, Hebraice ימי עלם aut ימי קדם, quibus verbis longum tempus significatur non æternum. Vide paraphrasin Chaldaicam Jonathanis Mich. v, 2. Igitur hoc vult Apostolus ante longum tempus promissam vitam æternam olim per Messiam revelandam. Vide Rom. xvi, 25; II Tim. 1, 9. Res Hebraice scienti et illa loca aliave similia legenti obscura esse nequit. Sed Hebraice nescienti, scriptoremque non ex perspecto linguæ sanctæ stylo interpretanti, sed ex philophicis neecio quibus placitis, omnia sunt obscura. Hinc somniat hic noster *tempora æterna*, sed quæ tamen *non fuerint Deo coæterna*; quasi aliquid magis æternum quam aliud æternum esse possit! *Siquidem ille*, inquit, *ante tempora æterna non solum erat, verum etiam vitam promisit æternam, quam manifestavit temporibus suis, id est congruis, quid aliud quam Verbum suum? Hoc enim est vita æterna.* Non dicam *ante æternitatem* esse nihil posse; sed Augustinum rationem præbuisse Arianis eludendi multa loca antiquiorum synodo Nicæna Patrum, de æternitate Filii; quem eodem sensu ac hic loquitur Augustinus, æternum describi dicere potuerunt, dum Patri coæternum negabant. Sed quod Deus *promisisse* vitam æternam dicitur ante illa tempora quæ *æterna* vocabantur, id profecto Augustinum admonere debuit significari duntaxat antiquiora Veteris Testamenti tempora. Attamen ne hoc quidem animadvertit. *Quomodo autem promisit*, inquit, *quod hominibus utique promiserit qui nondum erant ante tempora æterna, nisi quia in ipsius æternitate atque in ipso ejus Verbo eidem coæterno jam prædestinatione fixum erat quod suo tempore futurum erat?* Posset hoc aliquo modo ferri, si dictum fuisset *ab æterno*, sed *ante tempora æterna promittere*, pro apud se ab æterno statuisse dare, sine exemplo est. Quod mireris, hic ipse Augustinus circa idem tempus quo hæc scripsit, partim verum sensum locutionis hujusce sensit. Sic contra Priscillianistas, cap. 6. *Et dixit Apostolus æterna tempora priora et antiqua, quod in Græco legitur* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Ad Titum enim scribens*, etc. Hactenus optime, sed audi locutionis ejus miram rationem: *Cum autem retrorsum tempora a constitutione mundi habere videantur initium, quomodo sunt æterna, nisi quia æterna dixit quæ ante se non habent ullum tempus?* Sic ergo mundus posset dici *æternus*, quia, ex doctrina Augustini, ante se non habuit tempus, cum creatio nem ejus sola antecesserit æternitas. Quis tamen ferret inter Christianos dicentem mundum esse æternum? Quæ cum ita sint miror Parisienses editores, cum possent Hug. Grotium consulere, ut alios prætermittam, in hac interpretatione acquiescere potuisse. Sed hic idem locus Hieronymum, multo Augustino doctiorem, torserat, ut liquet ex hac ejus adnotatione in cap. 1 Epist. ad Titum, ubi memorata creatione mundi et temporis, sic pergit: *Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quamdam sæculorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio et Spiritu sancto fuerit Pater; et, ut dicam, unum tempus Dei est omnis æternitas. imo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse qui ante tempora omne tempus excedit. Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, et quantas prius æternitates, quanta tempora quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierunt Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterunt?* Igitur *ante tempora æterna*, esset, ante ingentia temporum spatia, quæ priusquam mundus conderetur effluxerant. Sed et hoc sine exemplo est, et sup-

peditat quoque Arianis novæ æternitatis notionem, quam tribuere possent Filio, integra sua de creatione ejus sententia. Plura hac de re non dicam, nisi Hieronymum hic non usum peritia linguæ Hebraicæ, quam sibi comparaverat, quæ tamen tanta non fuit quanta vulgo a multis creditur, ut copiose ostendit Joannes Clericus in Quæstionibus Hieronymianis.

Cap. 19. De locutione *sæcula sæculorum*, postquam duas opiniones proposuit a vera ejus potestate plane alienas, subjicit: *Quid ergo istorum duorum sit, an præter hæc duo aliquid aliud de* sæculis sæculorum *possit intelligi, profundissima quæstio est.* Quis vero nunc ignorat hoc esse idioma linguæ Hebraicæ ac Chaldaicæ, quo significatur tempus aut sine fine, aut certe longum? Ut enim in Veteri Testamento legimus לדור דורים *dor dorim, in ætatem ætatum,* ea quam diximus sententia, ut psal. CII, 25; Isai. LI, 8; sic in sermone Judæorum temporibus apostolicis, לעלם עלמין *thalam halmin*, Syriaca lingua dicebant, pro eo quod est in omnem æternitatem. Inde videtur orta hæc locutio, quod de tali re sæcula singula, vel singulæ ætates dicere omnes possint futuram in sæcula sequentia. Sed undecunque orta sit, significatio ejus perpetuo Novi Testamenti usu notissima est, ex quo constat εἰς αἰῶνα et εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων perinde esse. Attamen hac quoque in re æstuavit similiter Hieronymus, in Epist. ad Galatas cap. v.

LIBRO XIII. Cap. 12. Postquam exposuit quæ sit prima et secunda mors, hæc habet: *Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito:* Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini; *non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima; nec solam ipsam totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur, sed quidquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, qua nulla est posterior, comminatio illa complexa est.* Duo hic animadvertenda; alterum, hæc pro imperio ab Augustino dici, non probari; nullus enim, in ulla lege, exstat usquam locus ubi *morte mori* aliud significet quam simpliciter *mori*; nec *mortium* præter eam qua corpus dissolvitur, si ita loqui licet, quarum meminit ulla in toto Vetere Testamento mentio. Itaque si negetur quidquam hic significari præter simplicem mortem seu dissolutionem corporis, non erit timendum ne contrarium vel probabile fieri possit. Alterum est falsum plane, necessitatem peccandi cuiquam a Deo, quasi pœnam peccati, impositam esse; Deus enim auctor pœnæ, sine dubio, esset eadem opera auctor et ultor peccati, quod cogitatu et dictu horrendum est.

Cap. 13. De primis parentibus, quos nuditatis suæ post peccatum pudere cœpit *Senserunt ergo novum motum inobedientiæ carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Hoc in sequentibus pluribus exsequitur et sæpe repetit, præsertim lib. XIV, unde intelligere est id commentum non parum auctori placuisse. Attamen ne quid aliud hic dicam, non debuit dicere *senserunt*, sed *sensit Adamus*, nam motus aut nullus fuit in Eva, aut certe minime conspicuus, et qui eam in roborem dare posset. De nuditate primorum parentum vide cum alios interpretes, tum præsertim Joannem Clericum ad Genesin.

Cap. 19. *Licet enim justorum ac piorum animæ defunctorum, quod in requie vivunt dubitare fas non sit, usque adeo tamen eis melius esset cum suis corporibus bene valentibus vivere, ut etiam illi, qui omni modo esse sine corpore beatissimum existimant, hanc opinionem suam sententia repugnante convincant.*] Hic ad Platonicos respicit, qui tamen se facile contra eum possent tueri. Sed hoc hic non agitur. Observabimus tantum melius quidem esse animis defunctorum iterum cum corporibus excitatis e sepulcro conjungi, ut plena cum iis felicitate fruantur, quoniam ad corporum resurrectionem eam differt Scriptura; sed sine dubio deterius eis esset, si hic in terris nobiscum, *cum corporibus suis bene valentibus*, viverent. Sunt enim exempti omnibus vitæ miseriis, et quod caput est rei, periculo excidendi e gratia divina. Sed satis intricate hic disputat Augustinus contra Platonicos, quos defendere non esset usque adeo difficile.

LIBRO XIV. Cap. 5. *Siquidem, secundum ipsos, illa, ut locutor nobilis ait,* dira cupido *usque adeo non est ex corpore, ut ab omni corporea peste purgatam et extra omne corpus animam constitutam ipsam compellat esse in corpore.*] Respicit ad Virgilium antea laudatum, et quidem vers. 321, lib. VI Æneidos

..... Quæ lucis miseris tam dira cupido?

Sed vix mihi persuadere possum Virgilium vocari *locutorem*. Ludovicus Vives alibi Ciceronem sic ab eo nominatum notat, quod non memini. Utrobique mallem *auctorem* quam *locutorem* legi.

Cap. 17. *Quod itaque adversus damnatam culpa inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia pudenter tegebat.*] Jam hoc dixit lib. XIII, cap. 13, ubi monuimus de Adamo hoc potuisse dici, de Eva non item. Nimirum, putat Augustinus cum plerisque primos parentes sibi fecisse *cingula* tantum, non vestes. Sed sunt ab interpretibus nuperis dicta in eam rem quæ sunt examine digna.

Ibid. *Et hoc omnes gentes, quoniam ab illa stirpe procreatæ sunt, usque adeo tenent insitum pudenda velare, ut quidam barbari, illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lavent. Per opacas quoque Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cætera membrorum carent.*] At navigationes nuperæ et per nostrum hemisphærium et per antipodum nostrorum, nos docuerunt esse gentes in Africa et in America plane nudas; et ad Brachmanes quidem quod attinet, plane nudos eos esse oculati testes docent, inter quos Franciscus Bernerius, vir candidi ingenii et philosophicis studiis exculti, qui diu in India vixit. Nec puto olim magis vestitos fuisse, quidquid dicat mendacissimus ille ac putidissimus scriptor in suo Apollonio, Philostratus. Cæterum pudor

nuditatis inde partim ortus videtur unde dicit Augustinus, sed multa alia accesserunt. Cum Adamus et Eva habuerunt liberos, tecti esse debuerunt, ne liberi partes non tectas contrectarent, suisque abuti citius æquo discerent. Mulieres etiam a pubertate tectas esse oportet, ne singulis mensibus fœdum quidpiam oculos offendat. Conjugati quoque tecti esse debent, ne libidine per oculos concitata conjugiorum, optimæ ac utilissimæ leges violentur, et adulteria passim committantur; quod sine humanæ societatis pernicie, fieri non posset. Hinc paulatim natus nuditatis pudor et diligenter a parentibus, nec sine gravissimis rationibus, liberorum animis insinuatus. Sed de hisce pluribus non agemus, ne in pudorem et ipsi peccemus.

Cap. 18. *Quis enim nescit, ut filii procreentur, quid inter se conjuges agant? Quandoquidem ut id agatur tanta celebritate ducuntur uxores; et tamen cum id agitur unde filii nascuntur, nec ipsi filii si qui inde jam nati sunt, testes fieri permittuntur.*] Hoc non fit quod ipsa res in se spectata pudenda sit; sed quod periculosum esset, ne imitatione intempestiva liberi imitarentur parentes, in iis circumstantiis in quibus res illicita esset, et humanæ societati vehementer noceret. Ideo interest a pueritia liberos pudore illo imbui, ne audeant facere quod noxium esset. Sed tamen pro varietate temporum ac gentium augetur aut minuitur ille pudor; quod liquet ex libidine effreni non tantum veterum Europæ et Asiæ ethnicorum, sed etiam hodiernorum Africæ et Americæ barbarorum.

Cap. 20. *Unde et illum* (Diogenem, qui publice concumbere cum meretrice voluit) *vel illos qui hoc fecisse referuntur, potius arbitror concumbentium motus dedisse oculis hominum nescientium quid sub pallio gereretur, quam humano premente conspectu, potuisse illam peragi voluptatem.*] Maluissem illa non attigisse quam tam perite philosophatum de re tam turpi fuisse, illa præsertim ætate qua erat Augustinus; sed non illibenter de ejusmodi rebus loqui videtur, ut jam vidimus et postea etiam videbimus. Utile enim est talia diligenter notari, ne homines nonnulli impune pergant viri auctoritate usque adeo abuti, ita ut errores ejus, non minus ac vere dicta, consecrent.

Cap. 23, § 3. De ratione qua propagatum fuisset genus humanum sine peccato Adami: *Voluntati*, inquit, *membra illa, ut cætera omnia servirent. Ita genitale arvum vas in hoc opus creatum seminaret, ut nunc terram manus;* hoc est, sine ullo voluptatis appetitu, nam eam libidinem vult Augustinus esse peccatum. Eadem opera dicere debuisset appetitum cibi grati peccatum esse; nec primos parentes cum fructus licitos et jucundos comederant, ulla voluptate titillatos fuisse, aut adductos ut hos potius quam illos comederent, sed comedisse tantum ut corpus sustentarent. Addere etiam eum oportuisset bruta, quorum organa nostris non absimilia sunt, nullam quærere in naturalibus actionibus voluptatem, nam sane non peccarunt; sed iis defungi sponte naturæ, sine ulla plane cupiditate. Nam hæc sunt æque rationi consentanea ac Augustinianæ conjecturæ. Postquam Deum plane alium descripsit ac est, quamque a Scriptura nobis præpingitur; toti etiam naturæ vim infert, ut possit pravas interpretationes obscurorum aliquot Scripturæ locorum tueri. At multo satius fuit agnoscere interpretationes illas falsas esse, eo quod naturæ rerum essent contrariæ, cum qua Scriptura pugnare nequit.

Cap. 24, § 1. *Seminaret igitur prolem vir, susciperet femina genitalibus membris, et quantum opus esset voluntate motis, non libidine concitatis. Neque enim ea sola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata sunt ossibus, sicut pedes, manus et digitos; verum etiam illa quæ mollibus remissa sunt nervis, cum volumus, movemus agitando et porrigendo producimus, et torquendo flectimus et constringendo duramus; sicut ea sunt quæ in ore ac facie, quantum potest, voluntas movet.*] Frustra honorem auribus præfatus est Augustinus, hæc vix tolerari possunt in ore senis, et episcopi omnes promiscue alloquentis, tam obscœna ad illustrandam, ut mitissime loquar, inanem conjecturam, tam operose congesta ac studiose repetita. Quosnam enim tandem hæc tam putida docebat? Puellas, credo; nam pueri Afri, sub ardente cœlo nati et educati, sat cito talia norant. Paulo antea dixit quidem *sibi facillime pudicum ac religiosum lectorem ignoscere, donec infidelitatem refellat, non de fide rerum inexpertarum, sed de sensu expertarum argumentantem.* Sed erunt et pudici et religiosi, quos pudebit commenti, quod nonnisi tam obscœnis conjecturis defendi potuit; nec patientur *infideles* dici, qui talibus somniis fidem derogant, sed eos contendent esse valde audaces, ne quid durius dicam, qui pro verbo divino opiniones has suas populis odtrudunt. Sed utitur noster orator exemplo Apostoli, quo se tueatur: *Legit enim hæc*, inquit, *sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda feminarum flagitia reprehendentem*, quæ immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Verum Apostolus hæc non sine summa et justissima indignatione detonat in reas ejusmodi flagitiorum; at Augustinus turpia commenta hic nobis propinat, duntaxat ut rationem reddat rei quæ non fuit neque erit; nimirum, generationis liberorum in statu innocentiæ, si in eo primi parentes perseverassent; et quidem quia statuit peccatum id esse quod inest naturæ omnium animalium, nec usquam damnatur, si modo intra leges contineatur; nimirum, cupiditatem conjugii postquam pubertatis annos attigerunt. Suum ergo turpiloquium male confert cum justa Pauli indignatione; ne jam dicam Paulum semel et paucis flagitia ethnicorum attingere, cum ille sæpius huc redeat et rhetorico fuco omnia exornet, ut ex allatis verbis satis liquet.

Libro xv Cap. 9. Ut probet fuisse gigantes ex occasione loci Genes. vi 4, *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*, sic ratiocinatur: *nobilissimus eorum poeta Virgilius, de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum vir fortis illorum temporum* (nempe heroicorum) *pugnans et rapuit, et cucurrit et intorsit et misit,*

Vix illum, lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

leans *majora tunc corpora producere solere tel-* A rior interpretatio, nam revera Hebraice אנוש *enosch* . *Quanto magis igitur temporibus recentioribus* , *ante illud nobile diffamatumque diluvium* ? etc.] ipsam copiosissime et eruditissime pertractavit nditus Theodorus Ryckius in oratione quam it notis Lucæ Holstenii in Stephanum Byzan- ; ostenditque fuisse quidem hic illic gigantes, randioris staturæ homines, sed antiquioribus ribus homines vulgo hodiernis proceriores non . Adeant eum lectores, si qui hanc quæstionem dere cupiant. Duo tantum hic observabimus. erit, Augustinum, antequam quæreret an fue- igantes, debuisse consulere Græcos interpretes s Testamenti, Symmachum atque Aquilam ; ex s intellexisset nullam esse hic Hebraicam vocem igantes significet, ac proinde quæstioni an fue- igantes. nullum hic locum esse. Posterius vero, itatem Virgilii, post Homerum mentientis, ni- vem fuisse apud homines serios, quam ut usui osset ad defendendam contra ethnicos Histo- acram. Parata enim erat responsio, Virgilium m fuisse, cui fingere licuisset, et in hac quidem n imitatorem fuisse Homeri, cui nemo necesse et credere.

l. *Plinius secundus, doctissimus homo, quanto magisque præterit sæculi excursus minora cor- aturam ferre testatur.*] Hoc quidem habet Pli- ib. VII Hist. nat., cap. 16. Sed falsum esse nemo , et multis ostendit is quem dixi, Theodorus us.

. 13. Post longam et anxiam disputationem, de mine chronologiæ Hebraicæ et Græcæ, an- tediluvianorum patriarcharum, tandem sic ra- tiones suas claudit Augustinus : *Sed quomodo illud accipiatur; sive credatur ita esse factum, n credatur ; sive postremo ita, sive non ita sit ; eri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum d in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem m rerum gestarum utrumque esse non potest ve- ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per retes facta translatio.* Nihil verius, sed hoc vi- extorsisse Augustino quod habetur in versione interpretum de annis Mathusalæ, quem ex i calculo, diluvio superstitem fuisse oporteret, Scripturæ prorsus contrarium est. Interea am- mur quod nobis dat, gratiasque ei habeamus ob am veritatem ; quamvis huic confessioni con- ter se minime gesserit, qui ut Hebraicam lin- disceret operam non dedit. Subjicit : *Nam in dam etiam codicibus Græcis tribus et uno Latino, etiam Syro, inter se consentientibus, inventus thusalem sex annis ante Diluvium fuisse con- s.* Crediderim Syriacam interpretationem ex o codice, Hieronymi versionem Latinam, trans- sque Aquilæ, Symmachi et Theodotionis in- quas non mirum cum Hebraico fonte consen- quandoquidem ex eo erant derivatæ.

17. *Porro ille Seth resurrectio interpretatur, filius ejus interpretatur homo.*] Vera est poste-

cheth resurrectionem non sonat, sed potius *positum*, aut *repositum*, *a* שות *posuit* quod liquet Gen. xv, 25, ubi etymologia nominis sic traditur : ותקרא את שמו שת כי שת לי זרע אחר תחת הבל *et vocavit nomen ejus Scheth, quia posuit* (Schath) *mihi Deus prolem alteram loco Hebel.* Quod sic expresserunt LXX intrepretes : Καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σὴθ, λέγουσα, ἐξανέστησε γὰρ μοι ὁ Θεὸς σπέρμα ἕτερον ἀντὶ Ἄβέλ. Unde temere collegit auctor Libelli Nominum Hebraicorum voce *Seth* significari ἀνάστασιν, cum LXX intrepretes sensum potius quam vim propriam Hebraicæ vocis expresserint. Periculosum est aliis credere, in re quam nullo modo intelligas, cum nescis an ejus periti sint.

B Ibid. *Enos filius ejus intrepretatur homo; non sicut Adam (et ipsum enim nomen interpretatur homo), sed commune perhibetur esse in illa lingua, id est Hebræa, masculo et feminæ. Nam sic de illo scriptum est*: Masculum et feminam fecit illos, et benedixit illos, et cognominavit nomen eorum Adam. *Unde non ambigitur sic appellatam fuisse feminam Evam, proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen esset amborum.*] Recte de nomine *Adam*, sed perperam de nomine *Enos*, quod pluribus interpretatur in sequentibus : *Enos autem*, inquit, *sic interpretatur homo, ut hoc non posse feminam nuncupari periti linguæ illius asseverent ; tanquam filius resurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent. Non enim erit ibi* C *generatio, cum illuc perduxerit regeneratio.* Si hæc pro concione dixisset Augustinus, quis dubitet quin mirabilem plausum ab ignara Numidarum plebe tulisset? Nec dubium mihi est quin obtusa Pœnorum pectora, aliique non doctiores acumen oratoris Hipponensis sint admirati. Atqui, ut falsum est voce *Seth*, ut jam vidimus, *resurrectionem* significari, sic voce אנוש significari tantum *virum* falsum quoque est, præsertim in singulari numero, ubi est idem ac אדם *Adam* Hebræis, et Græcis ἄνθρωπος, et constanter utrumque sexum complectitur. In plurali אנשים *viros*, seu ἄνδρας, sæpe significat, sed neque id perpetuo, ut Concordantiæ Hebraicæ vulgariaque Lexica docebunt. Itaque pro plausu, dignus hic erat bonus vir acerrimis pastoritiæ fistulæ sibilis ; qui ex aliena D fide de re ejusmodi loqui non debuit. Sed audi et sequentia : *Quare et hoc non incassum notandum arbitror, quod in eis generationibus quæ propagantur ex illo qui est appellatus Seth, cum genuisse filio filiasque dicantur; nulla ibi genita nominatim femina expressa est ; in his autem quæ propagantur ex Cain, in ipso fine, quousque protenduntur, novissima femina genita nominatur.* Cum hæc argutia nitatur fundamento antea diruto, de significatu vocis Enos, tota corruat necesse est, et mysterium hoc somnium Africanum habeatur.

Cap. 23, § 3. De loco Genes. VI, 2, *videntes angeli Dei filias hominum*, etc. Recte observat illos *angelos* Dei fuisse homines, deinde subdit : *Septuaginta quidem intrepretes et* angelos Dei *dixerunt istos et* filios

Dei, *quod quidem non omnes codices habent*; *nam quidam nisi* filios Dei *non habent. Aquila autem, quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non* angelos Dei, *nec* filios Dei, *sed* filios deorum *interpretatus est.*] Erant ergo codices qui habebant, ἄγγελοι θεοῦ καὶ υἱοὶ θεοῦ, et qui sine dubio vitiosi erant, nam cum sit tantum semel, in Hebræo codice, בני אלהים *bne elohim,* alterutra tantum locutione verti potuit. Sine dubio aliquis e regione vocum ἄγγελοι τοῦ θεοῦ scripserat υἱοὶ τοῦ θεοῦ, ut significaret, aut ita legendum esse, aut melius ita versuros fuisse LXX interpretes; quod postea temere instrusum in orationis contextum, qualia multa sunt in ea versione. Quod ait noster quosdam codices non habuisse nisi *filios Dei*, verum videmus esse ex antiquissimo codice Vaticano, in quo hæc tantum lectio habetur. Verum, in paris antiquitatis codice Alexandrino, legitur tantum ἄγγελοι θεοῦ : quemadmodum videntur legisse multi antiquissimi Patres Græci et Latini, qui hinc magno consensu collegerunt angelos amore mulierum mortalium captos fuisse. Vide Dionysii Petavii Dogm. Theol. tom. III, et operis de Angelis lib. III, cap. 2. Ad Aquilam denique quod attinet, non mirum est eum vertisse *filios Deorum*, quia אלהים pluralis est numeri in Hebræa lingua; notum est autem eum κατὰ πόδας vertisse, præsertim in ea versione, quæ erat κατ' ἀκριβείαν. *Utrumque*, subdit Augustinus, *verum est*; *nam et* filii Dei *erant sub quo patre suorum patrum etiam fratres erant, cum quibus et ipsi dei erant, juxta illud psalmi* : Ego dixi, Dei estis, *etc.* Sed hic locus psalmi ad omne non pertinet, et locus Geneseos intelligendus de tota prosapia Sethi, ut eruditissimi intrepretes ad eum locum ostenderunt. Tandem claudit hanc suam ratiocinationem Augustinus hisce verbis: *Merito enim creduntur LXX interpretes accipisse propheticum spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quam erat quod interprebantur dicerent, neque hoc divinitus esse dictum dubitaretur,* Hæc opinio tribus potissimum fulcris sustentabatur. Primum fuit absurda fabula commentitii Aristeæ, de ratione qua hi interpretes Vetus Testamentum, quamvis cellulis sejuncti, eodem plane modo verterant; quam fabulam irrisit olim Hieronymus, et nunc omnes cordatiores similiter rident. Nam qui aliter sentiunt aut Hebraice nesciunt, aut stulta pertinacia ita sentiunt, vel sentire videri volunt. Aterum fuit ignorantia linguæ Hebraicæ Judæorum nonnullorum et Christianorum, qui nunquam eam versionem cum Hebraico codice contulerant ; nam ex eorum collatione deprehendissent manifesta peccata, innumeris in locis, admissa ab iis interpretibus fuisse ; quæ ex minus accurata linguæ Hebraicæ cognitione orta erant. Tertium denique, gravissima ratio, si prudentiam carnalem spectes, sed nullius ponderis, si solius veritatis rationem habeas, nimirum, quod admissa Hieronymi opinione, de vitiis versionis LXX interpretum et necessitate confugiendi ad Hebraicum codicem, actum erat de libris, deque existimatione innumerabilium concionatorum et interpretum Scripturæ Græcorum et Latinorum, quibus delenda fuisset maxima pars operum suorum, servandumque turpe silentium de rebus de quibus tanta cum fiducia et dictionis pompa verba superiore loco facere solebant. I nunc, morose lector, et admirare cur *merito credi* id dicerent hujusmodi homines, quod verum videri eorum tantopere intererat. Attamen Augustinus, qui vult, si quid mutarunt LXX interpretes, prophetico spiritu esse mutatum, non ausus est id affirmare de annis antediluvianorum patriarcharum, cap. 10 et seqq. hujus libri.

Cap. 27. *Qui mihi videntur non computare, nisi trecenta cubita longitudinis et latitudinis quinquaginta, nec cogitare aliud tantum esse in superioribus, itemque aliud tantum in superioribus superiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta, centum quinquaginta.*] In editis exemplaribus adduntur post latitudinis cubita, *triginta altitudinis ;* et in sequentibus, ut consentiant posteriora prioribus, sic legimus : *cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum.* At Benedictini hæc emendarunt ex codd. mss., *in quibus*, inquiunt, *cubita altitudinis merito nulla memorantur, nam hæc ad propositam difficultatem solvendam, non eo modo licet quo longitudinis et latitudinis cubita, salva Scripturæ fide, multiplicare.* Quæ verba quid sibi velint fateor me non satis intelligere ; nam nulla cubita licet multiplicare, ex Scripturæ fide ; quæ nos docet longitudinem quidem arcæ fuisse duntaxat trecentorum, latitudinem vero quiquagenorum cubitorum, quæ ter multiplicare non licet, ut hinc fiat arca longa nongenta cubita, et lata centum quinquaginta, nam hoc esset plane contrarium Scripturæ. Quin et ipsi Augustino prorsus adversatur qui ita Scripturæ verba intellexit, quasi Gen. cap. VI, 15, tradatur mensura non solius arcæ, sed singularum contabulationum quibus constabat, ita ut singulæ essent latæ quinquaginta cubita, longæ vero trecenta ; adeo ut arca esset triplo major quam vulgo credebatur. Perspicuum hoc est ex Augustini verbis. Verum ut, recte calculos ineat, definienda quoque fuit altitudo singularum contabulationum, qualem eam arcæ tribuit Scriptura, hoc est, triginta cubitorum ; aut si longitudinem et latitudinem tantum auctas velis, negandum erit tres in arca fuisse contabulationes, contra diserta Scripturæ verba, Genes. cap. VI, 16, תחתים שנים ושלשים תעשה : κατάγαια, διόροφα καὶ τριόροφα ποιήσεις αὐτήν, *deorsum, cœnacula et tristega facies in ea.* Sic habent Hebræus codex, authenticique Orientis et Occidentis interpretes. Igitur, si sequamur lectionem Benedictinorum, existimemusque ab Augustino arcam, altiorem non describi quam vulgo creditur, hoc est triginta cubitorum, sed tantum latiorem et longiorem ; adversabitur verbis manifestis Scripturæ, Si vero sequamur priores editiones, in eo tantum peccaverit quod de tota arca dictum de singulis ejus contabulationibus intellexerit. Alterutrum eligatur, fatendum erit allucinatum Augustinum ; sed potius sequendi codices mss. Voluissem diligentius inspe-

sequentibus ubi occurrit vox *epiros*, quam A *inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, venter autem unus et pedes duo, sicut uni homini; et tam diu vixit, ut multos ad cum videndum fama contraheret.*] Hanc historiam debebat Augustinus Hieronymo, qui in epistola ad Vitalem presbyterum, sic loquitur : *Num quia nostra ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre et duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est ?*

Cap. 9. De antipodibus : *Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa cœli terra suspensa sit, eumdemque locum mundus habeat et infimum et medium ; et ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse.*] B Recte animadvertit Joan. Lud. Vives, non fuisse meris conjecturis notum australe hemisphærium, sed navigationibus profectorum per fretum Herculeum et reversorum per mare Arabicum, quod jam a temporibus Herodoti notum erat, ut liquet ex lib. IV, cap. 42. Vide et Plinium Hist, Nat. lib. II, et ad eum interpretes. Præterea ipse Augustinus ideo tantum negabat esse antipodes, quod per zonam torridam dari transitum nostri hemisphærii, hoc est septentrionalis, hominibus non putaret in australem ; quod tamen falsum jam deprehensum fuerat a superiorum sæculorum geographis, qui gentium trans tropicum Cancri et ipsum æquatorem sitarum mentionem fecerant. Quo admisso, nulla ratio erat negandi ad me- C ridiem ulterius progredi homines non potuisse ; cum quidem esset notissimum astronomiæ non prorsus imperitis, ad Austrum pergentibus alteram temperatam zonam occurrere oportere. Mirum profecto est homines, minime alioquin hebetes, hoc non vidisse Sed Augustinus nobis hic auctoritatem Scripturæ objicit : *Quoniam*, inquit, *nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur ; nimisque absurdum est ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic, ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Sed nimis absurdum est hic immensitatem Oceani commemorare ; primum, quia de ea minime constabat, poteratque fieri ut Punicæ naves secundis D ventis eo delatæ essent quo ire nollent. Ac sane jam nobis constat, si quæ navis trigesimum gradum septentrionalis latitudinis superaverit ad Austrum vela faciens, vix eam abstinere posse quin in australem Americam recto cursu feratur, quæ sic facile retecta fuit. Hæc cum esse possent, nec iis contraria ulla experimenta objicerentur, non debuerunt quasi absurda rejici. Deinde minime opus fuit trajicere Oceanum, ut in *antichthonum* hemisphærium iretur, nam pedibus eo pervenire potuerunt Afri, et revera pervenerunt. Quin et legendo Africæ oram eo navibus ire licuit Hanno Pœnus narraverat se non potuisse navigare ultra Hesperium promontorium, quod est idem illud, quod *Viride* nunc vocatur, non navigandi difficultate, sed tantum annonæ penuria : Οὐ γὰρ ἔτι, inquit, ἐπλεύσαμεν προσωτέρω, τῶν σίτων ἡμᾶς ἐπιλιπόντων : *Neque*

sequentibus ubi occurrit vox *epiros*, quam
ndam in ἠπειρώτας, aut *epiuros*, suspicatus erat
s post Meursium. Vide Benedictinos in calce
iis.

XVI. Cap. 3. *Quod vero dictum est de terra*
st, de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum
A, exisse Assur et ædificasse Niniven et alias,
texuit, civitates longe postea factum est, quod
ccasione perstrinxit, propter nobilitatem regni
rum, etc.] Vide quæ hac de re adnotavit Joanicus in Philologico Commentar. ad Genes.
ine quibus vix intelligi queat quod hic habet
nus.

§ 2. *Sic enim legitur :* Et Sem natus est
si patri omnium filiorum Heber, fratri Japhet
Ordo verborum est : Et Sem natus est Heber
si, id est, ipsi Sem natus est Heber, qui Sem
t omnium filiorum suorum.] Nomina hæc pronime declinata, more Græco aut Latino, imant bonum Augustinum. Itaque plane aberrasu loci, qui vertendus est : *Semo etiam nata*
s, imo omnium qui trans fluvium degunt, cum
pheto natu majore, pater fuit, Vide memoraea interpretem ad Genes. x, 21.

5. *Si enim jam descenderat* (Deus, Gen. XI, 7),
i vult : Venite et descendentes confundamus
am eorum ; *quod intelligitur angelis dictum,*
per angelos descendebat, qui angelis descen-
erat ?] Hanc interpretationem secutus est et
it idem interpres ad Genes. XI, 7.

§ 2. *Illud sane quod dictum est :* et non defi- : illis omnia quæ conati fuerint facere (Gen.
on *dictum est confirmando, sed tanquam in-*
do, sicut solet a comminantibus dici.] Est loliptica, qua significat Deus futurum id, nisi
ercederet. Vide interpretes ad eum locum.

8, § 1. *Quæritur etiam, utrum ex filiis Noe,*
us ex illo uno homine, unde etiam ipsi exstite-
ropagata esse credendum sit quædam monstruosa
m genera quæ gentium narrat historia ; sicut
tur quidam unum habere oculum in fronte me-
.] Hæc omnia legere licet apud Plinium Hist.
II, cap. 8, quo respexisse videtur Augustingi cum Plinio potest Pomponius Mela lib. I,
t seqq., ubi similia mendacia, sed pudentius
tur. Sic vero disputationem suam de hisce
iis claudit : *Quapropter ut istam quæstionem*
tim cauteque concludam ; aut illa, quæ talia, de
am gentibus omnino nulla sunt ; aut si sunt,
non sunt ; aut ex Adam sunt, si homines sunt.
antequam quæstionem ipsam ingrederetur,
horum primum dicendum fuit ; nimirum, neon esse earum rerum rationem quærere quæ
squam sunt ; eam sat cito qnæsitum iri, cum
s constaret. Sic et multæ Symposiacæ quæ-
Plutarchi eludi potuissent ; quia antequam
onem quæreremus, de re ipsa constare opor-

, § 2. *Ante annos aliquot, nostra certe memoria,*
te duplex homo natus est superioribus membris,

enim navigavimus ulterius, quod nos cibaria defecissent. Itaque auctoritas Scripturæ huc nihil faciebat, quæ non docet solum boreale hemisphærium incoli, sed tantum in eo primos homines creatos ; unde non sequitur non potuisse eos in oppositum hemisphærium se conferre. I nunc et crede homini de Dei voluntate, deque mundo futuro tam multa ex obscuris Scripturæ locis colligenti, qui ne de terra quidem, quam pedibus calcabat recte ratiocinari, aut recte sentientibus assentiri potuit. Atqui multo mirabiliora erunt quæ illic videbimus, quam quæ in altero hoc orbe a proavis nostris inventa sunt. De hoc merito dixeris, quod de Thalete nonnemo dixit : *Quod ante pedes non videt, cœli scrutatur plagas !*

Cap. 11. *Sicut lingua una cum esset omnium, non ideo filii pestilentiæ defuerunt ; nam et ante diluvium una erat lingua, et tamen omnes, præter unam Noe justi domum, deleri diluvio meruerunt : ita quando, merito elatioris impietatis, gentes diversitate linguarum punitæ atque divisæ sunt, et civitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret.*] Merum hoc esse commentum, ipsique Scripturæ contrarium ostendit multis Joan. Clericus in dissert. de lingua Hebraica. Nec sane hac de re poterat judicare Augustinus, qui eam ignorabat ; sed nescio quo fato de iis quæ ignota ei erant, passim judicare aggressus est, nec dubitavit pro compertis passim assumere quæ nunquam probare potuisset. Attamen scholastici, sed linguarum non peritiores, aliique e scholasticorum illorum prosapia, cæcum ducem cæci, aut, quod mirum est oculati, sed sponte clausis oculis, secuti sunt.

Cap. 17. *Assyriorum* (regnum) *multo erat potentius atque sublimius. Nam rex ille Ninus Beli filius, excepta India, universæ Asiæ populos subjugaverat.*] Hæc quoque adversari Scripturæ sacræ ostendit idem Mosis nuperus interpres ad Gen. x, 10.

Cap. 29. *Item Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ, in tribus viris quos dubitandum non est angelos fuisse.*] Optime, ut ostendit etiam memoratus interpres, qui æque libenter Augustinum sequitur, cum recta via præeuntem putat, ac ab eo abit cum aberrare eum existimat. Atque utinam semper aut ille, aut alius Scripturæ interpres, certum ubique ducem se præberet ! Nos sane magno labore liberaret, quibus omnia sunt expendenda, quia ab omnibus ferme aliquando deceptis nemini eorum ἀδιστανίστως credere licet.

Libro xvii. Cap. 4. In explicatione cantici Annæ, postquam priora verba de Christo explicuit, tandem deveniens ad hæc : *Exaltabit cornu Christi sui*, I Sam. ii, 10 : *Quomodo*, inquit, *Christus exaltabit cornu Christi sui ? De quo enim supra dictum est* : Dominus ascendit in cœlos. *Et intellectus est Dominus Christus ; ipse, sicut hic dicitur*, exaltabit eornu Christi sui *Quis est ergo Christus Christi sui ? An cornu exaltabit uniuscujusque fidelis sui, sicut ita ipsa, in principio hujus hymni, ait* : Exaltatum est cornu meum in Deo meo. *Omnes quippe unctos ejus chrismate recte christos possumus dicere ; quod tamen totum, cum suo capite, corpus unus est Christus.*] Sed ubi Ecclesia dicitur *Christus Christi* ? Ubi *christus* vocatur ullus, præter regem aut sacerdotem ? Scripturam nos interpretari oportet, non ex stylo quodam *possibili*, ut ita loquar, quem ipsi comminiscamur, sed ex stylo ipso usu consecrato. Itaque cum nusquam inveniret *christum* dictum Christianum ullum in singulari, et præterea videret hic agi de rege, debuit inde potius colligere superiora de Christo male esse intellecta. Ac sane si consuluisset Aquilam, aut Theodotionem, aut Symmachum, intellexisset male versa esse superiora verba : *Dominus ascendit in cœlos et tonuit*, vertendumque, ut habet versio Hieronymiana : *super ipsos* (vel *contra illos*) *in cœlis tonabit* ; nec ex illis verbis collegisset de Christo agi, quia solus Christus ascendit in cœlum.

Cap. 7, § 4. Narratur historia quæ habetur I Reg. vii, 12. *Assumpsit lapidem unum, et statuit illum inter Massephat novam et veterem, et vocavit nomen ejus Abenneser, quod est Latine lapis adjutoris ; et dixit* : Usque huc adjuvit nos Dominus. *Massephat interpretatur intentio. Lapis ille adjutoris medietas est Salvatoris, per quem transeundum est a Massephat vetere ad novam, id est ab intentione qua exspectabatur in carnali regno beatitudo falsa carnalis, ad intentionem qua per Novum Testamentum exspectatur in regno cœlorum beatitudo verissima spiritualis.*] Non habebant LXX interpretes *inter Massephat novam et veterem*, sed ἀναμέσον Μασσηφὰθ καὶ ἀναμέσον τῆς παλαιᾶς, quæ verba respondent Hebraicis : בין המצפה ובין השן inter *Mitspha et Schen*. Posteriorem vocem, quæ nomen est proprium, male verterunt appellativa voce παλαιά, *veterem*, dum legunt ישן *jascham* pro השן *hasschen* ; unde factum ut priscus interpres Latinus crediderit omissum esse *novam*, verteritque *inter Masphat novam et veterem*. Hac autem falsa interpretatione nititur tota Augustini ratiocinatio : ac sane mirum est virum satis acutum apud se non reputasse subinde, se noctu et interdiu de Scriptura sacra sat tuto loqui non posse, nisi certo sciret quid sibi vellet, quod non poterat ubique ex infida versione intelligere. Similiter quod deducit ex significatione vocis *Massaphat* est absurdum, quia non intellexit quid sibi vellet vox *intentio* hoc in loco : est enim intentio oculorum, nam מצפה *mitsphah*, potest deduci a צפה *tsaphah*, contemplatus, speculatas est, ac proinde oculos intendit. Ac sane in lexico Nominum Græco vertitur ἀκοσπίπευσις, et in libro de Nominibus Hebraicis emendato ab Hieronymo *speculatio* sive *contemplatio*. Sed quidquid significet, allegoricis interpretationibus ex nominum significatu deductis nihil esse inanius ostendit Joan. Clericus in Quæstionibus Hieronymianis.

Cap. 11. Memento quæ est mea substantia. *Nihil hic melius quam ipse Jesu intelligitur, substantia populi melius quam natura est carnis ejus.* Non enim vane, *inquit*, constituisti omnes filios hominum. *Nisi enim esset unus filius hominis substantia Israel, per*

hominis liberarentur multi filii hominum, A eolebatur. Quæ satis firma non sunt ταυτοτητος indi-
constituti essent omnes filii hominum.] cia: nec quisquam facile credet antiquissimis illis
9 aggressus est intrepretari Augustinus temporibus Ægyptios a Græcis accepisse reginam et
XVIII ex divisione Græca; cujus interpreta- deam. Herodotus lib. I, cap. 1, docet quidem Orien-
ne tantum particulam, quæ est vers. 47, ex- tales dixisse Ionem ivisse in Ægyptum, sed raptam
s. Hebraicus codex habet: זכר אני מה חלד, a Phœnicibus, et illic, ut videtur, venditam. Dica-
ego quanti sim ævi, hoc est quam brevis sit mus ergo Isidem Ægyptiam fuisse cum Diodoro Si-
LXX interpretes verterunt : μνήσθητι τίς μου culo lib. I Bibliothecæ, et quidem antiquissimam
ης hoc est, *recordare quæ mea sit,* ut bar- Ægypti reginam, quod vel nomen ejus significat I
iar, *subsistentia,* seu quandiu hic subsistam. cum idem scriptor testetur Ἶσιν μεθερμηνευομένην
us interpres perperam vertit *substantiam,* εἶναι παλαιάν, *Isin verti antiquam,* linguaque Hebrai-
n posset conferre versionem Græcam cum ca, quæ affinis erat Ægyptiæ, ישישׁ *jaschisch,* vetus
textu, cum quo nisi conferatur sæpe non dicatur. Attamen Augustinus recte contra Græcos
telligi; unde Augustinus contortam illam sic, ut facit, ratiocinari potuit; tametsi Ægyptios eo
interpretationem quam protulimus. Vide et modo ad fidem adducere non potuit; cum se Græcis
ationem ejus in hunc psalmum. Vir ille ex B multo antiquiores, nec sine ratione, esse putarent,
oco quamvis sententiam exsculpere potuit; Cap. 5. *His temporibus* (nempe Jacobi) *rex Argi-*
or ipsum non animadvertisse eam rationem *vorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi*
andi totam esse commentitiam, et figmenta *mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus*
rio excogitata, tam secure et tam confiden- *Ægyptiorum deus. Nominis autem hujus cur non Apis,*
rre sustinuisse. *etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facilli-*
Mihi autem credibilius videntur existimare, *mam rationem Varro reddidit. Quia enim arca in qua*
s illos centum et quinquaginta psalmos ejus *mortuus ponitur, quod omnes jam* σαρκοφαγον *vocant,*
ribuant, eumque aliquos prænotasse nominibus σορος *dicitur Græce, et ibi eum venerari sepultum*
etc.] Mira profecto est hæc sententia, nam *cœperant priusquam templum ejus esset exstructum,*
prænotare potuit psalmos quosdam nomini- *velut soros et Apis.*] Quasi vero defuerint, in Ægypto
um, quis docuit Augustinum eos qui præno- homines quos in deorum numerum referrent, ut ad-
nomine Davidis ab alio quopiam prænotatos venientes ex Peloponneso continuo deorum loco ha-
e? Nam quod ait prænotasse eum nomini- berent; aut quasi Græce locuti fuerint! Itaque veri
id, quod ad rem pertineat, figurantibus, me- C docti merito orginationem Varronis rejecerunt, Se-
commentum quis non videt? Deinde nemo rapimque antiquissimum esse Ægyptiorum numen
ibuere Davidi psalmos in quibus mentio fit existimarunt, et quidem aliquot sæculis Argivo Api.
æ captivitatis, quasi rei præteritæ, ut Vide Jos. Scaligerum in Animadversionibus Euse-
XVI. bianis ad ann. 1730, et Gerh. Joan. Vossium de Ido-
XVIII. Cap. 3. De tempore natalium Isaaci: lolatria gentilium lib. I, cap. 29, quamvis non pro-
uit, *et Assyriis quintus erat rex Aralius*; hoc bemus posterioris sententiam, qui *Josephum* patriar-
Belum, cujus filius Ninus fuisse dicitur. Si cham *Serapin* dictum vult.
hic Eusebium, ut videtur, debuit dicere: Cap. 8. *Minerva vero longe his* (Hercule et Mercu-
erat rex Arius, ut ex Scaligerana editione rio) *antiquior. Nam temporibus Ogygii ad lacum qui*
c sane testantur Benedictini legi in pluribus *Tritonis dicitur, virginali apparuisse fertur ætate, unde*
ium, et deberet præterea legi quartus. Cæ- *et tritonia nuncupata est,* etc.] Etymologiam nominis
eriam hanc Assyriorum regum confictam Tritoniæ, et rationem cur e capite Jovis nata diceretur, attulit verisimiliores Joan. Clericus ad Theogo-
tant. Vide Joan. Clericum ad Gen. x, 10 niam Hesiodi vers. 895.
bus sane Abrahami non rex Babyloniorum, Assyriorum dicitur, sed Elymæorum poten- D Cap. 12. *Hisce temporibus Hercules in Syria* (sic
erat regnum Transeuphratensium. Vide Ge- habent mss., non in *Tyria* ut est in editionibus) *cla-*
4. *rus habebatur; sed nimirum alius, non ille de quo su-*
o filia Inachi fuisse perhibetur quæ postea Isis *pra locuti sumus. Secretiore quippe historia plures*
, ut magna dea culta est in Ægypto; *quam-* *fuisse dicuntur et Liberi Patres et Hercules.*] Certum
cribant eam ex Æthiopia in Ægyptum venisse est Herculem numen esse Phœnicium, cui urbs Tyrus
, et quod late justeque imperavit, eisque mul- consecrata fuit. Quin et plures Tyrios fuisse volunt,
oda et litteras instituerit, hunc honorem illi ut animadvertit Gerh. Joh. Vossius de Idololatria
esse divinum, posteaquam ibi mortua est, et gentilium lib. I cap. 22 et 34. Crediderim ipsum aut
onorem, ut capitali crimine reus fieret si quis Thebanum, aut Argivum Herculem indidem originem
ninem fuisse diceret.] Ionem suam temere ducere, sive unus sint, sive plures. Vide quæ obiter
iquissima regina Ægyptiorum confuderunt hac de re habet Joan. Clericus in notis ad sect. 3
t viderentur iis esse antiquiores, nixi dun- dissert. Joannis Seldeni de Decimis. Nam rem pluri-
nui similitudine nominis, et quod Isis sub bus hic diducere non vacat, nec necesse est. Sed hinc
vaccæ, in quam mutata ferebatur Io Argiva, apparet non perperam hic legi *in Syria,* nec emen-

dandum esse in *Tirynthia*, ut putabat Joan. Lud. Vives,

Cap. 14. *Per idem temporis intervallum exstiterunt poetæ* (Orpheus, Musæus, Linus, temporibus judicum Israelis) *qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant, sed talibus diis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt; aut mundi hujus, quem Deus verus fecit, elementa sunt; aut in principatibus et potestatibus, pro voluntate Creatoris et suis meritis ordinati.*] Liquet hoc ex Theogonia Hesiodi, qui antiquissima numina facit Chaos, Cœlum et Terram ; tum spiritus nescio quos, quos variis naturæ partibus præficit ; ac tandem animus hominum fato functorum. Non dubito quin superiores poetas theologos sit ea in re imitatus, quamvis nonnulli veterum primum auctorem Theogoniæ eum faciant. Vide Joannem Clericum ad titulum Theogoniæ Hesiodeæ, et procemium Diogenis Laertii, ubi de Theogonia Lini.

Cap. 18. *Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc qui ejusmodi quædam vel certissima audivisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam et nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta illico verterentur et necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent,* etc.] Miror Augustinum hæc ita proponere quasi possent esse vera, vixque ea negare liceret, cum postea dicat *hæc vel falsa esse, vel tam inusitata, ut merito non credantur*, putetque potius a dæmonibus turbatam fuisse phantasiam hominum, qui præ furore crederent se esse jumenta. Postea etiam narrat cujusdam Præstantii patri, post casei ejusmodi comestionem, tale quid in somnis contigisse. Sed si hoc fieret ope dæmonum, quid illis opus fuit medicato cibo ? Aut si talis cibus id efficeret, quid opus fuit dæmonibus? Præterea si ex arbitrio dæmonum ita pependisset hominum phantasia, ut nec, cibo sumpto, eorum vi resistere homines possent, nec turbatæ phantasiæ imagines vincere, non exiguum hoc fuisset prodigium. Itaque satius fuit muliercularum figmenta aperte negare, quam rerum ejusmodi rationes quærere.

Cap. 22. *Siquidem post illud maximum atque universale diluvium, cum in arca Noe octo soli homines evaserunt, anni non multo amplius quam mille transierant quando Ninus Asiam totam, excepta India, subjugavit.*] Revera ex calculo LXX interpretum, ad natalem Abrahami annum non effluxerunt plures anni quam 1132, ut ostendit Isaacus Vossius in lib. de Ætate mundi cap. 6. Sed cum a temporibus Phalegi, quibus genus humanum in varias abiit colonias, ad tempora Nini, ex eodem calculo quo statuitur ab Eusebio Ninus paulo ante natum Abrahamum subegisse Asiam, non effluxerint multo plures 500 annis, Asia nihil ferme habebat præter deserta, nam intra id tempus non potuerunt ita augeri homines, ut tantos terrarum tractus implerent. Itaque rectius faciunt qui Ninum serius regnasse volunt, c. 2 hujus libri.

Cap. 23. *Eodem tempore nonnulli sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non unam. Hæc sane Erythræo sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit, quod etiam nos prius in Latina lingua, versibus male Latinis et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus.* etc] Postea dicit exemplar Græcum sibi ostensum a Flacciano, profertque *Achrostichin* versibus, ut loquitur, *stantibus* versam, cujus initiales litteræ sunt Ιησοῦς, Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτηρ. Quod de Græcis versibus est intelligendum, nam in Latinis non potuerunt eæ litteræ comparere. Quare miror imperitiam interpretis accusari, qui sane non potuit Latinis versibus hoc exprimere. Sed multo magis miror Augustinum, qui γνησιότητα librorum sacrorum contra Manichæos non male defendit, non animadvertisse hic manifestam suppositionem. Scio alios multos Christianos scriptores hac in re eum esse secutum, nec repetam quæ contra eos animadversa sunt, cum ab aliis, tum a Davide Blondello in opere Gallico de Sibyllis. Sed profecto est quod suspicemur multos eorum facile quidem olfecisse suppositionem hujusce fetus, sed quia rudis plebecula tam levibus capiebatur rationibus quam gravibus, eos arripuisse hoc argumentum, ut alia multa, quia conducebat causæ, non quia verum iis videbatur. Alioqui si ita obbrutuisset iis palatum, ut nihil hic suppositi animadverterent, nullos suppositos fetus a genuinis secernere potuissent. Non patitur quidem historiæ fides nos dubitare quin fuerint fatidicæ quædam mulieres quæ varia prædixissent, de imperio præsertim Romano, sed illa nihil ad Christianam religionem. Crediderim, ut meam quoque conjecturam aperiam, fanaticas illas mulieres nomen ab Oriente, una cum arte decipiendi, attulisse, et dictas *sibyllas* a Græcis, quod Phœnices vocarent hujusmodi mulierem שׁבילה *schebola*, hoc est *quæ consenescit*: nam vetulæ erant hæ vates, nec earum senectus minus decantata fuit quam vaticinia, Ovidius Metam, lib. XIV, 132, sic inducit loquentem sibyllam :

Lux æterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit, Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,
Optatis potiere tuis. Ergo pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pluvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi :
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos,
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si Venerem paterer. Contempto munere Phœbi
Innuba permaneo, sed jam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu est, nam jam mihi sæcula septem
Acta vides, superest numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre.

Quæ sunt poetica figmenta inde nata, quod diceretur sibylla grandæva fuisse.

Ibid. § 11. *Inserit etiam Lactantius operi suo quædam de Christo vaticinia sibyllæ, quamvis non exprimat cujus.*] Respexit ad locum Lactantii ex lib. Inst. divin. I, cap. 6, ubi, memoratis variis sibyllis, sic loquitur: *Harum omnium sibyllarum carmina et ferun-*

labentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Ro- A *ctores, eo quod eas inducant, id est introducant quo-*
occuluntur ; nec eos ab ullo, nisi a quindecim *dammodo in corda discentium, vel in eos potius ipsos quos*
uspici fas est. Et sunt singularum singuli libri, *docent.*] Qui ita interpretatus est vocem Græcam Au-
ia sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse cre- gustino, hominem fefellit, nam Septuaginta interpretes
', suntque confusi. Hactenus nihil habet quod vocem adhibent ad vertendam Hebraicam שׁוֹטֵר *scho-*
nsentaneum sit loco Augustini ; sed sequentia *ter*, quæ grammatistam minime significat, sed appa-
ersantur, sic enim pergit scriptor elegantissi- ritorem magistratuum. Vide quæ notavit de ea voce
Nec discerni, ac suum cuique assignari potest, Joannes Clericus ad Exod. v, 6.
rythrææ, quæ et nomen suum verum carmini in- Cap. 43. Memoratis versionibus Aquilæ, Symma-
et Erythræam se nominatum iri prælocuta est, chi, Theodotionis et quinta : *Hanc tamen*, inquit,
set orta Babylone. Sed et nos confuse sibyllam *quæ Septuaginta est, tanquam sola esset sic recipit Ec-*
s, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. *clesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum*
; postea Erythrææ versus nominatim profert *plerique aliqua sit alia ignorant.*) Nempe mulieres et
cap. 15, et lib. de Ira cap. 22. Quæ omnia artifices, cæteraque plebecula, vagis Numidis similis ;
se a Christianis eo nomine indignis, res ipsa B nam alii, qui vel leviter litteris sacris tincti erant,
. aliquid legerant aut inaudiverant de Tetraplis, aut
Hexaplis Origenis. Pergit : *Ex hac Septuaginta inter-*
37. *Tempore igitur prophetarum nostrorum,* *pretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est*
s jam scripta ad notitiam fere omnium gentium *quod Latinæ Ecclesiæ tenent.* Itaque legebant homines
erunt, philosophi gentium nondum erant qui hoc docti et prudentes versionem versionis, quarum ple-
omine vocarentur, quod cœpit a Samio Pytha- rique ecclesiastici neutram poterant expendere ; nam
ras eo tempore quo Judæorum est soluta captivitas Græcam cum Hebræo codice conferre vel duo po-
xcellere atque cognosci.] Nihil verius, optimum- tuerunt, ut loquitur ille, vel nemo ; Latinam cum
est argumentum, quo quam sit recens Græco- Græca plures quidem, sed pauci, præ iis qui Græce
hilosophia ostendatur. Illustrarunt etiam hanc nesciebant, inter quos Augustinus. I nunc et in ejus-
logiam editores Parisienses ; sed nonnulla modi hominibus lauda aut acumen in interpretatione
eorum adnotatione errata aut typothetarum, Scripturæ, aut diligentiam in sacris studiis, aut pru-
inantis calami, quæ hic emendabo, ut ex aliis dentiam in acquiescendo in versionibus quæ bonæne
ibus, si quæ posthac fiant, demantur. Primum essent an malæ nesciebant.
b Eusebio in Chronico Pythagoram ad 63 olym- *Quamvis*, inquit, *non defuerit temporis nostris*
referri. Atqui est 65 ad quam in Eusebiano C *presbyter Hieronymus, homo doctissimus et omnium*
eo legere est : *Pythagoras physicus philosophus* *trium linguarum peritus ; qui non ex Græco, sed ex*
labetur. Addunt Benedictini eumdem Eusebium *Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas conver-*
de Præparatione evangelica, cap. 3, scribere *terit.* Quatenus porrigeretur eruditio Hieronymiana
e Pythagoram olympiade 62. In illo tamen in utraque lingua, Græca, et Hebraica, satis lucu-
nihil habet Eusebius de ætate Pythagoræ, sed lente ostendit Joannes Clericus in Quæstionibus Hie-
in sequente, ubi etiam hoc unum dicit, vi- ronymianis ; sed collatus aliis presbyter Stridonensis
um diu post septem Sapientes. Præterea sub- sane erat doctissimus. *Sed ejus*, subjicit Augustinus,
de eo tempore : *Regnabat autem apud Roma-* *tam litteratum laborem, quamvis Judæi fateantur esse*
vius Sulpitius. Voluerunt dicere viri docti *veracem, Septuaginta vero interpretes, in multis errasse*
Tullium, nam *Servius Sulpitius* jurisconsultus *contendant ; tamen Ecclesiæ Christi tot hominum aucto-*
ceronis æqualis. Tandem ita de emortuali anno *ritati, ab Eleazaro tunc pontifice, ad hoc tantum opus*
ræ loquuntur ; *Pythagoras mortem obiit olym-* *electorum neminem judicant præferendum : quia etsi non*
70, anno ejus, juxta Eusebii Chronicon, quarto *in eis unus apparuisset spiritus, sine dubitatione divinus,*
nto. Debuit scribi *tertio vel quarto*, et sic scri- D *sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti*
uto a viris eruditis nam vel pueri sciunt in *more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus*
s olympiadibus esse tantum quatuor annos. *hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi.*
bservo, non insectandi gratia, absit! qui labo- Quamvis nihil esset quod reponeretur huic ratiocina-
rum minime omnium sperno ; sed ut discant tioni, non posset tamen contra rem ipsam valere, ita
mines maligni ex talibus exemplis, non esse ut manifesta peccata quæ inveniuntur in versione
et eruditis viris propterea insultandum, præ- LXX interpretum, vir Hebraice doctus incipiat cre-
si se aliis faciles in talibus præbeant. dere non esse peccata ; nam ratiocinationes, ex eo
Isis porro Inachi filia fuisse proditur, qui pri- quod convenire videtur deductæ, ipsis factis ac rebus
mare cœpit Argivis.] Si, nimirum, credamus opponi non possunt : quia sæpe quod non conveniebat
quod antea parum verisimile esse ostendimus fieri factum est, nec factum est quod conveniebat.
xviii, cap. 3. Deinde omnis illa historia LXX interpretum
29. *Moyses in populo constituit qui docendis* mera est fabula, ficta a Judæo Hellenista, forte ut
præessent, priusquam divinæ legis ullas litteras pigritiæ Hellenistarum consuleretur ; ne necesse ha-
. *Hosappellat Scriptura* γραμματοεισαγωγεῖς, *qui* berent discere linguam Hebraicam, cum θεόπνευστον
dici possuut litterarum inductores, vel introdu-

versionem habere viderentur. Doleo, fateor, tot ac tanta apud veteres inveniri specimina non fidei circumspectæ et firmis rationibus nixæ, sed credulitatis inconsultæ et omnia temere arripientis; nisi quis *politicam* calliditatem, ut nunc loquimur, malit hæc haberi. Utrumvis verum statuatur, inde colligendum erit nobis, præter Christum et apostolos, qui fideliter doctrinæ ejus adhæserunt, non esse quærendos magistros in quorum auctoritate acquiescamus: qua de re etiam nos ipse Christus diserte præmonuit Matth. XXIII, 8. Præterea facile fieri potest ut non Septuaginta, sed aliquot centeni homines minus periti uno viro fuerint; ac sane integri consessus quam sæpe errarunt? Quidve est notius quam veri amantibus suffragia non esse ex numero, sed ex pondere æstimanda? Nulla propemodum veritas, ne ipsa quidem religione Christiana excepta, defendi potest, si numerus nota ac argumentum veritatis habeatur. Denique, ut jam dixi, illa de LXX interpretibus Aristeæ historia putida est fabella. Vide quæ hac de re jam notavimus ad tom. II, epist. 28. Itaque dignum est risu, quod tam gravibus verbis exprimitur in sequentibus: *Cum vero tantum in eis signum Divinitatis apparuit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis* LXX *interpretibus, aut, si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse censenda est.* Aut hic aliquid excidit, aut supplendum animo post *congruere non videtur*, hanc sententiam: et cum Hebraio codice tamen consentit; nam ex sequentibus hoc velle Augustinum liquet. Hæc sane mira sunt et inaudita, nec temere ac sine gravibus rationibus affirmanda. Quis enim possit sibi persuadere Spiritum propheticum certam sententiam dictasse Hebræis olim vatibus, a quibus primum oracula divina litteris mandata sunt; deinde eumdem Spiritum eorum vatum Græcis interpretibus aliam, aut contrariam affasse sententiam? Nemo talia facile sibi persuadeat. Hic vero nulla credendi ratio occurrit, præter anilem illam Aristeæ fabulam, cui insunt omnia mendacii male conficti indicia, et cui res ipsa contradicit. Nam liquet, conferenti versionem cum contextu Hebraico, permulta delicta esse a LXX interpretibus aut ab eo, quicunque sit, qui eam versionem concinnavit, admissa; quod male in exemplari suo legerent voces Hebraicas, quod affines litteras miscerent, quod vocum rariorum significatus nescirent, quod loca obscura non assequerentur, et quod ne clara quidem interdum satis intelligerent; quæ humani et allucinantis spiritus sunt, non divini. Sed hæc per se scire Augustinus non potuit; verum de re ipsi plane incomperta tacere eum potius decuit, quam tam multa inania effundere. Si verum amamus, fatendum tam absurdas opiniones non displicuisse viris nequaquam hebetibus, quod eorum pigritiæ ac existimationi consulerent, ut jam alibi significavimus.

Cap. 44. *Sed, ait aliquis, quomodo sciam quid Jonas propheta dixerit Ninivitis, utrum:* Triduum, et Ninive evertetur; *an*: Quadraginta dies? *Quis enim non videat non potuisse utrumque tunc dici a prop missus fuerat terrere comminatione imminen civitatem?... Si ergo a me quæritur quid hor dixerit, hoc puto potius quod legitur in Hebr* draginta dies, et Ninive evertetur.] Optim colligendum erat aut graviter errasse LXX tes, aut mendosos esse eorum codices. Pr noluit Augustinus; itaque ad posterius deve fuisset, nisi hinc incommoda quædam exort vidisset; nempe, plebem dicturam valde pi inconsultos, aut indoctos fuisse præsules versionem Latinam, haustam ex vitiosis Græcis, sibi prælegi adhuc curassent; nan hoc fuit ignorantiæ, si nescientes peccarant noris pigritiæ aut imprudentiæ, si in veri quirere, vitiaque versionis emendare noluer hoc deterius erat, consectariisque pericul obnoxium, quam nova interpretatio Hieron Hebraicæ קיקיון *Kikajon*, in eodem propheti re tantas querelas profuderat ventis ferend stinus, cujus vide epistolam 71 et quæ ad e vimus. Igitur sese ad aliud σοφὸν φάρμακον, Pœnus orator. *Septuaginta quippe*, inquit, *sterius interpretati aliud dicere potuerunt, qu ad rem pertineret, et in unum eumdemqu quamvis sub altera significatione concurreret; retque lectorem utraque auctoritate non spre storia sese attollere ad ea requirenda, propt gnificanda historia ipsa conscripta est.* Hæ inter ea quidem recenseri possunt quæ noi tura sua repugnantia, ac proinde fieri non cæteroqui ne levissima quidem verisimilitu cta. Septuaginta interpretes, eo ipso quod pretes profitentur, pollicentur se dicturos G Hebraice scripta sunt; quod nisi præstent, sunt crimen aut imperitiæ, aut negligentiæ, fidei effugere. Hoc cum semper verum si riarum interpretatione, si ita loqui licet, es rius, quisquis enim inducit aliquem in ve centem quod non est in archetypo quod ver titur. At licet, inquies, verba nonnihil imu sit eadem sententia. Non nego, sed hoc tur fieri potest, cum id postulat ingenium lingu tur interpres, non ubi nihil necesse est. Pr sum est esse idem, ad sententiam quod atti *quadraginta dies*, et *adhuc tres dies*. Sed Augustinum allegoricas machinas violenter tem, ut defendat Græcos interpretes: *Si civitatem recte accipitur Ecclesia gentium pro gurata; eversa, scilicet per pœnitentiam ut qu jam non esset; hoc quoniam per Christum fac Ecclesia gentium, cujus illa Ninive figuram sive per quadraginta dies, sive triduum, idem ficatus est Christus; per quadraginta, scilicet dies peregit cum discipulis suis post resurrec ascendit in cœlum; per triduum vero, quia di surrexit.* Quæ omnia sunt commentitia, nam negavero Niniven, apud Jonam, esse figuram gentium, nemo ex Scriptura contrarium

s dicam absurdum esse dicere eversionem in- A
i Ninive propter peccata, nisi pœnitentiam age-
se figuram mutationis morum quæ fit per pœ-
iam. Profecto si peccata et exitium propter pec-
at figura pœnitentiæ et mutationis veterum insti-
m per pœnitentiam, jam omnium omnia poterunt
guræ, nec ulla amplius similitudo inter figuras
figuratas erit quærenda. Poterunt rotunda ha-
rchetypa quadratorum, et quadrata antitypa
lorum. Teneb-æ erunt imago lucis, lux tene-
n. Denique quadraginta aut tres dies concessi
ntiæ non possunt esse figuræ dierum jejunii et
Christi, qui simile nihil habent, præter numeri
ndinem. Imo vero quamvis tot violentæ inter-
iones admitterentur, propterea tamen non li-
XX interpretibus mutare numerum prophetæ; B
d de eorum prophetico spiritu hic habet Augu-
, plane est inane et aptum ad offendiculum
ibus objiciendum. Quis enim non illico dixerit,
interpretes prophetico spiritu donati fuissent,
pe potius novas prophetias effusuros, quam
s inscitia corrupturos fuisse? Itaque merito
Hieronymus in Comment. Jonæ: *Trinus nume-*
si ponitur a Septuaginta, non convenit pœniten-
satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo
terarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi
t communitas; tres enim dicuntur SALOS, *et qua-*
ta ARBAIM. *Alioquin et de Judæa tanto itinere*
propheta in Assyrios, dignam suæ prædicationis
ntiam flagitabat, ut antiqua et putrida vulnera diu C
lo curarentur emplastro. Porro quadragenarius
us convenit peccatoribus et jejunio et orationi, et
et lacrymis et perseverantiæ deprecandi, ob quod
ses quadraginta diebus jejunavit in monte Sinai,
aque viri docti conjecerunt mendum esse apud
nterpretes, sive vitioso codice usi essent, ubi
, quod est *quadraginta*, esset ג hoc est *tria* : nam
ntia menda quæ sunt in numeris apud veteres
ores, eo adduxerunt eximios criticos ut crede-
lim non integris vocibus, sed litteris signatos
os fuisse. Posset etiam fieri ut in Græcum co-
mendum irrepsisset et L scriptum fuisset pro M.
d Jonam Joannem Drusium, et Hugonem Gro-
Sed nihil vetat nos hic quoque Isaacum Vos-
qui hoc sibi negotii datum esse credidit, ut D
leret Septuaginta interpretes. « Hoc sæculo, *in-*
Græca versio unanimiter hoc in loco rejicitur,
nmerito. Augustinus lib. XVIII, cap. 44, de Ci-
Dei, conatur componere hanc discrepantiam
hil meo judicio proficit. Melius Theodoretus,
rorem Græcorum exemplarium non interpreti-
ed librariis imputat. Miratur Hieronymus hanc
itatem, cum nulla aut verborum, aut numero-
it affinitas, inter tres et quadraginta. Sed vero
ionem hanc solvit Justinus martyr, qui, in dia-
cum Tryphone, ipsa interpetum verba produ-
dies numerat quadraginta tres. Bis vero eum-
repetit numerum, ne quis vitium subesse existi-
Si itaque hanc LXX interpretum sequamur le-

ctionem, jam manifestam hujus discrepantiæ ratio-
nem habebimus. Nempe, minor numerus excidit e
codicibus Hebræis, major vero abest ab hodiernis
exemplaribus Græcis; in quibus olim fuisse, non ut
vulgo ἔτι τρεῖς ἡμέραι, sed vero ἔτι τρεῖς καὶ μ' ἡμέ-
ραι clare ex Justino colligitur. Porro hic numerus val-
de est rationi consentaneus. Triduum enim omnino
requirebatur ad prædicandum et peragrandam urbem.
Confecto unius diei itinere, prædixit urbem perituram, post dies quadraginta tres. Secundo die, longius progressus, quadraginta duos dies significavit. Tertio itaque die elapso, et peragrata jam urbe, nonnisi quadraginta supererant dies. » Hæc Vossius lib. de Translatione LXX interpretum cap. 23, quæ ingeniosa sunt; sed multo, ut mihi quidem videtur, verisimilius, cum cæteri Patres et codices in vulgari lectione consentiant, Justino fuisse codicem in cujus contextu scriptum erat τρεῖς, sed cujus margini aliquis ex Hebraico codice ascripserat τεσσαράκοντα, quod ille prætermissum putans, dixit τεσσαράκοντα τρεῖς.

Cap. 52. Memoratis decem persecutionibus: *Plagas enim*, inquit, *Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse referendas... Sed ego illa re gesta in Ægypto, istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror; quamvis ab eis qui hoc putant exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur; non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.*] Quis non exclamet hic: καλῶς! σοφῶς! nihil melius? Sed et nos quoque idem judicium ferimus de tot mysticis interpretationibus Augustini, quibus ferme totum Vetus Testamentum in alienos sensus contorsit. Cæterum de decem persecutionibus vide Sulpitium Severum lib. II Sacræ Historiæ.

LIBRO XIX, Cap. 1, § 3. *Denique fuerunt qui cum diversa sequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eumdem tamen habitum et consuetudinem tenebant, ex qua Cynici appellabantur.*] Ideo Apollinaris Sidonius carm. 2, vers. 167:

> Quidquid Erichtheis Cynicorum turba volutat
> Gymnasiis, imitata tuos, Epicure, sodales.

Ad quem locum illustrandum hunc laudat Jac. Sirmondus.

Cap. 7. *Opera data est ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset imo et abundaret etiam interpretum copia.*] Multis hac de re egit vir doctissimus Just. Lipsius libro de Recta Latini sermonis Pronuntiatione, cap. 4, ubi recte etiam monet hic legendum, non *pacem societatis*, sed *speciem societatis*, aut per *pacem sociatis*. Vellem hic a Benedictinis prolatam lectionem mss. codicum.

Cap. 24. Postquam ostendit sine amore Dei et proximi non esse populum, ita hoc caput inchoat: *Si autem populus non isto sed alio definiatur modo, velut si dicatur: populus est cœtus multitudinis ratio-*

nalis, rerum quas diligit concordi communione socia, tus; profecto ut videatur qualis quisque populus sit, illa sunt intuenda quæ diligit. Quæcunque tamen diligat, si cœtus est multitudinis, non pecorum sed rationalium creaturarum, et eorum quæ diligit communione concordi sociatus est, non absurde populus nuncupatur, tanto utique melior quanto in melioribus: tantoque deterior quanto est in deterioribus concors. Tum subjicit: *Secundum istam definitionem nostram Romanus populus populus est*, etc.] Miror in mentem Augustino non venisse loci Deuter. XXXII, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provocabo eos in eo* QUI NON EST POPULUS, *et in gente stulta irritabo illos.* Ubi Deus ad gentium vocationem respicit, ut docet Paulus Rom. X, 19. Sane vix digni erant nomine populi, qui sic descripti sunt a Lucilio :

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto
Toto itidem pariterque die, populusque, patresque
Jactare indo foro se omnes, decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Quos elegantissimos versus nobis servavit Lactantius Inst. divin. lib. V, cap. 9.

LIBRO XX. Cap. 7. De Apoc. XX, 1 et seqq. *Mille autem anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur; secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem*, etc.] Hi sunt fructus allegoricæ arithmeticæ, ex qua collegerunt veteres multi mundi hujusce durationem fore sex millium annorum, septimo vero millenario ei finem impositum iri, et tum fore æternum piorum sabbatismum. Sic S. Barnabas epis. cap. 15, ad quem vide notas doctissimi viri Joan. Bapt. Cotelerii, qui aliorum ei assentientium et nomina et loca suppeditabit.

Cap. 15. De hoc Apocalypseos loco cap. XX, 13 : *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus reddiderunt mortuos quos in se habebant;* sic ratiocinatur : *Sed qui sunt mortui quos exhibuit mare, qui in eo erant ? Neque enim qui in mari moriuntur non sunt in inferno, aut corpora eorum servantur in mari; aut, quod est absurdius, mare habebat bonos mortuos et infernus malos. Quis hoc putaverit ? Sed profecto convenienter quidam hoc loco mare pro isto sæculo positum accipiunt.*] Non semel fefellit Augustinum vox Latina *infernus*, quod nesciverit ᾅδην, Hebraice שְׁאוֹל, significare *sepulcrum*. Vide quæ notavimus ad tom. II, epist. 64. *Mortui* quos reddet mare sunt cadavera eorum qui in eo perierunt; *mors* vero et *sepulcrum* sunt reliqui mortui, qui in terra ceciderunt, sive insepulti, sive sepulti. Nam *mors* et ᾅδης sæpe ponuntur ἐκ παραλλήλου, ut I Cor. XV, 54; Apoc. XX, 14: ad quæ loca vide interpretes.

Cap. 19. De II Thess. II, 1 et seq. § 3. *Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano, et propterea Paulum apostolum non id aperte scribere voluisse ; ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum, ut hoc quod dixit*: jam enim mysterium iniquitatis operatur, *Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur.*] Mihi multo verisimilius fit Paulum hic egisse de rebellione Judæorum in Romanos, de qua obscurius locutus est, ne noceret popularibus suis. Vide hac de re interpretem Henr. Hammondi, in additamentis quæ adnotationibus ejus scriptoris admiscuit. Sed hanc observationem Augustini optimam existimarim, ad rationem reddendam obscuritatis Apocalypseos, in qua exitium Romæ ethnicæ prædicebatur nomine Babylonis.

Cap. 29. *Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam, exposita sibi lege, ultimo tempore, ante judicium, Judæos in Christum verum, id est in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermone cordibusque fidelium.*] Mirum est illis temporibus eam opinionem tam altas radices in animos hominum egisse, tantoque consensu esse receptam, cum Christus disertissime docuerit Matth. XVII, 12, et apud alios evangelistas, nomine *Eliæ* intelligendum fuisse Joannem Baptistam. Facile erat intellectu *diem Domini magnum et terribilem*, esse eum diem vel tempus quo Deus Jerosolymam et Judæam passus est a Romanis diripi, ferroque et igne vastari. Sed nullus interpres hoc in majore luce collocavit Henrico Hammondo, ad Math. XXIV et alibi. Non raro contigit multos homines non hebetes consensisse in errore, quia maluerunt superiores sequi quam eorum placita expendere. Vide Tertullianum de Anima cap. 35.

LIBRO XXI. Cap. 3, § 1. Contra supplicia malorum æterna hanc sibi proponit objectionem : *Nullum est, inquiunt, corpus quod possit dolere, nec possit mori.*] Eam objectionem confutat operosissime, variisque adductis incredibilibus et falsis historiis ex Plinio nec tamen satisfacit. Quid facilius erat dictu quam alias leges fore et corporum et spirituum eo tempore, quam nunc ; Deumque effecturum ut certo corporis motu, eoque non ita magno ut noceat corpori, excitetur ingens dolor in animis improborum ? Vide Dionysii Petavii Dogmat. theolog. tom. III. Opus de Angelis lib. II, cap. 5.

Cap. 24. *Ut Deus sententiam suam mitiget et reflectat in melius.*] Joan. Freder. Gronovius recte legit *in mollius*, Observat. in script. ecclesiat. cap. 6. Sic Hegesippus de Excidio Hierosol. lib. I, cap. 12: *Ab Aristobulo impetravere ut matrem ab exsecutione præcepti severioris ad molliora inflecteret.* Sic mss., ubi editi libri habent *meliora*. Quod ex melioris ævi scriptoribus haustum. Tacitus Ann. I, *satis superque missione et pecunia, et mollibus consultis peccatum.* Hegesippus iterum cap. 16 : *Verbisque in mollius suppliciter inflexis, mitigaverat indignationem consulis.*

Cap. 26. Locum Pauli I Cor. III, 11, de fundamento cui alii quidem superædificant aurum, argentum aliaque pretiosa; alii vero ligna, fenum, stipu-

ubi objicientes inducit quosdam qui credebant A Cicero anno demum post Urbem conditam 648 natus
mum et Ecclesiæ catholicæ communionem satis est. Sed recte Benedictini lectionem allatam, quæ
l vitandam damnationem æternam. Tum circa est omnium mss. codicum, retinuerunt, quia minime
scum multum hæsitat, quasi in eo sermo esset necesse est Augustinum ex memoria loquentem, ac-
ribus, cum Paulus loquatur de doctrina. Sic et curatius calculos posuisse ; nec est peccatum tantum
a eo interpretando æstuavit. Vide adnotata ad ut in id incidere non potuerit.
I, in lib. de Fide et Operibus cap. 15. Hinc
dia æstuatio, quæ in hisce verbis se prodit : Libro xxii, cap. 8, § 1. *Cur, inquiunt, nunc illa mi-*
tius sane corporis mortem, donec ad illum venia- racula quæ prædicatis facta esse, non fiunt ?] Est objec-
post resurrectionem corporum futurus est, dam- tio ethnicorum, ad quam commodius solvendam ficta
is et remunerationis ultimus dies, si hoc tem- sunt, quarto præsertim sæculo innumerabilia mira-
intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem cula reliquiarum, quæ antea inaudita fuerant. Cum
ur perpeti quem non sentiant illi qui non habue- incautius ac proinde verius loquebantur Christiani
ales mores et amores, in hujus corporis vita, ut hujus ævi, fatebantur miracula non amplius fieri,
ligna, fenum, stipula consumatur ; alii vero sen- quod contigit Augustino in lib. de Vera Religione
qui hujusmodi secum ædificia portaverunt ; sive B cap. 25, ubi negat *miracula illa* (qualia apostolorum)
tum, sive et hic et ibi ; sive ideo hic, ut non ibi, in nostra [tempora durare permissa. Sed postea hæc
ria quamvis a damnatione venialia concremantem verba retractavit. propter nova miracula, cujus uti-
transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, litatem animadvertere serius cœpit. Hic quoque multa
brsitan verum est. Sic hic Pauli locus fuit veluti narrat quæ omnia claudit egregia illa narratione de
ns, in quem non semel impegit Augustinus ; qua ad tom. V egimus. Sed de hisce omnibus, et
tamen virum, quasi magnum Scripturæ inter- præsertim de quarti sæculi fictis miraculis, vide
a, multi nobis venditant ; sed quibus ii demum Henr. Dodwellum in dissert. Irenaica 2.
it quibus nullum est sacrorum librorum stu- Cap. 24, § 3. *Quæ in theatris mirabilia spectantibus,*
aut qui Augustini opera nunquam attente le- *audientibus incredibilia et exhibenda molita sit* ; indu-
t. stria nempe humana.] Intelligit, ut Justo Lipsio vi-
io xxii, cap. 7. *Cum sexcentis ferme annis ante* detur, pegmata, seu machinas theatrorum ; quorum
em *Romulus fuerit*, etc.] J. Lud. Vives edidit pegmatum figuræ et motus mirabilia spectacula præ-
Scipionem ; nempe Æmilianum, qui in libris de bebant, ut multis ostendit vir doctissimus in libro
blica loquens a Cicerone inducebatur ; quia de Amphitheatro cap. 22, quod legisse non pœni-
tebit.

IN TOMUM OCTAVUM.

DESIDERIUS ERASMUS LECTORI.

C Credibile est Augustinum excerpta tantum ex eo, ab aliquo Græce sciente facta, habuisse.

Hæres. 1. Quæ est Simonianorum : *Jovem se credi volebat, Minervam vero meretricem quandam Helenen, quam sibi sociam scelerum fecerat ; imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas ; quas et Romæ, tanquam deorum simulacra, auctoritate publica constituerat.*] Sic paulatim augentur fabulæ, prout a pluribus narrantur : instar rivuli, qui, aliis atque aliis accedentibus aquis, tandem fit amnis. Clementinarum Recognitionum auctor lib. II, § 9, et Justinus Martyr apol. 1, meminerunt quidem statuæ Simonis, Romæ collocatæ ; sed de statua *Selenæ* vel *Helenæ*, ejus coucubinæ, nihil habent. Itaque D hoc erit additamentum Augustini, ex memoria hæc scribentis. Mirum est fabulam de posita a Romanis statua tam turpem et tam manifestam, quæ proinde merito ab ethnicis ridebatur, usque adeo veteribus placuisse, ut uno ore illam affirmaverint. Vide Joan. Bapt. Cotelerium ad Constitutiones apostolicas lib. VI, cap. 9, itemque ad Recognitionum lib. II, cap. 9. Sed fallitur vir doctissimus cum innuit ab Augustino negari quod narrabatur de interitu Simonis, epist. 36 ad Casulanum, cum dicat tantum Romanos negasse

madmodum in præliis solet potissimum emicare et ardor militum ducumque, ita divius Augu-, cum nusquam non sit multis suspiciendus no-us, haud alibi tamen eluxit, quantum valuerit ne ingenii, subtilitate judicii, vehementia, co- disserendi, quam in his libris ; in quibus pro illitate domus Dei, quam unice diligebat, pu- dversus hæreses : quas cum hoc odio majore ueretur, quo impensius amabat Christi spon- Ecclesiam, tamen ubique singulari caritate la- ut homines sanet potius quam perdat. Lege r, ac vale.

ANIMADVERSIONES IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

fat. *Noster vero* Epiphanius *Cyprius episcopus non longe rebus humanis exemptus, de octoginta bus loquens, sex libros etiam conscripsit, histo- rratione commemorans omnia, nulla disputatione us falsitatem pro veritate decertans.*] Adnotant ictini ad hæc verba, Augustinum vidisse dun- *nacephalæosin Epiphanii ;* sed ne hoc quidem integrum vidit, cujus initio, et pluribus locis scriptor se majoris operis epitomen scribere.

Petrum die sabbati jejunasse, cum esset die dominico sequente cum Simone Mago certaturus. Jam eruditi ferme consentiunt Justinum aut alium auctorem hujus fabulæ deceptum fuisse statua Herculi posita in insula Tiberina, cujus etiamnum hodie basis superest, cum hac inscriptione SEMONI SANCO DEO Vide Des. Heraldum ad Tertullian. Apolog. cap. 13 ; Henr. Valesium ad Eusebii Hist. eccles, lib. II, cap. 13, aliosque passim. Hinc autem liquet quanti faciendus sit consensus multorum, sine examine, aliorum post alios idem temere affirmantium. Simile exemplum animadvertere est Civit. Dei lib. XX, cap. 29, de adventu Eliæ ante ultimum judicium. Si errorem vitare velimus in ejusmodi rebus, quæ plurium testimonio probari solent, ante omnia expendamus oportet quibus eorum qui consentiunt, res perspecta esse potuerit, eosque ab aliis sejungamus ; nam qui repetunt tantum ab aliis accepta, ea in quæ minime inquisiverunt, indigni sunt qui testium numero habeantur. Quod si etiam primi rei assertores id protulerint quod probe non norant, nubes illa speciosa testium facillime dissipatur. Quæ in historia de Simonis Magi statua observare est, nec scio an non de tota Simonianorum secta dici queant ; nam quamvis constet ex Actis apostolicis Simonem fuisse hominem nequam, multa de eo ficta sunt, ut liquet ex Clementis Recognitionibns.

Hæres. 50. *Vadianos, quos appellat Epiphanius, et schismaticos, non hæreticos vult vidcri, alii vocant Anthropomorphitas.*] Cum hic Epiphanium auctorem laudat Augustinus, omnino existimarim legendum Audianos, sic enim eos hæreticos ab Audio conditore vocat Constantiensis episcopus. Non morarer hic mendas librariorum, uti nec Sirmondus fecit in Opere Prædestinati, quamvis in codice ms. legeretur Valdiani. Nomina minus nota semper facillime a librariis depravata sunt. Hinc apud Facundum Hermianensem lib. VIII ed. Sirmondi anni CIↃ IↃ CXCVI, col. 671. Idem hæretici vocantur *Basiani*, quæ vox facta a *Vadiani*..

Hæresi 88, quæ est Pelagianorum : *Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum*, etc., *in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credunt facere omnia divina mandata*, etc.] Anathema vero omnibus qui divinæ gratiæ sunt inimici ! Nec puto Pelagium, si revivisceret, deliberaturum an posset respondere *Amen*; magna voce illico ita responderet. Verum accusatorie dicit Augustinus inimicos gratiæ Dei eos qui internum afflatum ad singulos necessarium actus, eumque incluctabilem et ad finem usque vitæ solis electis dandum ; hoc est, *gratiam* Augustini, non Dei, repudiabant ; nam *gratiam* hunc afflatum, aut *gratiam Dei* vocari in Scriptura nunquam demonstravit. Cæterum cum Deus mandata cuipiam dat, sine dubio ea ille potest observare ; nam Deus, qui justus est, impossibilia non imperat sumitve pœnas de iis qui non fecerunt impossibilia. Quod si præter nudum imperium, auxilium aliud divinum necessarium sit, quod non negabat Pelagius, nemini eorum quibus aliquid imperat, id subtrahit Deus. Sed omnia hic sunt, ut alibi apud Augustinum, ad invidiam faciendam composita. Consulendus hac de re liber Dionysii Petavii de Hæresi Pelagiana et Semipelagiana, qui est in tomo III Dogmat. ejus theologicorum. Cætera non attingemus, de quibus ad epistolas Augustini sat multis diximus ; sed hinc observabimus, ubi agitur de adversariorum sententia, non esse facile eorum adversariis credendum.

ANIMADVERSIONES

IN TRACTATUM ADVERSUS JUDÆOS.

Cap. 3, § 4. *Quid sibi autem velit quod sic prænotantur quidam psalmi, quos et ipsi legunt et habent, in litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum titulis scriptum sit* : Pro iis quæ immutabuntur ; *textus* vero *eorumdem psalmorum prædicat Christum, nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est per quem apparet impleta* ?] Respicit Augustinus ad titulos psalmorum, ex divisione Græca XLIV, LXVIII et LXXIX. Fatendum, nisi verum dissimulare velimus, aptissimum fuisse Augustinum ad retundendam pertinaciam Donatistarum aut stultam impietatem Manichæorum ; sed contra Judæos in arenam descendere non debuit, quippe destitutus armis in illa pugna plane necessariis, hoc est, cognitione linguæ Hebraicæ et litterali Veteris Testamenti intelligentia. Res ex toto libello liquet, sed præsertim ex hoc argumento, quod tamen pluribus persequitur. Regerere potuerunt et quidem merito, Judæi LXX interpretes male vertisse verba Hebraica quæ hic sunt עַל שׁוֹשַׁנִּים *hul schoschannim*, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, quasi legendum esset hic, שְׁשַׁנִּים *scheschonim*, hoc est, *qui mutant*, vel *diversi sunt;* esse vertendum cum Aquila, *super liliis* ; nam שׁוֹשַׁן esse *lilium*, qua voce significatur hic aut instrumentum musicum, aut initium cantici. Quomodo contrarium probasset Augustinus? Deinde si concessissent sic esse vertendum ut transtulerunt LXX interpretes, negassent inde sequi a Messia legem mutari debuisse, sed tantum, quandoque venerit, miseram suæ gentis sortem in beatiorem mutatum iri ; frustra sudasset Augustinus ut iis hisce aut similibus argumentis utentibus os occluderet. Ac sane duobus tantum modis, cum aliquo fructu, disceptare cum Judæis possumus. Alter est si non tantum Scripturis Vet. Testamenti, quasi eludere norunt, sed illorum opinionibus et scriptoribus contra ipsos utamur ; quod facere non potuit Augustinus, cui ignota illa erant armamentaria. Alter vero si historiam et miracula Jesu Nazareni vere contigisse ostendamus ; quod facere potuisset Augustinus, si omissis allegoriis, frigidisque argutiis, ad accuratas ratiocinationes se convertisset, quales sunt in libris II et III operis de Veritate religionis Christianæ ab Hug. Grotio conscripti, quæ et in aliis recentiorum monumentis copiosius expositæ leguntur. Verum iis sæculis, quantumvis ab imperitis aut factiosis

jactentur, parum nota erat ratiocinandi et probandi accurata methodus.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE UTILITATE CREDENDI.

Cap. 3, § 5. *Omnis Scriptura quæ Testamentum Vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur; secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam.*] Hæc omnia ad unum referenda, quid, nimirum, significetur verbis Scripturæ, quæ ex omnibus grammaticorum et criticorum legibus sunt explicanda. Ætiologia, analogia et allegoria, quæ non nituntur litteralis interpretationis fundamento, merœ sunt ad populum phaleræ, ut dudum viri docti ostenderunt. Sed videamus quomodo hæc intelligat Augustinus: *Secundum historiam*, inquit, *traditur, cum docetur quid scriptum aut quid gestum sit; quid non gestum sed tantummodo scriptum quasi gestum sit.* Sic omnia essent historica, quia aut scripta, aut gesta sunt; nec quidquam etiam est scriptum quasi gestum, cum gestum non sit, præter parabolas. Augustinus exemplum tamen profert veræ historiæ a Christo laudatæ Matth. XII, 3, 4. *Secundum ætiologiam*, inquit, *quid qua de causa vel factum, vel dictum sit.* Cujus rei exemplum est dictum Christi, de causa permissi a Mose divortii Matth. XIX, 8. At in inquirendis ejusmodi causis, oportet aut præviam habere auctoritatem Christi et apostolorum, aut certissimam historiam rationesque non dubias. Alioqui quælibet rationes quorumlibet reddentur, quæ utramque faciunt paginam apud veteres. Tertio *secundum analogiam*, inquit, *cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta, Vetus et Novum.* Quod verissimum, si animus Dei et œconomiæ diversitas probe observentur, lex enim complectebatur στοιχεῖα, ut loquitur Paulus, seu *elementa* religionis quibus ad instar pædagogi, paulatim Judæi ad perfectionem Christianam deducerentur. Itaque multa ferebantur sub lege, quæ non amplius feruntur sub Evangelio; quamvis utrobique fuerit idem Dei animus, sed qui non una œconomia, pro captu populorum et temporum, usus est. Quod si hæc misceantur et violentis allegoriis torqueatur Vetus Testamentum, ut per omnia idem videatur tradere ac Evangelium, tum vero analogia nulla servabitur. Denique, *secundum allegoriam cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda.* Scio quid allegoriarum patroni soleant dicere, sed ea demum allegorice sunt intelligenda quæ manifestæ allegoriæ speciem præ se ferunt, ut Eccle. XII, 4 et seqq. Cætera omnia proprie intelligenda. Sed hac de re alias.

Cap. 9. *Vera religio, nisi credantur ea quæ quisque postea, si se bene gesserit, dignusque fuerit assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri rite nullo pacto potest.*] Hæc contra Manichæos, qui catholicam Ecclesiam maxime criminabantur, quod illis qui ad eam veniebant præciperet ut crederent, cum ipsi omnia ratione demonstraturos se pollicerentur. Qua in re, intolerandi profecto erant, cum nihil nisi monstra proferrent, et quæ nulla verisimilitudine erant tincta; nedum ut ratione niterentur, ut multis in locis recte ostendit Augustinus. Verum hic aliter respondet illis quam vellem et quam res postulabat. Quo enim argumento probare poterat prius esse quædam sine ratione (nam hoc debet intelligi) credenda, quæ postea perciperentur? Quis mendaciorum et fabularum propola non potuit similia exigere, et postea dicere, si quis commenta ejus rejecisset, eum fuisse indignum qui ea assequeretur? An non Judæi et ethnici Christianis centra se ratiocinantibus talia reponere poterant, esse credendum, non ratiocinandum? Igitur Christiani, ut pari jure agerent, pati debuerunt id contra se adhiberi quo usi fueraut contra ethnicos et Judæos; nec erat cur propterea sibi timerent, ratione enim longe superior futura erat religio Christiana, ut satis ostenderunt Hugo Grotius, aliique qui eam ratione defendere laudatissimo instituto et felicissimo successu cœperunt. Sed tria erant quæ tempore Augustini effecerunt ut fides sine ratione exigeretur. Primum, est quod non satis crant in philosophia, criticaque exercitati, ut Scripturam contra objectiones Manichæorum, aliorumque defendere commode possent; ut liquet vel ex historia creationis, quæ tantopere torsit Augustinum, ut neque in Confessionibus, neque in libris de Genesi ad litteram, sibi aut ulli satisfecerit. Creatio septem diebus distincta, quiesque Dei septimo die scopuli fuerunt, ad quos impegit quotiescunque hac in parte sacri Oceani navigare ausus est. Sensum litteralem quasi adversum rationi rejicit, allegoricum vero a vocibus plane abhorrentem amplectitur. Alterum, quod revera sibi conscii essent non pauca a se dici plane contraria rectæ rationi; qualia erant tam multa quæ de gratia et prædestinatione, aliisque dogmatibus iis adnexis, quasi capita fidei credenda ab Augustino proponebantur. Denique is sermo fuit partium jam vires suas sentientium, et multitudine sua fretarum: quam sæpe jactat hic Augustinus, contempta paucitate aliter sentientium. Ejusmodi partes, ac ingenia pati non possunt sibi obloqui pauciores, sed volunt fidem loquentibus continuo haberi.

Cap. 10. Postquam multis probare conatus est sacerdotem ei qui religionem Christianam sibi probari cupit, credere oportere, eum animo veritatis cupido ita se gerere; hinc colligit talem hominem vicissim sacerdoti de religione aliquid affirmanti credere oportere. *In religione vero*, inquit, *quid iniquius fieri potest quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere?* Miror tam levem rationem tam multis persequi sustinuisse rhetorem nostrum. Nam primum similia Judæus ac ethnicus sacerdos dicere potuerunt Christianis, cum potestate ac numero superiores erant Judæi ac ethnici in Romano imperio. Quare Christianum a tali responsione satius fuit abstinere. Secundo, quis docuit Augustinum, nonnisi

iis qui studiosi veri esse creduntur, explicandam fuisse religionem Christianam? An non indignis omnia pandunt sacri Scriptores, qui libris, in quorumvis manus deventuris, religionem Christianam æque ac Judaicam, complexi sunt? Fateor interdum, vitandi periculi causa, fugiendæve inutilis concertationis, satius esse tacere quam apud improbos id proloqui quod spernant, aut cum indignatione excipiant. Sed exceptis ejusmodi circumstantiis, debet religio apud omnes accuratissime probari, et præsertim quidem libris. Quinimo sic se gessit ipse Augustinus, sic omnes Christiani doctores. Tertio, nemo nescit omnes bonos esse habendos, dum malos esse non constat. Quis autem animum novit ejus qui petit sibi explicari religionem, nisi hominis mores eum antea aperuerint? Sed plane alia est ratio doctrinæ, cui assentiri nemo debet antequam eam veram esse constet. Damnare eam non debet, rationibus nondum auditis, sed amplecti nulla lege jubetur. Quarto denique, jubenti me pro imperio credere quidpiam quod ei natura sua notius non est quam mihi, nulla ratione edita, nonnisi stulte credere possum; at animus uniuscujusque est ipsi notissimus. Sed quid opus est verbis? Si Augustinus vixisset apud ethnicos, quales erant etiamnum Persæ aliique Orientales populi ejus tempore, adiissetque sacerdotem aut magum, et ab illo quæsiisset rationes ob quas ignem Persæ colebant, iis demum creditarus postquam firmas deprehendisset; sacerdos vero ille similia dixisset de utilitate credendi quæ hic narrat Manichæo; Augustinus sine dubio intolerandam esse tyrannidem sensisset, et dixisset si ausus esset. Ne ergo bona ratiocinatio habeatur in Africa Christiana, quæ paralogismus fuisset ad ortum Euphratis.

Cap. 12. *Quæro igitur, si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur, de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis*, etc.] Verum hæc sunt plane dissimilia, nam parentes et alii scire possunt, et revera sciunt quinam sint sui et certorum hominum liberi; nec ulla utilitate ducuntur, saltem plerumque, ad supponendos sibi alienos liberos. Sed sacerdotes qui volunt sibi credi de religione, ejus veritatis non sunt magis conscii quam alii homines, si rationibus sint destituti; et plerumque, non sine magna utilitate sua, suum gregem augebant,

Cap. 14. *Si nihil me credere jubet* (hæreticus), *hanc ipsam veram religionem ullam in rebus humanis esse non credo; quam cum esse non credo, non quæro. At ille, ut opinor, quærenti monstraturus est ..... Ad eum igitur qui me vetat credere non venirem, nisi aliquid crederem. Estne ulla major dementia, quam ut ii sola, quæ nulla scientia subnixa est, fide displiceam, quæ ad ipsum me sola perduxit?*] Sed qui credit veram aliquam esse religionem, seu Deum coli velle ab hominibus, sine ulla omnino ratione; aut insanit, aut ita hebes est, ut ab insanis non multum distet. Qui fidem habuit tibi sine ratione, idem etiam sine ratione cum videbitur, tibi fidem detrahet; assentieturque æque facile Arianis, si rerum potiantur, aut etiam, quod deterius est, Muhammedanis; quod revera fecerunt Afri, post Augustini tempora. Quisquis credit esse aliquam religionem veram, quæritque ubi eam invenire possit, non est tam fatuus, ut nullam rationem sibi dari postulet.

Ibid. § 21. *Quid quod omnes hæretici Christo nos credere hortantur?* etc.] Verum est, sed fuitne hæreticus tam impudens aut tam bardus, qui nullas firmas rationes esse Christo credendi diceret? Non opinor. Fuitne etiam sacerdos tam ignarus aut tam hebes, qui aliquas earum rationum proferre non potuerit? Profecto si fuit, indignus fuit sacerdotali ordine, et perperam in eum erat cooptatus. Nemo est qui nolit credere id quod non vidit, si modo ei constet eos qui quod non vidit docent potuisse rem rescire, nec fallere voluisse, aut ipsos deceptos fuisse; quod liquidum nobis fit de Christo et apostolis, et natura ipsa rerum quas docuerunt, et miraculis præsertim. Sed qui scis, inquies, facta fuisse talia miracula, eaque contigisse quæ narrantur in apostolorum scriptis? Hoc scio, prout novi reliquos omnes Historiæ antiquæ eventus indubitatos, imo et firmioribus rationibus nixus; non quia credo auctoritati cujuspiam, a quo an fallar necne nescio.

Ibid. § 32. *At ipsum* (Christum) *videmus, quantum illa, cui et ipsi* (Hæretici) *credunt, docet historia, nihil prius, neque fortius, quam credi sibi voluisse; cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta.*] Christus apud Judæos Evangelium nuntiavit, nemo autem Judæorum erat qui non facile animadverteret ab eo minime idololatriam suaderi et egregia ad mores præcepta dari; quamvis non intelligerent quæcunque dicebat. Nemo etiam illorum fuit qui non facile videret miracula ab eo fieri, quot et qualia ab antiquis prophetis facta non fuerant. Duæ hæ satis graves fuerunt credendi rationes, nec potest Christus, cum bona Augustini venia, cum iis conferri qui sine ratione sibi credi volunt. Apud Joannem passim inculcat doctrinam suam esse a Patre suo acceptam; sed sibi non vult credi, nisi miraculis dictis suis fidem faciat. Imo vero sic apud discipulos loquitur cap. xv, 24: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Igitur Christus minime postulavit sibi sine ratione credi; nec ab iis quos curavit, ut sanarentur ad se delatos, fidem exegit, nisi postquam jam multa ediderat miracula. Verum, ne quid dissimulem, hoc sensit Augustinus, ut ostendunt sequentia verba: *Quid enim aliud agunt*, inquit, *tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente ea non fieri ob aliud, nisi ut sibi crederent*? Nihil verius, sed erant ipsa miracula gravissima ratio, cur tuto ei crederent, et credere se posse intelligerent. *Sciebant* enim *quia peccatores Deus non audit* (ad edenda miracula quibus fraudibus suis fidem faciant); *sed si quis Dei cultor est, et vo-*

ejus facit, hunc exaudit. Joan. IX, 31. Itaque A
iit Augustinus exemplo Christi uti, ut proba-
iam catholicam jure sibi sine ratione credi
e. *Ergo afferens medicinam, quæ corruptis-
res sanatura esset miraculis conciliavit* (sibi)
tem, auctoritate meruit fidem. Quæ verba sunt
i, quibus plane assentimur ; at non sequen-
le *contraxit multitudinem, multitudine obtinuit
n, vetustate roboravit religionem.* Quamvis
e sibi facta apud multitudinem, Ecclesiam
ndiderit, atque conditam auxerit ; attamen
pectavit ut aliquando religionem vetustate
t, quasi vetustas argumentum quandoque fu-
sset veritatis. Non assentimur iis qui Christi
sequuntur, quia antiqua est illorum fides ;
consentanea est veritati cœlesti, cui fidem B
miraculis suis fecit. Sed Augustino com-
erat talibus argumentis uti in hæreticos ac
icos, quibus passim novitatem et paucita-
robrat ; quas olim Christianis exprobraverant

18. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum
n, fructumque videamus, dubitabimus nos ejus
condere gremio, quæ usque ad confessionem
umani, ab apostolica sede, per successores epi-
, frustra hæreticis circum latrantibus et par-
s ipsius judicio, partim conciliorum gravitate,
tiam miraculorum majestate, damnatis, culmen
itis obtinuit ?*] Nescio an hæc verba *usque ad
nem humani generis* satis sana sint : si sunt, C
rit, confitente humano genere. Sed multo
spectiora sunt verba *ab apostolica sede*, nam
at in Occidente sedes Romana vocari ; cujus
item omnibus artibus amplificare conati sunt
ores librorum ecclesiasticorum monachi. Si
igustinus de Ecclesia per omnes terras sparsa
llexit, falsum est eam *ab apostolica sede cul-
oritatis obtinuisse* ; omnes enim norunt Orien-
lesias priores tempore fuisse, nec ullam au-
m ab ulla Occidentali trahere voluisse. Si
ostolica sedes habuit auctoritatis id proma-
communione quæ ei fuit cum cæteris Eccle-
stianis, quæ omnes simul omnem suam pote-
Christo capiti debent. Ne Africanæ quidem Ec-
empore Cypriani et ipsius Augustini, ut sat D
contentione cum Stephano, et alia de trans-
appellationibus, auctoritatem suam Romanæ
voluerunt, quamvis eam forte matrem agno-
Igitur ut quod suspicor aperiam, crediderim
m *ab apostolica fide*. Primam enim Ecclesiæ
æ auctoritatem trahebant *ab apostolica fide* ;
m apostolis, nempe, sentirent. Sic Tertul-
atiocinatur in lib. de Præscript. hæreticorum
et 21, pluresque apostolicas memorat sedes,
um. *Ecclesias*, inquit, *apud unamquamque ci-
ondiderunt* (apostoli) *a quibus traducem fidei
a doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ
quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. At per
sæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostoli-
carum Ecclesiarum.* Paulo post : *Hinc igitur dirigimus
præscriptionem : si Dominus Jesus Christus apostolos
misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit : quia nec alius Patrem novit nisi Filius et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius quam apostolis quos misit ad prædicandum ubique quod illis revelavit. Quid autem revelaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit.* Hæc ostendunt optimo sensu posse apud Augustinum legi *apostolica fide*, a qua sedes apostolicæ ipsæ omnem auctoritatem trahebant ; ideo enim iis creditum est, quod cum apostolicis scriptis sentire se profiterentur, quæ scripta a plerisque antiquissimorum hæreticorum rejiciebantur.

Quod si Augustinus omnino scripserit *apostolicam sedem*, voluit Manichæos Afros adducere ad Ecclesiam catholicam Africanam, quæ consentiebat cum sede Romana. Sed id argumentum levius, nam quis promiserat Ecclesiis apostolicis nunquam eas a Christi doctrina aberraturas ? Nemo. Talia sunt quæ ducit ex consensu plebis et conciliorum, quæ tam falsis favere possunt quam veris ; aut ex hæreticis *miraculorum majestate damnatis*, quæ illo ævo stratagemata erant ecclesiastica quibus plebeculæ fucus fiebat. Vide lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4.

Cap. 18. *Non fama de fumo est, et nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare et animum non subtilem, sed plane puerilem.*] Fabellam Persicam vocat dogmata absurda Manichæi, qui Persa erat seu Babylonius. Vide et Epiphanium hæres. 46, et postea librum contra Epist. Manichæi.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM CONTRA EPISTOLAM MANICHÆI.

Cap. 1. *Nostrum igitur fuit eligere et optare meliora, ut ad vestram correctionem aditum haberemus ; non in contentione et æmulatione et persecutionibus, sed mansuete consolando, benevole cohortando, leniter disputando ; sicut scriptum est :* Servum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes. *Nostrum ergo fuit velle has partes expetere ; Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est.*] Quis non laudet mansuetudinem, hac in re, Augustini ? quis non plaudat episcopo Pauli monitorum tam opportune memori ? Certe ega hæc verba satis exosculari non possum. Sed et sequentia, cedro digna, libenter exscribam : *Illi in vos sæviant qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit*

intueri solem suum, etc. *Illi in vos sæviant qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus.* Nihil verius est quam eos demum sævire in alios, ut eos ad rectam fidem, uti putant, adducant, qui nesciunt quam facile sit errare, et quam difficulter præconcepta semel judicia sanentur. Doleo Augustinum, ad mortem usque, in tam pia sententia non perstitisse ; nam hunc librum scripsit circa annum 397 ; sed anno 412, plane mutaverat mentem, ut liquet ex epistola ad Vincentium. Tum demum intellexit facillimum esse et æquissimum multis; terrore et vi militari homines ad catholicam Ecclesiam adducere ; et, quod mireris, eodem tempore quo gratiæ ineluctabilis inspirationi omnes bonas hominum actiones tribuere cœpit. Doleo etiam, in tam piis Augustini verbis, legi damnationem imperatorum qui contra Manichæos tot cruentas leges tulerunt, et quæ etiamnum leguntur in codice Theodosiano. Scio eorum *electos* accusatos fuisse nefandorum stuprorum, quod nos docet Augustinus in libro de Hæresibus ; sed idem docet auditores impiorum illorum mysteriorum ignaros fuisse. Si ergo plectendi erant *Manichæi*, non sine distinctione de iis pœnæ sumendæ fuere, quod tamen non fit. Lege 7, tit. 5, lib. XVI codicis Theodosiani jus condendi testamenti, aut testamento in facultates patris vel cujusvis alius succedendi, eripitur Manichæis quibusvis ; nec eam constitutionem tantum in futurum valere vult Theodosius, sed, præter omnem consuetudinem, in præteritum. Vide et in eodem titulo leg. 19, et Jac. Gothofredi commentarium.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM.

Libro XIV contra Mosem sic argumentatus erat Faustus : *Ait* (Deut. XXI, 23) *maledictum esse omnem qui pendet in ligno. Hunc ergo tu vis ut accipiam, huic ut credam ; cum, si divinus fuit, constet eum scientem volentemque maledixisse Christo ; si vero nolens nesciensque maledixerit, constet eum non fuisse divinum.* Tam facilem objectionem diluere non potuisse Augustinum mirum est ; mortem enim et maledictionem unum idemque esse vult, nec ullo modo sese expedit. Deinde quod additur *Maledictus Deo*, sic interpretatur : *Nisi enim Deus odisset peccatum et mortem nostram, non ad eam suscipiendam atque delendam Filium suum mitteret. Quid ergo mirum si maledictum Deo quod odit Deus ?* Sed apud Mosem nulla peccati mentio, neque cujusvis mortis, sed tantum cadaveris e ligno pendentis ; quod esse rem summopere pollutam docet Moses. Vide ad eum locum Joannem Clericum.

Libro XVI. Cap. 22. *Hinc est et illud cujus ambiguitate Faustus fallitur* : Videbis vitam tuam pendentem, et non credas vitæ tuæ. *Quæ verba et aliter posse intelligi potest aliquis dicere, de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere, nec quisquam prorsus audebit, nisi qui negaverit aut Christum esse vitam, aut a Judæis visum esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cum vero et ipse dicat* : Ego sum vita, *et eum pependisse constet ante oculos ei non credentium Judæorum, non video cur dubitare debeamus id etiam de Christo scripsisse illum de quo Christus ait* : Ille enim de me scripsit.] Nos quidem non secus ac Augustinus agnoscimus Christum esse hominum *vitam* eumque *pependisse* coram incredulis Judæis, et a dogmatibus Manichæorum fortasse alieniores sumus quam ipse fuit ; sed tamen pernegamus in loco Deuteronomii agi de Christo. Est is Deut. XXVIII, 66, ubi Moses sic describit anxietatem Judæorum in captivitate abductorum : *In gentibus quoque illis*, inquit, *non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos et animam consumptam mœrore, et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices : Quis mihi det vesperum ? et vespere : quis mihi det mane ? propter cordis tui formidinem*, etc. Nemo non videt agi de vita dubia ac incerta quæ, nota etiam Latinis metaphora, dicitur *pendere*. Antecedentia et consequentia hanc esse sententiam liquido ostendunt. *Non credere vitæ suæ*, est procul omni dubio securum non esse de vita sua. Quod si licet conculcata propria significatione vocum et loquendi generum, ex qua egregius oritur, circumstantiisque loci convenientissimus sensus, ad translatitiam confugere, nec rationem ullam habere consequentium ac antecedentium ; primum omnia ex omnibus Scripturæ locis deducere licebit, deinde nihil in Scripturæ interpretatione certum erit, et quævis commenta ex ea probari poterunt. Scio Athanasium et alios Patres Græcos ac Latinos similiter hunc locum explicuisse ; sed si multo plures proferrentur, non efficeret eorum auctoritas ut omnes rectæ interpretationis leges abrogarentur ; cum constet (quid enim nos hinc mentiri aut dissimulare cogat ?], propemodum omnes imperitos criticæ sacræ et infelices Scripturæ interpretes fuisse, quidquid dictitent qui nec eos, nec Scripturam sat studiose legerunt.

Libro XVII. Cap. 1. Faustus in hæc verba Matth. V, 12 : *Non veni solvere legem, sed adimplere*, sic stulte ratiocinatur : *Quis hoc testatur dixisse Jesum ? Matthæus. Ubi dixisse ? In monte. Quibus præsentibus ? Petro, Andrea, Jacobo et Joanne ; quatuor his tantum, cæteros enim necdum elegerat, nec ipsum Matthæum*, etc.] Sic ratiocinabatur Faustus, quia credebat Matthæum ordinem temporis in sua narratione observasse, quod ab eo non factum esse ostendit in sua Evangelica Harmonia Joannes Clericus : ex qua liquet, non Matthæum tantum, sed et reliquos omnes apostolos eo tempore jam fuisse electos, atque sermonem e monte habitum audivisse. Eam adito, si tanti est. Miror Augustinum hoc non reposuisse, cum cæteroqui futiles Fausti argutias non male confutet. Non solum tamen Faustum, sed et alios multos fugit hæc observatio, et in nonnullos errores conjecit.

Libro XXII. Cap 35. *Cum igitur Abraham eo tempore viveret, in rebus humanis, quo quidem jam fratres ex utroque, aut ex altero, vel altera parente natos necti conjugio non licebat ; filios vero fratrum aliosque longin-*

quiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo jungebat, quid mirum si sororem suam, id est, ex patris sanguine procreatam habebat uxorem? Nam hoc ipse reddenti sibi eam regi dixit de patre esse sororem, non de matre.] Sed non tantum *sororem* vocat, quod ambiguum esse potuit, sed *filiam patris, non vero matris*, Gen. xx, 12 ex quo liquet proprie hoc esse intelligendum. Ac sane nulla est historia quæ nos doceat eo tempore, apud Chaldæos, illicita fuisse fratrum et sororum conjugia; quamvis hoc affirmet Augustinus. Eadem tamen quoque fuit sententia Epiphanii, quod testatur Hæresi 39, num 7, et Hieronymi in libro contra Helvidium. At neuter ulla certa profert ejus rei argumenta, quæ notior eis esse quam nobis non potuit. Hieronymum videtur temere secutus esse Augustinus.

Libro xxxiii. Cap. 6. *Sed quid vobis faciam* (alloquitur Manichæos, qui Veteris Testamenti Scripturas prorsus rejiciebant, Novi falsatas esse contendebant), *quos contra testimonia Scripturarum ita obsurdefecit iniquitas, ut quidquid adversum vos inde prolatum fuerit non esse dictum ab Apostolo, sed a nescio quo falsario sub ejus nomine scriptum esse dicere audeatis* ?] Nihil iniquius ac absurdius fingi poterat quam quod faciebant Manichæi ; qui, nullo critico argumento nixi, sed tantum præjudiciis iisque perabsurdis obcæcati falsata esse dicebant quæcumque erant in Apostolorum scriptis ipsorum placitis contraria. Merito Augustinus hanc illis objicit ratiocinationem lib. xxiv : *In apostolorum litteris quod volumus verum est, quod nolumus falsum est* ; qua impudentius ac stultius nihil excogitari potuit. Suspicor sane homines, si ausi fuissent, rejecturos fuisse omnem Scripturam, tam Novi quam Veteris Testamenti ; sed quia numero Christianorum censeri volebant, in absurdas conjecturas esse delapsos.

Ibid. *De quo libro certum erit cujus sit, si litteræ quas apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis propagata, et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum apostolorum sint incertum est ; et hoc erit certum scripsisse apostolos, quod huic Ecclesiæ contrarii hæretici proferunt auctorum suorum nominibus appellati, longe post apostolos existentium* ?] Optime sane. Cum enim videamus plerosque omnes Christianos, ab iis usque qui proxime apostolicæ ætati successerunt, una voce affirmare hæc, paucis exceptis, apostolica esse scripta ; non est cur quisquam de illorum testimonio dubitet, si modo in iis libris nihil sit quod recta ratio indignum esse spiritu divino demonstret. Jam autem nemo eos, qui non fatuus sit aut pravo ingenio, libros leget, quin dignissimos esse eos auctoribus quibus tribuuntur, virisque a Deo missis, non judicet. In iis. etiam divina quædam simplicitas ac sinceritas nitet, quæ cum sequentium sæculorum figmentis ac pigmentis minime consentit ; ut facile intelligas ea esse antiquiora et profecta ab eorum manibus quibus similes nullos postea fuisse videmus. Igitur cum nullum sit, in re ipsa, vel minimum suppositionis indicium ; testimonium Christianorum suspectius esse non potest quam scriptorum ethnicorum, qui summo consensu testantur Æneidem esse fetum poetæ Augusto æqualis et quorum testimonio stylus et præstantia poematis maximum pondus addunt. Igitur audiendi non sunt qui, sine ullis argumentis criticis, diu post apostolorum tempora, libros eorum in dubium revocare aggressi sunt, ut commentis suis contrarios.

Ibid. *Quasi vero et in litteris sæcularibus non fuerint* (sic legendum potius quam fuerunt) *certissimi auctores, sub quorum nominibus multa postea prolata sunt et ideo repudiata ; quia vel his quæ ipsorum esse constaret, minime congruerunt, vel eo tempore quo illi scripserint, nequaquam innotescere et per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique meruerunt.*] Hisce nihil potest esse κριτικώτερον. Exemplum habemus ipsum Augustinum, cujus genuinis operibus admista erant sæculis barbaris multa supposititia; quæ Erasmi diligentia quidem partim, sed Lovanienses præsertim ac Benedictini tribu merito moverunt, adjuti indiculo operum Hipponensis episcopi a Possidio Calamensi, amico ejus ac discipulo conscripto, et quem Joannes Vlimmerius primus edidit. Hinc multa quasi Augustini laudata, superioribus sæculis, merito postea rejecta sunt, et auctoribus Benedictinis jure posthac rejicientur. Quod cum ita sit, obelus criticus erit apponendus multis locis ex iis opusculis prolatis, ab iis qui de controversiis theologicis superioribus sæculis scripserunt. Quamobrem veri amantes gratias Benedictinis habere debent, quas nos hic iis libenter agimus.

Ibid. *Nonne, ut alios omittam, suo Hippocratis medici nobilissimi nomine, quidam libri prolati in auctoritatem a medicis non recepti sunt ? Nec eos adjuvit nonnulla similitudo rerum atque verborum, quando comparati eis quos vere Hippocratis esse constaret, impares judicati sunt ; et quod ab eo tempore quo et cætera scripta ejus non innotuerunt quod vere ejus essent.*] De criticis operum Hippocratis variisque eorum judiciis, adeundus medicus eruditus Daniel Clericus, in Historia Medicinæ, Gallico sermone conscripta, et edita Amstelodami anno cIↃIↃcci, parte 1, lib. 3, cap. 30. Dissimilitudo scriptorum effecit ut ex ipsius Augustini operibus innumeri libelli ejicerentur, qui nunc ad calcem singulorum voluminum conspiciuntur. Idem et in aliis Patribus Græcis et Latinis fieri cœptum est.

Ibid. *Hos autem libros quibus illi qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis ; unde, si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia eos, ab ipso Hippocratis tempore, usque ab hoc tempus et deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit* ?] Hæc et cætera quæ de veris auctoribus dignoscendis, multis illustravit exemplis et testimoniis veterum Joannes Clericus Artis criticæ parte 3, sect. 2, ubi agit de indiciis suppositionis, nec sane criticorum præstantissimus meliora posset hanc in rem proferre.

Ibid. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsarum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?*] Adde et nullam fuisse iis qui talia dixerunt mentiendi propositam mercedem aut utilitatem. Quæ omnia verissime dici possunt de iis libris sacris, qui semper habiti sunt eorum hominum quorum nomina præferunt. In re ipsa nihil est quod non sit dignissimum hominibus divinitus afflatis; semper ab omnibus qui se eorum discipulos professi sunt, eorum genuini fetus habiti sunt; nec ratio hisce ulla fuit mentiendi. Nam iis libris, quasi divinis admissis tanm abest ut quidquam, ad hanc vitam quod attinet, lucrarent Christiani, ut contra, jam ferme ab initio, mores eorum et consuetudines, imo etiam opiniones multæ, præsertim sequentibus ætatibus, ex iis redargui possent. Profecto si conficti essent, ita essent scripti ut ad emolumentem eorum famamque qui iis uterentur spectarent; non eos tam aperte, uti faciunt, damnarent, et ut degeneres Christianos infamarent, et novorum dogmatum ad rituum conditores fuisse ostenderent.

Ibid. *Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia iis temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios, continuata notitia, latiusque firmata ad posteriores etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus.*] Verissimum hoc est de libris insignioribus, et qui in omnium manibus versati fuerant, ab ipsa scriptorum quibus tribuuntur ætate. Alioqui jam illo ævo multa fuerant supposita, ut in Artis criticæ parte memorata multis ostensum est. Hinc quoque Augustinus potuisset intelligere et sibyllarum et Hermetis Trismegisti suppositos fuisse libros, qui ante pauca sæcula prorsus ignoti fuerant. Sed ex eo quod multi sunt libri suppositi, non sequitur omnes posse in suppositionis suspicionem trahi; aut quia sunt multi veri, omnes posse pro legitimis fetibus eorum quibus tribuuntur haberi. Quod animadvertendum in eos qui ex imperitia criticæ, aut nimio affectu, in alterutro horum extremorum peccarunt.

Ibid. *Sed quid pergam in longe præterita? Ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successionibus trajiciunt* ?] Talia quotidie experiri licet in iis quæ majorum nostrorum ætate scripta sunt; quorum permulta ita celebria fuerunt, ut in omnium manibus ab initio fuerint, sintque postea futura. Exempli causa, habemus Desid. Erasmi opera et seorsim et conjunctim ejus ætate edita, quæ ad nos transmissa, nos quoque ad posteros transmittemus, nec quisquam nisi insanus de iis dubitare poterit; nisi si forte epistola aliqua alicubi delitescens quasi Erasmiana postea proferatur. et in dubium ab aliis revocetur. Attamen, ne quid dissimulemus, ars typographica rem multo certiorem ac faciliorem reddidit; poterant enim ex codicibus mss. supposititia multa proferri, quæ revinci facile, propter raritatem exemplarium, non poterant. Ac sane opus fuit splendidissima criticæ luce ut secernerentur ipsius Augustini opera genuina a suppositiis.

Tandem sic egregiam hancce disputationem claudit : *Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore excatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitiæ atque fallaciæ consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri* (hoc est consequi, ut passim) *non potuisse apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter trajicerent; cum eorum cathedras usque ad præsentes episcopos certissima successione servaverint; cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat?*] Hæc probe sunt pensitanda iis qui scripta apostolica, ab ipsorum ætate omnibus nota fuisse, perque Ecclesias sparsa, ac publice lecta negant; sed a secundi demum sæculi hominibus in lucem protracta volunt. Videtur Augustinus in animo habuisse locum Tertulliani de Præscriptione contra hæreticos, cap. 36 : *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere, in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima tibi est Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.*

Igitur cum a temporibus apostolicis in Ecclesiis quas condiderant recitatæ fuissent *authenticæ eorum litteræ*, non sine summa impudentia ab hæreticis, sequentibus ætatibus exortis rejiciebantur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE TRINITATE.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Est item aliud hominum genus, eorum qui universam quidem creaturam, quæ profecto mutabilis est, nituntur transcendere, ut ad incommutabilem substantiam, quæ Deus est, erigant intentionem*, etc.] Platonicos intelligit, aut Platonicorum lectioni deditos; hi enim, præter omnes alios, incorporeum summum Numen esse contendebant, Eosdem respicit hisce verbis, quibus paragraphus clauditur : *Qui autem putat ejus esse potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis nec corporalis creatura; nulla enim omnino res est quæ seipsam gignat ut sit.* Sic enim loquebantur vulgo Platonici, ut Deum sui ipsius genitorem dicerent; quod insigni exemplo ostendimus ad tom. VI, lib. de Quæstionibus LXXXIII, quæst. 16.

. § 7. Docet catholicos scriptores docere A collegit Dionys. Petavius Dogmat, theolog. tom. V,
*er et Filius et Spiritus sanctus, unius ejus-
ubstantiæ inseparabili æqualitate divinam in-
itatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus*
.] Hæc et similia ut recte intelliganturf
pendenda est vox *æqualitas;* ex qua liquet
quamvis *unam eamdemque substantiam* di-
elligere non, ut nos hodie, *unam* numero
m, quæ sibi æqualis dici non solet; sed
scie, cujus tria individua recte dicuntur sibi
æqualia. Vide Dionys. Petavii Dogmat.
tom. II; de Trinit. lib. IV capp. 9 et 11, et
editione Amstelodamensi adjectas. Multa
nobis hac de re dicuntur incommodis locu-
iisque a veteribus desumptis; quia ab ali-
ntibus, cum quibus nos sentire perperam B
, inventæ fuerant, et cum sat aptæ eorum
exprimendæ essent, nostram jam expri-
mmode nequeunt. Nisi hujusce rei memor
a librorum lector, in iis passim tenebras of-
que subinde cespitabit.

, § 13. *Non est utique creatura Spiritus san-
ab omnibus sanctis talis servitus* (non δουλεία
ία *exhibetur, dicente Apostolo*: Nos enim
ircumcisio, Spiritui Dei servientes (Philip.
uod est in Græco λατρεύοντες. *Plures enim co-
m Latini, sic habent*, qui Spiritui Dei servi-
*ci autem omnes, aut pene omnes. In non-
tem exemplaribus Latinis invenimus, non,*
Dei servimus, *sed* spiritu Deo servimus.) At C
sermone 169: *Scio*, inquit, *plerosque codices*
nam de Græcis postea) *habere*, qui Spiritu
imus; *quantum autem inspicere potuimus,
ci hoc habent:* qui Spiritui Dei servimus
de hoc loco habet Joannes Clericus Artis
art. 3, sect. 1. cap. 14, § 15. Quamvis cre-
os errasse qui Spiritum sanctum creaturam
erunt; attamen hoc loco contra eos uti nol-
bi *plerique libri Latini*, assentientibus et mul-
s, recte legebant: *spiritu Deo servientes*, ut
ique censent. Notanda varietas Augustini,
ait *plures codices Latinos* habere *Dei*, ser-
o in hæc verba *plerosque* habere *Deo*. Rur-
X, lib. III ad Bonifacium, cap. 7, codices
it alios *Spiritu Deo*, alios *Spiritui Deo*, alios D
Dei. Duæ priores lectiones sunt potius variæ
ationes vocum πνεύματι θεῷ.

2, § 23. Marc. XIII, 32. *De die et hora nemo
e angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Ad
Hipponensis episcopus: *Hoc enim nescit,
cientes facit, id est, quod non ita sciebat ut
ipulis indicaret: sicut dictum est Abraham:
novi quod timeas Deum; id est, nunc feci ut
es, quia et ipse sibi in illa tentatione probatus*
Hanc interpretationem Genes. XXII, 12, vio-
sse, si quæ unquam fuit, ostendimus ad tom.
2. Non commodior est loci Marci, nec capio
Arianis silentium imponere posse ejusmodi
ne sperarent. Vide tamen quæ hanc in rem

lib. XI, cap. 1. Satius multo erat dicere Christum hominem hic loqui, nec in mentem humanam cadere omniscientiam; quam violenter verba Christi torquere, ut consentiant cum hypothesi pro arbitrio arrepta. Pertinaciores hinc fiebant Ariani, cum dubitare non possent quin adversariorum interpretatio contorta esset; quamvis ipsi graviter errarent, dum eam ignorantiam Deitati Christi tribuebant.

LIBRO II. Cap. 11, § 20. De angelis qui Abrahamo apparuerunt, Genes. XVIII, 2. *Cum vero tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel poste-
state major cæteris dictus est; cur non hic accipiamus
visibiliter insinuatam, per creaturam visibilem, Trinitatis
æqualitatem?* etc.] Clarius hanc apparitionem senior
interpretatus est Augustinus de Civit. Dei lib. XVI, cap. 29. Vide tamen infra lib. III, cap. 11, ubi angelos fuisse etiam demonstrat.

LIBRO III. Cap. XI, § 23. Posquam dixit angelorum ministerio factas apparitiones divinas: *Sed ait aliquis*, inquit, *cur ergo scriptum est:* Dixit Dominus ad Moysen, *et non potius: dixit angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille judex.*] Vide superiorem adnotationem et interpretes ad Exod. III et XX.

LIBRO IV. Postquam dixit *duplæ morti nostræ* (animi et corporis) *salvatorem nostrum impendisse simplam suam*, sic enim loquitur, delabitur cap. 4 ad allegoricam arithmeticam: *Hæc autem ratio*, inquit, *simpli ad duplum originem quidem a ternario numero, unum quippe ad duo tria sunt; sed hoc totum, quod dixi, ad senarium pervenit; unum enim et duo et tria sex fiunt. Qui numerus propterea perfectus dicitur, quia partibus suis completur. Habet enim illas tres, sextam, tertiam, dimidiam; nec ulla pars alia, quæ dici possit quota sit, invenitur in eo.*] Hæ sunt Platonicæ et Pythagoricæ nugæ, quales exstant apud Philonem cum alibi, tum in libro de Mundi Creatione. Nemo jam est qui talia non rideat, non tantum *petulanti splene cachinno*, sed et qui negantur alioqui ridere. Nemo est qui talibus commentis nomen suum ascribi velit. Hæc eo minus ferenda, quod in re seria, si quæ alia est, versetur hic Augustinus et ab inscriptione operis sui nescio quo digrediatur. Sed pauci sunt Augustini libri in quibus non sint digressiones ejusmodi quæ hiantem lectorem frustrentur.

LIBRO V. Cap. 5, § 6. *Quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia; quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.*] Notanda vox *diversa*, qua frequenter hoc in negotio utitur Augustinus; significat enim non distinctam, sed alius generis. Vult ergo *paternitate*, ut cum scholasticis loquar, et *filietate* non fieri duorum generum substantias, sed eas ejusdem generis esse, ac sola relatione Patris ad Filium, Filii ad Patrem distinctas. Multa hac de re, sed satis intricata habet Dionys. Petavius Dogm. Theolog. tom. II, lib. de Trinit. IV, cap. 11.

Cap. 8, § 9 et 10. *Essentiam dico quæ* οὐσία *Græce dicitur, quam usitatius* substantiam *vocamus. Dicunt quidem et illi* hypostasin ; *sed nescio quid volunt interesse inter* usiam *et* hypostasin; *ita ut plerique nostri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint* μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις *quod est Latine, unam essentiam, tres substantias.*] Hoc est, unius quidem generis essentiam, sed tres distinctas substantias, at non diversas · vel unam essentiam in tribus substantiis, quæ varia duntaxat subsistendi ratione, hoc est relationibus differunt.

Cap. 9. *Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit ut hoc intelligatur, cum dicimus* essentiam, *quod intelligitur cum dicimus* substantiam ; *non audemus dicere* unam essentiam, tres substantias; *sed* unam essentiam, *vel* substantiam, tres autem personas ; *quemadmodum multi Latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant.*] Similia habemus lib. VII, cap. 4, § 7. Miror *essentiam* et *substantiam* mista fuisse, cum sint diversæ significationis voces ; ideoque cum voce *substantia* non careret lingua Latina, inventa esset vox *essentia,* nec ab eruditis repudiata quasi inutilis. Quintilianus Instit. Orator. lib. III, cap. 8 : *Multa ex Græco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut* ens *et* essentia *; quæ cur tantopere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus.* Sane nec superiorum sæculorum metaphysici, nec nostri temporis philosophi ac theologi ea voce carere potuissent ; uti nec, sine magna ambiguitate, eam confundere cum *substantia.* Veteres autem cum *unam essentiam* aut *substantiam* in divinis dicebant, intelligebant unitatem specificam ; cum *tres personas*, tres substantias non diversas, sed distinctas. De unitate vide quæ infra lib. VI, cap. 3, § 4. *Revera enim,* subjicit Augustinus, *cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est* : Ego et Pater unum sumus ; *non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt, sed,* unum sumus. Observandum Augustinum cæterosque omnes veteres non dicere, paternitatem, filietatem, et spiritualitatem, ut scholastice loquar, tria esse, aut tres relationes in unica numero substantia, ut nunc loquimur ; sed Patrem, Filium ac Spiritum sanctum tres esse personas, hoc est, *rationalis naturæ,* ex Boetii definitione, *individuas substantias.* Igitur persona est aliquid absolutum, quamvis *personalitas* sit relativum quiddam, quod cum non satis animadverteret Dionys. Petavius, Augustinum non intellexit, liquet ex cap. 11, lib. IV, de Trinitate, tom. II Dogm. theol. Aut si intellexit, rem clarius in lucem proferre ausus non est.

Nolebant tamen multi fateri tres esse *substantias,* ne secum pugnare viderentur, ac ne quis tres diversas naturas somniaret, more Arianorum. Hinc Augustinus : *Tamen cum quæritur quia tres ? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen* tres personæ, *non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Hoc est, non ut diceretur tres esse personas, quales sunt tres homines, qui quamvis sint ejusdem speciei, tamen differunt multum inter se, separatique sunt, et seorsim agunt, qualia in divinis personas esse posse merito negabant veteres. Vide lib. VII, cap. 4, § 7, 8 et 9.

Lib. VI. Cap. 1, § 1. *Inter disputationes quas habebant nostri adversus eos* (Arianos) *qui dicebant,* Erat tempus quando non erat Filius ; *hanc etiam nonnulli ratiocinationem inserebant : Si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine sapientia ac virtute fuit, coæternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus* Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, *et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere ; non igitur erat tempus quando non erat Filius.*] Nemo non videt paralogismum hunc esse, et merito rejici ab Augustino sequente libro, ut et ultimo. Nam sapientia Patris ejus est proprietas, qualis non est Filius ; qui a Paulo I Cor. I, 24, dicitur *virtus et sapientia Patris,* duntaxat quod in eo maxime emicuerint potentia et sapientia Dei. Attamen sic multi veterum ratiocinati sunt, ut ostendit Dionys. Petavius de Trinit. lib. VI, cap. 9. Sed et ante Ariana tempora, ejusmodi ratiocinationes occurrunt, cum Deum *rationalem* dixerint, quod habuerit apud se *rationem.* Vide Athenagoræ Apologiam pro Christianis, et Tertullianum contra Praxeam cap. 5. Nimirum, bonis illis viris placebant non tantum ratiocinationes ad logicas leges severe exactæ, sed et quæ sola specie firmæ erant. Miror tot verba hanc in rem profudisse Augustinum, cum paucis expediri posset. Sed multa scribere videri voluit, potius quam ad rem facientia.

Libro VII. Cap. 1, § 2. Contra eos qui de Filio loquebantur, quasi essentiæ Patris fuisset proprietas : *Quomodo ergo ejusdem essentiæ Filius, cujus Pater, quandoquidem ad seipsum nec essentia est, nec omnino est ad seipum, sed etiam esse ad Filium illi est ? At enim multo magis unius ejusdemque essentiæ, quia una eademque essentia Pater et Filius ; quandoquidem Patri non ad seipsum est ipsum esse, sed ad Filium, quam essentiam genuit, et qua essentia est quidquid est,* nimirum, *Filius.*] Vide hac de re Petavium libri laudati cap. 10, quamvis omnia obscurare conetur. Non potest sane in veteribus laudari, in re difficili per se, quæsita vocum ambiguitas ; nec a recentioribus eam augeri par fuit, dum veteribus tribuunt id quod non senserunt ; quia iisdem vocibus, sed perincommode, expressum est. Paucioribus multo verbis totum hoc negotium pertractari potuit, et dilucidius.

Cap. 4, § 7. *Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis :* una essentia, tres substantiæ ; *a Latinis autem* una substantia *vel* essentia, tres personæ.] Jam hæc explicuimus ad lib. V, cap. 8 et 9. Hic tantum monebimus legenda at-

quæ supersunt in hoc libro, ad finem usque, qui cupiunt scire quid veteres de unitate Dei alitate personarum senserint. Nimirum intelli- tres esse substantias distinctas, sed æque nia perfectas, ac similes, non sejunctas aut as, ut tria corpora, sed conjunctissimas, ita ut relationibus inter se distinguerentur. Fatetur inus potuisse dici *tres Deos*, nisi Scriptura con- sset, § 8, et *tres essentias*, nisi obstaret arctis- arum conjunctio, et summa per omnia paritas. denique ejus disputatione liquet valde ambi- se, hisce de rebus, locutos veteres. *Quid igitur*, § 9, *restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione on insidias vel errores hæreticorum?* At profecto a esse non debuerunt, ne plebs interea falle- neu contraria dixisse iis quæ sentiebant poste- rentur, ut contigit; cum præsertim proram pim religionis Christianæ, a Nicænis tempo- n illa sua Trinitatis explicatione, sitam esse nt. *Cum enim conaretur humana inopia loquendo e ad hominum sensus quod in secretario mentis ptu tenet de Domino Deo, creatore suo, sive per fidem, sive per qualemeunque intelligentiam, ti- licere* tres essentias; *ne intelligeretur in illa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria n non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, esin lapsus est.* Quid vero ex hisce colligemus? e nos quoque oportere esse *tres essentias*, nu- mero duntaxat distinctas; cæteroqui conjunctissi- mas, ita ut *unus Deus* dici possit? Absit sane! Poste- riorum sæculorum Ecclesiæ, dum vere statuunt in hoc capite nulli licuisse a Scriptura sacra abire, ac proinde a superioribus ætatibus, quas non suspica- bantur ab ea norma recessisse, traditam esse Scri- pturæ doctrinam; earum sententiam ex Scriptura interpretatæ sunt, tribueruntque antiquioribus non id quod senserant, sed quod sentire debuerant. Nos ergo de unitate Dei, deque Patre, Filio et Spiritu sancto ex Scriptura quoque loquamur atque senti- amus; nec putemus id posse a nobis perspicue expli- cari, quod perspicue revelatum non est; aut melius exprimi verbis nostris quod non assequimur, quam verbis Christi et apostolorum; cum præsertim tot et tantæ lites ex novis vocibus natæ sint. Si veteribus ignoscimus quod de unitate specifica divinæ naturæ in Patre, Filio et Spiritu sancto docuerunt, ne im- misericordes simus in eos qui hac de re aliter quam nos nunc forte sentiunt, si modo Scripturam sacram normam fidei suæ habeant, præceptorum Evangelii sint observantes, reditumque e cœlo Do- mini nostri Jesu Christi vivos et mortuos judicaturi nobiscum præstolentur. Hanc æquitatem a nobis et rei difficultas, et humani ingenii imbecillitas neces- sario postulant; nisi mira iniquitate velimus recen- tiorum deteriorem esse conditionem quam veterum, quibus errantibus non veniam modo, sed et laudes maximas tribuere solemus.

IN NONUM TOMUM.

ANIMADVERSIONES IN LIBROS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI.

01 Cap. 8, § 13. *Quin etiam conqueri audet ianus quod eos Constantinus ad campum, id est plicium duci jussit, qui victi apud ecclesiasticos , nec apud ipsum quæ dicebant probare potue- t adhuc in sanctæ Ecclesiæ præcisione sacrilego ferebantur.*] At propterea occidi non debuerunt le Cæciliano Carthaginiensi probare non potue- aditorem fuisse, aut a traditoribus ordinatum; od secessionem fecissent, quamvis immerito, uis Ecclesiis Christianis; si modo legibus civi- cæteroqui parerent. Hæc delicta et vulnera ibus remediis curanda fuerunt.

9, § 15. *In quos* (hæreticos) *ex occulto impe- i, per manifestum hominum imperium, multa coercerentur severissime constituta sunt; nec hæreticis, quoquomodo saltem Christiano nomine is, sed etiam ipsis paganis. Nam utique et ipsi eligione sunt impii, quorum simulacra everti at- nfringi jussa sunt recentibus legibus, inhiberi acrificia sub terrore capitali.*] Rectius dixit Au- us quam putabat *occultum* esse *imperium Dei* andis hæreticis; nam profecto adeo in aposto- scriptis latet, ut nec ipse, nec alius quisquam orre adhuc potuerit. Sed eo latente, non pos- sunt excusari Christiani imperatores qui, ethnicos imitati, meras opiniones pro delictis habuerunt, et gravibus pœnis affecerunt. Res enim tanti mo- menti, et cujus sunt tam horrendæ sequelæ, nunquam debuit a Christianis tentari; Deo non tantum tacente, sed etiam tot et tantis de amore in universum huma- num genus iteratis præceptis disertissimis satis aperte rem vetante. Legantur codicis Theodosiani li- ber XVI, conferaturque cum legibus ethnicorum prin- cipum in Christianos; atque illico licebit intelligere simili quidem temporis intervallo, non tot leges ab ethnicis in Christianos latas quot sunt a Christianis in hæreticos: quæ certe macula est nominis Chri- stiani, quam nunquam, nisi contrariis institutis, prin- cipes ac magistratus delebunt. Sat multis hac de re diximus in epistolam ad Vincentium, not. ad tom. II.

Ad ethnicos quod attinet, capitali supplicio si sa- cra diis suis fecissent mulctandos, videtur respicere Augustinus ad legg. 15, 16 et 18, tit. 10, lib. XVI, codicis Theodosiani, quæ leges anno 399 latæ sunt. Cæterum non tum demum supplicium capitale iis est intentum qui sacra idolis facerent, ejusdem enim ti- tituli lex 4 a Constantio anno 353 lata sic habet: *Pla- cuit omnibus locis atque urbibus universis claudi pro- tinus templa, et accessu vetitis omnibus licentiam de- linquendi perditis abnegari. Volumus enim cunctos*

sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte hujusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari, et similiter affligi rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Crudelis sane lex et Christiana mansuetudine prorsus indigna; quam legem si quis neget executioni illo tempore ubique mandatam, propterea tamen Constantii honori minime consuluerit, nam per eum non stetit quominus exsecutioni mandaretur, et sequentibus principibus auctor fuit ita sese gerendi. Augustinus tamen non hic tantum, sed et in epistola 93, § 10, eam sævitiam laudat: *Quis enim, nostrum,* inquit, *quis vestrum non laudat leges ab imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum? Et certe longe ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Hæc si possent laudari, omnia a Christianis per tria prima sæcula dicta contra persecutionem religionis causa, quasi stulta aut mala fide dicta essent habenda. Stultum enim fuisset id oppugnare quod æquissimum esse putares; nam non persecutio ipsa, quasi per se mala, potuisset ab iis oppugnari, sed tantum quæ fieret contra recte sentientes. Cupiebant autem Christiani ab ethnicis, dum ethnici erant, omnem persequendi animum abjici; hoc est, se ab iis non vexari, quamvis ethnici crederent eos in errore versari, quod multis locis probari posset. Quod si persecutionem non improbabant, si modo a recte sentientibus in errantes exerceretur, oportuisset eos, si animum nudare voluissent, sic ethnicos alloqui: Nunc quidem, dum infirmiores sumus, o ethnici, a vobis dissentientes clementer ferri cupimus; sed si quando rerum potiemur, ne fallamini, non eamdem clementiam vobis præstare statuimus. Aras, templa ac simulacra omnia evertemus, sacrificiaque vestra ita vetabimus, ut sacra diis vestris facere vobis capitale futurum sit. Interea vos oramus ut erga nos clementer vos geratis, dum superiores estis, quamvis, si unquam imperatores Christianos habere possimus, vos quasi impios simus interfecturi, si religionis vestræ cultum tueri velitis. Sic Christianos loqui oportuisset, si verum fateri voluissent; aut certe nihil obstabat quominus eorum dicta sic interpretarentur ethnici, si id credebant quod hisce temporibus credebat Augustinus. Judicent nunc quicunque omnem animi candorem ac probitatem non exuerunt, an boni essent habendi quorum animus ita affectus fuisset. Hæc tamen sunt necessaria sententiæ Augustinianæ consectaria.

Verum hic præterea diligenter observandum est, quod ad epistolam 44 observare omisimus. Exprobrabat Fortunatus Donatista, anno 398, Augustino ita esse animatos episcopos catholicos, ut data sibi potestate acriter essent Donatistas persecuturi, quamvis dissimularent. Vide epist. 44, 11. Id vero negabat Augustinus iis verbis quæ ex epistola excerpsimus ad tom. II, Deumque cordium testem vocabat. Sed duobus annis postea, hoc est 400, quo hic liber est scriptus, contra sentiebat ac loquebatur.

Cap. 10, § 16. *An forte dicent etiamsi convincuntur in sacrilega dissensione..... non tamen ad imperatorum potestatem hæc coercenda vel punienda pertinere debere? Qua in re quæro quid dicant; an quia de religione vitiosa vel falsa nihil curandum est talibus potestatibus? Sed multa etiam de paganis diximus, et de ipsis dæmonibus, quod persecutiones ab imperatoribus patiantur. An et hoc displicet?*] Hæc erant valde invidiosa et cum magno periculo conjuncta; si enim Donatistæ aperte dixissent eam curam ad imperatores non pertinere, pro seditiosis habiti fuissent; nec fateri poterant, eo sensu quo intelligebat Augustinus, sine periculo; si enim res erat arbitrii imperatorum, eis parendum erat. Sed discutienda fuit ambiguitas totius rei. Igitur constat inter omnes gentes summis potestatibus demandatum fuisse a populis, aut scriptis legibus, aut tacito certe consensu, legum civilium et tranquillitatis publicæ tutelam. Has ut sartas tectas conservent, unius justitiæ rationem potestates habeant necesse est; seu par est eas ex legibus et æquitate de omnibus judicare, Verum nulla societas est quæ iisdem potestatibus demandarit curam opinionum, præsertim theoreticarum; ita ut eas sanciant quæ ipsis placebunt, proscriptis omnibus aliis, atque auctoritate sua, et armis, si necesse sit, e republica eliminatis. Nemo tam insanus est qui putet sibi necesse esse sequi opiniones summæ potestatis; cui ad res ipsas, ad vitam communem ac civilem pertinentes, libenter alioqui paret. Alioquin oportuisset Judæos primum, deinde et Christianos ethnicis magistratibus de religione fidem habere, et idololatriam amplecti; neque enim deteriore jure imperabant pagani quam postea Christiani imperatores. Oporteret similiter, quicunque in Muhammedanis regnis, aut idololatriæ deditis etiamnum vivunt, eos nuntium remittere religioni Christianæ. Quod si dixeris non licere errantibus potestatibus facere, quod licet recte sentientibus, in labyrinthum inextricabilem te conjicies; nam quis demum judicabit hic de errore? Credunt ethnici, credunt Muhammedani, credunt hæretici principes te errare, qui te putas recte sentire; ac proinde te vexare debebunt; nisi forte velis tibi soli ab omnibus credi, a te vero nemini, quod furiosum esset. Constat enim unumquemque id oportere sequi et facere, quod verissimum et optimum ex animi sui sententia ei videtur; non quod falsum et noxium credit, quidquid de eo alii sentiant. An oportebit ethnicum, Muhammedanum, hæreticum principem favere ei religioni, cive sectæ, quam falsam esse credit; vexare vero eos qui recte ei sentire videntur? Sunt ergo omnes potestates, quidquid sentiant, communi legi subjiciendæ; ne, dum veritatis amantibus favere in regno quopiam aut republica volumus, mendacii cultoribus imprudenter arma tradamus, quæ nulla ratione eripere possimus.

Sed nullamne, inquies, curam religionis gerere debent principes? Maximam, et quæ in hoc potissimum sita est, ut ne quis religionis causa alium vexet aut male habeat, qui cæteroqui legibus civilibus pareat;

ne quis item seditionem creet, aut arma capiat, ut aliter sentientes cives occidat, aut e civitate exterminet. Nulla alia tutela indiget veritas, nisi ut ei liceat luce propria fulgenti oculos hominum ad se convertere, et firmis rationibus animos eorum allicere. Nulla erroris oppugnatio certior est quam ut perspicue confutetur, et libere retegantur allucinationes. Sic ergo faveant magistratus veritati, sic errori adversentur. Ubicunque utrumque licebit facere, brevi de errore veritas triumphabit. Quod si hominum ignorantia, stupiditas aut affectus nonnihil triumphum veritatis morentur, non erit longa mora, et humanæ imbecillitatis habenda profecto est aliqua ratio. Remedia certissima et efficacissima quibus corporis morbi curantur, indigent quoque aliquo tempore, quo vim atque efficaciam suam exserant. Mirumne ergo aut iniquum videri potest concedi animorum morbis moram aliquam ut curentur? Nemini sane, nisi semet ipsum ignoranti. At sæpe contigit, inquies, diutissime errores fulgenti veritati restitisse; quod liquet ethnicismi exemplo, qui in imperio Romano centum minimum annis post Constantini tempora superstes fuit, nec forte unquam intermortuus esset, nisi vi legum fuisset expugnatus. At ego illas ipsas leges diuturnitatis erroris causas partim fuisse existimo; quod homines soleant eas opiniones pertinacius fovere quæ vi oppugnantur. Deinde non mera lux Evangelii tenebris ethnicismi opponebatur, neque mera recta ratio errorem oppugnabat. Multa jam erant eo tempore in dogmatibus ritibusque et moribus Christianorum quæ merito (quid enim nunc præsertim nos vetat verum fateri?) offendebant ethnicos. Sæpe etiam Christiani doctores, qui sat bene ethnicos errores evertebant, male atque imperite religionem Christianam tuebantur. Itaque caligantes ethnicorum oculi, dum hinc veritatis luce præstringebantur, illinc pravarum atque falsarum ratiocinationum nebulis præpediebantur, unaque cum paralogismis firmissimas ratiocinationes miscebant. Videbant etiam hominum quoddam genus, a quo maxime oppugnabantur, cupere ut religionem Christianam amplecterentur, non tantum animo ipsis benevolo; sed etiam quia, aucto Christianorum numero, fines regni cujusdam novi generis quod illi homines possidebant proferebantur; opesque et auctoritas eorum augebantur. Hæ aliæque similes fuere rumoræ, quæ objectæ sunt ethnicis, ne quamprimum Christianam religionem amplecterentur, non quod edicta non satis acerba ac crudelia contra eos promulgata fuerint; aut quod divinæ veritatis, cum sola fulget, exiguæ sint vires, quando nulla vis vetat quominus fulgeat. Sed hæc satis superque hac de re.

Ibid. *Illud quæro, cum manifeste enumeret Apostolus opera carnis,* Quæ sunt, *inquit,* fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes *et his similia; quid istis videatur, ut crimen idololatriæ putent juxta ab imperatoribus vindicari; aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri juste fateantur; in hæreticos autem atque impias dissensiones nolint fateri, cum in iisdem iniquitatis fructibus, auctoritate apostolica, numerentur* ?] Si aqua hærebat hic Donatistis, profecto Augustini contemptu digni erant. Quis enim ignorat quæcunque evangelicis legibus damnantur, et quæ præsertim Paulus loco ab Augustino allato prestringit, civilibus legibus nec solere plecti, nec posse? Exempli causa, æmulationes, animositates, dissensiones, invidia, avaritia, superbia, ambitio, amor rerum hujus vitæ, modo ne eorum causa leges reipublicæ perfringantur, nunquam puniuntur ab hominibus; nec tamen propterea minus Deo invisa sunt, minusve regno cœlesti excludunt. Facile ostendere possemus cur talia nequeant ab hominibus plecti, si hoc ageretur; satis erit dixisse leges civiles esse hominum conditioni attemperatas, nec ab iis eximiam quamdam sanctitatem postulare, sed tantum eam virtutem sine qua civium societas incolumis esse non potest. Similiter nec opiniones subjacent legum civilium pœnis, quia æquiores omnes legislatores ea tantum plectunt quæ experientia quotidiana constat esse mala, taliaque ab omnibus habentur, qui quidem sunt sui compotes: qualia sunt, cædes, furtum, adulterium et similia; quæ si negligerentur stare societas humana non posset. Ideoque nullum est raticionationi Augustinianæ pondus. Si Donatistæ probabant supplicia ethnicorum, digni sane erant qui et ipsi vexarentur; nam quod sibi non fieri cupiebant, id aliis fieri cupere non nisi inique poterant. Inter veneficos et hæreticos nulla est similitudo; nam venefici convicti fatentur se contra jus et fas venena propinasse, nec res ulla obscuritate laborat: sed ubi sermo est de opinionibus, quas qui sequuntur credunt esse veras, et propter quas in nullam civilem legem delinquunt, iniquissimæ sunt pœnæ, ob rationes antea allatas. *An forte,* subjicit Augustinus *nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat qui dictus est minister Dei vindex in iram eis qui male agunt?* Si talia potestates humanæ vi et armis curant, sine dubio præter jus et fas potentia sua abutuntur; neque enim talia vi et armis curantur. *Defendenda religio est,* inquiebat Lactantius lib. v, cap. 19, *non occidendo, sed moriendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum,* etc. *Nihil est tam voluntarium quam religio; in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Gladius non est datus principibus nisi in eos in quos ex legibus civilibus gladio animadvertere, propter facinora quibus civilis societas violatur, jubentur; non in eos qui, cætera innoxii, a rectis sententiis aberrant, suntque persuasione et mansuetudine ad rectam viam revocandi. Fac contrarium esse verum, quid dices ethnicis magistratibus, qui rationes tuas audire nolent? Quid reposuisset Augustinus Constantio Ariano male habenti synodi Nicænæ sectatores? Quid Vandalis, qui, non ita multo post ejus ætatem, ex Africa exegerunt episcopos decretorum Nicænorum tenaciores,

plebemque cum iis sentientem male habuerunt? Nimirum, ad suas artes converti eum oportuisset, et palinodiam canere crudelis sententiæ de persecutione licita, ut ad priorem mansuetudinem reverteretur. Nos vero ita sentiamus de jure divino et humano, ut nunquam nos ita sensisse pudeat pœniteatque.

Libro II. Cap. 13, § 29. *Etsi laicus aliquis pereunti dederit necessitate compulsus* (baptisma et eucharistiam, nam illa juncta erant. Vide not. ad tom. II, epist. 172, § 5), *quod cum ipse acciperet quomodo dandum esset addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est.*] Si ponas ea sacramenta esse necessaria ad salutem, quomodo vulgo tempore Augustini sentiebant, satius profecto est ea a laicis administrari, et rata censeri, quam, ut quidam qui similia sentiunt, velle homines potius perire. Sed neutri ostendere queant ea esse ad salutem necessaria. Vide dissertationem Hug. Grotii de Cœnæ administratione ubi pastores non sunt, atque ad eam animadversiones Dionysii Petavii et Henrici Dodwelli.

Ibid. *Neque ullo modo per devotum militem, quod a privatis usurpatum est, signum regale violabitur.*] Hæc verba illustravit Dionysius Petavius Animadversionum in Epiphanium pag. 78, ad hæres. 42, unde quæ huc faciunt depromemus. Est καθοσιῶσαι idem ac *consecrare, dicare.* Hinc καθοσιῶσις *devotio*, et καθωσιωμένος *devotus, consecramus.* Quare qui se principi devovebant ac religione aliqua consecrabant, καθωσιωμένοι dicebantur, ut milites. Capitolinus in Maximino: *commilitones sacrati, imo vero consecranei.* Ejusmodi fuere Gallorum veterum *devoti, quos illi soldurios appellabant,* ait Cæsar lib. I Commentariorum, hoc est καθωσιωμένοι, quod aptius mihi videtur quam quod Græcus interpres reddidit, συνωμόται; tametsi idem fere est quia ad jusjurandum adigi solebant. Egregium τῆς καθωσιώσεως exemplum refert Dio lib. LIII, ad annum Urbis 725, ubi Sextum quemdam Pacuvium vel Apadium tribunum plebis narrat semetipsum Augusto in senatu devovisse, idemque ut alii senatores facerent auctorem fuisse; ἐν τῷ γὰρ συνεδρίῳ τε ἑαυτὸν οἱ τόν τῶν Ἰβήρων τρόπων καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεδούλευε τοῦτο ποιῆσαι. Sed Augusto reclamante, tribunus plebis prosiliens ad populum obvios quosque ac cæteros deinde cives coegit καθιερῶσαι ἀφῶς [F. ἄφνως] τῷ Αὐγούστῳ. ἀφ' οὗπερ καὶ νῦν, προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν ὅτι τοι καθωσιώμεθα. Hinc καθωσιωμένων appellatio ἐπιθετικῶς ex formula plerisque imperialibus officiis ac ministris attributa; maxime, uti dictum est, militaribus. Quam in rem profert hunc Augustini locum, aliaque addit, quæ non exscribam. Monebo tantum locum quem citat ex Capitolino, non exstare in vita Maximini, sed in trium Gordianorum, ubi exstat oratio Maximini. Adi et Glossarium nomicum Jac. Gothofredi, ad cod. Theodosianum.

Ibid. *Si quisquam, sive desertor sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eo gravius quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore,* etc.] Alludit ad stigmata militaria, de quibus vide Hug. Grotium ad Gal. VI, 7. Lex 4, lib. X, tit. 21, in codice Theodosiano: *Stigmata, hoc est, nota publica fabricensium brachiis, ad imitationem tironum infligatur,* etc. Ad quem locum lege commentarium Jacobi Gothofredi.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS.

Libro II. Cap. 3, § 4. *Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit?*] Nihil verius nec ab ullo Christiano in controversiam revocari potuit. Sed et sequentia sunt aurea, et digna quæ perpetuo iis occinantur qui usque adeo Augustini auctoritate abutuntur ut velint nos ei potius credere quam rectæ rationi: *episcoporum autem litteras,* inquit, *quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorum auctoritatem doctioremqae prudentiam, et per concilia licere reprehendi si quid in iis forte a veritate deviatum est?* Optime, nam episcopis aut aliis ecclesiasticis scriptoribus, post apostolorum tempora, minime datus est Spiritus *qui eos duceret in omnem veritatem*; nec sane æternis rectæ rationis legibus, et canonibus logicis ac grammaticis, quibus omnes alii subjacent Scripturæ interpretes, fuere subtracti a Deo. Igitur si in hæc peccant, ignoscere quidem eis debemus, at non assentiri; nisi hominum auctoritatem præferamus veritati, quo stultius ac nequius nihil fieri potest. Addit Augustinus in sequentibus ejusdem periodi verbis; *et ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat: sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana?* Hic desinit præter modum producta periodus. Ex postremis verbis liquet neque provincialia, neque plenaria concilia habita fuisse ab Augustino erroris periculo exempta quandoquidem priora a posterioribus emendari posse censebat. Sed præterea duo hic sunt observanda. Alterum est ad investigationem veri, in re præsertim obscura, undecunque ea obscuritas oriatur, multitudinem nihil facere, sed tantum peritiam eorum qui congregantur et candorem. Si mihi exempli causa omnes omnino

Africæ episcopos congregasses ad judicium ferendum de sensu loci Veteris aut Novi Testamenti, quorum nullus Hebraice sciebat, et perpauci Græce norant, ingens illa imperitorum multitudo ineptior erat ad recte judicandum quam vir unus peritus utriusque linguæ, exempli causa, quam solus Hieronymus Stridonensis, quamvis tanta non fuerit ejus peritia, quam vulgo putatur. Quis dubitet etiam superiore sæculo XVII unum Hug. Grotium, aut unum Joan. Drusium, rectius potuisse Scripturam Veteris et Novi Testamenti interpretari quam omnes Italiæ ac Hispaniæ episcopos simul capita conferentes? Igitur sint plenaria concilia, aut minus plena, mihi perinde erit, ad spem inveniendæ veritatis quod attinet; nec imperitæ multitudini, pro imperio aliquid definienti, et anathemata minitanti, nec rationes ullas, aut eas pravas, suæ definitionis afferenti, magis credam, quam pauculis, aut uni. Imo vero uni viro docto argumenta firma proferenti continuo assentiar, cum ea intellexero, nec adversarios ejus unquam numerabo. Numerus enim nihil ad veritatem facit, et sæpe etiam quo plures congregantur ad eam definiendam, eo plures imperiti, eo plures factiosi colliguntur: qui neque sciunt quid sit verum, neque quærunt, sed tantum quid sibi expediat, aut expedire videatur. Conventus illi ecclesiastici sunt ad civilium normam formati, et quia quo plures in hosce conveniunt, eo major est eorum auctoritas: simile de ecclesiasticis cœtibus judicium fertur. At in civilibus cœtibus aguntur res ad hancce vitam duntaxat pertinentes, eæque hominibus notissimæ, et multis mutationibus obnoxiæ; quarum etiam rerum homines domini sunt, et in quas proinde multitudini majus sine dubio jus est quam paucis. Quamobrem recte convocantur primores civium iique magno numero, ad eas regendas et componendas, pluribusque suffragiis cedunt pauciora. Verum ubi cœlestis veritas agitur, quam nemo nisi studio et attentione adhibitis novit, quæ nulli mutationi obnoxia est, cujus nemo est dominus, et cujus definiendæ majorem a Deo potestatem plures non acceperunt, quam pauciores; non sunt numeranda suffragia, sed singulis expendendæ suffragiorum rationes. Res est clara, sed de ea, pro ejus utilitate ac præstantia, agere hic non possumus. Quare nec quæ objici possent iis quæ a nobis dicta sunt dilucmus.

Alterum, quod hic observari volebamus, hoc erat nimirum, cum concilia sint errori obnoxia, non esse ἀδιακρίτως eorum decretis credendum, ac proinde, ne alias repetam rationes quas in hisce Animadversionibus sæpius attigi, minime esse vexandos eos qui verum non esse putant quod a conciliis est definitum, si modo, in rebus civilibus, omnibus bonorum civium officiis defungantur. Iniique ergo ac crudeliter vexati sunt Pelagius, Cœlestius et eorum discipuli, cum in eos propositum est edictum quo in exsilium acti sunt et bonis omnibus spoliati; et quidem *a quocunque traherentur ad judicem, sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudarentur, et irrevocabile paterentur exsilium.* Fuit difficilior controversia hæc quam intelligeretur ab Honorio, homine stupido et ex alienis consiliis semper pendente, ejusque aulicis quidvis aliud curantibus quam rerum ejusmodi cognitionem adipisci; nec potuerunt se lictores præbere Afrorum conciliorum sine maxima imprudentia. Ac sane et illo tempore et postea, per totum Orientem et Occidentem, plures locuti sunt et senserunt cum Pelagio quam cum Augustino, quem, famæ causa, reverebantur, quamvis ab eo dissentirent.

Cap. 4, § 5. *Hoc facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, et propter inveniendi difficultatem diversa pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris.*] Egregium sane monitum atque officium quod merito exigebat a Donatistis; sed cui se ipse subtrahere non debuit in negotio Pelagianismi; in quo nihil tam quæsitum est quam ut præcipitibus multarum synodorum sententiis irrevocabilia anathemata, nunquam, ut par erat, auditis fratribus, dicerentur. Docebit hæc Joan. Garnerius in enumeratione conciliorum quæ contra Pelagianos congregata sunt. Attamen fatendum fuitrem esse, quæ non mediocribus tantum ingeniis, sed et præstantissimis quibusque negotium facesseret.

Cap. 7, § 12. *Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus, quasi cœpisse corrigi.*] Ipse Cyprianus epistola ad Jubaianum 73 docet Agrippinum proximum prædecessorem suum non fuisse. *Apud nos autem*, inquit, *non nova aut repentina res est, ut baptizandos sentiamus eos qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt et longa ætas ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversi, non aspernati sint*, etc.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS CONTRA LITTERAS PETILIANI.

Libro I, Cap. 9, § 19. *Cum audierit*: Qui baptizatur a mortuo non ei prodest luvatio ejus (*Eccli.* XXXIV, 30), *respondebit*: *Vivit Christus, jan non moritur, et mors ei ultra non dominabitur*, etc.] Loco illo Ecclesiastici abutebantur Donatistæ, ut ostenderent baptismum collatum a malo sacerdote, seu qui *mortuus* esset in peccatis, non prodesse. Nescio quot modis se torquet Augustinus ut ostendat ex loco nihil posse elici; cum deberet irridere Donatistas, quod hic *baptismum* Christianum quærerent, cum alia plane mens esset auctoris Ecclesiastici. Hæc ejus est sententia integra: Βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, καὶ πάλιν ἁπτόμενος αὐτοῦ, τί ὠφέλησεν ἐν τῷ λουτρῷ αὐτοῦ, hoc est, *Is qui abluitur postquam tetigit cadaver, et iterum id tangit, quid capit utilitatis ex sua ablutione?*

Liquidum est respici ad ablutiones legales, quæ debebant fieri post tactum cadaver, ex mandato legis, Num. XIX, 11, et quæ nihil prorsus faciunt ad baptismum Christianum. Sed si legas sequentia, videbis hanc esse priorem partem similitudinis; hæc enim verba sequuntur, quæ alteram continent: Οὕτως ἄνθρωπος νηστεύων ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, καὶ πάλιν πορευόμενος καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν, τῆς προσευχῆς αὐτοῦ τίς εἰσακούσεται; καὶ τί ὠφέλησεν ἐν τῷ ταπεινωθῆναι αὐτόν; *sic hominis qui jejunat ob peccata sua, et iterum in ea delapsus eadem facit, quis orationem exaudiverit? quidve utilitatis capiet ex sua humilitate?* Nihil hæc ad baptismum, quamvis Cyprianus quoque eo locum hunc trahat, quem citat etiam dimidiatum, epist. 71. Sed ille, ut recte observavit ad eum locum Nicolaus Rigaltius, sæpenumero, ut et alii Patres arripit de Scripturis quidquid vel solo verborum sono facere ad propositum videtur, etsi longe alio sit intelligendum sensu. Tam frequens est hoc in Cypriano, Augustino et aliis, ut minime opus sit quærere, cum viro doctissimo, quod eos in citatione hujus loci excuset, cum excusari nequeant multa alia similia. Vix quisquam dicere possit quam veræ intelligentiæ Scripturæ et paci Ecclesiæ nocuerint oratores populares criticæ omnis ac dialecticæ imperiti. Dum enim nullam regularum utriusqqe illius artis rationem habent, ubique quosvis sensus quæsiverunt, et ex soni similitudine omnia probare se posse crediderunt, unde innumeræ rixæ natæ sunt. At olim ejusmodi homines, propter dicendi facultatem, aut ad primarias sunt sedes evecti, aut in synodis regnum quoddam obtinuerunt. Plura non dicam, nota enim hæc sunt ecclesiasticæ historiæ peritis, et qui judicium in ea legenda adhibuerunt. Non moror cæteros dissimulare, mentiri, et carpere veri amantes semper paratos.

LIBRO III. Cap. 25, § 30. *Cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem venerim, eique consuli calendis Januariis laudem, pro mea tunc rhetorica professione, recitaverim.*] Hujus moris publice laudandorum consulum calendis Januarii, quibus magistratum inibant, testes sunt Panegyrici consulares, utraque lingua, tum versu, tum soluta oratione dicti a Mamertino, Libanio, Themistio, Claudiano, Sidonio. Hæc adnotavit Jac. Sirmondus, adducto postea loco hoc Augustini, ad Epist. Sidonii lib. VIII, epist. 6, ubi Sidonius moris hujus meminit.

IN TOMUM DECIMUM.

JOANNES PHEREPONUS LECTORI.

Multa in hunc ultimum Augustini tomum adnotare facile potuissemus, sed duo aut tria obstiterunt ne id præstaremus, quæ te, lector, rescire nostra nonnihil interest. Primum est festinatio typographorum, quibus, dudum edito integro Augustino una cum indice, longum videbatur exspectare diutius animadversiones nostras, quas tam cito adornari aliæ occupationes non patiebantur. Alterum, quod neque necesse erat quidquam hic a nobis dici, aut pluribus diduci; quia in hisce ratiocinationibus Hipponensis episcopi contra Pelagianos, innumeræ sunt repetitiones, nec, ad summam rerum quod attinet, quidquam novi occurrit præter ea quæ dicta erant hac de re in Epistolis, ad quas quæ visum fuit jam adnotavimus. Nam totâ controversia, si probe introspiciatur, vertitur in explicatione quorumdam Scripturæ locorum, de quibus jam dixeramus. Huc accedebat quod nos quoque harum rixarum tantum tandem cepisset tædium, ut eas vix ac ne vix quidem ferre possemus; nec sane quisquam melioribus occupatus millies idem aut legere, aut dicere sustineat; præsertim si quæ tribus verbis absolvi poterant millenis aliquot dicantur, multaque aliena infarciantur, quemadmodum hac in re factum est. Cui vero etiam nauseam non moveant tot et tam longæ, ut voce sequioris ævi utar, *rhetoricationes*, aut ad declinandum adversarii ictum, aut ad eum insectandum, aut denique ad invidiam vel movendam, vel fugiendam? Mihi certe tantum crearunt, inter legendum, fastidium, ut plane recreatione gratiorum et utiliorum studiorum indigeam. Boni igitur consule, lector, quæ sequuntur; aut ipse calamum arripe, ut labori meo suppleas quod deest; sed memento ante omnia solius veritatis, cui uni litare conatus sum, rationem habere. Vale.

PRÆFATIO

AD LIBRUM DE GESTIS PELAGII, ANNO MDCXI PRIMUM EDITUM AUGUSTÆ VINDELICORUM.

S. Augustinus, Retractationum lib. II, cap. 47; *Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syria*, etc. usque ad hæc: *Hic liber incipit: Posteaquam in manus nostras.*

His verbis, S. Augustinus scriptionis causam et libri argumentum explicat; qui antehac omnes Augustinianorum operum conquisitores, viros doctrina et diligentia præstantes, fugit nunc demum Fesulis, in bibliotheca abbatiæ Sancti Bartholomæi canonicorum regularium Lateranensium, repertus. Ejus antigraphum cum Scipio Cobellutius, ab epistolis et secretis summi pontificis, Roma ad Marcum Velserum illust. virum Augustam Vindelicorum misisset; visum pulcherrimæ gemmæ publicam lucem non esse invidendam. *Sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Romæ quidem et Florentiæ accuratissimas editiones, commentariis illustratas, apparari ferebantur, et falcem in alienam messem non mittendam esse memineramus: sed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, neque enim sane tanti momenti causa præcipitari debet, si interim nuda Augustini verba utenda fruenda proponeremus, gratiam non apud viros pios et eruditos, antiquæ doctrinæ amantes, Romanis

Florentinisque editoribus ipsis non invitis, quippe quorum industriæ nullum hinc sufflamen, cum ne dedicationis quidem florem præcerpserimus, inituros speravimus. Exemplum Roma missum cum fide expressimus, et lectiones variantes ad oram ascriptæ, inde sunt: sed quæ in ima pagina plerasque Antonius Velserus canonicus Frisingensis, inter legendum subitaria conjectura adnotavit, paucas aliquas, audaciores paulo non agnoscit. Nullas in contextum, quantavis probabilitatis specie blandientes, recepimus.

Meminit præterea hujus libri Augustinus libro II de Pecc. Origin., cap. 14: *Quod autem scitis*, etc..... *Aurelium scripsi.*

Possidius in indiculo, cap. 4, *contra gesta Pelagii liber unus.*

Et Photius in Biblioth. Andrea Schotto interprete, num. 54: *Pelagius in ea synodo*, etc..... *Sic Augustinus in iis quæ ad Aurelium Carthag. episc. scripsit, refert.*

Cætera de synodo et tota hac causa, a card. Baronio, qui Augustini librum periisse credidit, ex ipso S. Augustino, S. Hieronymo et S. Prospero ad annum Christi 615 et seq., atque a Severino Binio in primo Concilior. tomo diligenter et copiose collecta, non exscribimus, ne actum agamus. Obiter monemus ea quæ Augustinus sub finem libri scribit a Pelagianis incredibili audacia perpetrata, *Ut Dei servi et ancillæ ad curam S. Hieronymi presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur*, etc., haud dubie ea ipsa esse quorum Innocentius pont. epist. 24, sive 32, ad Joannem Hierosolymit. episcopum meminit: *Direptiones, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ sanctæ virgines, Eustochium et Paula, deploraverunt, in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum.*

Et epist. 25, sive 33, ad Hieronymum: *Dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, ut ratio non tractandi consulendique sit.*

ADVENTORIA

AMICISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO P. FRANCISCO MACEDO. IN PATAVINA ACADEMIA ETHICES INTERPRETI; IN QUA DE INSCRIPTIONE LIBRI S. AUGUSTINI DE GRATIA CHRISTI, ALBINE, PINIANE ET MELANIA DISSERITUR AB HENRICO NORIS VERONENSI AUGUSTINIANO, IN ACADEMIA PISANA ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PROFESSORE.

Reverendissime ac doctissime pater,

Acceperam ab amico litteras quibus significabat te Venetiis Bononiam versus solvisse; nescire autem se quam in urbem improvisam hanc tuam peregrinationem destinasses. Idem etiam libellum quem nuper Veronæ adversus meam de quorumdam veterum Lerinensium doctrina sententiam edidisti, transmisit. At ipse volumen illud avide legere, diligenter expendere, accurate notare. Etenim sperabam fore ut, superatis Apennini jugis, de proximo Florentiam venires, eaque occasione et sincere et amice aperirem quid in libello tuo albis calculis, quid nigro theta signandum censerem. Verum cum Florentiam accessisses, adventum tuum tam studiose mihi celatum voluisti, ut pene verear ne antiquæ nostræ amicitiæ hoc tuo silentio nuntium remiseris; præsertim cum nec unius libelli tui exemplar ad me deferendum curaveris. Cæterum ne officiis quæ pro jure veteris consuetudinis a te exspectabam, ipse etiam deesse videar, quod sperabam coram præstare, litteris exsequor. Et quidem, mi Macedo, non sum tam bardus aut stupidus quin optime intelligam neminem mortalium quantalibet amicitia carissimum esse in amore Divis præferendum. Novi vetus adagium: *Amicus usque ad aras.* Itaque ineptus judicer, si tantum mihi ab amico tribui velim, ut me plus quam Superos amet. Utinam susceptam pro doctrina sanctorum Hilarii Arelatensis et Vincentii Lerinensis defensionem pro merito præstitisses, et ex vetustis tabulis atque antiquioris Ecclesiæ testibus rem feliciter confecisses! Profecto multas tibi gratias agerem, plures etiam deberem, quippe qui duos celeberrimos Patres Augustini coætaneos, eidem S. doctori in nullo dogmate adversatos, sed per omnia consentientes ostendisses; nihil enim magis in votis habeo quam Augustinianam doctrinam communibus Patrum suffragiis comprobatam monstrari. At cum videam te passim rhetoricari, omissis veterum monimentis, tuis imaginationibus indulgere, ac pro historia entia rationis, et secundas intentiones, ut dicitis, seu vana quædam tuæ mentis idola obtrudere; non possum non tuas vices dolere, qui bonæ eausæ non æque bonam advocationem commodasti. Intra sex vel octo dies, nuperrimæ tuæ apologiæ confutationem ad umbilicum deducam. et palam faciam te Dallæi, Blondelli; aliorumque protestantium sententiam sequi, munire, exaggerare; Baronii defensionem verbo tenus abs te jactari, cum eidem, etiam cum patrocinium magno hiatu promittis, adversere, et neglectis veterum scriptorum voluminibus, novas passim historias, hoc est puras putas fabulas venditari. Ne tamen ad populum phaleras loqui videar, universi tui operis specimen in una et altera pagina capitis septimi in hac epistola exhibeo, cum ne forte iis qui ne leviter quidem in ecclesiastica historia versati sunt, fucum facias, tum etiam ut adventoriæ loco te in Urbe conveniat; ne qui in amore erga te nemini cedo, amicorum tuorum, quorum centurias Romæ numeras, officiis superer. Etenim nulla inter amicos officia laudabiliora versantur, quam cum suas apud amicos querelas sine sequestro deponunt, animi arcana produnt, nihilque quod illorum rem attinet, celatum volunt: et si quandoque a benevolentia, humanitate, ac veritate deflectant, eosdem intra orbitas ponunt, et ad officium revocant. Hæc integro volumine præstabo, quod brevi extra Italiam (Florentini enim typographi variis libris libellisque imprimendis occupantur) nitidissimis characteribus excusum, ad te transmittam, quamvis tu Florentia transiens nullam mihi libelli tui legendi copiam facere volueris; cum tamen plurimi mea interesset noscere per te errores, quos fugerem, cernere veritatem, quam consectarer

In capite septimo prioris commentationis pro do-

ctrina Lerinensium a te ingeniosissime concinnatæ, pagina 51, veritus ne brevioris opusculi lectio fastidio proximior fieret, lepidam mihi de Albino quæstionem facturus, ex arce causæ ad exilia et ludicra quædam descendis, ut me universis deridendum exhibeas. *Sed ecce*, inquis, *ut molestum hoc opus lepore aliquo et sapore condiam, incido in locum Noris, in quo desidero grammaticam.* Quod autem hoc ipsum esset ex præcipuis quæ in tuo opere lectoribus observanda duceres, in indice scripsisti: *Noris imperitiæ grammaticæ arguitur.* Næ postquam ibidem in proxima pagina, ex sacris theologorum academiis, me ad chronologos amandasti, statim ad grammaticorum subsellia *ab Orbilio*, ut inquis, *castigandum* detrudis. Equidem lectores tanto abs te *lepore et sapore condita* scripta evolventes, cum Terentio repetent:

Facete, lepide, laute, nihil supra. O capitulum lepidissimum.
In Eun. III, 1, 3.

Ipse autem doctissimi æque ac sanctissimi Nolani antistitis ad Ausonium V. C. carmina tibi ingero:

Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos satyræ mordacis aceto,
Sæpe poetarum, nunquam decet esse parentum.

Non tua scripta lepore condis, mi pater, sed meam mihi cutem, non secus ac elephantinam, tam multo sale perfundis, ut cum me *amicissimum* ibidem voces, procul dubio habearis.

Magni delator amici.
Juven., *sat.* 1, 33

Iniquiori autem loco me tecum congredi jubes, dum ad grammaticam provocas, quæ tuum regnum est, in quo tibi plaudis ac triumphas. Etenim cum ego nondum mammam atque tatam loquerer, tu eloquentiæ magister publice Madriti rhetoricam profitebaris, cui a teneris unguiculis strenuam, atqve indefessam operam navaveras, non secus ac ille,

Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, et forcipibus, gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano ad rhetora misit.
Juven. *sat.* 10, 30.

Profecto nunquam ab *amicissimo* viro, qualem te contestaris, tantum meo tergo periculi timuissem, ut ab eodem contra me stringerentur Orbilii scuticæ,

Ferulæque triste, sceptra pædagogorum.
Mart., *lib.* X, 62.

Itane a meo Macedone, quem in editis voluminibus toties summis laudum præconiis extuli,

Discipulorum inter jubeor plorare cathedras?
Horat., *sat.* 10.

Libeat Augustini sententiam solidæ apologiæ loco tibi reponere lib. II contra Cresconium, cap. 1: *Si enim*, inquit, *Demosthenes clarissimus oratorum, cui verborum tanta fuit cura quanta rerum auctoribus nostris, cum tamen ei nonnullam orationis insolentiam objecisset Æschines, negavit ille in eo positas esse fortunas Græciæ, illone, an illo verbo usus fuerit et an huc, an illuc manus porrexerit: quanto minus nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando sive hoc, sive illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione sermonis, sed in demonstratione veritatis est major intentio.* Interim ne me timeas, *cui vides necessarium esse grammaticam.* Sed ne me tergiversari putes, grammaticorum scholam *ab Orbilio castigandus*, ut minitaris, ingredior.

Cum lib. I Hist. Pelagianæ, cap. 15, expenderem inscriptionem librorum S. Augustini de Gratia Christi, et de Peccato originali, nempe: *Sincerissimi fratres, dilecti a Deo, Albine, Piniane, et Melania*, non admisi correctionem Baronii, qui an. 409 pro *Albine* putavit *Albina* reponendum, *nisi*, addit ibidem, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius.* Etenim ea ætate feminarum nomina non semper feminina terminatione efferebantur. Paulæ filia neutræ terminationis cognomen habuit, nempe Eustochium. Imo mulierum nomina a sanctis Patribus cum terminatione masculina id temporis exprimi solita affirmavi. Ita *Albinam* junioris Melaniæ matrem passim *Albinus* in recto casu vocatam indicavi. Augustinus præter inscriptionem libri de Gratia Christi hunc titulum epistolæ 127 dedit: *Albino, Piniano et Melitano.* Ubi certum est legendum esse *Melaniæ.* Hieronymus epist. 79 ait: *Albinus, Pinianus, Melania salutant vos.* Possidius Calamensis in indice librorum S. doctoris Hipponensis scribit libros de Gratia Christi et Peccato originali missos *ad Pinianum, Albinum et Melaniam.* S. Paulinus epist. 44, quæ inter Augustinianas est 249, *Melanio* pro Melania posuit. Ita Patres, qui anno 400 florebant, Albinæ nobilissimæ feminæ nomen scripsere.

Mira, inquis (*pag.* 52), *certe ratio exponendi, nova et incognita antiquis Priscianis, et Donatis, et nuperis Despauteriis, et Nebrissis, quam nulla tempora tulerunt, ut libera esset nominum inflexio, et promiscue masculina et feminina declinarentur: atque adeo Albina pro Albino, et Melanius pro Melania poneretur.*

Rectius dixisses, *Albinus pro Albina, et Melanius pro Melania poneretur.* Sed hoc omisso, ad Donati, ad quod provocasti tribunal vador. Scribit lib. V de generibus: *Sunt præterea alia sono masculina, intellectu feminina, ut Eunuchus comœdia, Orestes tragœdia, Centaurus navis. Alia sono neutra, intellectu feminina, ut Phronesium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres sunt.* Itaque Donato judice, nomen desinens in *us*, alias masculinæ terminationis, si rei femininæ imponatur, retenta terminatione masculina, significationem femininam induit. Ita *Eunuchus* nomen est viri exsecti masculinæ terminationis et significationis, at si imponatur uni ex comœdiis Terentii, non mutata terminnatione, variata tamen significatione, fit generis feminini, et dicimus *lepidam Eunuchum* Terentii. Ægyptus femininæ significationis nomen est; at si viro cuipiam id nominis imponatur, masculini generis evadit. Horum ratio est, quia terminatio in *us* est tantum materia et substratum nominis; sola autem significatio, Donato magistro, sortitur rationem for-

ppello testem omni exceptione majorem Vos- A
ui lib. III Grammat., lib. I de analogia, cap.
lato prius Quintiliani testimonio, ait : *Voluit*
abius parem esse rationem in Muræna et Gly-
eoque ut virile est Muræna PROPTER SIGNIFICA-
etsi terminatio aliud requirere videatur : ita
m esse muliebre, licet sit neutralis terminatio.
icet hoc cognomen *Albinus* sit terminationis
næ, eo ipso quod feminæ imponatur, quo-
apse a tot Patribus impositum fuit, signifi-
m femininam subit, quæ optime cum termi-
masculina cohæret. Equidem, mi dulcissime
, Heribertus Rosweydus hisce tuis scrupulis
gebatur, cum in præfatione ad lib. VIII de Vi-
rum, num. 6, hæc notavit : *Proba Baronii*
io ; sed non necesse Albinam pro Albino resti-
CONSTAT *enim illo sæculo feminarum nomina*
asculinis terminationibus quandoque elata. Sic
na nunc Melanius, *nunc* Melanium *apud vete-*
urrit. Hoc ipsum postea etiam confirmavit in
d epistolam 44 S. Paulini, ubi ait : MELANIO :
it ipsam Melaniam, quæ nunc Melania, *nunc*
us, nunc Melanium *dicta. Ita videtur capiendus*
inus epistola 227 : Carissimis fratribus Albino,
o et Melanio : *Ita lego pro Meliano. Intelligit*
m et Melaniam, cum apud Alypium episcopum
e in Africa versarentur. Viden' ut totus meus
sweydus ? quem sane ante oculos habui, cum
iberem, et Baronii correctionem non admitte-
Tu vero inquis (pag. 35) : *A Grammaticis No-* C
entit ab Orbilio castigandus, nec Baronio timen-
tem obiter pungere voluit, et ego vindicare. Quid,
cum Rosweydo ages? Memento hunc illum
uem pag. 150 *auctorem eruditissimum et ele-*
mum nuncupasti ; in indice scribis : *Roswey-*
uctor elegantissimus. An forte, ne mihi plagas
es, una mecum Rosweydum ab Orbilio casti-
m dices ? Cave tibi a tot ferulis quas docti
ydi sodales in scholis stringunt. Vel *elegantis-*
tulum expunge, si in homine quoque quemad-
n in me, grammaticam desideras. Vel si teme-
id proximum judicas, me quoque, qui Ros-
verbis locutus sum, Orbilii ferulis exime. Hoc
n scias mihi decretum esse, malle cum Ros-
vapulare, quam grammaticas Macedonis re- D
discere. Falleris tamen, si unum a me tibi He-
m opponi putas. Habeo plures tum veteres,
ecentes, tum Græcos, tum Latinos scriptores,
s pro me loquentibus, tu ne hiscere quidem au-
sed mirere tantum, et forsitan doleas ; neque

rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
JUVEN. *sat.* 3, 228.

mplum, inquis *(pag.* 52), *Eustochii ab re est,*
Eustochium fuerit nomen proprium virginis Pau-
æ, quæ Eustochia dici non potuit, cum Eusto-
deberet, quemadmodum nec Glycerium apud
ium in Andria Glyceria vocari potuit : erant
certa nomina terminata in um, *quæ tum viro-*
rum tum feminarum propria erant : puta Dynacium,
Pegnium virorum ; Eustochium, Glycerium feminarum.
Non erat igitur libera nec promiscua illa declinatio,
sed necessaria grammatices constructio.

Memento te in grammaticorum schola versari a quibus vapularent discipuli qui Eustochium *nomen* proprium virginis dicerent, erat enim cognomem filiæ Toxotii et Paulæ ; illius autem nomen Julia erat. Scribit Hieronymus de D. Paula epist. 27 : *Juncta est Toxotio, qui Æneæ et Juliorum altissimum sanguinem trahit, unde etiam filia ejus virgo Eustochium Julia nuncupatur.* Ex quibus corrigo *Glandorpium*, qui Toxotios Juniis accensuit in Onomastico. Quod etiam ex Capitolino in juniori Maximino patet. *Desponsata*, inquit, *illi erat Julia Fadilla proneptis An-* B *tonini, quam postea accepit Toxotius ejusdem familiæ senator.* Errat autem Gruterus, qui *Juniam Fadillam* legit. Sed de his alias ; neque enim te, qui nomen virginis pro cognomine posuisti, Orbilii ferulæ subjiciam ; non sum erga amicum tam rigidus in grammatica censor qualem te erga me profiteris. Notat Chiffletius pag. 45 notarum in epistolas Paulini Nolani in editis voluminibus in calce epistolæ ad Pammachium *Eustochium* legi, *cum alioquin*, inquit, *Eustochia scribatur in mss. Puteano et Viennensi.* Codicem vero Puteanum vocat pag. 8, *perquam antiquum et optimæ notæ.* Transeo ad Glycerium Terentii ; video enim te parum veterum monimenta callere, et præsertim Prisciani, quem alterum contra me judicem. seu testem appellas. Notat Priscianus nomina feminarum desinentia in *um* figurate, non vero proprie sic elata. Do ejusdem verba ex lib. VI : *Inveniuntur tamen*, inquit, *apud comicos multa hujuscemodi Græcorum nomina quibus articulos feminini generis necessario significationis gratia præponere solent*, ἡ Δόρκιον *hæc Dorcium*, ἡ Γλυκέριον *hæc Glycerium* ; *hoc autem solet fieri adulationis causa, sive diminutionis ætatis.* Idem lib. V scribit nomina feminarum desinere in UM *figurate, ut Glycerium mea, Dorcium et Philotium.* Quare si Clyceria per imitationem tantum Græcorum a Latinis Glycerium dici potuit proprie et recte, hoc est Latine loquendo, Glyceria, non Glycerium dici debuit. Quid ergo ais : *Nec Glycerium Glyceria vocari potuit* ? Imo passim apud Latinos illius nominis feminam *Glyceram* appellatam video. Martialis lib. II, epigr. 41, ait :

Respondit Glyceræ dolere dentes.

Horatius lib. I, ode 19 :

Urit me Glyceræ nitor,
Splendentis Pario marmore purior,

Ode 30 :

O Venus, regina Gnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.

Idipsum ex pluribus inscriptionibus apparet. Unam et alteram subjiciam. Romæ ad D. Clementis :

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIÆ. DOMITILLÆ IMP. CÆSARIS.... ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERÆ. I. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISO. EORVM

Altera apud Gruterum pag. MVIII. 6.

D. M.
FLAVIO. SEVERO
FILIO. KARISSIMO
QUI. VIXIT. ANN. VI. M. V.
FLAVIUS. VITALIS. EVOK. ET
GLYCERA. PARENTES
INFELICISSIMI.

Ex his intelligis nomen *Glyceræ* familiare Latinis fuisse. Unde et in fastis Romanæ Ecclesiæ ad diem 13 Maii leges: *Heracleæ S. Glyceriæ martyris*. Imo non modo apud Latinos, verum etiam apud Græcos Glyceriam, seu Glyceram legimus. Laudatur a Simocatta lib. I et VIII de rebus Mauricii imperatoris cultus Γλυκερίας τῆς μάρτυρος, *Glyceriæ martyris*. Athenæus lib. XIII inter famosas mulieres recenset τὴν Γλυκέραν, *Glyceram*, quam ab Harpalo Athenas accitam scribit. Lucianus de Rhetorum præcept. cum Thaide, et Malthace Γλυκέραν, *Glyceram*, nominat. Notabat autem laudatus Priscianus lib. VI Glyceram feminam per quamdam adulationem (ipse dicerem festivitatem) neutrali nominis terminatione expressam. Ita Athenæus ibidem ex Machone poeta hæc carmina recitat:

Glycerium, quam ab amatore acceperat
Corinthio, æstivam vestem statim
Fulloni tradidit.

Lucianus etiam in dialogis meretricum Γλυκέριον *Glycerium* nominat. Et quidem meretrices a Plauto in Græca terminatione efferuntur, Ita appellantur *Silenium* et *Gymnasium* in Cistellaria; *Philocomasium* et *Acroteleutium* in Milite; *Phœnicium* in Pseudolo, etc. Ita etiam scortorum nomina exhibet Aristænetus lib. I, epist. 14 et 24; lib. II, epist. 13. Vide, mi Macedo, quales libros tua illa censura historiæ ecclesiasticæ professorem appellare cogat!

Sed, uti es acuto et subtili ingenio, repones mulierem quæ apud Terentium *Glycerium* dicitur, nunquam Glyceram potuisse nuncupari, sicuti nec quæ Glycera nominabatur, Glycerium in recto casu dici potuisse. Sed parum hocce te effugium juvat. Relege memoratos dialogos Luciani: videbis uni illorum ab auctore titulum dari ΓΛΥΚΕΡΑ ΚΑΙ ΘΑΙΣ, *Glycera et Thais*; at in dialogo scribitur Γλυκέριον, *Glycerium*. Ita legitur in editis codicibus, et in duobus mss. serenissimi Magni Ducis in pluteo 57. Atque ita omnino interpretantur viri doctissimi Jacobus Micyllus, et Joannes Benedictus, in titulo: *Glycera et Thais*, in textus *Glycerium* vertentes, Magnus Baronius in notis ad diem 13 Maii. lit. C ait *Gylceriæ, sive Glycerii*. Idem in Annalibus, an. 175, *Glyceriam* martyrem laudat, quæ in ejusdem tomi indice *Glycerium* dicitur. Redeo ad Glycerium Terentii. Scis Andriam Terentii esse Menandri comœdiam, quam ille Latio se donasse testatur in prologo.

Menander fecit Andriam et Perinthiam.

At Glyceram meretricem dilectam a *Menandro* Athenæus lib. XIII testatur: *Glyceram amatam Menandro norunt omnes*. Græce Γλυκέραν leges. Quare Menander amasiam fabulæ inseruit, quemadm noster Maro suum Alexin in secunda ecloga ca Et quamvis malo Græcæ poesis fato Menandri diæ interierint, palam fit ex interpretatione T *Glycerium* in Græca fabula appellatam quam næus *Glyceram* nominavit. Quid ergo scribis *Glyceriam apud Terentium in Andria Glyceria potuit*? Claudat agmen vir utriusque idiomati tissimus Gentianus Hervetus, cujus eruditas int tationes poteris per otium legere apud Posse Hic primus Lausiacam historiam Palladii e Helenopolitani Latinis auribus donavit. Porro cap. 86: *Illic* Evagrius *excipitur a beata M* Postea: *Dicit ei beata Melanium*. Idem cap. 97 *aliquando Melanium junior magnæ Melaniæ ne qua dicam postea, misit quingentos nummos*. D cap. 118: *Cum autem, inquit, suam quoque Melanium*, etc. Quod tu *non licere usurpar* Hervetus non tantum semel, sed iterum, ac usurpavit, eamdem feminam Melanium, et Mel promiscue nuncupans, cum tamen in textu Palladii nunquam Melanium inveniatur, sed fe terminatione idem mulieris nomen semper eff At tu Herveto eruditior scribis: *Non erat liber promiscua illa declinatio, sed necessaria gramm constructio*. Audebisne tantis scriptoribus oppe Itane Martialem, Horatium, Lucianum, Athe et interpretes Micyllum, et Benedictum, Her Rosweydum, et si superis placet, magnum Bar *ab Orbilio castigandos* pronuntiabis, et *imperitiæ maticæ* accusabis? Expunge potius præcipitem illam censuram, a qua, si melius veterum lustrasses, non dubito quin abstinuisses, ne in alienæ grammaticæ castigator haberere. Si roges cur Patres quos initio laudavi, pro *All Melania* posuerint *Albinum* et *Melanium*? doc Rosweydus in notis ad epistolam 44 S. Paulini, verba non laudo, quod velim bibas ex font vides, jam sentis, amice, tuam illam censuram, veluti insigne tui operis documentum in inc exarasti: *Noris imperitiæ grammaticæ arguit* testimoniorum pondere elisam jacere. Ne tam humanus censear, sepulcrale eidem saxum in addito epitaphio quo justa illius oppressio unc characteribus exprimatur. Ex Gruterianis illud exporto:

SATVRNINVS
SEVERI. V. F. SIBI
ET RAMO. VRSVLAE
CON. KARISSIMAE
ACCEPTO F. ANN. VIII.
MASCVLO F. ANN. XIII.

Legent posteri post Josephum Scaligerum indicis Gruteriani, RAMVS VRSVLA. Verun saxo durior in semel concepta crisi perduras, calamo, excisorium scalprum et malleolum s ac pro RAMO incidas RAMAE, ut vel silente tuorum manes e sepulcrali lapide tuam in gram

ntiam loquantur, et ne usquam gentium mu-
omen masculina terminatione elatum fuisse
ir.

io tamen iterum me in arenam abs te provo-
d *mittamus*, inquis (*pag.* 5), *hæc exilia quam-
non contemnenda, ne videamur in titivilitio
ri.* Utinam quæ præ exilitate mittis omisisses,
o securius encyclopædiæ tuæ, cujus te non
specimen edidisse in præfatione subindicas,
isses. Exilia vocas quæ *nihil* rectius dixisses.
mihi gaudeo, utinam et tibi gratulari possem
logomachiæ tandem impositum. Pergis : *Exa-
s personas quibus opus illud suum Augustinus
it, et uter nostrum melius sentiat experiamur
tio est* : *Albine, Piniane et Melania.* Itaque a
atica ad historiam provocas. Cave tamen ne,
grammatica non bonus corrector fuisti, malus
oria scriptor habearis. Equidem libentius in
arum campo quam intra grammatices cancellos
certabo ; nam ubi tu phaleratam orationis co-
et Tulliano ore crepantes periodos consectaris,
pano potius quam gladio pugnes ; ego rebus
is, servio factis, rerum gestarum notitiam in
ioris ætatis ruderibus sepultam indago, ut si
rmonis, veritatis tamen curam quam maximam
. Agedum, quid sentias de personis quibus li-
le Gratia Christi S. doctor nuncupavit, expone.
idem, inquis (*pag.* 52), *initio haud probabam*
Albine *significari filium Piniani, ne præpone-
lius parentibus.*

alladii historiam legisses, nunquam de filio
i cogitasses ; nam idem cap. 119 hæc scribit :
*elania suscepisset filios duos, et utrique defuncti
venit ad tantum pro Christi nomine odium nup-
, ut hoc Piniano marito suo Severi expræfecti filio
*, etc. Itaque Pinianus filios amiserat antequam
ia discederet, et castitatis propositum una cum
Melania induerat. Scriptor vitæ S. Melaniæ
Surium die 31 Decembris, narrat Melaniam
feminam peperisse, postea filium. *Atque*, ait,
*atum quidem fuerat, erat masculinum, simul
autem natum, et sancto baptismo fuit regenera-
ab hoc mundo discedens, ad eum qui illic est
ittitur.* Progrederis (*Ibid.*):
ebat aut mutari nomen Albine *in* Albina, *uti
ronius, ut sit Albina socrus, aut retineri* Albi-
*ro socero aut avo unius duorum Piniani et Mela-
t hoc arridebat magis.*
ostremum, quod ridiculum esset, arridebat
Hoc ut clarius intelligas, et tuas hasce phan-
me magistro exuas, scito Melaniæ senioris
Albinam nobilissimam feminam desponsasse,
a Melaniam juniorem Piniani postea conjugem
it. Hæc tradit Palladius Melaniæ senioris ami-
cap. 10 Lausiacæ, et Melaniæ, ac Piniani in
ospes, cum in causa S. Joannis Chrysostomi
s Romam venit, ut idem testatur cap. 121. Hæc
ir laudatus scriptor cap. 118 : *Cum autem
a senior suam quoque neptem Melanium* (ita Hervetus interpretatur, noli de nomine profligatam litem restaurare) *una cum ejus marito Piniano, et catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem filii sui, et persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit.* Itaque avus junioris Melaniæ erat maritus Melaniæ senioris. At certum est conjugem Melaniæ senioris non fuisse in vivis anno 375. Audi Hieronymum epist. 24 : *Sancta Melania calenti adhuc mariti corpusculo et nedum humato, duos simul perdidit filios.* Postea : *Quinimo qua illos mente contempserit, in unico postea filio probat, cui omni quam habebat possessione concessa, ingruente jam hieme, Jerosolymam navigavit.* Idem vero Hieronymus in Chronico ad annum decimum Valentis imperatoris scribit : *Melania nobilissima mulierum Romanarum et Marcellini quondam consulis filia, unico prætori tunc urbano filio derelicto, Jerosolymam navigavit.* Anno epochæ Christianæ 373 a 28 Martii ex Ammiano Marcellino lib. XXVI, pag. 315, edit. Valesii V. D., decimus Valentis annus labebatur. Tu vero, mi Macedo, maritum Melaniæ senioris, et alterius avum superstitem facis anno 418, quo S. Augustinus scripsit librum de Gratia Christi; nam Albinum avum Melaniæ junioris imaginaris, cui S. doctor laudatum volumen nuncupavit. Palladius cap. 117 hæc ait: *Inter quas erat etiam beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli consularis, uxor cujusdam viri qui erat in magna auctoritate, cujus nominis non recte memini.* Profecto prodigio propius est Palladium utriusque Melaniæ amicissimum, ac nobilissimæ familiæ clientem oblitum fuisse nominis mariti Melaniæ, illud vero a te post duodecim et amplius sæcula prodi ; quod, nempe, Albinus diceretur. Sed nec recte asseri potest Albinus avus Piniani ; nam circa annum 400, ut ostendam, Pinianus et Melania castitatis propositum susceperunt, magnam paternorum bonorum partem in pauperes erogantes. Quod cum Severus Piniani frater intellexisset, ac locupletissimo patrimonio familiam Piniani pietate privatam doleret, *insano dæmonis instinctu*, inquit auctor vitæ S. Melaniæ, *inspiratus, aggressus est fratrem molestia afficere, agros avellens, fructus abripiens, omnibus modis insultans, et vim afferens.* Idem nequissimis Piniani *servis persuasit, ut non solum seipsos, sed eos quoque agros in quibus habitabant, Severi esse dicerent, et eos ejus nominarent.* Ex quibus patet non modo avum, verum etiam patrem Piniani id temporis non vixisse, cum Severus Piniani fratris bona per vim occupare tentaret, et Pinianus agros et servos distraheret, antequam in Africam navigaret. An bona quædam castrensia uni tibi nota obtrudes ?

Quod autem existimas Albinum fuisse saltem *socerum unius duorum*, eadem facilitate refellitur. Etenim socer Melaniæ vocabatur Severus. Id diserte legisses in libro memorato Palladii Helenopolitani episcopi cap. 119, ubi ait : *Cum Melania suscepisset filios duos, et utrique defuncti essent, venit ad tantum pro Christi nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito suo Severi expræfecti filio diceret.* Audin'ut

Severus fuerit socer Melaniæ, non vero tuus ille Albinus ? Sed nec dici potest socer Piniani, nam pater Melaniæ junioris Publicola dicebatur, quod discere poteras ex notis viri eruditissimi Petri Fr. Chiffletii in Paulini epistolas part. 1, cap. 24, et rursus part. 2, cap. 26 et 34. Mirari lubet undenam *tantam*, ut Hieronymi verbis utar, *habeas mutandoram nominum potestatem*, ut Severo et Publicolæ Albini nomen imponas ? *Hoc*, inquis, *arridebat magis*. Querebar de te quod cap. 2, pag. 64, tuæ apologiæ me *Pyrgopolynicen* dixisses ; sed in posterum querelas compescam, cum te videam tam eruditum nomenclatorem. Nondum tamen illud agnomen demerui, scis enim ex Plauto Pyrgopolynici dictum : *sexaginta Macedones una die occidisti*. Cum integrum tuum volumen confutavero, ac te unum Macedonem dejecero, tunc, ut libet, ut lubet, me Pyrgopolynicem nuncupato. Addis (*pah.* 53) :

Baronius mutat Albine *in* Albina, *et mendum putat*; *non tamen improbat* Albine *pro filio Albinæ, ut sit sensus* Albine *vir. Noris ait* Albine *retinendum, eoque nomine significari feminam pro illius ætatis licentia ob rationem proxime adductam. Ego contra sentio omnino legendum* Albine *masculini generis*. Ubi, ubi, amice, Baronii defensio, quam in titulo capitis promiseras (*pag.* 47) ? *Vindicatur ab ejus nota Baronius*. Peream, si semel promissam toties in hoc tuo opere Baronio defensionem commodasti. Toto, ut aiunt, ostio ab eo aberras, cum te ejusdem sectatorem publicas. Hæc ad oculum demonstro in apologia quam procudo. Baronius scribit mendum in vocem *Albine* irrepsisse, cum Albina Melaniæ mater dicenda sit. Ego quod personam attinet Baronio consentio, nego tamen mendum irrepsisse, cum utramque nominis terminationem Albina subire potuerit. At tu contendis *Albine* legendum, et hunc virum putas, qui fuerit aut avunculus, aut pater, aut socer, aut patruus Piniani. Hoccine est *Baronium* a *Noris* nota vindicare ? De unica tantum littera cum Baronio quæstionem habeo, nempe quod Albina mater Melaniæ in casu vocativo *Albine* ob illius ætatis licentiam appellata fuerit. Tu sexum omnino mutas, et quam Baronius feminam recte dixit, tu masculum facis ; imo ubi ille de filio Albinæ suspicatur, tu Albinum non cognatum Piniani cum Baronio, sed avum, aut patrem, aut avunculum ejusdem imaginaris. I nunc, et temet Baronii advocatum vendita, cum eidem quam maxime adversere. Quid in mente habebas cum hanc egregiam tuam Baronii defensionem litteris mandabas ? Procedis (*pag.* 54) :

Id elicio ex verbis Augustini ; *quippe ait* : Sincerissimi fratres, dilecti a Deo Albine, Piniane, et Melania, *quod nomen* fratres *significat majorem partem masculos esse, et epitheta confirmant*, sincerissimi, dilecti.

Vereor ne Therasiam quoque S. Paulini uxorem in virum mutes ; nam in titulo epistolæ 34 S. Augustini hæc leguntur : *Dominis dilectissimis et sincerissimis, vere beatissimis atque abundantissima Dei gratia fratribus Paulino et Therasiæ*. Et in medio epistolæ : *Sancti fratres, et dilecti Deo*. In calce vero : *Domini dilectissimi, sincerissimi, vere benigni et abundantissima Domini gratia præstantissimi fratres*. Ubi vides titulum utrumque conjugem appellare, licet genus nominum a digniori desumatur. Ita unus Pinianus, quod genus attinet, illa epitheta regit, licet una simul socrus, et uxor designentur. Addis (*Ibid.*) :

Quis autem esset ille Albinus, latet. Hic Rhodus, hic saltus ; hoc opus, hic labor est, o Macedo. Dixeras in titulo hujusce tui capitis septimi : *Qui fuerit Albinus, Pinianus, et Melania, exponitur*. De Piniano et Melania hoc tantum dicis, fuisse conjuges, ac præterea nihil. Albini nomen utramque paginam implet. Adesdum : expone quis fuerit. Respondes : *latet*. Ad jus tituli te, velis nolis, voco. Obligatam fidem imple, ne magni hiatus, ut ait Horatius, promissor dicare. Memento te dixisse : *Qui fuerit Albinus exponitur*. Si latet, te judice, non exponitur. Nihilne tibi suggerit, quam in præfatione jactas, Encyclopædia ? Liceat ex Trinummo Plauti reponere :

Vide homo ut hominem noveris !

Ego tamen, inquis, *existimo fuisse aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum Piniani, ut sit major natu, et propter ætatem primas vindicet*. Ita putasii repetito quater *aut, aut*, compendio Albinum tuum illum virum exposuisse ; illa enim disjunctione tanquam Ariadneo filo usus ex intricato Albinianæ genealogiæ labyrintho evasisti. Heu quantis, amice, erroribus implicaris ! Non fuit Albinus Piniani pater, nam ex Lausiaca historia, cujus verba superius dedi ex cap. 119, pater Piniani dicebatur *Severus exprefectus*. Exstant rescripta trium Augustorum ad Severum præfectum Urbi in cod. Theod. lege un. *de mendicantibus*, et lege 2 *de lucris officiornm* data Antonio et Syagrio cons., nempe anno 382. Pinianus autem Severi filius anno 397, quo Melania avia uxoris Piniani Siricio pontifice, ex Hieronymo in apologia 2 contra Rufinum, cum hoc ipso ex Palæstina Romam venit, junctus erat Melaniæ juniori, teste Palladio cap. 118.

Sed nec *socerum* Piniani fuisse evidenter demonstro. S. Augustinus lib. II Retract., cap. 50, hæc scribit : *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ Romanæ prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato Originali*. Porro Augustinus hosce libros nuncupavit Albino, Piniano et Melaniæ, et capite primo statim apparet. Innocentius hæresin Pelagii damnavit anno 416, ut patet ex ejusdem litteris datis ad Patres synodi Milevitanæ VI kal. Februarias, Honorio Aug. et Constantio V. C. conss. Zosimus anno 418 eosdem hæreticos repetita sententia proscripsit. Quare duo illi libri quos Albino, Piniano ac Melaniæ S. doctor inscripsit, anno eodem 418 editi sunt. At filius Melaniæ senioris socer Piniani abhinc annos viginti e vita discesserat. Scio Baronium ad annum 409 Chif-

vero part. 2, not. in epist. Paulini cap. 34 et A festa peragerent. Tempus vero navigationis Possidii
no 416 ejusdem obitum recitare. Verum evi- ex altera Augustini ad Nectarium epistola 254 colli-
utriusque metachronismos refello. Scriptor gitur, ubi ait : *Nam ego rescripscram, cum adhuc no-*
Melaniæ narrat eamdem anno ætatis decimo *biscum esset, neque navigasset sanctus frater et coepi-*
junctam fuisse Piniano, et cum duos filios *scopus meus Possidius. Has autem quas mei causa illi*
set, simulque amisisset, de vita cælibe serio *dignatus es reddere, accepi* VI *cal. Aprilis post menses*
se ; verum a patre prohibitam ne pium illud *ferme octo quam scripseram.* Itaque Possidius anno
itum exsequeretur. Postea ait : *Eis quidem e* 399 ineunte Augusto nondum in Italiam transmiserat,
cedit Melaniæ pater. Quo quidem defuncto, qui tamen anno 400 ante VI cal. Aprilis in Africam
a una cum Piniano, thori societate dimissa, redierat, cum ante illud tempus Nectarius Calamen-
tum dudum castæ vitæ propositum exsecuta sis eidem S. Augustini litteras tradiderit. Imo si exa-
diatur laudatus auctor. *Illi autem cum amotus* ctius rem velis investigare, notes, precor, Paulinum
qui prohibebat, quando Deo visum est, et tem- in laudata epistola 44, in qua de obitu soceri Piniani
cabat, statim quidem exeunt e magna civitate, ac constantia matris Melaniæ cum laude loquitur,
in multitudinem et tumultus valere jubentes. Erat scribere se circa diem festum apostolorum Petri et
soris Piniano ætas viginti quatuor annorum, Me- B Pauli litteras Augustini accepisse a Victore diacono,
lutem viginti. Palladius etiam capite 119 de qui aliquandiu Romæ antea moratus, non curaverat
scribit : *Vincesimo ergo suæ ætatis anno mundo* citius easdem ad se in Campaniam transmittere. Quid
lat. Quare Pinianus superstite socero sex tan- vero in illa epistola Augustinus scripserit, attende.
nis cum uxore Melania vixit. Idem vero Pal- *Docuisti me*, inquit, *in spiritu veritatis salutare mode-*
de Melania seniori scribens cap. 118, ait : *randi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo*
itaque post annis, cum de neptis statu audisset, *et illam beatam matrem, et aviam Melaniam flevisse*
nupsisse, et velle sæculo renuntiare : verita ne *carnalem obitum unici filii, taciturno quidem fletu, non*
aliquam abriperentur doctrinam, vel hæresim, *tamen sicco a maternis lacrymis dolore vidisti.* Ex his
lam vitam, anus 60 *annos nata navem ascendit,* colligas socerum Piniani, filium Melaniæ senioris, et
rea navigans viginti dierum spatio Romam venit. junioris patrem, obiisse ante Maium an. 399, cum
m in Italiam una cum Rufino adventum, ejus- Paulinus constantiam matris in morte filii ex litteris
mam iter fusius describit in epistola 10 ad Se- Augustini intellexerat circa festum Apostolorum, ut
S. Paulinus, apud quem illa in Campania ho- testatur in epistola 44, cui alteram, quæ est 250, re-
est. Cum vero vivente Siricio Melania et Rufi- C posuit Augustinus, degente in Italia Possidio, qui post
mam advenerint, ut testatur Hieronymus cum Julium ejusdem anni, ex epist. 254, ex Africa ad co-
logia secunda, tum in epistola 16, quæ epita- mitatum navigaverat. Hæc fusius dixi, non quod tanti
Marcellæ inscribitur, palam fit anno 397, qui fuerit tuas de Albino socero Piniani imaginationes
mus Siricio fuit, Pinianum junctum fuisse Me- refellere, sed ut epistolarum sanctorum Paulini et
juniori, neque posse patris ejusdem et soceri Augustini tempus innotesceret, cum Baronius et Chif-
i obitum protrahi vel cum Baronio ad annum flelius alieno prorsus tempore easdem recitent. Vide
el cum Chiffletio in annum 416, cum superstite quanti faciam tuam illam plane frigidam admonitio-
sex tantum annos cum uxore Pinianus vixerit. nem pag. 287, in fine operis contra Lupum : *Norit*
de obitu soceri ejusdem insignis epistola 44 S. *Noris, cum a principe ecclesiasticæ historiæ recedit, a*
i, quæ inter Augustinianas est 249 ad S. Au- *vero recedere.* Baronium et veneror, et nocturna diur-
num, cui S. doctor in sequentem epistolam 250 naque manu illius dignissimos cedro Annales evolvo ;
it, ex qua annus obitus filii Melaniæ senioris, haud tamen ita viro deditus sum, ut eumdem veritati
niani socer fuit, clare mihi deducitur. Hæc ibi præferendum ducam. Sed de his plura habebis in
tur : *Proinde ad istam lætitiam, quæ vobiscum* D apologia. Utinam tu, qui antiquos fontes, unde plu-
ter Possidius, cum ex ipso audieritis, quam tri- rimarum rerum ad Albinum, Pinianum ac Melaniam
m causa compulerit, hoc me verissime cognoscetis, spectantium, notitiam haurire poteras, inquirere ne-
ristis vero causa quæ Possidium episcopum ad glexisti, deductos saltem inde Baronii rivos adiisses !
ndum in Italiam compulit, traditur ab eodem Sane didicisses socerum Piniani anno 409 obiisse, vel
stino epist. 202 ad Nectarium. Etenim gentiles eo ipso anno illius obitum a magno annalista reci-
æ in Numidia, cujus sacris Possidius præerat, tari, neque eumdem anno 418 superstitem cogitasses.
tumultu, lapidibus dein facibus ecclesiam Chri- Itaque errati duplicis convictus es, qui Albinum pu-
rum evertere conati, ipsum Possidium episco- tasti Piniani patrem, aut socerum. Addis *aut patruum.*
ad necem quæsiverant. Quod facinus scribit Hic me veterum monimenta deficiunt. Interim ex
stinus perpetratum adversus *recentissimas leges* Trinummo Plauti responsum accipe.
a paganos ab imperatoribus Arcadio et Honorio Neque novi ; neque natus necne is fuerit, id solide scio.
in Africa XIV cal. Aprilis, Manlio Theodoro Denique concludis : *aut avunculum.* Superius scri-
nempe anno 399, ut idem testatur lib. XVIII de pseras pag. 52, posse *retineri Albinum pro socero vel*
Dei, cap. 54. In eadem vero epistola ait tumul- *avo unius duorum Piniani et Melaniæ : et hoc arridebat*
m a gentilibus *calendis Juniis*, dum illi Floralia *magis.* Risum, amice, teneas, qui modo Albinum non

avum, sed *avunculam* Piniani existimas. Videris velle universam Piniani cognationem et affinitatem comprehendere, dum scribis Albinum fuisse ejusdem *aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum.* Quæso te, cur avum omisisti, de quo tamen modo cogitaveras? Cur tam cito avus in avunculum transmigravit? Pudet me bonas horas tuis hisce phantasiis refellendis insumere.

Horum autem omnium rationem reddis. *Ut sit major natu, et propter ætatem primas vindicet.* Rem non intelligis. Ideo Augustinus in laudata inscriptione Albinum priori loco nominavit, non quod vir ille esset major natu aliis duobus, sed quia cum ille tres litteras communes pro Pelagio, quocum erant in Palæstina, ad Augustinum in Africam exarassent, Pinianus socrui Albinæ ob ætatis prærogativam, et quod filii loco ab eadem amabatur, unde S. doctor epist. 225 eamdem Albinæ *filium* dicit, priorem in subscriptione litterarum locum honoris et reverentiæ gratia detulit. Hinc illis respondens S. Augustinus, eumdem in inscriptione ordinem servatum voluit quem in inscriptione eorumdem notaverat. Ita, teste S. Possidio, in indiculo epistolarum S. Patris, hanc inter cæteras inscriptionem ponit : *Albinæ, Piniano et Melaniæ;* ubi socrus ante generum nominatur. Hinc observes Augustinum ejusque coætaneos Patres, Possidium ac Prosperum, quoties memoratos libros appellare opus fuit, vel nomina feminarum Albinæ et Melaniæ omisisse, vel Pinianum feminis præposuisse. Audi nostrum S. doctorem *in quo* gloriaris pag. 287 *habitare,* lib. IV contra Jul. cap. 8 : *In novissimis enim partibus primi libri mei ad S. Pinianum, cujus est titulus de Gratia Dei contra Pelagium.* S. Possidius episcopus Calamensis, in catalogo librorum Augustinensium ait : *Contra Pelagium et Cœlestium de Gratia Christi et Peccato originali libri duo ad Pinianum, Albinum et Melaniam.* Videsne hic Pinianum feminæ Albinæ anteponi, non ob ætatis privilegium, sed ob dignitatem sexus? Vocat illam *Albinum,* non *Albinam,* ut jam satis superque intelligas nullo jure tantum grammaticorum pulverem abs te in virum amicissimum excitatum. S. Prosper in fine operis contra Collatorem recensens plerosque libros Augustini, inter eosdem nominat *ad S. Pinianum duos.* Fatere in illa inscriptione non virum Albinum, quem fingis, sed Albinam socrum ob ætatis privilegium priores partes tulisse, cum alias ob sexus dignitatem vel unus, vel priori saltem loco Pinianus gener collocaretur.

Addo, inquis (*pag.* 54), *Augustinum epistola* 227 *scribere Albino, Piniano, Meliano, qui videntur esse iidem quos nominavimus, nisi in* Melanio *mendum sit, ac legendum sit* Melaniæ. *Itaque mihi pene persuasum est Albinum esse retinendum, ut virum significet.* Si Possidii indiculum legisses, hanc tuam de masculo Albino opinionem deposuisses. Ita illius epistolæ titulum ibidem recitat : *Albinæ, Piniano et Melaniæ.* Eamdem mulierem Albinum vocat Augustinus, Albinam ejusdem collega Possidius nuncupat. Si audivisses Scriptorem vitæ S. Melaniæ; nunquam eidem Albinum virum socrum apud Africam posuisses. *Cumque,* inquit, *Melaniæ ita visum esset, mare eam suscepit, cum simul adesset mater,* nempe Albina *et Pinianus.* Anno 410, Albina socrus cum filia et genero erant in Sicilia, quo tempore Alaricus Calabros vastabat. Rufinus in præfatione ad Homilias Origenis super Numeros, quem suo auctori restituit vir omni præconio major Emericus Bigotius, ac Henrico Valesio V. C. communicavit, hæc ait : *Quamvis amantissimus filius noster Pinianus, cujus religiosum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat et alia.* Ibidem vero injectas Rhegio oppido faces *angustissimo freto* e Siciliæ littore se prospectasse testatur. At mortuo paulo post Rufino, Albina, Pinianus, et Melania, se ad Alypium Tagastam contulere; quorum adventu intellecto, scripsit ad eosdem Augustinus non posse se Hippone discedere, hiemis rigorem causatus. Cum vero septem in Africa annos degissent, in Palæstinam transmiserunt, ut constat ex actis S. Melaniæ; inde litteras pro Pelagio anno 418 ad Augustinum scripserunt, quibus duos doctissimos libros sanctissimus Pater reposuit.

Laudaveram S. Paulini epistolam inter Augustinianas 249, in qua *Melanio* pro *Melania* scribitur. Ejus verba sunt : *Sed cesso plura de memoria tam dilecti mihi quam devoti Christo hominis enarrare, cum et pristinis litteris non pauca super eo narrasse me repetam, et nihil possim de beata hujus filii matre, et sanctorum patre radice ramorum Melanio melius aut sanctius prædicare, quam sanctitas tua in eam profari et disputare dignata est.* Hæc verba minus mihi intellecta scribis. *Fefellit,* inquit, *illum quod putavit illud* Melanio *Melaniæ esse attribuendum, et unam hic tantum personam significari.* Postea : *Verum quæ hic personæ nominantur, mater et filius : Melania et Melanius.* De beata, *inquit,* matre *ecce una* : et sanctorum patre radice ramorum : *ecce altera, id est Melanius.* Si Rosweydi *eruditissimi et elegantissimi* notas in laudatam epistolam legisses, textus mendum, quod te fefellit, adnotasses. Scribit vir insignis pag. 887 : *Antecedentia et consequentia docent legendum, sanctorum* PARITER *radice ramorum Melania; nusquam enim alibi mentio Melanii patris. At de Melania, et ante locutus erat, et continuo subjicit, Videndum an forte dictum sit Melanium, ut Glycerium.* Et recte. Nam si matrem Melaniam, et patrem Melanium immediate posuisset, dixisset non *in eam,* sed *in eos profari dignata est.* Adde filium Melaniæ appellatum non Melanium, sed Publicolam, ut in notis ad easdem epistolas Paulini non uno loco tibi indicare potest Chiffletius. Verum duobus hisce celeberrimis e societate Jesu scriptoribus aures denegasti; cur te ipsum saltem non audisti? Nonne dixeras socerum Piniani Albinum nominatum? quo jure alterum eidem fratrem Melanium addis? An forte dicturus es duos fuisse Melaniæ filios, quorum unus Melanius, cujus morti Paulinus indoluit; alter vero Albinus Melaniæ junioris pater et socer Piniani? O te! Ab anno 373 unici filii mater remanserat vidua Melania. Scribit Palladius cap. 118 : *Non est abstracta a cupiditate filii,*

m divisit a caritate Christi unigeniti filii deside- Scribit Hieronymus epist. 24: *Quinimo qua illos contempserit* (nempe mortuum maritum ac bi-ios) *in unico postea filio probat.* Scribit Paulinus 44 *Melaniam flevisse carnalem obitum unici filii* u vero contra oculatorum testium dicta duos ie filios obtrudis, Albinum et Melanium, cum illi filius Publicola fuerit. Si vidisses hæc Hie-i verba in epist. 41 ad Rufinum: *Erat nobiscum is sancti Melanii famulus*, profecto tibimet pro o viro triumphum cecinisses. Sed textus men-orrigendum est ex optimo ms. bibliothecæ se-mi Magni Ducis in pluteo 19, ubi *sanctæ Me-*egitur. Forte *sanctæ Melanii* scriptum fuit ab ymo, quæ exscriptores haud percipientes, vel B i corruperunt, *sancti* reddentes, vel sine ne-te emendarunt, *Melaniæ* exprimentes. Corri-ginsuper est scholiastes Baronii, qui ad an. 409, ditissimus cardinalis recitat epistolam Paulini gustinum, ponit in margine: *Melanius pater e;* etenim de Melania scribit Palladius cap. *Fuit quidem filia Marcelli consularis.* Scio in ico D. Hieronymi ad annum decimum Valentis elaniam *Marcellini consulis filiam.* Sed Rufinus Invect. in Hieronymum referens verba Chro-eronymiani scribit: *Marcellini consulis neptem.* autem Flavius Marcellinus consulatum cum o collega anno 341.

bas, amice, Albini tui genealogiam repetitis ut, *aut*, tanquam facibus illustrare, sed non C illam densissimis tenebris involvisti, verum pálam fecisti quantam lucis in ecclesiastica hi-jacturam patiaris. Quæso te, ne moleste et feras Augustini verbis ab amico admoneri: *penitus instructus non es, cur non penitus taces, loqueris, ut institui te desideres?* Lib. I contra nium, cap. 3. Cum tuam provocationem in hæc verba concepisses: *Examinemus personas quis illud suum Augustinus dedicavit, et uter no-melius sentiat experiamur*, consulere debueras n scriptorum volumina, ut inde personarum bus mihi litem intendebas notitiam haurires. itur tres illæ personæ earumque agnati ab ino, Hieronymo, Paulino, Palladio, Rufino, D o, qui modo eisdem convixere, sed etiam i ne facie noverunt, illarumque fuere hospites, ntes, vel encomiastæ. Dicis cap. 3, pag 25: *oris meus familiaris eum me esse qui summa intentione auctores lego, ac iis me inferre, ac introdare, ac eorum sensum diligenter investi-* ane si ad tribunal vocer, non ausim tale pro monium dicere; siquidem suspicor, cum illa as, te ne semel quidem memoratos auctores , nedum totum *te iisdem intulisse, ac penitus disse.* In præfatione tui operis adversus eccle-e historiæ professores, laxatis eloquentiæ tuæ s, grandi verborum strepitu declamans, *Baju-uis, agunt, non auctores; in dorso studium, non ro.* Et rursus: *Et quidem ii nihil afferunt ab* A *ingenio, a dorso multum, cum alio comportant quæ in-venerunt.* Ita est, mi Macedo, dossuarius homo sum, et bajulum ago, et plerumque sub librorum onere deficio. Tu vero, qui dedignaris hisce bajulis, ac si essent ultima de fæce saburræ, accenseri, omnia *ab ingenio* affers, *a dorso* nihil, *auctorem*, non *bajulum* agis. Vah! quam feliciter! Etenim *ab ingenio* tuo est filius Piniani et Melaniæ anno 418 superstes. Hunc dossuarii ex lectione libri de Vita S. Melaniæ id tem-poris vixisse ne cogitarunt quidem. *Ab ingenio* tuo est avus Melaniæ junioris, anno eodem in Palæstina de-gens. Dossuarii ex Chronico D. Hieronymi eumdem anno 373 defunctum putant. *Ab ingenio* tuo est Piniani pater Albinus. Hunc dossuarii ex Palladii Piniani. ejusdem hospitis Lausiaca Severum vocant *Ab inge-nio* tuo est Piniani socer Albinus anno 418 inter ho-mines ambulans. Hunc dossuarii ex Augustini et Paulini litteris ante annum 400 diem obiisse testan-tur. *Ab ingenio* tuo sunt patruus et avunculus Piniani, Hos miseri dossuarii in nullis veterum monumentis inveniunt. *Ab ingenio* tuo, in Landata inscriptione libri de Gratia Christi, primas sibi vindicat Albinus. Dossuarii ex Augustino, et Possidio, et Prospero priorem Piniano tanquam viro locum concedunt. *Ab ingenio* tuo Albinus vir Piniani et Melaniæ socius in Africa publicatur. Dossuarii ex libro de Vita Melaniæ horum sociam Albinam feminam faciunt. *Ab ingenio* tuo sunt duo senioris Melaniæ filii, Albinus et Mela-nius. Dossuarii ex Hieronymo, Paulino et Palladio unicum eidem filium fuisse pronuntiant. *Ab ingenio* denique tuo est quidquid cogitas, dicis, scribis. *A dorso* meo est, quidquid ad te confutandum inveni, Poetarum est, mi Macedo, omnia afferre ab ingenio. Poemata, elegiæ, et argutissima illa epigrammata, quibus ethicas lectiones in Patavina cathedra tam lepide me toties audiente concludere consuesti, *ab ingenio* tuo eleganti, acuto, erudito derivare, ne Zoi-lus quidem inficias ibit. At cum historias quoque præter omnium veterum scriptorum fidem, *ingenio* tuo obstetricante, in litteras mittis, nonne illud Mar-tialis (*Lib.* II, 7) repetere possumus,

Historias bellas, carmina bella facis?

Perge, amice, *ingenio* fidere, et *bajulis dorsi* labo-rem, ac graves crebrosque sub vasto voluminum pondere anhelitus exprobra, ut historiæ quas tam belle compingis, ab ingenio, non modo verborum elegantiam, verum etiam eventuum fidem accipiant. Scribis pag. 55: *Non eo hæc dico quod velim convi-cium facere doctissimo mihique amicissimo, sed ut aliquid dem lepori et salibus, quibus interdum scripta molesta et insipida sunt condienda.* Quæ verba in calce capitis septimi loqueris, in quo de Albino grammati-cam et historicam mihi quæstionem intulisti. Non recuso, ut cum satyrico loquar *Euge tuum, et belle* (*Persius, sat.* 1, 49). Profecto quis te, o Macedo, non lepidissimi Judicii hominem fateatur, qui me *doctis-simum* vocas simulque *ab Orbilio castigandum* dicis? Quem appellas *amicissimum* toto tuo sale perfricas, quod hostili rabie super dirutarum urbium solum

sæpius sparsum accepimus. Credas non dicam doctissimo, *quia*, ut Petronii verbis utar, *non sum de gloriosis*, saltem *amicissimo*, te multum olei et operæ, plurimum vero etiam salis perdidisse, dum eodem tua scripta condienda existimasti, veritus ne illa *molesta et insipida* lectoribus viderentur. Etenim si sali pepercisses, tot lepidis de Glyceria, et Glycerio, de Melania, et Melanio scholiis conspersa sunt, tam bellis historiolis de Albino, *aut patre, aut avo, aut avunculo, aut socero, aut patruo* condita, ut minime dubitem quin eruditi non modo hilari animo, verum etiam ore ridenti eadem lecturi sint. Certe egomet, qui tamen illis impetor, non potui, cum illa legerem, a risu temperare.

Quoniam tuæ elegantissimæ simulque vehementissimæ præfationis mentio incidit, juvat unam et alteram illius periodum hic recitare. Hæc fulmina contra ecclesiasticæ historiæ cultores, seu ut vocas, *bajulos valentissimos*, ore tonas : *In rutis cæsisque versantur : dummodo antiquarios se ostendant, sibi satisfaciunt; litterarios et ruderarios præstant. Latomorum instar cædunt lapicidinas priscorum monumentorum, et efferunt lapides, et acervos struunt.* Scias velim bajulos illos valentissimos strenuos etiam lapidarios quandoque agere. Saxa eadem qua volumina manu volvunt ac revolvunt; siquidem inscripti lapides certissimi illis sunt testes antiquitatis. Attende quid a lapidariis afferri possit, ut Albinæ, de qua tantum pulverem ab ingenio tuo excitatum video, et pater, et frater, et familia etiam intelligantur. In libello de Vita S. Melaniæ apud Surium die 31 Decembris, Lippomanum vero die 31 Januarii, hæc de eadem recitantur, cum Byzantium appulisset : *Invenit autem suum quoque patruum Volusianum gravi morbo oppressum.* Exstat in bibliotheca serenissimi Magni Ducis idem libellus Græce scriptus, inter opuscula S. Gregorii Nazianzeni in pluteo 7, num. 6, ubi laudata verba ita leguntur: εὑρίσκει δέ καὶ τὸν θεῖον αὐτῆς Βολουσιανὸν χαλεπῇ νόσῳ κεκρατημένον. At falsum est Volusianum fuisse patruum S. Melaniæ ; etenim pater Melaniæ nullum fratrem habuit, cum *unicus filius* Melaniæ seniori fuerit, quemadmodum Hieronymus, Paulinus ac Palladius, quorum verba superius laudavi, disertissime contestantur. Quare cum Volusianus non fuerit frater patris Melaniæ junioris, nec istius patruus scribi potest. Ex interpretum vitio error vulgaris derivavit. Photius codice LII Volusiani mentionem facit, idemque ibidem nuncupatur θεῖος τῆς ἁγίας Μελανίας. At nomen illud θεῖος apud Græcos promiscue significat fratrem patris et matris, nempe patruum vel avunculum ; quemadmodum apud Italos vox *zio* et apud Hispanos *tio*, quæ verba a Græcis mutuata esse mihi certum est, idque forte etiam ostendet Octavius Ferrarius V. C. et magunm bonarum artium in Italia columen et præsidium, in opere de Origine linguæ Italicæ, quod proxime typis daturus est. Interpretes, quos inter Schotius, genealogiæ Melaniæ ignari, vocem θεῖον *patruum* Latine reddiderunt, cum *avunculum* scribere debuiisent, et quidem Baronius ad an. 420 recte Volusianum S. Melaniæ *avunculum* dixit. Itaque Volusianus fuit frater Albinæ et *avunculus sanctæ Melaniæ*. Ex his pater, frater ac familia Albinæ nullis huc usque scriptoribus indagata, intelligitur. Etenim illa fuit filia Rufii Ceionii Albini ac soror Rufii Ceionii Volusiani, ut postea ostendam. Albinos e Ceionia gente fuisse patet ex epistola Ceionii ad Ælium Bassianum, apud Capitolinum in Albino, cap. 4. Ibi vero Clodius Albinus Ceionii filius, qui una cum Septimio Severo Cæsar fuit, laudatur a Capitolino uti *originem a Romanis familiis* trahens, *Posthumiorum scilicet, et Albinorum Ceioniorum. Quæ familia*, inquit, *hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, et per te aucta et augenda, quæ per Gordianos et Gallienum plurimum crevit.* Quid vero ex hac familia, Constantino imperante, summos honores consecutus fuerit, ex hac inscriptione mutila colligitur apud Gruterum pag. CCCLXXVII, 5 :

RELIGIOSISSIMOQUE.
C. CEIONIO. RVFO. VOLVSIANO. V. C.
CORR. ITALIAE. PER ANNOS OCTO.
PROCONSVLI AFRICAE.
COMITI. DOMINI. NOSTRI.
CONSTANTINI. INVICTI.
ET PERPET VI. SEMPER AVGVTIS.
PRAEFECTO. VERBI. IVDICI. SACRARVM.
COGNITIONVM. CONSVLI.

At Ceionia familia ante Albinum Severi collegam Romanum orbem moderata est; etenim L. Ceionius in Æliam et Antoniam familiam transcriptus, cum Antonio philosopho Augustus fuit, ac appellatus *L. Ceionius Ælius Commodus verus Antonius* ex Capitolino in vita ejusdem initio. Illius vero pater Ceionius Commodus ab Hadriano Cæsar designatus, paulo post improvisa morte decesserat. Porro Ceionios Albinos cognomen Volusiani habuisse constat ex hac inscriptione apud meum Panvinium anno V. C. MXXCVII :

S. P. Q.
CEIONIVM RVFVM. ALBINVM. V. C. PHILOSOPHVM. RVFI. VOLVSIANI. IVD. ORD. CONS. FILIVM. SENAT. CONSVLTO SVOQ... EIVS. LIBERIS. POST. CAESARIANA. TEMPORA. I. POST. ANNOS. CCCLXXX. ET. I AVCTORITATE. DECREVIT. FL. MAGNVS. JANVARIVS. V. C. VII. STATVARVM.

Cum inter majores suos referrent Volusum ducem Rutulorum, inde Albinos Volusiani cognomen assumpsisse scribit Rutilius Numatianus lib. I Itinerarii vers. 167 :

Jamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris ;
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.

Hunc Rufium Volusianum Ceionii Albini filium, fratrem nostræ Albinæ et S. Melaniæ avunculum illum fuisse qui postea contra Pelagianos, cum iterum Urbi præfectus esset, edictum publicavit. scribunt eruditiss. viri cardin. Baronius ad annum 412, et Jacobus Sirmondus in notis ad epistolam 16, lib. IX, Sidonii, quibus subscribit Rutilii scholiastes Casparus Barthius num. 169. Itaque Ceionia Albina mater

laniæ, et socrus Piniani, soror vero Ceionii Rufi Albini Volusiani, qui pluries Urbis præ- gessit, et una cum matre in Africa degens ustinmm ethnicus scripsit, ut patet ex epistola II operum S. Augustini. Hinc Volusiano Ru- jusdem in præfectura urbana decessor suum ium nuncupavit, unde illius nomina concin-

vero hæc scribo in Etruria, quo me serenis- Magnus Dux Cosmus III, eximius bonarum cultor ac protector munificentissimus, voca- eat observare Albinos Volusianos ex Etru- inem duxisse, indeque Romam se contulisse. tur Capitolinus in Vero Augusto cap. 2. Al- autem Volusianus Albinæ nostræ fratrem in olaterrano villam habuisse idem Rutilius af- etenim scribit se, cum Volaterrana vada na- ræterveheretur, improvisa tempestate ador- n terram exscendisse, ac Albini Volusiani petiisse. Hæc ille ait, vers. 463 :

: me rapidus consistere Corus adegit,
ualis silvarum frangere lustra solet.
t tuti domibus sævos toleravimus imbres,
lbini patuit proxima villa mei.
nque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
er quem jura meæ continuata togæ.

vero honorem fuisse præfecturam Urbis nperius, nempe versu 415 affirmat. Id autem re intellexit, antequam Pisanum littus attin-

præfecturam sacræ cognoscimus urbis
latam meritis, dulcis amice, tuis.
rem verum complecti carmine nomen,
d quosdam refugit regula dura pedes.
nomen versu Veneris, carissime Rufi,
o te dudum pagina nostra canit.
a dies, pridemque meos dignata penates,
ste coronato vota secunda colat.

autem Rufius Volusianus Urbis præfectu- no epochæ Christianæ 417; etenim scribit Romam alloquens vers. 135 :

nvis sedecies denis et mille peractis,
nnus præterea jam tibi nonus eat.

s autem Urbis 1169 a Palilibus nempe 21 coincidit cum anno Dionysiano 417, quo tilius Roma profectus, Volusianum præfectum ssignatum accepit. Diutius autem, post Con- imperium, Ceionii ethnicorum superstitio- enti sunt. Constat ex hac inscriptione apud m pag. XXVIII, 5 :

CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSI
ANVS. V. C. ET INLVSTRIS.
EX. VICARIO. ASIAE. ET CEIO
NI. RVFI. VOLVSIANI. V. C.
ET. INLVTSRIS. EX. PREFECTO. PRE
TORIO. ET. EX. PREFECTO. URBIS.
ET. CECINE. LOLLIANE. CLARISSI
ME. ET. INLVSTRIS. FEMINE.
DEE. ISIDIS. SACERDOTIS. FILIVS.
RATO. EX. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEP
. TAVROBOLIIS. VI. ARAM CONSTITVIT.
ONSECRAVIT. VI. KAL. IVN. D. N. VALEN
NIANO. AVG. ET. NEOTERICO CONSS.

Ita illi anno 390 a Christiana religione aversi erant. Volusianum eadem superstitione occupatum patet ex epistola ejusdem, itemque Augustini et Marcellini, initio statim tomi secundi operum S. doctoris. Melania avunculum ad rectum dogma paulo ante ejusdem obitum Byzantii adduxit, Albinam etiam sororem in eodem errore fuisse posset quis colligere ex Palladio in Lausiaca cap. 118, ubi tum Aproniannum gentilem, tum Albinam a Melania seniori *catechesi* instructos affirmat. Plura de Albina leges in actis ejusdem filiæ Melaniæ.

Iterim vide quam benevolo erga te animo sim. Etenim ubi confidenter me in certamen provocans exclamasti : *Examinemus personas quibus opus suum Augustinus dedicavit, et uter nostrum melius sentiat experiamur* ; ego temet ex adversario judicem constituo ac deposco. Tu de Albino pronuntiasti : *Quis autem esset ille Albinus latet.* Ego non virum, sed feminam fuisse ostendi, ejusque patrem Albinum, fratrem Rufium, Volusianum, familiam Ceioniam, socrum Melaniam, maritum Publicolam, filiam Melaniam juniorem, avorum patriam Etruriam, villas ad Vada Volaterrana, quod oppido nomen etiamnum manet Populonium inter ac Liburnum, amicos denique et encomiastas Augustinum, Hieronymum, Palladium, Rufinum ; hæc, inquam, omnia de Albina monstravi, ut jam satis surperque *uter nostrum melius sentiat* experiaris. Voca me *bajulum, antiquarium, ruderarium, latomum*, ut lubet, ut lubet, modo fateare me de personis quibus Augustinus laudatos libros inscripsit, ex ipsis oculatorum testium scriptis, ex vetustissimis sanctorum Patrem monumentis, ex antiquorum lapidum inscriptionibus longe certiora protulisse quam tu *ab ingenio*, sine ullo prorsus librorum, quod me dicere pudet, præsidio de eisdem adduxeris. Quod si pronunties te *ab ingenio auctorem* esse ingeniosissimum, me vero *a dorso valentissimum bajulum*, stabo tuæ sententiæ, nec alium judicem appellabo.

Hæc justæ apologiæ, quam modo adversus recentissimum tuum librum adorno, specimen sint. Cum vero intelligam me isthic a quibusdam reprehendi quod dixerim sanctos Hilarium Arelatensem episcopum et Vincentium Lerinensem monachum Cassiani partibus adversus doctrinam S. Augustini de prædestinatione adhæsisse, quasi aut solus, aut primus id asseruerim, et tu quoque hæc in cap. 16, pag. 119, scribas : *Cedo mihi, quæso, Puter Noris scriptorem aliquem bonum, malum, qui Hilarium Arelatensem Semipelagianismi appellet : ego nullum hactenus potui invenire* ; decrevi quosdam nobiles scriptores appellare. Agmen ducat S. Prosper in epistola ad Augustinum, in qua, cum Cassiani sectatorum (quo scholastici recentiores dixere Semipelagianos) opiniones et objecta S. doctori narrasset, hæc scribit ; *Credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam* UNUM EORUM *præcipuæ auctoritatis et spiritalium studiorum*

virum, sanctum Hilarium Arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, et de HOC *quod* IN QUERELAM TRAHIT, *jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre.* Hinc Augustinus in lib. de Dono persever., cap. 21, non dubitat suppresso nomine Hilarium iis accensere qui negabant *initium fidei esse donum Dei.* Quam vero violenter verba illa detorqueas, brevi intelliges. Petis *scriptorem aliquem bonum, malum?* Audi Usserium in lib. de Antiquitate Eccles. Britan. cap. 11, pag. 346, *Denique,* inquit, *Hilarium Arelatensem illum suum inter eos qui in doctrina de prædestinatione ab Augustino dissentiunt, annumerat Prosper.* Forte repones Usserium esse calvinistam. At ipsemet scriptorem aliquem malum poscebas. Vocatur tamen Usserius a P. Ricciolio lib. I Chronol. reformatæ, cap. 20, *vir ecclesiasticæ antiquitatis scientissimus.* Hoc parum causam juvat adversus te, qui *bonum, malum,* flagitasti. Attende scriptores bonos, meliores, optimos, quibus vix audeas adversari. P. Theophilus, Raynaudus in Apologia pro Valeriano Cemeliensi, cap. 4, ita scribit: *Hilarius episcopus Arelatensis unus fuit eorum qui adversus D. Augustinum querelas moverunt. Audi Prosperum in calce epistolæ ad Augustinum.* Et laudatis verbis proxime a me recitatis, *expendo,* inquit, *particulas illas* unum eorum, *utique adversus Augustinum agentium, de quibus sermo*; et in aliis omnibus, *nam quoad negotium, de quo Prosper tota epistola, atque adeo quoad errorem Semipelagianum, non erat Augustinianæ doctrinæ admirator, imo eam* in querelam trahebat. *Et Prosper liquide testatur se eum habuisse suspectum, cum dubitet, quo fine esset cum Augustino per litteras acturus.* Accedat quartus post Prosperum testis P. Gabriel de Henao in volumine pro scientia media sect. 28, num. 184, ubi ait: *Liquet etiam de discrimine ab Hilario, qui una cum sancto Prospero misit litteras ad S. Augustinum. Nam is Hilarius non obscurabatur caligine opinionis adversæ S. Augustino, neque hujus doctrinam in querelam trahebat circa negotium gratiæ, sed ille alter Hilarius antistes Arelatensis.* Sunt hi duo insignes e societate Jesu scriptores, sed tertium ex eadem doctissima familia testem habeo, magnum sacræ ac profanæ eruditionis promotorem, Jacobum Sirmondum, in notis ad epistolam Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ, ubi scribit *epistolam illam, quæ tota est pro defensione S. Augustini, congruere Hilario Arelatensi non posse, qui Augustini doctrinam, ut Prosper in epistola sua testatur, cum in cæteris suspiceret hac in parte* NON PROBABAT. Apud Labbeum et Cossartium tomo II Concil., pag. 1818. In hoc tanti viri testimonio et glorior, et triumpho. Visne alios testes, qui *aliquem malum, bonum* rogabas? Adest par testium, et uno ore loquuntur. Sunt Sammarthani viri eruditissimi tomo I Galliæ Christianæ, pag. 36 *Constat autem,* inquiunt, *Hilarium, qui scripsit ad S. Augustinum, et cujus occasione misit libros de Prædestinatione sanctorum, et de Dono perseverantiæ, esse distinctum ab Hilario Arelatensi episcopo: primum quia Hilarius epistola ad Augustinum significat se fuisse laicum. Prosper vero eodem tempore et die scribens ad Augustinum, dicit Hilarium Arelatensem tunc fuisse episcopum, et ipsius doctrinæ contrarium, his verbis:* « Credimus ipsos quos meritis et honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, *semipelagianismi* (inserunt hoc verbum Sammarthani non ego) defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis, et spiritalium studiorum virum sanctum Hilarium Arelatensem, etc. » Verba Prosperi recitant. Petis alium testem, qui septimus cæterorum agmen claudat? Adest ex eadem Gallia Gilbertus Mauguinus vir doctissimus, ac regi Christianissimo a consiliis, qui paucis abhinc diebus diem obiit. Hæc scribit part. II Confut. fabulæ prædest. cap. 11, pag. 650: *Teste Prospero, epistola ad Augustinum, Hilarius Arelatensis episcopus, et alii plurimi non minus auctoritate quam pietate celeberrimi viri, S. Augustini de gratuita Dei prædestinatione doctrinam non minus quam hæresim aversati sunt.* Et pag. 475 ex eodem Prospero testatur Hilarium *Pelagianæ pravitatis reliquiis infectum.* Cun dixeris: *Ego nullum hactenus potui invenire* qui scripserit S. Hilarium Arelatensem adversatum fuisse doctrinæ S. Augustini, absit ut te mentitum putem; novi animi tui ingenuitatem, candorem, simplicitatem. Itaque neminem laudatorum scriptorum legisti. Tantum, mi Macedo, plerumque nocet omnia *ab ingenio* afferre. Disce tandem, quid juvet *bajulos agere, non auctores*; *in dorso studium esse, non in cerebro.* Nam his plane verbis ecclesiasticæ historiæ professoribus in præfatione insultasti. Tua illa compellatio confidentissima: *Cede mihi, P. Noris, scriptorem aliquem bonum, malum,* tuo *ab ingenio* est. At amici tui Noris gravis ac quadrata responsio *a dorso.* De Vincentio Lerinensi nil addendum puto; scribis enim me alios habere dicti mei assertores: nuper accessit eximius doctor Lovaniensis Christianus Lupus, part. 4 not. in synodos, pag. 757. Hæc, mi dulcissime Macedo, æqui bonique consulas precor, neve tibi ante victoriam triumphum per Italiam Romam usque cantes. Et quando annos natus septuaginta septem, tot vigiliis quas in edendis quadraginta et amplius voluminibus subiisti, senili corpore macerato, vastissimo ecclesiasticæ eruditionis pelago te committere expavescis, veritus ne in medio cursu te vita deficiat; sine me, quem imberbem juvenem olim Romæ vidisti, et amicum tui nominis supra cæteros studiosissimum nosti; sine, inquam, me vela pandere, ac de portu securus prosperam mihi navigationem Horatiano carmine ominare.

Navis, quæ tibi creditum
Debes *Historicum per freta ducere,*
Reddas *Norisium* precor,
Et serves animæ dimidium meæ.
Lib. I, *ode* 3.

Vale, amicissime, et ingeniosissime pater, meque isthic amicis commendatum facias; tuos vero patronos mihi benevolos, vel saltem minus iratos reddas.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CORREPTIONE ET GRATIA

. 1, § 2. *Liberum itaque arbitrium, et ad malum bonum faciendum confitendum est nos habere; malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque i; in bono autem liber esse nullus potest, nisi liberatus*, etc.] Vocibus *liberi arbitrii* hic volun- intelligit Augustinus, non id quod ab omnibus gi solebat: nimirum, facultatem illam mentis otest aliquid facere, tam bonum quam malum, nittere. Homines, secundum eum, nascuntur ie semper ante regenerationem liberi a justitia, ri peccati: hoc est, nihil nisi mala facere pos- bona nulla possunt; sed faciunt mala volentes, mittunt nolentes, quamvis sine miraculo di- quod in regeneratione fit voluntas mutari ne- Satis liquet alios omnes mortales, si ita sen- , negaturos hominibus inesse *liberum arbi-* ; et sane negabat ipse Augustinus, cum extra versiæ æstum loquebatur, ut liquet ex Enchi- ad Laurentium cap. 30. Vide not. ad tom. VI. . 2, § 5. Objectionem contra doctrinam suam tia, qua *non solum, monstrante ipso, quid facien- it sciunt* homines, *verum etiam qua sola præstante t cum dilectione quod sciunt*, sic proponit: *Er- quiunt, præcipiant tantummodo nobis quid facere tus qui nobis præsunt, et ut faciamus orent pro non autem nos corripiant et arguant, si non fe- s.* Quia, nimirum, si quis præceptis divinis ruerit, id, ex sententia Augustini, certum est im præsto ei non adfuisse gratiam efficacem; pitulante fieri nequit quin pareat, deficiente emo parere potest. Quid ad hæc Augustinus? nquit, *omnia fiant; quoniam doctores Ecclesia- postoli omnia faciebant, et præcipiebant quæ fie- t corripiebant si non fierent, et orabant ut fierent*; xemplis demonstrat. Verum apostolos in sen- Augustini fuisse non concedebant qui eas ones proferebant; eosque aliter sensisse hinc olligere poterat, quod homines divinitus af- on erant facturi quod cum eorum sententia non poterat. Postea, *o homo*, inquit, *in præce- cognosce quid debeas habere; in correptione co- tuo te vitio habere; in oratione cognosce unde s quod vis habere.* Satis constat a Deo petendum m in futurum, sed non in res præteritas, nam præterita infecta fieri non possunt; de iis au- ic agitur, nam *correptio* ad præterita pertinet. rhetorice eludit objectionem Augustinus, non det. Deinde ne de futuris quidem orationes nt, ex ejus sententia, fundi; nam Dei decreta lectos exsecutioni mandabuntur, sive ores, ceas: erga reprobos, nihil fiet orationibus tuis.

Desine fata Dei flecti sperare precando.

rreptione liquet sane *vitio* quemque *suo* pec- alioquin iniqua esset; sed vitium ut nostrum r oportet ut sit culpa nostra contractum, utque queat, si id vincere jubeamur; nulla enim est A culpa ejus qui non facit quod nec nunc potest, nec unquam antea potuit. Quod si nemo potuit impedire, quæ sententia est Augustini, quominus vitio inquinaretur, propterea non debet corripi: uti nec si nulla ratione, eo semel inquinatus, vincere id potuit, quia ei defuit auxilium sine quo vinci vitium non potuit. Igitur ex animi sententia non potuit dicere Augustinus: *tuo vitio non habes* quod necessarium est ad observationem divinorum præceptorum; nec proinde, posita ejus doctrina, *ex præceptione* cognosci quid homo *debeat habere*; nam non *debet habere* quod non magis potuit habere, nolente Deo, quam sistere cursum siderum. Perpetuo Hipponensis episcopus objectiones retundere conatur verbis quæ cum ejus sententia acerrime pugnant; quia si convenienter ei B sententiæ per omnia loquendum fuisset sermo Scripturæ, imo et totius humani generis fuisset damnandus et immutandus, eademque opera convellenda societatis humanæ firmissima fundamenta.

Cap. 6, § 9. *Hanc* (gratiam, inquiunt Pelagiani, sub persona peccatorum loquentes) *non accepimus; quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, et nostro arbitrio dare nolimus?* Nihil evidentius, nec intelligo quomodo Augustinus ex hisce necessariis ac perspicuis consectariis non animadverterit a se non satis recte intellecta quæ hisce de rebus habet Scriptura. Ei quidem verba non desunt, quæ paulo exercitatioribus rhetoribus nunquam deesse possunt; sed ex quibus facile intelligas hominem ad si- C lentium redigendum fuisse, nisi existimatio sua, editi libri, conciliorum auctoritas et omnia contra Pelagianos tanto zelo gesta fuissent defendenda. Ipsum audi: *Nec attendunt*, inquit, *si nondum regenerati sunt, primam esse causam cur objurgati quod sint inobedientes Deo sibi debeant displicere.* Sed hæc mera est *petitio principii*, ut loquuntur logici; nam hi homines negabant se *debere*, hoc est, ulla lege teneri ut facerent quod facere non poterant, quale est sibi propter peccata displicere, nulla accepta gratia divina, eam in rem necessaria. Verum Augustinus, quasi hanc difficultatem soluturus, addit: *quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, et non est iniquitas apud Deum.* Quem hominem *fecit rectum*? Adamum solum, non eos qui nondum erant; nisi, D absurdo commento, dicas, quod aliquando placuit Augustino, omnium hominum qui sunt, qui fuerunt, quique post aliis erunt in annis mentes in mente Adami fuisse, ac proinde ante peccasse quam in corpora sua venirent. Vide not. ad tom. I, lib. III, de Libero Arbitrio, cap. 20, atque ad tom. II, epis. 98. Hoc commentum non exagitabo, cum a nemine nunc defendatur aut defendi possit. Itaque nisi sit *iniquitas apud Deum*, quam ab eo amolitur verbo tenus Augustinus, non potest a posteris Adami exigere ut sint recti, cum nunquam recti fuerint nec esse potuerint, si credimus Augustino, nam peccati originalis propagationem vitare non potuerunt. Ergo fucus est merus quod addit: *Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est; quia ex rectitudine in qua*

eum Deus primitus fecit sua mala voluntate decidens pravus effectus est. De Adamo dicat hoc licet, sed de ejus posteris, de quibus solis hic sermo est, dici non potest. Itaque nihil hoc ad rem facit, neque attingit objectionem eorum qui, multis sæculis post Adamum, ita nati et concepti in peccato originali fuerant, ut non possent vim ejus fugere, si Afro theologo credimus. Verum hic sequitur alterum subterfugium, quo a quæstione animum avertere conatur : *An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo vero corripiatur et in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est.* Pelagiani communionem depravationis minime urgebant, ut eam excusatum irent ; sed negabant Caium, exempli, causa, ac Titium posse corripi ob delicta, si nunquam in eorum potestate fuisset vitare peccatum, primum quidem originale, deinde actualia omnia ; quia Caius et Titius (non homo in genere, de quo non loquebantur) nunquam habuerunt gratiam Dei eam in rem necessariam. Habuerit eam Adamus, si modo ea indiguit ; si Caius et Titius nunquam habuerunt, corripi profecto, sine iniquitate, non potuerunt.

Peccata quidem, inquit deinde Carneades Pœnus, *ista originalia ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt ; sed non sine causa dicuntur et nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt.* Verum in hac controversia nostra dicuntur, non translatitio sensu, sed proprio, peccata; nam sermo hic est de peccatis propter quæ non translatitias sed proprie dictas pœnas ex divina, hoc est perfectissima justitia, dare possimus; quia ab iis abstinere potuimus, nec iis nisi culpa *nostra* proprie dicta succubuimus. Cæterum peccata parentum *nostra* dici nequeunt, ita ut propter ea corripi et plecti jure queamus ; nec etiam Apostolus dicit nos *in Adamo* peccasse, quemadmodum passim Græci sermonis imperitus dictitat Augustinus. Sic enim Paulus Rom. v, 12 : Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον : *Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors : sic et in omnes homines mors transiit, quia omnes peccarunt.* Vertimus cum Des. Erasmo, ἐφ' ᾧ *quia*, non *in quo*, quia alioquin hiulca est oratio et dura. Sed fac hoc non esse perspicuum, profecto versio quam sequitur Augustinus non ita certa est, ut possit is locus, quasi clarus, urgeri ; cum præsertim ex eo ferme solo aut potissimo colligatur dogma. quod tot difficultatibus premitur, ut vix ullas alias majores in dogmate theologico inveniri posse putem. Earum specimina in superioribus vidimus, quibus Augustinus satisfacere nullo modo potuit. Subjicit : *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* At quo jure corripietur quisquam quod natus sit peccato originali inquinatus, cum non magis hoc vitare potuerit quam potest ne sol oriatur et occidat impedire? Ubi invenietur exemplum ejusmodi correptionis in universa scriptura? Vult Augustinus peccatum originale pœnam esse peccati Adami, a Deo inflictam, ut docet lib. de Civit. Dei XIII, cap. 12. Qui vero creatura vitabit pœnas a Creatore inflictas? Quomodo etiam, quod eas non vitaverit, corripi poterit? Hos nemo unquam solvit nodos, neque porro solvet.

Hæc de irregenerati corruptione vult dici Augustinus ; de regenerato vero corripiendo sic philosophatur : *Si autem jam regeneratus et justificatus in malum vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere : non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio.* Credebat Augustinus quosdam justificari qui non sunt prædestinati ad salutem, ac proinde non acceperunt a Deo donum perseverantiæ, eosque labi, ut pluribus in sequentibus docet. Quod eum ita sit, hæc ejus responsio in ore Pelagii recta esset, sed in ipsius ore caret plane sensu. Si enim sermo sit de homine minime prædestinato, non poterit corripi ; quia Deus non statuit ei dare perseverantiam, sine qua ad finem usque stare nequit. At forte, inquies, hic sermo est de electo. Sed ne hunc quidem corripere potes, ex Augustini hypothesi, qua statuit gratiam ad singulos actus bonos esse plane necessariam ; nec eam unquam adesse quin effectus sequatur, aut abesse sine hominis lapsu. Cum quidquid boni homines in vita faciunt, id faciant sola vi afflatus, si desinit afflatus, necessario peccant ; nec amittunt afflatum sequentem, nisi quia Deus priorem subtraxerat. Nullæ sunt hominum hac in re partes ; sunt instar follium, qui ventum dilatati accipiunt, constricti emittunt, nec majorem habere possunt aut emittere quam datur manu dilatantis aut constringentis.

Plura in hunc libellum non adnotabo, pauca enim quæ attuli satis superque ostendunt quas in angustias conjectus esset Augustinus, cum consectariis necessariis sui dogmatis premebatur. Addam duntaxat me hæc et alia adnotasse solo amore veritatis ductum, utque sanctitatem Evangelii justitiamque Dei majore in luce collocarem, quo ii qui hæc legent, ad parendum Jesu Christi præceptis efficacius adducantur. Hunc esse animum meum Deus mihi testis est, quem oro ut acerbissimas controversias ex definitionibus Africanorum conciliorum ortas sedare, aut certe adventu Filii sui Jesu Christi peccatis omnibus nostris tandem finem imponere velit.

CLAUDII MENARDI PRÆFATIO

IN II PRIORES LIBROS OPERIS IMPERFECTI.

Illustriss. et rev. D. D. Dionysio de Marquemont, archiep. et comiti Lugdunensi, etc.

Quod his accidit, illustriss. primas, qui peregrini, littoris uniones summam luxuriæ gloriam legunt ut maceratis inedia corporibus alto sese immergant mari, lustratoque diu fundo, vestigatis, et per mortes mille pauperatis scopulis, tenaci ac longo spiritu terram repetant, naturæ miracula deliciasque profusuri : id in hac assidua communique veterum unde-

cunque membranarum urinatione fatali, at felici œstro percitis, evenire sentio, ut post attritas insano labore vires, profundis bibliothecarum sinibus immersi, reptent hinc inde, et per varias disquisitionum sortes, frustrationum mortes, enatent tamen, publicoque radiantium orbe toto litterarum soli reconditas ingeniorum sæculorumque dotes exponant. In his esse me ni profitear, vanus sim qui aliquot annis propellente genio, nihil in votis habui sanctius quam ut ovanti litterarum gloriæ parens patria, nutrix caraque civitas assurgeret, pampinos suos attexeret, litteratas laurus offerret. Et volente Deo factum ut pene consumptis in ea cogitatione curis, insperato beneficio perolidas tinearum pulverumque sordes hæc cœli solique margarita canderet, cujus ignorata possessione, delusus annos aliquot, aliud agens omnino, sensi tandem vix parabili thesauro me felicem. Quantum hac beatitate gaudii succreverit nobis, loquatur ipsa res, et si cui talium cupienti rerum par lux affulsit, eo nunc plenior, quo inter omnes militantis Ecclesiæ Patres altior hæc diviniorque aquila pervadit, eo purior, non ætatis loquentiæque prærogativa turgens hic liber, sed ultimi spiritus contestatione vegetior et defungentem exhibet et pugnantem. Pugnantem recte, cujus vitæ quot momenta tot acies, quot verba tot laureæ. Impius ergo sim, beatique nominis quo tinxit mater Ecclesia, profanus andabata, si demersum alte tot annorum fluctibus oblatumque desideriis elenchum novus urinator attineo. Cujus renovato nunc primum lumini, quod te potius dixerim laudatorem publica causa est. Ejus enim contesseratione debuit Africanus præsul, tot olim synodorum genius, episcoporum lingua calamusque foveri, qui veris pallii justisque mysteriis et tractus nostri *et Gallorum legatus audit.*

Narrant Annales Hispanarum rerum, sub ævum 685, principante Gotho Cindasuinda, collectos Toleti præsules 30 (*Concil. Tol. et* 7), cum Moralium liber, quem olim Leandro Hispalensi sollicitante dictaverat magnus sanctissimusque Gregorius, haud superesset amplius, delectum suffragantibus episcopis Tajonem Cæsaraugustanum, religione litteraturaque præstantem, qui Romana scrinia consulens amissos custodum negligentia libros Hispanis redderet suis. Quod dum procurat, Martino I pontifice, nec in sacris archivis, præ multitudine codicum, quæri aut divinari possent, indicante locum angelo, repertos et descriptos.

Efflaverat, scilicet, in Siciliæ scopulis primum feralis doctrinæ virus Rufini Pelagiique vafrities, cum indicante presbytero tunc Hilario, post Arelatensi episcopo*, divinus sanctissimi senis animus, sumpta fidei propugnatione, deforme monstrum longo decennalique bello confecit. Quod igitur Gallis, instigante præsule suo, laboratum est, *quod magnis post animis eodem defendente consumptum*, cujus potius auspiciis comitivaque potuit post tot annorum diescere, quam ejus qui post ventilatas longum in ipsa Urbis orbis que arce ingenii divitis opes *perpetua Galliarum legatione blatteatur* : quem non inter famosos latrociniis Numidas, incultos animis Mauros, dissertantem, sed in amplissimo Galliæ, id est elegantiæ omnis theatro aut pro catholici nominis restitutione detonantem, aut de severioris disciplinæ cultu anxium et perorantem tanta pendentis stupentisque coronæ gratulatio secuta est, ut in amplissimo honoris throno non pietas posuisse, sed ad purpuras, aut si quid majus haberet Gallicana fortuna, exercere videatur. Macte virtutibus, illustrissime comes, quæ te ad tanti muneris apices, licet onerent verius quam honorent, debebant tamen feraci vitiis cœlo, specimen potius quam prœmii, *religio, fides, constantia, pietas,* quas palantes usque pannosasque sic revocas et devincis, ut exhinc, non ab his effectum te, sed ex te natas, a te doctas, ipsa tantarum virtutum admiratio glorietur. At est et privata ratio, quæ me tanti operis reddat obnoxium ; quam si tacitis adniventibusque oculis neglexisse potuerim, magni me sceleris impiatum rea conscientia postulabit. Tu fratrem carissimum, quietis privata deliciis severiorisque propositi cogitationibus immersum, vix et cognitum, nec sperantem, solemni benignitatis luce perfundis, et restitantem pene sic occupas, ut ad tanti solis radios, et vita se omnis, et reliqua si quæ est fortuna committat. Stet igitur in foribus augustissimi operis sacrum solemneque hoc anathema, quod amori tuo beneficiisque lubens merito familia omnis privatis sensibus publica devotione suspendit. Quam æternum tuam, sacra hæc nec moritura unquam tabella damnabit. *Juliomagi Andium. Pridie nonas Aug.* 1616.

Illustriss. A. T. deditus

CLAUD. MENARDUS,
Propræt. Urb. And.

* Errat : alius is erat ab Arelatensi.

ANIMADVERSIONES

IN OPUS IMPERFECTUM CONTRA JULIANUM.

Libro I, § 3. Julianus de Augustino : *Hoc ipso quam sit divinæ legis imperitus interpres et profanus apparet, quisquis putat ejus sanctione defendi, quod justitia non potest vindicari.* Reponit Augustinus : *Vos quod dicitis potius non potest ulla justitiæ ratione defendi ; quia miseria generis humani, a qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis judicium, si non est originale peccatum.* Atqui hoc tantum de infantibus aut puerulis dicere debuit, nam majores natu sat actualium peccatorum admittunt ut hujus vitæ miseriis digni sint. Sed ponamus eum, ut debuit, de infantibus duntaxat, aut puerulis locutum ; peccatum originale, ut ab Augustino explicatur, commodam nullam rationem defendendæ justitiæ divinæ suppeditat ; cum qua nullo modo potest consistere, ut existimabant adversarii Augustini, quos nusquam recte confutavit. Sed, inquies, quamvis non intelligam quomodo peccati Adami imputatio posteris, et vitii necessaria in eos pro-

pagatio consistere queant cum sanctitate ac justitia divina, oportet tamen ut sint infantes puerique peccatores, cum miseri sint, Deus vero justus. Satius esset multo dicere te nescire cur innoxii miseri sint, quam, ut facias eos noxios, invenire hypothesin quæ tot difficultatibus laborat. Sed quid sunt hæ infantium puerorumque brevissimæ miseriæ, si cum æterna beatitudine, quibus eas Deus pensat, conferantur? Nihil prorsus, aut si quid nihilo posset esse minus. Itaque quod Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.

§ 8. Ait Julianus ea ab Augustino scripta, *quæ propter honestatis reverentiam oblivioni exterminata mandentur*. Vide notata ad tom. VII, lib. de Civit. Dei XIV, cap. 18 et seqq.

§ 10. Julianus : *Laudat etiam potentem hominem* (Augustinus Valerium lib. I de Nuptiis, cap. 2) *quod nostris petitionibus, qui nihil aliud quam dari tanto negotio judices vociferabantur, ut ea quæ subreptionibus acta constabat, emendarentur potius quam punirentur examine, mole suæ dignitatis obstiterit, nec disceptationi tempus aut locum permiserit impetrare.*] Revera laudat Augustinus, loco indicato, Valerium, quia iis quibus disputando ipse resistebat, ille *potestate, curando et instando efficaciter restiterat.* Quod sane minime laudandum erat, nam in re gravi et difficili, in qua sibi probe conscius erat Augustinus tantas esse difficultates, ut iis solvendis par non esset, præstabat, adversariis sæpius auditis, judicare, quam damnare illico inauditos, synodorumque, ne reditus ad mitiora consilia pateret, aliarum super aliis anathematibus infamare, et edicto imperatoris gravissime persequi. Fiducia veri, si qua fuisset, debuisset eo adducere Augustinum et alios, ut differrent ultimum de ea controversia judicium, sæpiusque quam opus erat audirent Pelagianos ; ne in iis damnandis aberrarent, seu quod rem ipsam, arduam sane ac difficilem, non satis intelligerent, seu quod adversariorum mentem non assequerentur. Res quæ tot ingeniis eruditione atque acumine insignibus crucem fixit, totque controversias per omnia sæcula excitavit, non debuit illico permitti paucorum Numidarum ac Afrorum judicio ; qui postea, cedere nescii, judicium hoc suum essent quovis modo defensuri, quemadmodum contigit. Doctrina etiam vera, sed plena difficultatibus, non debuit quasi caput fidei necessarium imponi, sine ulla Christi aut apostolorum auctoritate, qua eam necessariam esse constaret. Non debuit denique Pelagianis præberi justissima querendi causa, quod inauditi damnati fuissent. Sed audiamus Augustinum respondentem : *Absit a Christianis potestatibus terrenæ reipublicæ ut de antiqua catholica fide dubitent, et ob hoc oppugnatoribus ejus locum et tempus examinis præbeant ; ac non potius in ea certi ac fundati, talibus quales vos estis inimicis ejus disciplinam coercitionis imponant.* Verba hæc sunt victoris sed qui magis illa terrena auctoritate nitebatur quam rationibus, An ergo Christiani magistratus sine examine ullo debent eos vexare quos pauci episcopi inauditos damnarunt, quia antiqua fides habenda ἀδιαστάτως, quæ in provincialibus synodi numero suffragiorum comprobata est? Sunt ergo magistratus lictores cœtuum ecclesiasticorum, quibus parere eos oportet, non responsare. Si talia dixissent Ariani cum erant superiores, profecto intolerandæ tyrannidis merito insimulati fuissent. Sed horum me dudum distædet. Itaque manum de tabula.

JOANNIS ULIMMERII PRÆFATIO

AD JACOBUM PAMELIUM SACR. LITTERARUM LICENTIATUM AC BRUGIS CANONICUM, DE INDICULO POSSIDII.

Quanta hactenus, vir humanissime, hominum quorumdam in judicando temeritas fuerit, quidvis D. Augustini esse clamantium, ac pro animi arbitrio reclamantium, haud quisquam facile crediderit, nisi ipsam rei veritatem ab antiquioribus proditam penitius introspexerit, et ad vivum (quod aiunt) resecuerit. In quo controversiæ genere, nemo nobis D. Possidio, ut qui ejus discipulus fuerit, potior disceptator haberi debet ; nam cum beatiss, Augustinus tam multa ediderit, dictarit, atque in Ecclesia acerrime disputarit, exceperit, et emendarit, vel adversus hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita, ut illis omnibus cognoscendis et perlegendis vix quisquam studiosorum sufficiat, nulli mirum videri debet quædam ejus scriptis admista esse quæ vix eruditi alicujus ac pii sunt, nedum D. Augustini, summa eruditione ac pietate viri ; et rursus quorumdam conjecturis (ne dicam præcipiti judicio et temetrario ausu) quædam sublata esse, quæ, vel omnibus tacentibus, phrasis ipsa atque incredibilis pietas Augustini esse loquebantur. Quare ne veritatis et verbi Dei avidissimos, Possidius, qui cum hoc nostro antistite annis ferme quadraginta, Dei beneficio ac dono, *absque amara ulla dissensione* (libenter enim ipsius verbis utor) *familiariter ac dulciter vixit*, in aliquo defraudare videretur, indiculum librorum, tractatuum, et epistolarum ejusdem, omnibus studiosis promissum conscripsit et exhibuit, quem tamen in hunc usque diem omnes qui Augustino non favere non possunt haud citra summam exspectationem votis ardentissimis desiderarunt, ne posthac (ut rectissime scribis) censorum quorumdam temerariis judiciis fluctuarent incerti. Eum ego non alibi a me inventum ac nusquam exstare existimatum, in Villariensis abbatiæ venerandæ antiquitatis codicibus longe instructissima bibliotheca excutienda occupatissimus, ac, tuo exemplo, illius avidissimus, nihil minus cogitans, reperi. Quem ut aliquando in lucem (cui nunquam antea assueverat) edere vellem, non semel id litteris ad me missis, quibus et operam et partem magnam sumptuum liberalissime offerebas, hortatus es ; ne diutius qua exspectatione frustrarentur viri docti, quos nulli rei magis inhiare crediderim. Hactenus tamen ejus editionem quamlibet multum postulatam differre visum fuit, ut nostris marginum scholiis illustratus (quibus et per ipsum Augustinum et per veteres Patres qui ejus scripta passim citare non dubitant opera esse Augustini convincuntur) ac in commodiorem atque aliquanto concinniorem ordinem redactus, in lucem, sub tui

nis auspicio, prodiret, quando aliud tibi nequa- A scripserant: *Divino afflati Spiritu sermone proprio atque stylo, et auribus et oculis scire volentium, dicendo et scribendo similia, studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia in rebus humanis, et vivere et usque in finem obitus perseverare meruerunt.*] *Afflatos divino Spiritu* vocat bono consilio atque animo vitas scribentes, quia omnia bona a divino afflatu procedere putabat. Nemo tamen neget esse recte facta quædam humana, quæ Deo quidem ut humanæ naturæ auctori debentur, si ad supremam causam ascendamus; sed quæ nonnisi incommode *afflatu* ejus fieri dicantur, propter admistas nimis multas ingenii humani imperfectiones. Sic ipse et alii bono animo, ut putabant, scripserunt vitas superiorum episcoporum; qui eorum animus, credo, ex officii sui cognitione natus erat, ac proinde Deo quoque, officii exactori, vel hoc sensu tribuendus. Sed afflati sane a Deo non fuerunt ut fere dissimularent vitia et delicta eorum quorum vitas scribebant, virtutesque ac dotes modicas præter omnem modum extollerent, et venia indigentia quasi miranda describerent. Ejusmodi enim encomiis, ne alia objiciam, fit non tam ut incauti lectores eorum virtutes imitenteur, et vera placita sequantur; quam ut vitia dissimulata quasi licita et honesta, erroresque quasi veritatem defendendos sibi proponant; neque enim putant, si fugienda hæc essent, dissimulaturos fuisse harum vitarum scriptores; nec se peccare posse credunt, dum viros usque adeo laudatos imitantur. Ei incommodo obviam ire voluimus in animadversionibus nostris, ubi ut laudanda candide et libenter laudavimus, sic nec vituperanda dissimulavimus; quamvis multum absit ut omnia attigerimus, quod immensæ erat operæ, nec uno volumine fieri potuisset. Verum quidquid conatus sum, id ex amore Dei et proximi profluxisse novit ille cui animorum arcana patent; quem, ut tenebras opinionum nostrarum affectuumque frustrationes discutiat luce adventus Filii sui, etiam atque etiam oro. Amen.

i gratius esse posse certum habebam. Nam
topere iisdem studiis delectareris, etsi antea
eram e cognato tuo Ludovico Carrione juvene
illiterato, in cujus ore mihi plane habitare
es, adeo tuum erga se studium, munificentiam
vorem frequenter nobis summa cum animi
tate prædicat; magis id tamen venerabilis ille
tuus, nuper in officina Hervagiana renatus, ac
rum librorum accessione, non sine immensis
tibus ac studiis auctus, testatus est. Maximam
in spem adducor fore, ut quæ temporum inju-
tenebris adhuc jacent et cum blattis ac tineis
i rixantur, ea tu, quæ tua est in veteribus
irendis indefesso studio diligentia, aliquando
opatulum allaturus, et quod nostris qualibus-
B
ie laboribus deest, indubitanter adjecturus sis.
dem comperi et ego, post hanc nostram abso-
i editionem, nonnulla esse quæ diligens lector
ius et magis plena numeris suis tradita, optare
. In marginibus vero librorum nostrorum (ut
is consilii mei tibi constet ratio) satis habuimus
inum tomos adnotare, omisso paginarum nu-
, quod is in aliis atque aliis exemparibus, alius
ilto diversissimus sit, nec idem omnibus res-
ire possit. Cæterum hanc opellam et qualem-
ie industriam nostram, te auctore susceptam,
recordarer; abduci ab eo non potui quin gene-
D. T. consecratam humiliter offerrem. Accipies
eo quo offerimus animo et pro tua solita hu-
C
ate, adversus calumniatorum insultus, nostros
us tuebere.

e multum, observande Domine, nosque tui
sissimos mutuo dilige. Lovanii, e nostro
niano cœnobio, 9 calend. Apriles, anno 1564.

ANIMADVERSIONES

IN VITAM S. AUGUSTINI.

fat. de iis qui vitas virorum ecclesiasticorum

VINDICIÆ
AUGUSTINIANÆ

QUIBUS SANCTI DOCTORIS SCRIPTA ADVERSUS PELAGIANOS AC SEMI-PELAGIANOS

A RECENTIORUM CENSURIS ASSERUNTUR

AUCTORE P. M. HENRICO DE NORIS,

VERONENSI AUGUSTINIANO

. . . . . Socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret.
VIRGIL. *Æneid.* x, 790-800.

EPIGRAMMA.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini.
Carpere, et adversum condere fertur opus.
Usque adeone bonum ingenium et facundia dives
Ostentare artem non aliter potuit?
In nova prostratas acies nisi bella cieret,
Impiaque exstinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua; te stylus iste
Conficit, et verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras.
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles.
Oris Apostolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credes,
Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.
S. PROSPER AQUITANUS *adversus Calumniatorem.*

ALIUD EPIGRAMMA.

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adussit edax.
Qui caput obscuris in contextum utcunque caverna
Tollere humo miserum perpulit anguicolum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat, quæ parturit, edat;
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa torqueat arte caput,
Currentem attritos super aspidas et basiliscos
Declinare senem vipera non poterit.
S. PROSPER, *ibid.*

PRÆFATIO

Neminem non mirari existimo, tantam fuisse quorumdam recentium scriptorum, ut mitissime loquar, animositatem, qua Augustinum maximum illum catholici orbis magistrum editis libris impetere ausi sunt, ut ejusdem defendendi necessitas iis imponatur, qui illum impensius colunt. Et quidem jam inde ab exorientis mali primordiis majores nostri, qui ex vitæ instituto Augustinum uti parentem sanctissime reverebantur, erumpentem novorum censorum audaciam reprimere conati sunt. Ludovicus ab Angelis insignis apud Olyssiponenses sacrorum arcanorum interpres sancti doctoris auctoritatem a plurium calumniis vindicavit (*Lib.* v *de Vita Aug., cap.* 14 *et* 15), et sanctorum Patrum elogia eidem ob Pelagianos ac semi-Pelagianos expugnatos delata singulari diligentia congessit, unde postea eadem cæteri mutuarunt. Sed cum malum quotidie glisceret, atque in scholasticis recentiorum quorumdam disputationibus Augustini doctrina in iis præsertim quæstionibus quas cum divinæ gratiæ hostibus idem habuerat, passim traduceretur, ita ut summus Ecclesiæ doctor in ordinem propediem reducendus videretur, Basilius Pontius Legionensis, magnus apud Salmanticenses theologus, non modo suos Augustinenses, verum etiam sapientissimos Dominicanæ familiæ Patres, ipsamque Salmanticensem Academiam in Augustini partes traxit (*Apologia jurament. Salmant.*), quo veluti succenturiato præsidio sancti doctoris auctoritas adversus recentiorum impetus muniretur. Hinc, Pontio auctore, Salmanticæ anno 1627 famosum illud fœdus ictum est, ea præcipue conditione, ut qui theologica laurea donandi forent, concepto prius juramento Augustinianæ doctrinæ defendendæ sese astringerent. Eo nobilissimæ Academiæ facto Augustinianæ auctoritati satis consultum videbatur, præser-

tim cum etiam Lovaniensium theologorum facultas jam pridem in Augustini verba jurasset. Cæterum exortis Jansenianis dissidiis plerique longe acerbiora contra Augustinum et loqui et scribere non extimuerunt. Non defuere tamen ex nostra familia viri qui magni parentis partes acerrime defensarent. Hos inter emicuit Pater Carolus *Moreau*, Gallus, qui tomo primo suarum in Tertullianum Animadversionum satis prolixas vindicias pro Augustino inseruit, quod itidem antea præstiterat vir insignis Joannes Rivius Belga libro quarto de Vita Augustini. Sed profecto nostros hosce scriptores et laterem lavisse, et surdis cecinisse experti sumus; tantum enim abest ut illi ab incepto destiterint, ut majori longet apparatu atque infestioribus armis in Augustinum moverint, hæc adversus Hipponensem doctorem scripturientes: « Augustini doctrinam obscuram, difficilem, intricatissimam, secum ipsa pugnantem, pluribusque erroribus obnoxiam esse. Positum illum sub caligine. In Pelagianis oppugnandis ultra veritatis limites æstu disputationis abreptum. Licitum esse nedum judicem, sed ne arbitrum quidem honorarium in controversiis de divina gratia illum admittere. Ipsius arma non esse inexpugnabilia, neque satis apta ad Calvinistas superandos. Hæreticorum argumentis minime satisfecisse, neque positas abs se theses convincentibus argumentis comprobasse. Non esse sepeliendam scholasticam, ut unus regnet Augustinus, sed hunc ipsum ad scholasticæ amussim exigendum. Ridiculos Augustini adoratores ad nauseam hyperbolicas in eumdem laudes congerere. Volentem impugnare Augustini sententias habiturum adjutorem Deum. » Hæc, aliave pene innumera addidere, quæ in calce hujus Apologetici referemus. Ferunt Crœsi regis filium a puero mutuæ (*Herodot., lib.* I), cum parentis jugulum stricto mucrone impeti ab hoste cerneret, ruptis derepente miserantis naturæ impetu perpetui silentii vinculis exclamasse: Ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. At nos, quibus integer loquendi usus est, Augustinum parentem optimum, doctissimumque novorum censorum scriptis impune lacerari permittemus, et illis quidem mille conviciorum plaustra in sanctum doctorem congerentibus, nos eadem citra querelas plenis auribus excipientes, ansati pacem servabimus, quasi ea nos nihil tangant? Degeneres sane ac spurii censendi essemus, imo amentes prorsus vel saxei, si in tanto parentis discrimine stylo parceremus, qui et esse et haberi volumus Augustiniani. Patris honor lacessitur, pietatis est eumdem ab adversariorum dictis vindicare. Ecclesiæ magistri doctrina impetitur, fidei est illam a quorumcunque impetu asserere. Divi fama decurtatur, religionis est eamdem sartam tectamque servare. Quantorum ergo criminum rei evaderemus, si vulgari forte adversariorum æstimatione, aut eorum qui eisdem suam vendidere fidem, auctoritate coerciti injustas adeo in Augustinum peractas censuras surda aure pertransiremus! Diu quidem siluimus, privatisque querelis ingentem animi dolorem egerere curavimus, meliorem] hisce hominibus erga Augustinum mentem comprecantes. Sed nihil profecimus patientia nisi ut graviora tanquam de facili tolerantibus ingererentur, unde pejora in dies audientes, jam tandem quantulamcunque hanc nostram advocationem Augustino commodare coacti sumus. Neminem vero adeo pietatis ac religionis expertem futurum arbitror, qui hocce Apologeticum torvis oculis intueatur, nigrumque eidem theta præfigat. Etenim, ut olim ad Constantinum Augustum Lactantius scripsit (*Lib.* V *Instit. cap.* 1): « Si sacrilegis, et proditoribus, et veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita causa licet, non injuste petere videmur, » ut Augustino, qui veluti Christiani orbis deliciæ, teste sancto Cœlestino papa, « ubique cunctis et amori fuerit et honori, » Aliquis sit defensioni locus. Nam pessima foret nostrorum temporum conditio, si Augustini censoribus utraque auris daretur, eorumque injuriosa nimium Augustino volumina per ora manusque hominum volitarent, et sancti doctoris defensores non modo inauditi judicio excluderentur, verum etiam eisdem silentium lata lege indiceretur. Immane ac barbaræ prorsus feritatis exemplum fuerit, cum Rhadamistus tyrannorum truculentissimus Mithridatis Armeniorum regis filios, quod « parentum cædibus illacrymaverant, » trucidavit (*Tacitus, lib.* XII *Annal.*) Iniquus sane judex sis, qui, Patre nostro mille conviciis lacessito, ut Hieronymi verbis utar (*Apol.* 2 *cont. Rufinum*), « ne gemitum quidem ac lacrymas dolori liberas esse concedis. » Legimus, cum Nerone imperante virtus omnis pro crimine haberetur, Aruleno Rustico ac Herennio Senecioni, quod innocentissimos ac sapientissimos cives laudassent, « capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores, sed in liberos quoque eorum sævitum (*Tacitus. in præfat. ad Vitam Agricolæ*). » Sed absit ut hoc facinus nostri sæculi sit vel exempli: neque enim homines ab avita erga divos religione adeo recessisse putandi sunt, ut Augustini laudes indignantes audiant, atque editum hunc nostrum pro eodem librum irata manu discerpant. Magnus stoicæ sectæ professor Seneca merito impias Præxaspis Persarum satrapæ voces execratur (*Lib.* III *de Ira, c.* 14), qui cum citra gemitum sub oculis transfigi sibi filium a Cambyse rege vidisset, ab eodem interrogatus num certo ictu pransus ad scopum collimaret, tyranni dexteram filii sanguine cruentam, fumantemque per detestabilem adulationem laudavit, paremque in sagittando Apollini illam dixit. Itane corpore, sed magis animo servi exemplum secutis, novorum censorum manus, quas stylis armatas Augustino intulerunt, laudibus, imo et osculis nobis implendæ erunt? Hominum quam divorum amantior hanc nobis iniquissimam legem imponet, a qua tamen nos liberos esse scimus, quippe qui ad Augustini defensionem suscipiendam apostolicæ sedis decretis impellimur, quibus refragari sit nefas. Cum Pelagiani veteres illi Augustino-mastyges litteras quasdam publicassent, in quibus sanctus doctor pessime traducebatur, Bonifacius pontifex indignatus doctissimi viri nomen quoquam convicio pulsari, easdem hæreticorum litteras ad Augustinum per Alipium deferendas curavit, quo se ab impostorum calumniis vindicare

posset. Hinc amantissimo Patri scribens Augustinus (*Lib.* I *ad Bon., cap.* 1): Ago autem gratias, inquit sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum, sed spero de Domino Deo nostro quod non sine mercede, quæ in cœlis est, illi me lacerant dente maledico. » Sed et Bonifacii successor Cœlestinus ejusdem sanctissimi doctoris honori optime consultum voluit: siquidem vix Augustino inter superos relato nonnulli, quorum. teste sancto Prospero (*In præfat. cont. Collat.*) « nec ordo in Ecclesia, nec ingenia despicienda videbantur, » eidem Galliis petulanter obloqui, illiusque libros censoria auctoritate examinare ausi sunt, qui cum essent, eodem Prospero auctore, « bonæ opinionis viri, habentes speciem pietatis in studio, » Hipponensis magistri famam ac doctrinam in certum discrimen traxissent, ni Cœlestinus gliscenti malo præsentissimo remedio obviam ivisset. Etenim ubi adversariorum machinationes, delatoribus Prospero et Hilario, cognovit, litteras ad Galliarum antistites dedit, quibus eisdem indignatus quod Augustinum impune percelli permitterent, « Timeo, inquit, ne connivere sit hoc tacere, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui: in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret; merito namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. « Dein totius in sancti Angustini dudum sibi, cum in vivis esset, amicissimi laudes effusus, « Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, et inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserint, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus. » Jubet ergo apostolica sedes ut Augustini censores « corripiantur, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem; lata lege etiam sancit, « resistendum talibus. » Hoc sane veteres Augustinianæ scholæ proceres Prosper, Fulgentius, Cæsarius, Prudentius, Rhemigius eruditione æque ac sanctitate percelebres magno animo exsecuti, Augustini scripta contra Semi-Pelagianorum aliorumque insultus defenderunt. Hoc ipsum plurimi recentiores summa cum laude præstiterunt, quorum omnium studia vicit eximius P. Macedo, tot pro ejusdem Patris doctrina in lucem libris emissis. Quare pontificiis mandatis obtemperans, tantorumque Patrum exempla licet longo positus intervallo secutus, recentiores quosdam Augustinianæ doctrinæ censores in jus vocare decrevi. Quod quidem judicium majori qua potero modestia prosequar; nunquam enim meliorem causam fecit petulantia dicentis, sed sæpe pejorem. Amici mihi illi sunt, sed usque ad aras, usque ad Augustinum meum. Omnia præteribo quæ mihi acerbiora dictu videbuntur, neque solum quid illos audire, sed etiam quid me deceat dicere, considerabo. Quod si quidpiam forte amarulenti exciderit, id propriæ tribuant importunitati, qua nos in eam necessitatem conjecere, ut sine graviori quandoque censurarum reprehensione vix possimus Augustinum pro dignitate defendere. *Hic interim liber*, ut Taciti de Agricola scribentis sententia utar, *honori* Augustini P. N. *destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus.*

VINDICIÆ AUGUSTINIANÆ

CAPUT PRIMUM.

Refelluntur argumenta quibus nonnulli contendunt doctrinam sancti Augustini de prædestinatione et gratia esse difficilem et obscuram. Sanctissima Clementis X pont. opt. max. pro sancto doctore sententia.

Antequam quorumdam recentiorum convicia, quæ contra sanctum doctorem plurima congessere, sigillatim referam refellamque, operæ pretium duxi recensere quid Augustino, quod ad traditam contra Pelagianos de divina gratia ac prædestinatione ab illo doctrinam universim opponant; inquiunt enim esse illam difficillimam, obscuram, intricatam, inconstantem, variam, ultraque veritatis lineas excurrentem. Quam quidem accusationem cum pluribus argumentis conentur persuadere, eadem nobis solvenda sunt, ne quid forte detrimenti apud imperitos nimiumque credulos Augustiniana doctrina patiatur. Joannes Adamus hasce contra Augustinum objectiones struxit, cujus quidem auctoris factum duplici odio dignum judico, vel eo quod doctrinam, quam sapientissimi quique ad usque sidera extulere, deprimere tentavit, vel eo maxime quod Augustinianis armis contra Calvinum decertare professus, eadem ipsa arma mille dicteriis infamat, dubiumque facit sitne Augustino vel Calvino infestior hostis habendus. Adamus hunc titulum in libro vernacula lingua exarato inscripsit: *Calvin défait par soi-même et par les armes de saint Augustin qu'il avait injustement usurpées sur les matières de la grâce, de la liberté et de la prédestination.* Nempe: *Calvinus destructus suismet, et sancti Augustini armis, quæ idem injuste usurpavit in iis quæ ad gratiam, libertatem et prædestinationem pertinent*, Augustini nomine grandioribus characteribus, atque ex utraque parte paginam implentibus delineato. Porro volumen illud in partes est divisum tres, in quarum priori et altera nihil de gratia et prædestinatione disseritur, rariusque in iisdem Augustini

sonat, in postremam tantum partem de illis A lumniosa pronuntiaverit, hac præclarissima censura
is quæstiones rejecit. Quo consilio id egerit concludit : « Sed illud quod tenebris ac nubibus libros
on ignorat : scripsit enim cum vel maxime hujus sancti et sapientis doctoris obduxit, quodve
mi tumultus in Galliis ebullirent. Cæterum adnotatum fuit a celeberrimis theologis, est quod
voluminis postrema parte plus operæ contra non absque profunda meditatione non semper distin-
num quam contra Calvinum ponit. Etenim guit id quod docet uti dubium, et quod tradit, ut in-
ibus decem capitulis late in unum Augusti- dubitabile ; quodve dicit adversarios impugnans, et
vectus integris viribus decertat ; in quinque quod docet sua defendens. Sæpe oppositas sibi ab
equentibus veluti in Augustino persequendo adversariis objectiones in eosdem retorquet, eos in
us contra Calvinum stylum deflectit. Verum absurditates miras conjiciens. Instantiam instantia
mo sexto, quo universo volumini nobilem solvit ; inconveniens refutat difficultate longe majori.
nem imponat, resumpto animo iterum in Au- Ulterius, non clare exponit, num objectiones ad suos
m irruit, ut saxei sane cordis censendi sint hostes impugnandos proponat, vel quod in eis cum
a non dicam indignationem, sed execratio- iisdem conveniat, etc. Hæc quidem ejusdem addita
so sancto doctori injuriosa verba perlegerint. perplexitati in sententia proferenda in hac materia,
est, Adame, Calvinum, an Augustinum de- B ac considerata insuper distinctione librorum ante
? Promiseras te sancti Augustini *armis* cum episcopatum et in episcopatu scriptorum, nec non
congressurum. At quanti per tuam fidem dissidiis doctorum ob veram ejusdem doctrinæ in-
a illa arma facis ? Clamas : *Arma Augustini* telligentiam percipiendam, mihi licitum est con-
nabilia non esse, cap. 4, pag. 581. Itane *jac-* cludere, noluisse suos sensus clare exponere, vel in illis
beos pugiones, ut facete lib. III. cont. Jul. cap. explicandis non ita felicem fuisse, ut nullus de ejus
Augustinus, queis adversarii jugulum petas ? mente dubitandi supersit locus. Quare immerito vo-
igustini auspiciis in hostem moves, et ducem lunt ipsum esse oraculum gratiæ et concilii Triden-
ium mille dicteriis oneras ? Sanctum doctorem tini interpretem. » Quid arrogantius, quid absurdius,
nistis abs te vindicatum iri promittis, et eum- quid indecentius contra Augustinum dici possit, non
stibus prodis ? Hæc loqueris pag. 640, cap. 8 : video. At quo consilio illa eructarit, satis est mani-
a verborum sancti Augustini altitudinem me festum, nempe ut Augustini deserendi impositam sibi
em, Calvinista essem. Addis cap. 16, pag. 760: necessitatem ostenderet. Quotusquisque enim est
iverso notum est, inter omnes Patres unum Au- qui Augustinum præ aliis sequi malit, si vera sunt
m eucharistiæ mysterium maxime confudisse. C quæ eidem Adamus opponit ? Hinc cap. 16, pag. 760,
uod scribis pag. 596, cap. 4, Augustini dicta clamat : « Hæ Augustini tenebræ me cogunt ad lu-
se apta *ad exarmandos Calvinistas* ? Præterea cem alibi quærendam, quam quidem in synodis et
inum, inquis, sensisse impiorum hominum aliorum doctorum libris invenio. » Habemus homi-
ationem ab originali culpa esse derivatam, et nis confessionem.
anc unicam esse causam pag. 584 ; at cap. 10, Victorinus, celeberrimus quondam Romæ rhetor,
7, scribis eam sententiam *tibi licitum esse hor-* ac Hieronymi et Augustini præconio orbi notus, vo-
uod mater est illius, quam Calvinus tanta impie- luminum obscuritatem triplici ex causa oriri dicebat,
tate contra Ecclesiam inculcat. Et pag. 621, ut testatur sanctus Hieronymus in procemio lib. XIII
testaris Augustinum dixisse *manuam et eu-* in Ezechielem : « Vel rei magnitudine, vel doctoris
iam esse ÆQUALITER *figuram Jesu Christi*. Quæ imperitia, vel audientis duritia. » Poterat quartam
Calvinistarum hæresis est. Putasne Calvini addere, nempe docentis malitiam, quod Aristoteli
res ac Genevensem scholam non plenis auri- vitio vertitur obscuris verborum involucris suos sen-
gentique plausu isthæc tua dicta excepisse, sus occulenti. Sancti Augustini doctrinam de gratia
judice suum fere videant Augustinum, quem et libero arbitrio ac prædestinatione esse obscuram
contra eosdem stare, te demonstraturum pro- D atque difficilem ob rei magnitudinem, ob divinorum
s ? Sed his omissis, ob quæ Calvinistæ gratias consiliorum profunditatem, ob mysterii secretissimi
it, saltem debent, quam contra sanctum doc- altitudinem libenter concedimus. Quis enim ignorat
accusationem instituas, audiamus. quantum omnium ætatum sapientibus difficultatis in-
ie Adamus, quem intelligo inter *celebres auc-* gessit humanæ voluntatis liberæ cum divina præ-
sodalibus numerari, capiti quarto hunc titu- scientia ac prædestinatione concordia ? Testes sunt
edit (*Dial.* VI *de Opin. probabili*) : *Doctrinam* veterum philosophorum errores. Inde enim Stoici
Augustini de mysteriis gratiæ, libertatis, præ- fatum invehentes liberum arbitrium suffocarunt : alii
tionis et eucharistiæ esse difficillimam intellectu, cum Cicerone contingentium scientiam Deo sustu-
obscuritatem magnas divisiones tum vivo, tum lere. Hinc pariter inter scholasticos theologos diu-
Augustino peperisse, etc. Rursus caput sextum turna ac perpetuo duratura dissidia orta sunt. Ipsi-
ribit : *Nova argumenta ad probandum doctri-* met recentiores, qui planiori se via iter carpere
ncti Augustini de mysteriis gratiæ et prædesti- gloriantur, in pluribus, de divinis prædefinitionibus,
s esse obscuram et difficilem intellectu. Pag. 610. scilicet de objecto scientiæ mediæ, de gratia congrua,
quidem capite cum plura tum falsa, tum ca- aliisque secum invicem acerrime concertantes, civili

eo bello rei difficultatem fatentur. Molina in Concordia quæst. 14, art. 13, disp. 53, memb. 2, § *Parvi pendunt*, fatetur, semet pertinaci viginti annorum labore insudasse, quo humanam libertatem cum mysteriis gratiæ ac prædestinationis componeret, qui tamen Thomistarum judicio inanem operam posuit. Sed hoc sub lite dimisso, certe eo conatu difficillimam provinciam se aggressum ostendit. Suarius omnium recentiorum gravissimus scriptor tomo II de Grat., lib. v, in præludio agens de gratia efficaci, idem ingenue affirmat. Hinc Augustinus, epist. 47, ad Valentinum, vocat eam quæstionem *difficillimam et paucis intelligibilem;* et cap. 47, de Gratia Christi, *ad discernendum difficilem*. Idem serm. 5 de Verbis Apostoli, cum de divina gratia verba ad populum facturus esset, dixit se *habere propter obscuritatem rerum difficilem disputationem*. Cæterum sapientissimus vir obscuris lucem et difficilibus facilitatem quantum potuit ingessit. Nulli sane labori pepercit quo et clarissime et planissime loqueretur ; precibus etiam Deum subinde rogabat ut ad captum populi de gratia disserendi facultatem sibi impertiretur. Audiatur in procemio serm. 13 de Verb. Apostoli, cum in superioribus de lege et gratia fuse perorasset : « Verbi Dei, inquit, altitudo exercet studium, non denegat intellectum. Si omnia clausa essent, nihil esset unde revelarentur obscura. Rursus si omnia tecta essent, non esset unde alimentum anima perciperet, et haberet vires quibus posset ad clausa pulsare. In lectionibus apostolicis superioribus, quas charitati vestræ, quantum Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem et sollicitudinem passi sumus. Compatiebamur vobis et solliciti eramus et pro nobis et pro vobis. Quantum autem existimo adjuvit et nos et vos Dominus, et ea quæ prorsus difficilia videbantur sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum » etc. Libro etiam tertio de peccatorum Meritis et remissione, cap. 2, futuris adversariis qui sibi loquendi obscuritatem objecturi erant, hisce ora obstruxit : « Quia ea quæ pro natura quæstionum dilucide dicta existimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia vel pro meæ facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur. » Et quidem libri isti primi fuere inter eos quos supra triginta pro divina gratia asserenda adversus ejusdem hostes elucubravit. Quare cum Augustinus vel initio disputationis recens exortæ, indeque satis obscuræ ac difficilis, dilucide se locutum dixerit, quos clarissimæ doctrinæ radios re satis superque tot annorum spatio, tot publicis privatisque congressibus, tot denique voluminibus epistolisque discussa atque explicata sparsisse dicendus est? Sane cum Julianus sancto doctori obscuritatem objectasset, hocce ab Augustino responsum tulit : « Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, et quæcunque vobis sua radiante luce molesta sunt, contra illa clauditis, ne inde nox fu-

A getur erroris. » Lib. III Operis imperf., cap. 61. Et cum idem hæreticus sancti doctoris sententiam intellectu difficilem esse opponeret, respondit Augustinus : « Prorsus intelligor, velis nolis ; sed tu contra ista nihil dicturus, vis non intelligi quod ego verissimum atque firmissimum dixi. » Lib. IV, cap. 140. Lege de his plura in Antithetis.

Cæterum Adamus coctam olim a Pelagianis crambem recoquens, Augustinianam doctrinam vitio obscuritatis infamat, quam non mysteriorum magnitudini, non debili lectorum intelligentiæ, sed Augustini malitiæ deputat, quippe qui suos sensus clare dicere noluit, vel saltem non valuit, ut scribit pag. 615. Itane magnum illud Africanarum synodorum Ingenium, quo nomine audivit Augustinus ex Prospero, B cap. 2 contra Ingratos, adeo bardum vel invidum judicas, ut post viginti fere annorum conatus nondum suam sententiam explicare potuerit, aut, quo solus sapere videretur, noluerit tanto cum Ecclesiæ totius detrimento ? Sed videamus quibus argumentis cap. 4, 5 et 6, probare recentior ille conetur, sancti Augustini doctrinam de gratia et libero arbitrio, nec non de prædestinatione esse obscuram atque difficilem. Opponit initio statim cap. 4, pag. 590, Florum monachum Adrumetinum primum fuisse qui, Augustinianæ doctrinæ obscuritate deceptus, contra liberum arbitrium dogmatizarit. Etenim non intelligens Augustini epistolam ad Sixtum, contra hominis libertatem eam loqui existimabat : at cum C reliqui monachi oppositum defenderent, res ab ipso Floro aliisque ad Augustinum delata est, quibus instruendis sanctus doctor binas ad Valentinum abbatem litteras dedit, addito etiam libro de Gratia et libero arbitrio, alteroque de Correptione et gratia, in quibus ea quæ obscurius in epistola ad Sixtum dixerat, clarius explicuit. Verum antequam pravam illius epistolæ intelligentiam non ex Augustini obscuritate, sed ex lectorum duritie, ut Victorini verbis utar, derivasse ostendam, supina Adami in Augustino legendo incuria castiganda est, qui Florum monachum haud rectum illius epistolæ sensum tenuisse calumniatur, cum aperte Augustinus illum quidem recte sensisse testetur, sed non fuisse ab aliis intellectum, ita enim ad monachos illos scribit cap. 1 de Corrept. D et grat. : « Hanc fidem, quæ sine dubio vera, et prophetica, et apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo, unde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant. » Itaque monachi quidam sancti doctoris epistolam non intelligebant, cujus tamen sensum optime Florus assecutus, nihil ex Augustini verbis obscuritatis passus est. Unde prava illorum intelligentia non Augustini vitio, quod noluerit aut non potuerit clare loqui, danda est, sed debili monachorum captui, qui necdum Augustinianam epistolam non percipiebant, sed nec Florum eamdem pluribus explicantem intelligebant. Sed de his fusius diximus lib. I Hist. Pelag., cap. 23, et lib. II, cap. 15.

Addit Adamus pag. 591 : « Hos primos apud Africam motus ex Augustinianæ doctrinæ obscuritate ortos Gallicani tumultus consecuti sunt. Viri enim tum pietate tum doctrina insignes Massiliæ et apud vicinas insulas, ægre ferebant Augustinum, cujus magna in Ecclesia æstimatio erat, nonnulla docuisse quæ ob obscuritatem Prædestinatianorum hæresi ea tempestate per Gallias gliscenti favorem præbere videbantur. Porro cum hæc latius diffamarentur, Prosper et Hilarius de his Augustinum per litteras certiorem reddidere, quo clarius suam mentem aperiret. » Fabulas bellas nectit hic scriptor ; nam ii de quibus Prosper et Hilarius ad Augustinum scribunt, nequaquam fuere Prædestinatiani, qui ex Augustini obscuritate in errores lapsi essent, sed fuere Semi-Pelagiani, Cassianus, Hilarius. Vincentius, Faustus, aliique, ut fusius libro II Historiæ Pelagianæ demonstratum est; illi enim fidem et perseverantiam esse dona Dei pernegabant, nobis ex nobis ipsis ea provenire dictitantes. Nullos sane tunc fuisse Prædestinatianos patet ex litteris Prosperi et Hilarii, neque enim Augustini ipsius doctrinam in pravorum dogmatum fundamentum a Prædestinatianis sumi, sed a plurimis illam impugnari dicunt, uti novam et absurdam. Dabo initium epistolæ sancti Prosperi, inde enim objecta Augustino obscuri, ex qua in Galliis tumultus exortos fingit adversarius, evanescit : « Multi ergo, inquit, servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc, atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione et gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres, quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas, quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quam fuerant recesserunt. » Hæc ille. Audin' Massilienses non Augustino obscuritatem objecisse, sed *tarditatem suam culpare maluisse, quam non intellecta reprehendere*? Narrat autem nonnullos lucidiorem expositionem postulasse, non quod illa quæ Augustinus astruxerat, obscura erant, sed quod eadem clarius ad ipsorum captum exponi peroptabant, quæ tamen acutioris ingenii viris satis essent manifesta. Rursus ait eosdem postea *suæ persuasionis obscuro impeditos* Augustini doctrinam aperte ac probe intellectam oppugnasse, Augustini vero sectatores ex iisdem sancti Doctoris libris *intelligentiores multo instructioresque esse factos*, quod non est de Augustini mente minus recte propter obscuritatem percepta rumores in Galliis exortos, ut fingit Adamus, sed de ejusdem doctrinæ omnibus notæ veritate litigia enata esse, Prospero, Hilario aliisque Augustinum defendentibus, Cassiano e contra cum fœderatis eumdem impugnantibus. Scribit Adamus pag. 594, Prosperum et Hilarium, quod a nonnullis presbyteris Prædestinatianis suosmet errores Augustini nomine suffulciri cernerent, rei indignitate commotos ad Cœlestinum papam profectos, qui e vestigio litteras ad Galliæ episcopos dedit, quibus, do verba Adami pag. 595, *ora obstruit omnibus istis presbyteris qui suos errores sub obscuritate verborum sancti Augustini tegebant*. Si et delatoris Prosperi dicta, et Cœlestini judicis lata pro Augustino vindicando sententia intercidissent, poterant illa utcunque ab Adamo fingi, quo Augustinianam obscuritatem illorum tumultuum fontem persuaderet. At ex Prosperi et Cœlestini scriptis apertæ falsitatis reus tenetur. Hi, contra quos Prosper, ejusque collega Hilarius Romam profecti sunt, non fuere nescio qui presbyteri Prædestinatiani sub Augustini nomine errores suos venditantes, sed fuere plane Semi-Pelagiani Massilienses, qui sancti Augustini libros et doctrinam lacerabant. Hoc fusius a nobis probatum est lib. II, Hist. Pelag., cap. 15, quæ hic repetere non vacat.

Pergit cœpto Adamus novis argumentis Augustinianam obscuritatem probare enitens. Opponit quod de ejusdem sententia de prædestinatione ingens inter theologos controversia est, pag. 596 addens adeo illam esse difficilem, ut graves tumultus in Ecclesia excitarit. Tradit etiam quosdam ex Augustini sectatoribus in materia de gratia illum deseruisse, vel non ausos fuisse Augustini dogmata publice defendere pag. 610, initio cap. 10. Ter etiam sententiam ea in quæstione mutasse pag. 597, et pag. 611 addit Augustinum sæpe confessum esse difficultates vel a se vel ab adversariis contra mysteria gratiæ et prædestinationis propositas datis a si solutionibus non elidi, suamque mentem plus objectionibus commotam fuisse, quam responsionibus sedatam. Item eumdem, cum alicujus insuperabilis difficultatis pondere premeretur, ad illa Scripturæ verba confugisse : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* etc. (*Rom.* XI). Præterea tradit ibidem inchoasse Augustinum Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos, ubi Apostolus de mysterio prædestinationis tractat, sed rei altitudine deterritum opus imperfectum reliquisse. Tandem pag. 614 difficultatem veræ et germanæ Augustinianæ sententiæ assequendæ inde probat, quod non una est ejusdem ac constans semper opinio, sed diversæ atque pugnantes. Ego quidem responsionem paucis perstringo ; neque enim nego. tium adversarii objecta nobis facessunt. Gallicani illi tumultus non inde orti sunt, quod obscura vel diffi-

cilis intellectu Augustini sententia habebatur, sed quod plerique eamdem sententiam probe ab ipsis intellectam contrariam putabant antiquorum Patrum definitionibus, teste Prospero in epistola ad Augustinum. Duo enim hic distinguenda sunt : vel enim difficilis asseritur Augustini sententia, quod intelligi non nisi difficulter possit, vel quod licet recte percipiatur, humano intellectui durior videtur, cuive non ita facilis assensus præbeatur. Primum sane falsum est, nam Massilienses optime Augustinianam sententiam de gratia Adami et stantis et reparati, de prædestinatione electorum, de eorumdem certo numero, de dono perseverantiæ assecuti sunt, ut palam fit ex litteris Properi et Hilarii, qui itidem cum aliis verum Augustini sensum tenuerunt, quem si nonnulli assequi nequivere, ipsorum ingenii debilitati deputetur ; neque enim soli vitio verti potest quod eum talpa non videat. In altero vero sensu difficilem videri sancti Doctoris sententiam de prædestinatione, nec ipse Augustinus negavit ; res enim secretissima est, quam tamen tot libris, quantum potuit, reddidit faciliorem. Non ibo inficias sancti Augustini sententiam de prædestinatione ante prævisa merita plures in Galliis turbasse, unde gravissimæ contentiones emersere, doctis quibusve in partes divisis. Neque enim indocti absolutam prædestinationem cum humana libertate componi posse percipiebant, et docti etiam viri idipsum ægre assequebantur. Cæterum Augustinus illorum dissidiorum certior factus, in libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ eamdem de prædestinatione sententiam et constanter tenuit, et solidissime confirmavit. Sane in libro de Dono perseverantiæ, cap. 20, respondens Massiliensibus, qui dicebant : « Non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari ; quoniam non minus utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides, » ostendit jam olim ante exortos Pelagianos eadem se docuisse, quæ postea contra eosdem operosius et diligentius demonstare compulsus fuerat : « Prædestinatio, inquit, prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi, » cap. 21. Et quidem sanctus doctor donum fidei et primam gratiam ex absoluto decreto Dei suspendit, quo omnia prorsus merita divina gratia antecederet. Hinc Semi-Pelagiani Augustino hostes facti per centum fere annos variis dissidiis Gallias fatigarunt, donec in Arausicana synodo II ex Augustini libris datis responsis diuturnæ illæ inter doctos homines agitatæ contentiones finem sortitæ sunt. Nullius sane culpæ Augustinus reus inde traducendus est, imo summis idem laudibus commendandus venit, qui Semi-Pelagianorum nec sapientia nec auctoritate deterritus, traditam semel de divina gratia atque prædestinatione ad initium saltem fidei (quod in confesso est apud omnes) sententiam pluribus demonstravit, neque per ipsum ullo modo stetit quin missis in Galliam duobus præclarissimis libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ natos ibidem tumultus compesceret. Cum Augustinus de initio fidei atque perseverantiæ dono ea docuerit quæ verissima sunt, et eadem in synodorum postea canones transierint, Cassianus, Faustus, Hilarius Arelatensis, aliique reprehendendi sunt, qui Augustino contradicentes erroneam doctrinam defendendo, gravissimas Galliæ turbas peperere. Ex his constat Adamum præpostere de illis Gallicanis dissidiis judicasse. Hinc recte sub Rhemigio sanctissimo ac doctissimo Galliarum antistite Ecclesia Lugdunensis ante octingentos annos de hoc ipso pronuntiavit : « Augustinus nec tanta perturbatione et commotione fidelium ab intentione veracissimæ et fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut revocari. Sed magis eos et scriptis suis in quantum potuit admonuit et instruxit, et orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent et agnoscerent quam necessario et quam salubriter propter commendationem divinæ gratiæ ejusdem prædestinationis veritas omnino et credenda et prædicanda esset. » Lib. de trib. epist. cap. 35. Itaque falso contra sanctum Augustinum locutus est Ludovicus Molina in sua Concordia, hæc scribens : « Augustini doctrina de prædestinatione plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant. » Neque enim rejicienda sunt pharmaca quod initio quidem sorpta stomachum delicatiorem turbare solent. Haud salus illorum periclitata est, qui in quæstione nondum ab apostolica sede decisa non ita se faciles præbebant ad Augustinianam sententiam recipiendam ; scimus enim Cassianum, Faustum, Hilarium Arelatensem episcopum, qui Semi-Pelagianorum principes fuere, uti sanctos in Galliis coli, ut in Pelagiana Historia, lib. II, cap. 12, nobis descriptum est. Quis autem non moleste ferat recentiores Augustini doctrinam uti Gallicanarum rixarum causam traducere, cum easdem omnino contentiones una ipsa sedaverit atque sustulerit, quandoquidem Arausicani canones qui pacem Galliis dedere, exscriptæ ad verbum Augustini sententiæ sunt ? Quod initio quidem factum fuisset, si Semi-Pelagiani sancti doctoris sententias recipere maluissent, quam eisdem contradicendo provinciam dissensionibus involvere. Ex his, ut ante inferebamus, illarum turbarum origo non in Augustinum, sed in ejusdem hostes rejicienda est. Porro falsum est, quod scribit Adamus pag. 610, in materia de gratia et prædestinatione nonnullos sectatorum sancti Augustini ipsum deseruisse, vel non ausos eum publice tum temporis in Galliis defendere. Contrarium enim testantur Prosper et Hilarius in epistolis ea de re datis ad Augustinum : « Recensito autem, inquit Prosper, hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ

itatem antea sequebantur, intelligentiores instructioresque sunt facti, ita qui persuasio- impediebantur obscuro, aversiores quam t recesserunt. » Unde Augustini sectatores ubinde a sancto doctore libris acceptis, ani- ejusdem partes sustinebant. Hilarius vero ita « Sunt ex parte tales personæ (nempe Semi- ni), ut his consuetudine Ecclesiastica laicos m reverentiam necesse sit exhibere. Quod i ita curavimus, Deo juvante, servare, ut, cum it, non taceremus quæ ad quæstionis hujus nem exiguitas nostrarum virium suggereret.» osperum in epistola eadem fateri quosdam os publice Augustiniana pronuntiata defen- uod non inde factum est quod illa creditu a ac paradoxa arbitrabantur, ut contendit ad- us. sed quod Hilarii episcopi Arelatensis alio- doctissimorum Augustini hostium *dignitas et tia*, teste eodem Prospero, timorem eisdem ant.

vero discutienda veniunt quæ ad Augustinia- dogmatum difficultatem persuadendam idem niscitur pag. 611, ubi ait : « Augustinus sæpe us est, difficultates vel a seipso vel ab ad- is propositas in hac materia data a se solu- excedere, seque plus objectionibus commotum esponsionibus sedatum. » Additque : « Cum iqua difficultate insuperabili pressus est, ad ipturæ verba confugit : *O altitudo divitiarum æ et scientiæ Dei* ! etc. (*Rom.* XI). » Peream, si n Augustinus ea affirmavit quæ illi Adamus t: debuerat in re gravissima aliquem sancti s textum appellare. Sed non ita est, Adame ; nim Augustinum hæc contra Julianum om- dversariorum acutissimum et ferocissimum, m in fine lib. VI : « Ad omnia me tibi res- e, Juliane, et omnia refellisse, etc., puto quod is, si pervicax non sis. » Et in fine lib. I : « Vi- gutias tuas, et fragilia, quibus tibi multum acutus et nitidus, argumenta confringam. » m, cap. 3: « Tuarum velut acutarum argu- onum nihil non solutum destructumque di- . » Hinc sanctus Prosper in cap. 2 contra In- canit nullum argumentum Pelagianorum non fuisse.

..... *Nullumque omnino relictum*
ta fides, quod non dissolveret argumentum.

ctus Prudentius in epistola ad Hincmarum ulum eorumdem hæreticorum argumentis a Augustino *abundantissime et competentissime tum* esse scribit. Videantur dicta cap. 1 ap- s ad dissertationem de synodo quinta. Illa ta- superabilis quæstio Augustino visa fuit, cur unc potius quam illum prædestinaret, de qua agit serm. 11. de Verb. Apost., cap. 14, et 05 ad Sixtum, et lib. IV ad Bonif., cap. 6, : « Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet al- m, quam perspicere volens idem Apostolus nmodo expavit, et exclamavit: *O altitudo di- vitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* ! etc. » Ita summi ingenii fasces secretis divinæ Providentiæ consiliis Augustinus submisit, quod et recentiores fateri coguntur, si rogentur cur Deus huic det gratiam congruam, alteri vero neget?

Quod addit, Augustinum imperfectam reliquisse inchoatam a se in Epistolam Pauli ad Romanos Expositionem, in qua de mysteriis gratiæ disseritur, quasi rei difficultati succubuerit, non convincit Augustini doctrinam esse difficilem, ut sibi probandum Adamus eo in capite proposuerat, Rationem intermissorum Commentariorum hanc tradit sanctus doctor lib. I Retract., cap. 25: « Ipsius operis magnitudine ac libore deterritus et in alia faciliora deflexus sum; » non quod ignoraret quid de prædestinatione et gratia juxta Apostoli sententiam statuendum esset, cum id et in libris, et in epistolis, et in sermonibus adeo sæpe ex eadem Epistola Pauli ad Romanos deduxerit, ut Beda, Florus, Victor Tripolitanus, aliique ex solis sancti Augustini interpretationibus in eam Pauli Epistolam sparsim ejusdem operibus insertis integra Commentaria in centonem consuerint, ac plane totam Epistolam Augustinianis verbis exposuerint. Denique falsum est, quod Adamus scribit pag. 612, dixisse Augustinum suam de prædestinatione sententiam *non esse populis prædicandum*. Quodve summæ falsitatis est, id probans ex cap. 15 de Dono preseverantiæ: etenim ibidem per plura capita inculcat, et prædicandam esse sententiam de gratuita prædestinatione, et modum quo citra rudium conturbationem prædicari possit, assignat. Audiatur sanctus doctor ita inchoans cap. 14 de Dono persev.: « Sed aiunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam. » Audin', Adame, illam sententiam fuisse Semi-Pelagianorum, quos ibi rejicit sanctus pater, quam satis negligenter, ut mitius loquar, eidem affricas. Accipe interim Augustini responsum: « Quasi vero adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide et veritate prædestinationem toties commendavit, et verbum Dei prædicare non destitit?

Hæc nobis scribentibus opportune S. D. N. Clemens X pro Augustino sententiam pronuntiavit, aureis plane characteribus imis præcordiis incidendam. Etenim in diplomate raro ac singulari, dato die 18 Decembris, anno 1671, quo universis Christi fidelibus festa sancti Augustini die nostræ familiæ templa adeuntibus, ibique pie supplicantibus plenariam indulgentiam impertitur, hæc habet: « Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longe supergressa sancti Augustini episcopi et confessoris, Ecclesiæ doctoris præcellentissimi, qui Spiritu Dei plenus hæresum errorumque tenebras tanquam fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar profundissimis, simulque sole clarioribus scriptis profligavit, et hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato devotoque mentis affectu recolentes, » etc. Hac apostolicæ sedis sententia honorificentissima, gravissima sanctissima-

que omnes a quibuscunque adversariis Augustinianis libris objectæ nubeculæ fugantur penitus ac dissipantur. Hoc diploma in forma Brevis, ut aiunt, exaravit illustrissimus D. Joannes Gualterius Slusius, spectatæ doctrinæ præsul, urbi et orbi notissimus, Clementi X pont. max. a secretis brevium. Illud vero apostolicæ cameræ typis excusum ad eumdem summus pontificem detulit illustrissimus D. Josephus Eusanius apostolici sacrarii præfectus, idemque Augustinianæ gentis decus, quam uti olim in suggestu et scholastica cathedra illustravit, ita eamdem continuis propemodum beneficiis exornat; detulit, inquam, laudatum Breve die 24 mensis ejusdem, hora 14, cum summus pontifex sacrosancta mysteria peregisset. Horum autem lectores præmonitos volui, ne quis postea diploma illud a pontifice nec visum nec lectum comminiscatur, quemadmodum de altero diplomate ab Alexandro VII ad Lovanienses dato, in quo sanctus Augustinus ejusque doctrina eximie commendantur, quidam recentior concepto juramento publicavit, cujus quidem hominis voces inferius capite 6 castigamus. Hæ quidem Clementis X litteræ quotannis pro Augustini solemniis de more, qua late per orbem Augustiniana respublica colonias deduxit, populis exponentur, ac magni doctoris ex apostolici oris sententia *sole clariora scripta* apparebunt, nullusque posthac non falsas ac prorsus inanes illius recentioris voces intelliget, qui ausus est blaterare sancti Augustini libros esse *tenebris ac nubibus obductos*, dum ex apostolicæ sedis oraculo sole clariores elucent.

Omitto consulto plura sanctorum Patrum testimonia, quibus Augustinus ab objecta obscuritate vindicatur; illa enim producam in calce hujus operis, et quidem nobilissima. Hic tamen sancti Prosperi verba in præsenti repetere juvat in præfatione ad excerpta Genuensium, initio cujus hæc ait: « In libris beatæ memoriæ Augustini episcopi, etc., si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere debebatis ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, et a quo datur spiritus sapientiæ et intellectus. » Hæc autem dixit, non quod putaret Augustini dicta esse obscura, sed quod ob minutam intelligentiam illis ad quos scribit obscura visa erant: nam hisce plane verbis illud opus concludit: « In quibus *nulla est obscuritas*, si de fide prædestinationis et gratiæ Dei, ex qua est omnium honorum origo, perseverantiaque meritorum, hoc teneatur quod habet veritas. » Ipse Augustinus, in fine libri de Gratia et libero arbitrio, hæc serio lectoribus inculcavit: « Repetite assidue librum istum, et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum. » Et de eodem volumine loquens initio libri De Correptione et gratia: « Semel lectum, inquit, nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum. » Volo autem Prospero supparem producere doctissimum Galliarum præsulem, qui gravi sententia Adami scriptoris Galli præposterum de Augustini scriptis judicium perculit, ut pateat allata ab adversario argumenta nihili fieri ab eruditis viris. Illustrissimus Joseph Maria Suaresius, episcopus Vasionensis, in dissertatione priori de Chronologia operum sancti Augustini, hæc ait: « Sed quod sanctissimus Petrus apostolorum princeps de coapostoli sui sancti Pauli sensit Epistolis, usurpare de operibus sancti Augustini audeo, scilicet in illis sanctum loqui Patrem *de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Nec enim auctoris ulla id accidit culpa, sed lectorum vitio, qui sive minus perspicaces, seu vagis imbuti prius erroribus, ordinem potissimum librorum et disputationum ignorantes, mentem acutissimam et sanissimos sententias doctissimi Patris assequi non potuerunt; ex φιλαυτία occæcati sibi nebulas offundunt, et inania portenta comminiscuntur. » Hæc quidem ille ante triennium scripsit, cujus sententia tanto præsule digna priori huic capiti finem imponet.

CAPUT II.

Recentiores accusant eamdem sancti Augustini doctrinam antilogiæ. Rejiciuntur.

Graviorem alteram injuriam iidem scriptores Augustino inferunt: inquiunt enim eumdem sanctum doctorem tot tantisque antilogiis laborare, ut ex illis prægrande satis volumen possent consarcinare. Accusationem ipsorummet verbis recitabo. Adamus, cap. 6, pag. 614, hæc citra pudorem eructat: « Mihi licet addere quod si diversas sancti Augustini sententias in hac materia colligere vellem, corpus quoddam ex diversissimis partibus coaptarem. Uno loco dicit nostram salutem absoluto esse decreto definitam, alibi nihilominus affirmat pendere illam a nostra voluntate; præscientiam esse posteriorem decreto reprobationis, et esse item anteriorem; nostra libertate gratiam adimpleri, et libertatem in usum a gratia deduci; gratiam esse victricem, sed et eidem nostram libertatem resistere; solum peccatum originis plures in damnationem perpetuam conjicere, et homines damnari ob propria tantum delicta et libertatis rebellionem. Hic arma sumpsit contra gratiam, et hic eamdem evexit. Hinc concludo quod si mihi non licet dicere, sanctum Augustinum in variis suorum librorum locis sibi contradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius doctrinam esse intricatissimam, cum nulla reperiri possit intricatior, quam quæ sibi ipsi repugnare videtur. » Ita recentior sancti Augustini defensor. Hæc eo collimant ut summum Ecclesiæ magistrum omni prorsus exuant auctoritate. Quotusquisque enim est qui credat viro illi qui nec sibi credit? Certane mihi erunt illa quæ ipsimet auctori incertissima visa sunt? Ubi et divisio ac sententiarum varietas est, inde procul veritas degit, quæ, cum una sit, nequit in partes dividi. Qui opposita docet, nihil sane docet, enim vero diruit ædificatque. Solus error

hæret nec constat. Quod si vera sunt, quæ A maximo Ecclesiæ doctori audacter affricant. Quis
s Augustino objicit, erit Augustinus im- enim recentiorum ea mente sancti doctoris volumina
mendax, et dum de uno in aliud transilit aperit, ut ejurata etiam propria opinione, unius Au-
eorum quæ dixerat, et tibiam sibi et cer- gustini sententiæ inhærendum sibi decernat? Sed ve-
ngit. Si Augustinus usque adeo antilogiis lit nolit, Augustinus in partes vel machinis trahen-
quodlibet potius enigma intelligas quam dus est, atque Ecclesiæ magister, si superis placet
s germanamque sententiam expisceris; si ipsorum discipulus publicandus.
erborum involucris veritatem, quam expli- Hanc eamdem accusationem prosequens adversa-
usceperat, implicuisse credendus est, quo rius c. 6, pag. 611, inquit : « Ostendimus etiam sanc-
s titulo Clemens VIII in maximis illis de tum Augustinum in hac materia ter sententiam mu-
vinæ gratiæ litigiis unum Augustinum con- tasse. » Citat autem in margine cap. 3 de prædesti-
jussit, a quo veritatis secreta peterentur? natione sanctorum. Verum semel tantum se mutasse
ane consilio in obscuris lucem, et inter sententiam sanctus doctor ibidem scribit; nam ini-
icem pugnantes Augustini sententias dissi- tium fidei ex nobis, non ex Deo esse olim arbitraba-
mendi modum quæsivisset. tur, quem postea errorem re melius ex Apostolo
ui olim, ac postea Semi-Pelagiani, easdem B cognita repudiavit. Quæ tamen mutatio sententiæ
in Augustinum projecere, quorum verba non vitio, sed laudi illi deputanda est, cum ab errore
sunt, eos autem acerrime reprehendit ad veritatem deflexerit; imo revelante Deo eam se
rosper contra Collatorem cap. 41, ut nihil priorem opinionem exuisse scribit cap. 4 : « Ecce
o contra sanctum doctorem proponatur, inquit, quare dixi superius hoc apostolico præcipue
ex veterum ejusdem hostium ore prodierit, testimonio etiam me ipsum fuisse convictum,
n omnes brevi illo dicto Augustinus confu- cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac
inc est quod sententias meas inter se con- quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicia-
as, vel putari cupis, tanquam improbem quod num, sicut dixi, scriberem, revelavit. » Sapiens igitur
haveram, aut amplectar quod ante respuerim. vir Deo revelante monitus sibi erranti contradixit,
apertam sententiam meam, et intellige ve- et priori errore posteriori sententia emendato, unam
gere alios, non offundendo caligines nebu- esse voluit, imo fecit de gratia ac prædestinatione
utationis serenitati sincerissimæ veritatis. » doctrinam in omnibus sibi cohærentem. Scimus ta-
tra Julian. cap. 9. Et quidem Augustino quid men de Augustini sententia theologos inter se digla-
cum reliquis accidit, qui ob singulare in- C diari; at ii ipsi certatim sacras litteras sibi faventes
pra cæteros doctrinarum copia evecti scho- producunt, neque minore contentione de Scripturæ
igistri evasere. Etenim sectatores, cum quam de Augustini sensu decertant. Porro quis eo
iligentiorem operam in sectæ patrono le- dementiæ impetu feratur, ut dicere ausit sacri codi-
ere studeant, suo tamen plus nimio ingenio cis sententias esse intricatissimas, turbas Ecclesiæ
s, diversa docendo magistros in contradic- dedisse, doctos viros in factiones divisisse, aliave si-
picionem trahunt. Hoc Aristoteli, hoc milia, quæ de Augustino Adamus scripturit? Non
ntigit, hoc sancto Thomæ postea ac Scoto defuere tamen nebulones, Christianæ religionis hos-
arum scholarum principibus accidit, toties tes, qui sacras litteras contradictionis arguerent,
præceptoris mente acerrime inter se quos cæteros inter refellit sanctus Augustinus in li-
ibus. Nullus tamen sectatorum summis illis bro de Consensu evangelistarum.
dictionis crimen impingit, sed quæ ab ad- At quæ adversarius ad Augustinianas antilogias
adducuntur, congruis interpretamentis suadendas adducit, futilia prorsus sunt vixque citra
onantur. Quare cum Augustinus librorum nauseam repeti possunt. Opponit enim primo loco
rinæ subtilitate, et, quod caput est, argu- Augustinum docuisse nostram salutem absoluto Dei
prope contrariorum pertractatione cæte- D decreto definitam esse, et alibi tradidisse eam nihi-
post se intervallo reliquerit, eidem etiam lominus a nostra voluntate pendere. At hæc ipsa est
roximus factus est, nempe ut contraria do- sancti Thomæ sententia, quam non solum sectatores,
datur, dum a contrariis ac sibi invicem sed melioris etiam notæ theologi subscribunt, dicen-
ibus scriptoribus certatim sibi favens pu- tes gloriam in intentione absoluto Dei decreto præ-
aligni tamen ac irreligiosi prorsus lectoris destinatis præfixam fuisse, at in exsecutione ab eo-
re tantum doctorem contraria docuisse. rumdem meritis pendere; de qua re Augustinus lib.
amus haud iis scrupulis perstrictus clamat de Grat. et lib. arb., cap. 18, ubi quærit quomodo
« Augustinum theologorum scholas in par- vita æterna detur nostris meritis tanquam præmium,
doctores in factiones divisisse. » Erras : et simul detur ex gratia nulla merita supponente.
ntra potius diversæ scholarum ac doc- Alteram contradictionem opponit, nempe docuisse
tiones Augustini doctrinam in contra- Augustinum præscientiam esse posteriorem decreto
dilaniarunt : etenim dum ad Augustinum reprobationis, et esse etiam anteriorem. Sed debuis-
præoccupatis animis accedunt, nec ejus uti set hic recentior indicare libros et capita ubi hasce
agisterio, sed patrocinio, suas opiniunculas Augustinianas antilogias notasset; neque enim tantæ

fidei virum illum putamus, ut dicenti et nullo testimonio probanti credere debeamus, in re præsertim gravissima, ubi sanctorum doctrinam atque auctoritatem in quæstionem trahit. Interim dicimus falso asseri sanctum Augustinum posuisse reprobationem ante demeritorum præscientiam; nota est illa ejusdem sententia toties repetita: « Bonus est Deus, justus est Deus, potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est. » Hinc contra Pelagianos probat Deum futurum injustum, si rejiceret a gloria pueros nulli peccato obnoxios, idque fere ubique præstat in opere posteriori contra Julianum, et in priori etiam lib. III, cap. 4 et 12; serm. 14 de Verb. Apost., et epist. 106. Nec ullum locum dabit adversarius ubi doceat Augustinus reprobari quempiam a Deo, cujus nullum Deus demeritum præviderit. Addit tertio loco tradere Augustinum, « A nostra libertate gratiam compleri, et a gratia libertatem in usum deduci. » Sed hæc bene inter se conveniunt: nam sola gratia non ponit actum bonum in nobis, sed una cum libera voluntate, quam ipsa præmovet et in actum deducit: unde ex gratia et libero arbitrio fit completum principium actuum bonorum, ita tamen ut libertas gratiæ ancilletur. Et sane cum sine gratia nihil fieri possit prout oportet ad salutem, a sola gratia humana libertas in bonum et meritorium usum agi potest. Non do Augustini textus, quia res in omni schola est manifesta, licet de modo quo illæ motiones fiant disceptetur. Primum legi potest in Augustino sermo 13 de verbis Apostoli, cap. 11, § *Agnosce quid poscas*, etc., ubi inter alia scribit: « Si non esses operator, ille non esset cooperator; » lib. II de peccatorum Meritis, cap. 5, et alibi. Alterum vero in omni pagina librorum contra Pelagianos, ubi catholicum illud dogma semper inculcat, nihil boni meritorii fieri posse sine gratia.

Quarta sequitur objecta Augustino contradictio: « Gratiam esse victricem, sed et eidem nostram libertatem resistere. » At de eadem gratia in individuo nunquam hoc Augustinus somniavit, ut eadem simul et vinceret libertatem, eamque sibi subderet, et nihilominus a libertate rejiceretur; si enim rejicitur, jam non est victrix, sed victa repellitur. Quod si de diversa ac distincta gratia ea Augustinus dixit, omnis contradictionis umbra ab ejusdem dictis procul abest. Sane recentiores pleno ore affirmant gratiam congruam semper esse victricem, non congruam vero repulsam pati a libero arbitrio, quod et eorum antagonistæ de gratia prædeterminante et pure sufficienti tradunt; quæ si contradictionem involvunt, publicæ gratiæ agendæ Adamo erunt, qui universos scholasticos ab inveterato errore liberaverit. Itaque cum Augustinus scribit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8: « Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; » cum eamdem dicit movere *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime*, cap. 12 de Corrept. et grat.; *efficacissimus viribus*, lib. de Grat. et lib. arb., cap. 16; *occultissima*, *efficacissima* *tate* lib. I ad Bonif., cap. 20: cum, inquam tus doctor his aliisque epithetis victricis grati giam exprimit, de congrua et efficaci accipien at cum debili cuidam gratiæ nostram liberta sistere tradit, ut patet ex lib. I, quæst. 2, plicianum," ex cap. 9 de Prædest. sanctor ait: « Ex duobus ætate jam grandibus im iste vocetur, ut vocantem sequatur, ille au non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem tur, inscrutabilia sunt judicia Dei; » palam dam vocanti Deo resistere quæ etiam ex cap Corrept. et grat. deducuntur, cum adjutori nistratum angelis ante lapsum dari etiam naturæ lapsæ quibusdam, aliis in pœnam non dari scribit; cum inquam, ista docet, d gratiæ specie debili, incongrua et remote su loquitur, unde nulla hic contradictionis suspi gustinum tangit.

Quinta contradictio est: « Plures dam solum peccatum originis, » et item docet, « I non damnari nisi ob peccata personalia, et libertatis rebellionem. » Non ita est, Adam Augustinus pueros decedentes sine baptism nari ob solum peccatum originis, majores ve homines, et propter peccatum originis, et alia, quæ ipsorum malitia superaddidit; in nulla contrarietatis umbra conspicitur. A sanctus doctor lib. de Corrept. et grat. ca « Hi ergo qui non pertinent ad istum certissi felicissimum numerum, pro meritis justissim cantur. Aut enim jacent sub peccato quod liter de generatione traxerunt, et cum illo hær debito hinc exeunt, quod non est regenerati missum, aut per liberum arbitrium alia insu diderunt, arbitrium, inquam, liberum, sed nc ratum, liberum justitiæ, peccati autem servu volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii alii minus, sed omnes mali, et pro ipsa div diversis suppliciis judicandi. » Rursus quor quibus in baptismo dimissum est peccatum o possint dici ob peccatum originale relicti in perditionis, tradit sanctus doctor cap. 7, et ferius dicemus, ubi de erroribus Augustino sermonem instituemus, et certe hi nullo pact nari possunt ob reatum peccati originis, et loquitur Augustinus, dum ait neminem damn ob propria crimina.

Sextam contradictionem ita efformat: « Hi sumpsit Augustinus contra gratiam, et alibi e evexit. » At nullum Augustini verbum proferei ita facilem assensum damus. Ubinam Aug contra divinam gratiam arma induit? ubin injurius fuit? quo verbo illam vel tantillum læsi in libris contra Manichæos de humani arbitri tate exaratis, nondum exortis Pelagianis, gratiæ mentionem fecit, illiusque ad juste vivendum necessitatem memorabili dicto pro vit, ac si futuros ejudem gratiæ hostes præ

lib. I Retract., cap. 9, recitatis pluribus tex- A æstu disputationis abreptum, « excessisse lineas ne-
ix libris de Libero Arbitrio, in favorem gratiæ cessariæ veritatis, ut sit nimia quædam severitas et
dit: « Ecce quam longe antequam Pelagiana iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet
s exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra transgredi jubet, si præeat Augustinus. » Verba An-
sputaremus. » Hinc cum in libro primo ad nati sunt lib. VIII sui Augustini, cap. 2, pag. 862.
cianum multa pro libero arbitrio dixisset, Adamus hunc capiti septimo titulum dedit: *Sanctum*
men gratiæ subjecit, non supra eamdem ex- *Augustinum permisisse se nimium abripi æstu dis-*
nde lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 4, ait: *putationis contra Pelagianos, et longius quam volebat*
jus quæstionis solutione elaboratum est qui- *prætergressum esse. Celebre sancti Bonaventuræ*
ro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit *dictum hac de re explicatur*, pag. 616. Quas voces
atia. » Ergo si Augustinus vel cum pro defen- Moraines, Decampsius cæterique recentiores integras
iberi arbitrii decretoria arma tractabat, gra- reddunt. Neque vero semel iterumve hoc Augustino
toriam dabat, ubinam contra illam gladium contigisse putant, sed in omnibus fere suis contra
?
Pelagianos disputationibus. Iniere quidem hanc facil-
m quidem contradictiones sententiarum Au- limam evadendi viam, ne in Augustino interpre-
recentior ille scriptor opponit, qui tamen B tando diutius ingenia macerarent. Verum nil moderni
usus est tantum erroris Augustino affricare, isti Augustini censores producunt, quod Pelagiani
m hoc illi in religionem veniret, adjecit: ac Semi-Pelagiani ante duodecim sæcula sancto doc-
concludo quod si mihi non licet dicere tori non opposuerint. Julianus Pelagianorum inso-
n Augustinum in variis suorum librorum locis lentissimus hoc Augustino vitium objiciens dicebat:
ntradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius « Si quis aut aut liberum in hominibus arbitrium aut
am esse intricatissimam, » etc. Non ait, Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestia-
ncludo, cum mihi non liceat dicere, etc., sed nus et Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hære-
subdubitans, liceatne sibi Augustinum contra- tici, fiunt Manichæi, et dum falsam verentur infa-
is incusare, si *mihi*, inquit, NON LICET. At nec miam, verum crimen incurrunt, instar ferarum, quæ
n tibi licet dicere, neque alterum fas est cre- circumdantur pinnis, ut cogantur in retia. » Apud
iempe doctrinam sancti Augustini *esse intrica-* Augustinum lib. II de Nuptiis et concupiscentia,
m, insigni enim nota præclarissimi Ecclesiæ cap. 3, quam a se et cæteris catholicis calumniam
i libros afficis, quam tuo Suario vel Vasquio erudite ibidem sanctus doctor excussit. Hoc ipsum
a quopiam minime patereris. Crede mihi, C Semi-Pelagiani publicabant, ut ejusdem auctoritatem
bi licitum est tam abjecte de Augustino sen- convellerent. Hæc sunt Cassiani verba, cap. 11,
uid enim irreligiosius fieri potest quam Au- collat. 13: Multi enim singula hæc credentes, ac
m veluti multiformem in sentiendo Protheum justo amplius asserentes, variis sibique contrariis
e, modo affirmantem, modo negantem, modo sunt erroribus involuti. » Idem habet Faustus lib. I,
modo nigrum, tot in eadem scena cothurnos cap. 1, 6 et 17. Et hi quidem uti impudentissimi
mutantem? Non igitur contrarius sibi est oblocutores acriter reprehenduntur in epistola quam
nus, sed Adamus contra se pugnat, qui cum Cœlestino papæ recentiores quibuscum disputamus
inscripserit titulum: *Calvinus sancti Augus-* ascribunt: « Quia nonnulli, inquit, qui catholico
mis destructus, mirabili constantia affirmat nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum
pag. 596, scripta sancti Augustini non esse sensibus, seu pravitate sive imperitia demorantes,
pta *ad exarmandos Calvinistas*. Unde lepida piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum
loctoris sententia. lib. v contra Julian. cap. 5, Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubi-
aput claudamus: « Non sunt ergo, inquit, tent, magistris tamen nostris tanquam necessarium
ea inter se contraria, quamvis te patiantur, modum excesserint, obloquuntur. » Ut sit nimia
intelligendo, vel alios intelligere non sinendo D quædam recentiorum animositas, damnata convicia
am. » Additque: « Tu ergo, qui in me quasi iterum in Augustinum pleno ore eructantium. Et
as inter se pugnantes notasti, et momordisti, quidem Augustinus, cum universa abs se exarata
quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi volumina censoria severitate corrigeret, atque in
titeris. » laudandis Platonicis modum se excessisse ingenue
fateretur lib. I Retract. cap. 1, tot in expugnandis
CAPUT III. Pelagianis excessus suos non animadvertit, eam forte
censuram recentioribus relinquens, quam uti appen-
*res sancti Augustini doctrinam contra Pela- dicem Retractationum libris apponerent. Sane hoc
gianos excessus insimulant.* clypeo se munit Calvinus contra Patrum testimonia.
Illius verba sunt apud Taperum art. 7 de Libero
ulli scriptores recentes, qui de re theologica Arbitrio: « Græci, et præ aliis atque inter eos singu-
didere, cum sancti Augustini auctoritate ni- lariter Chrysostomus, in extollenda humanæ volun-
e premi sero jam tandem sentiant, illamque tatis facultate MODUM EXCESSERE. » Et licet quandoque
ejicere reformident, ne eo in campo hostibus ægre tulerit hunc excessum a Pighio in Augustino
ustini nomen ubique inclamant, cedere vi-
, novo crimine sancto doctori impacto, eidem
ucere conantur; inquiunt enim Augustinum,

quoque culpari, attamen eodem vitio Augustinum etiam laborasse eadem audacia commentus est, scribens quod « ne Augustini quidem sententia PER OMNIA recipienda est. » Quibus palam significavit plus aliquando sanctum doctorem dixisse quam veritati, se judice, congruebat. Profecto si excessus isti, et quidem juxta adversarios satis in Augustino frequentes, admittantur, eidemque vitio alii quoque Patres subjiciantur, nullo propemodum sanctorum testimonio hæretici convinci poterunt; ubi enim aliqua Patrum sententia se premi senserint, excessisse eosdem clamabunt, qua ratione omnium veterum auctoritas labascit, et omnis ad heterodoxos convinecndos via præcluditur.

§ I. *Quid nomine* excessus *recentiores intelligant inquiritur. Sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ testimonia eisdem non suffragari. Excessus perperam Augustino objici.*

Si recentiores interrogemus quid Augustinianorum excessuum nomine intelligant, respondet Adamus, pag. 626, Augustinum *ultra veritatis limites excurrisse nimio disputationis æstu accensum, visumque hæreticis favere.* Addit Annatus, pag. 862: *Ut sit nimia severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus.* Fatentur tamen non ob hoc Augustinum mentitum esse, sed, ut egregie Moraines interpretatur, INSOLENTER *loquendo quidem, ut sentiebat, sed æstu disputationis et vehementia spiritus ad alterum extremum interdum declinasse* INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS, *quod non est mentiri, sed* FALLI, ET DICERE FALSUM *sine mendacio.* Disp. 40 Anti-Jansenii, sect. 6, num. 65. Igitur si non mendacii, falsitatis tamen apertæ reus Augustinus apud recentiorum tribunal convincitur. Quo vero juste se ita de Augustino judicasse persuadeant, nonnullos nec infimi subsellii theologos in testes vocant, qui dixere sanctum doctorem contra Pelagianos disputantem excessisse, quorum verba cap. 5 ex professo examinabimus; de sanctis Thoma ac Bonaventura (hos enim illi opponunt) pauca hic adnotamus. Cum sub Augustini nomine legeretur a prioribus scholasticis liber sancti Fulgentii de Fide ad Petrum, in cujus cap. 27 asseritur pueros cum solo originali peccato defunctos ignis sempiterni supplicio puniri, sanctus Thomas verba *ignis* ac *supplicii*, etc., large accipienda esse dixit, quæst. 5 de Malo, art. 2, ut ponatur species pro genere; addens: « Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis pœnam aliquam deberi. » Sanctus Bonaveutura etiam idem testimonium, quod Augustinianum putavit, explicans, dixit quod ea posuit Augustinus *plus dicens, et minus volens intelligi,* in quibus verbis triumphum sibi canunt adversarii. INSIGNE DICTUM appellatur ab Adamo, in titulo cap. 7. Eadem verba Annatus, lib. VIII, c. 2, grandioribus characteribus expressit, quo statim legentium oculos implerent; hinc clamat Adamus: « Quid reponent nostri adversarii contra duos illustres Ecclesiæ doctores sanctum Thomam et sanctum Bonaventuram, qui hosce excessus in libris sancti Augustini confessi sunt? » Pag. 629. Erigat utramque aurem Adamus, audiatque quid reponamus. Vos Augustinum in excessus prolapsum dictitatis, quod est, veritatis limites prætergressum fuisse, *intellectu æque ac verbis, quod non est mentiri, sed falli,* quæ Morainii confessio est; at Seraphicus Doctor excessum illum non intellectui, sed verbis tantum Augustini deputavit, *plus dicens,* inquit, *minus volens intelligi,* quod est, sanctum Augustinum non mente, sed verbotenus solummodo, non reapse, sed apparenter citra ullam falsitatem expressiori quodam vocabulo usum, nempe *ignis* ad infantium pœnas explicandas, cum tamen id ex Seraphici opinione haud ille mente sentiret. Adversarii autem Augustinum INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS falsum tenuisse contendunt.

Qua vero ratione eos Bonaventuræ testimonium juvet, plane non video, cum quam Augustinianæ menti falsitatem ipsi important, ad eadem Seraphicus procul amoveat. Non est igitur cur illius celeberrimi doctoris suffragium jactetis: ille enim, quod ad Augustini excessus pertinet, nullo pacto vobiscum concinit. Sed neque sancti Thomæ dictum vobis suffragatur: nam dum dicit Augustinum *large* locutum, indicat illum expressius tantum verbum adhibuisse, non eumdem veritatis lineas prætergressum. Large accipiendum verbum illud affirmat, qua ratione ab Augusnino acceptum credidit. Etenim ut dicatur Augustinus *ultra veritatem processisse* (quo modo excessus illius explicat Adamus pag. 626), stricte, presse ac omnino rigorose dicendus foret sumpsisse nomen illud *supplicii*, itemque *gehennæ*, *cruciatus*, etc.; alias si large accepit, intra veritatis cancellos sese cohibuit. Igitur sancti illi doctores contra recentiorum placita adeo aperte stant, ut mirum sit adeo inconsiderate juxta ac secure contra Augustinum adduci, atque in eorum verbis tantos ab Adamo rumores toto capite septimo excitari. Illud vero minime omittendum est, penes unicam dictionem et semel tantum asseri ab illis sanctum Doctorem expressius locutum. At quo crimine se involvet ducentorum et amplius voluminum scriptor, si verbum non ita proprie semel tantum usurpavit? Sed hic adversarios rogamus verbone uno tantum tenus docuerit Augustinus prædestinationem ante prævisa merita, libidinem esse malam, legem veterem sine Redemptoris gratia reos tantum facere, non esse absque gratia veras virtutes in infidelibus, in quibus aliisque plurimis excessisse illum publicant? Haud equidem credo id eos affirmaturos, cum sanctus doctor non solum pluribus argumentis eas sententias stabilire conatus sit, sed universas quoque summi ingenii vires ad easdem persuadendas exeruerit, imo et quasdam uti catholicas habendas esse contenderit Non hoc est, boni homines, *plus dicere, et minus velle intelligi*; non hoc est *large* unica tantum voce, et semel quidem uti; sed quid sit, jam

s videtis, dum sanctorum Thomæ et Bona- suffragiis destituti convincimini.

sane mihi movent lepida exemplα recen- Augustini excessus explicantium, imo forte um : « Uti viridarii cultores, inquit Adamus, ag. 111, distortam plantam erecturi, in op- partem eamdem flectunt, non quod eo in e illam volunt, sed ut facilius in rectitudi- llatur, ita pariter Augustinus, inquit Morai- p. 19, num. 35, disputando contra Pelagianos, nimis extollerent vires naturales liberi ar- ffirmarentque sufficere sine gratia non modo tes naturales quascunque, sed etiam ad sa- Augustinus ut illos ab eo errore abducat, in um extremum æstu disputationis abripi in- videtur. » Cum quo concinens idem Adamus ap. 7, pag. 631, « Augustinum suos hostes ma periculosa conjecisse, non ut eos ibi re- t, sed ut eosdem ad mediocritatem, unde il- sis abstraxerat, revocaret. » At quis nesciat fuisse eo pacto Augustinum ineptum prorsus mprudentem disputatorem, si toto cœlo op- sententiam contra Pelagianos propugnasset, errore illos reduceret? Etenim cum omnia o arbitrio darent, nullo gratiæ loco servato, liametro Augustini sententiam, qua per ex- nihil libero arbitrio concedere, sed omnia in tiæ reponere videbatur, obstinatissime sub- recusassent. Longe melius fecisset Augus- quædam libero arbitrio et quædam gratiæ disset, ut illos ab errore removeret : faci- n quisque ab extremo ad medium, quam ad m alterum propellitur. Hinc sanctus Thomas dixit Augustinum *large* locutum, non ut ea e hæreticos in suam sententiam traheret, æretiorum errorem redderet catholicis ma- tabilem. Ita si recentiores veterem opinio- auxiliis exuere cogerentur, facilius descen- n sententiam moraliter arbitrium prædeter- m, quam in illam quæ physicam prædetermi- n astruit, hanc enim nimium odere. Ridendæ miunt causæ ab adversariis assignatæ, quæ um in excessus illos impulere. Hæc loqui- mus, pag. 624 : « Ipsius corporis tempera- , ipsius genium, ipsius eloquentia, veritates tractandi modus eidem familiaris, magnus tonicos amor, quorum excogitata plerumque unt, odiumque in omnes veritatis hostes um in propositiones adeo apparenter inso- onjecere. » Afros fervidioris naturæ sub idiori novimus, at an Augustinus calido tem- to fuerit unus Adamus sine teste affirmet ; lem non ignoro sanctum doctorem minus fri- atientem fuisse ex epist. 227, at pacato t sedato stylum contra hæreticos strinxisse um est, uti mox demonstrabo. Interim mi- t Augustini genium homini post duodecim ab illius obitu viventi tam exacte innotes- tuisse ! Sed nec eloquentia illorum exces- suum origo dicenda est : etenim si Augustinus e rostris contra Pelagianos declamasset, more rhetorum non tam rationum momentis quam verborum copia insultans, utcunque hyperbole, hoc est, veritatem sententia excedente uti potuisset, ac nonnulla per exaggerationem addere, quæ oratorum licentia est. At cum dogmata, quæ per excessum Augustino excidisse dicunt, tot argumentis confirmarit, atque ex sacris arcanis petitis testimoniis tanto conatu stabiliverit, ut sexcentos et amplius versus eisdem suadendis non semel exaraverit, haud equidem vanam oratoris pompam per hyperbolem affectasse dicendus est, sed potius ipsas periodos, imo verba ipsa satis mature ponderasse, uti rei dignitas, tantique doctoris gravitas et sapientia exigebant. Porro et illud ridiculum est, *ex Platonicorum amore* Augustinum in eos excessus prolapsum. Impense quidem Augustinus Platonicos coluit, atque in eorum scriptis summa cum laude versatus fuit, quod ex libris contra Academicos exaratis intelligitur. At quomodo ex eorum lectione in disputationibus de divina gratia ultra lineas necessariæ veritatis exundaverit, ne suspicari quidem possumus ; imo nec id Adamo, licet audacter affirmanti, cognitum fuisse puto. Quæ enim gratiæ virtus ex Platonicorum libris habetur ? Nisi malit impetum illum disputando Augustino, ut ait, familiarem e Platonicorum schola derivasse, quod cum ex eorum libris nec Plotinus, nec Philo, nec Ficinus tradiderint, ab ipso Adamo id comprobandum est, veteris Academiæ libris excussis. Sed neque excessus illi *ex odio, quo Augustinus veritatis hostes prosequebatur*, originem habuere : nam sanctus Pater, cum contra hæreticos scribebat, omnes odii causas se procul habere protestabatur. Nullus contra Augustinum neque infensior, neque infestior Juliano hostis insurrexit, ut plane universum Pelagianorum virus unius Juliani ore in Augustinum cructatum fuisse videatur. At non solum citra odium stylum contra eumdem Augustinus strinxit, verum etiam hæc amorem erga hostem et quidem maximum exprimentia scripsit lib. I contra Julianum, cap. 7 : « Ego quidem pro dilectione quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit, ut de medullis mei cordis exstirpes, mallem, fili Juliane, » etc. Quare cum omnes excessuum causas, quas in Augustino Adamus indagavit, sanctus doctor procul habuerit, longe etiam ab excessibus idem collocandus venit.

Instat Adamus cap. 16, pag. 760 : « Quando Augustinus defendit libertatem contra Manichæos, videtur gratiæ necessitatem destruere ; cum vero pro gratia contra Pelagianos decertat, libertatem evertere. » Et pag. 632, in fine cap. 7, miratur quosdam « nunquam scivisse ipsummet sanctum Augustinum hunc sui spiritus impetum in pluribus suorum librorum locis confessum fuisse. » Libeat hic cum Augustino exclamare : « Quis non exspectet sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis ? » lib. VI contra Julianum, cap. 8. Quid enim frequen-

tius a Pelagianis Augustino objiciebatur, quam illum Pelagianismi odio in Manichæismum declinare? At sanctissimus magister hasce a se calumnias sæpissime excussit. Legatur lib. II de Nupt. et concup., cap. 3 et 23, lib. II ad Bonif., cap. 1 et 2, ubi fusissime recensitis extremis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus, media Ecclesiæ catholicæ inter utrosque sententia concludit: « Possunt enim duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarii veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichæos diligendi sunt et Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut catholica mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cum, monente atque adjuvante Domino, debeat utrosque vitare, et cupiat utrosque sanare! » Rursus lib. IV, cap. 3, ita exorditur: « Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinquepartitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium; rursusque ita sejungat a Pelagianis, ne conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. » O egregium magistrum ac præceptorum tenacissimum! quippe qui, si Adamo fides est, *in disputationibus contra Pelagianos et Manichæos adeo incaluit, ut in errorem oppositum illi quam impugnandum suscepit, declinarit*, pag. 632. Sed pura puta sint isthæc Anti-Augustinianorum figmenta. Nullus mortalium adeo exacte Pelagianorum ac Manichæorum errores perspectos habuit uti Augustinus, qui non modo mediam inter utrosque viam tenuit, sed eamdem ubique in libris ad Bonifacium posteros docuit, quinque præcipuis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus e diametro oppositis ibidem recitatis, simulque media tradita Ecclesiæ inter errantes sententia, ut mirari liceat adversarios adeo secure hasce de sancto doctore fabulas vendere. Quod autem addunt, Augustinum ipsum hosce animi sui impetus agnovisse, et pluribus in locis id falsum esse, falsissimum est. Citat Adamus initium libri de Gratia et libero arbitrio; sed ibi hæc tantum scribit: « Sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, » etc. Te hic judicem volo, Adame, num in disputando æstus, impetus, excessus suos ibi Augustinus fateatur. Hoc unum dicere poteris, extremos illum errores inibi recitasse. Producit lib. IV, contra Julianum, cap. 8. Verum ibi Augustinus Julianum uti publicum calumniatorem redarguit, scribentem dixisse Augustinum negari liberum arbitrium si gratia commendetur, et negari gratiam et liberum arbitrium defendatur. Respondet autem sanctus Pater: « Non dixi negari gratiam, sed ut negari gratia videatur. Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri. » At nec verbum de innata sibi in disputando vehementia atque excessu. Quod vero negari videatur gratia commendatione liberi arbitrii, *propter quæstionis difficultatem* minus intelligentibus id videri posse dixit. Præterea appellat lib. V, cap. 9, contra Julianum, et lib. I *de* Origine animæ, cap. 15. At in priori loco de concupiscentia tantum disputat, in posteriori de origine animæ, et neutrobique de animi sui impetu, *zelo*, fervore, excessu verbum ullum habet.

Cæterum quantum periculi ex objectis excessibus Augustini doctrina subeat, nemo non videt; etenim si in illis excessibus Augustinus liberi arbitrii vires plus justo depressit, ac vires gratiæ altius extulit, tunc Calvinus concinuisse cum Augustino dicetur, qui in illis excessibus suum dogma fundavit. Scimus Calvinum falso æque ac superbe gloriari solitum, suum esse totum Augustinum, ita eumdem clamantem inducit ipse Adamus pag. 561: *Augustinus totus noster est*. Nostri homines respondent Augustini doctrinam parumper excedere limites veritatis, et ex hac parte Calvino favere, nec esse doctrinam ejusdem recipiendam, nisi detonsis illis excessibus, in quos nativo animi furore præceps corruit. Hinc Adamus, cap. 8, pag. 640, scribit: « Modo ne in Pelagianorum errores, quos Augustinus insequitur, incidam, mihi licet verborum quibus ad eos expugnandos utitur impetum non sequi. Inde fit ut medius stem inter Pelagium et Calvinum. Si enim verba Augustini mitigando me nimium demitterem, Pelagianus essem. Si vero eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista forem; medium ergo me cum Ecclesia teneo. » Sane videris crudelem illam feminam imitari, quæ ut in Arcanis habetur, coram Salomone regum sapientissimo medium dissecari puerum, ac partim sibi partimque adversariæ tradi gaudebat; Augustinum enim in partes dividendum judicas, ut qua parte in excessuum altitudinem extollitur, Calvino cedat; qua vero humilior est, tuus, imo Ecclesiæ sit. At hoc quid aliud est quam Augustinum Calvino prodere, quem a Calvino abs te vindicari jactitabas? Augustinum tamen in partes secari superi vetant, totus totum petentibus concedendus est, et qui Augustini parte contentos se dicunt, ne minimum quidem illius unguem obtineant. Sed inani prorsus assertione Calvinus totum suum esse Augustinum finxit, nam veritate cogente partem et ipse Augustini se abjicere fassus est lib. III Instit., cap. 11, inquiens: « Ac ne Augustini quidem sententia per omnia recipienda est. » Itaque, Calvino judice, Augustini sententia partim accipienda, partim repudianda est; cui perbelle noster Adamus consonat. At hæc injuria usque adeo nociva est, ut universam Augustini auctoritatem, velint nolint, evertat. Etenim quo præsidio adjuti discernere tandem poterimus hic Augustinum in veritatis meta sistere, alibi vero ultra excurrere? Viderint an maximum Ecclesiæ doctorem de excessu ubique suspectum faciant.

Hic mihi discutiendum occurrit an hæc dicteria in unum Augustinum cadant, an ipsius quoque Eccle-

sæ venustissimam ac nitidissimam faciem deturpent. Scimus Hormisdam a Possessore Africano episcopo interrogatum quid sentiendum foret in quæstionibus de gratia et libero arbitro, respondisse: « De gratia Dei et libero arbitrio quid Romana, hoc est catholica, sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis B. Augustini libris possit cognosci, » etc. Scimus Bonifacium, cum esset doctissimus, adversus tamen Pelagianos Augustini responsa exspectasse. Scimus Clementem VII gravissimam illam de auxiliis divinæ gratiæ eontroversiam ad unius Augustini mentem expendendam jussisse. Porro quæ Romanorum præsulum in fidelium grege salubribus pabulis nutriendo cura fuisset, si eumdem ad Augustiana prata duxissent, ubi tot lethiferæ contradictionum, excessuum atque errorum herbæ luxuriabant? At si in disputationibus de gratia Romani pontifices Augustinum secuti sunt ejusque et lateri et vestigiis inhæsere, nescio qua fronte Adamus mediam quamdam ipsos viam inter Pelagium et Augustinum calcasse asseveret exclamans: *Medium ergo cum Ecclesia teneo.* Scito Ecclesiam in iis unum post sanctas Scripturas Augustinum secutam esse, ut medium illud iter, quod illam tenuisse fingis, de medio dubio procul tollendum videatur.

§ II. *An sanctus Augustinus excesserit, scribens concupiscentium rationi contrariam esse malam, et defectum naturæ humanæ ex peccato originali ortum, neutiquam vero bonum naturale illius.*

Unius Antonini Moraines dicta examinabimus, qui in suo Anti-Jansenio frequenter sanctum doctorem excessus insimulat. Est autem illius libri scriptor Joannes Martinonus, ut mihi testatus est P. Macedo, quo eruditissimo viro hic Patavii familiarissime utor isque vicissim singulari me benevolentia complectitur, qui etiam mihi auctor fuit ut tum Historiam Pelagianam, tum hasce Vindicias evulgarem; decreveram enim instar Aspendii intus mihi conere et mus, nec publici judicii periculum subire. Et quidem Morainium esse Martinonum idem laudatus scriptor publicavit in aureo scripto D. Augustini, cap. 13, et ex anagrammate ficti nominis patet. Non est hic animus operosiorem pro Augustino apologiam instituere; compendio sancti Patris causa tractabitur, cum ostendemus ea ipsa dogmata in quibus Augustinus excessisse dicitur, fuisse Romanis pontificibus ac Patrum synodis probata. Asserit Augustinus concupiscentiam esse per se malam, et vitium humanæ naturæ ex primo peccato derivatum, nec illam esse passionem naturalem hominis, idque variis argumentis in libris ultimis quatuor prioris contra Julianum operis demonstrat. Attamen sanctus doctor non arbitrabatur concupiscentiam esse peccatum, sed esse veluti habitum vitiosum ad malum inclinantem. E contra Pelagiani contendebant concupiscentiam esse perfectionem, ac bonum naturale ad hominum propagationem primo parenti inditum, unde per irrisionem concupiscentia ab Augustino, lib. IV contra Julianum, cap. 11, dicebatur Pelagianorum *suscepta*, et lib. V, cap. 5, eorumdem *pulcherrima famula*. Recentiores sententiam illam sancti Augustini rejiciunt, objicientes cum Morainio disp. 13, num. 87, *excessisse illum æstu disputationis, et in odium hæresis quam impugnabat, interdum ad extrema declinasse.* Sed errat Moraines, ac simpliciorum ignorantia abutitur, dum contendit Augustinum interdum ad extrema declinasse in ea sententia quam passim et utique solidissime ac constantissime inculcat. Illa de concupiscentia quæstio erat una ex quinque præcipuis quas sanctus Augustinus cum Pelagianis habuit, unde cum Julianus diceret: « Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, BONO bene utitur; qui modum non tenet, BONO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, BONO melius non utitur; » Augustinus, contra hæc reponit lib. III contra Julianum, cap. 21: « Ego vero sic ad tua ista respondeo: Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, MALO bene utitur; qui modum non tenet, MALO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, MALO melius non utitur. » Inde veluti pugnæ signo dato clamat: « In hac controversia de bene utendo isto UTRUM BONO, AN MALO, tota inter nos causa versatur. » Et quidem Julianus adeo acriter pro concupiscentia tanquam naturali perfectione decertavit, ut id *toto libro*, teste ibidem Augustino, exsecutus fuerit. Opponunt ea in opinione sanctum doctorem excessisse; at contendimus illam sententiam non excidisse eidem quasi aliud agenti, sed totis viribus contra hæreticos eamdem serio ac consulto propugnanti. Quod si Augustinus excessit, eodem vitio antiqua etiam Ecclesia laboravit, quæ recitatam sententiam ante Augustinum et cum Augustino secuta est, quod adversarii a nobis docendi sunt, quandoquidem illud ignorant, vel saltem dissimulant. Augustinus, lib. V contra Julianum, cap. 12, in fine, quinque quæstiones proponit de concupiscentia, quas cum Pelagianis habebat: harum tertia ista est: « Utrum malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum. » Additisque duabus aliis quæstionibus, ait: « Hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. » Porro qua reprehensione dignus esset Augustinus, si opiniones falsas, et in quas ex disputationis furore præceps actus fuerat, pro catholica veritate publicasset? Audiatur, Suarez, prolegom. 6 de Gratia, cap. 6: » Ulterius, inquit, addimus quidquid in hac materia Augustinus ut certum affirmat, et ad dogmata fidei pertinere, a quolibet prudente et erudito theologo esse tenendum et defendendum etiamsi non certo constet esse ab Ecclesia definitum, tum quia cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in damnandis erroribus gratiæ Dei contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati doctoris, qui Augustino aliquid de gratia Dei tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet, præsertim cum tot annis, tanta sapientia, tanto ingenio, tanta diligentia et instantia, et, quod caput, tot donis et auxi-

cilis intellectu Augustini sententia habebatur, sed quod plerique eamdem sententiam probe ab ipsis intellectam contrariam putabant antiquorum Patrum definitionibus, teste Prospero in epistola ad Augustinum. Duo enim hic distinguenda sunt : vel enim difficilis asseritur Augustini sententia, quod intelligi non nisi difficulter possit, vel quod licet recte percipiatur, humano intellectui durior videtur, cuive non ita facilis assensus præbeatur. Primum sane falsum est, nam Massilienses optime Augustinianam sententiam de gratia Adami et stantis et reparati, de prædestinatione electorum, de eorumdem certo numero, de dono perseverantiæ assecuti sunt, ut palam fit ex litteris Properi et Hilarii, qui itidem cum aliis verum Augustini sensum tenuerunt, quem si nonnulli assequi nequivere, ipsorum ingenii debilitati deputetur ; neque enim soli vitio verti potest quod eum talpa non videat. In altero vero sensu difficilem videri sancti Doctoris sententiam de prædestinatione, nec ipse Augustinus negavit ; res enim secretissima est, quam tamen tot libris, quantum potuit, reddidit faciliorem. Non ibo inficias sancti Augustini sententiam de prædestinatione ante prævisa merita plures in Galliis turbasse, unde gravissimæ contentiones emersere, doctis quibusve in partes divisis. Neque enim indocti absolutam prædestinationem cum humana libertate componi posse percipiebant, et docti etiam viri idipsum ægre assequebantur. Cæterum Augustinus illorum dissidiorum certior factus, in libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ eamdem de prædestinatione sententiam et constanter tenuit, et solidissime confirmavit. Sane in libro de Dono perseverantiæ, cap. 20, respondens Massiliensibus, qui dicebant : « Non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari ; quoniam non minus utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides, » ostendit jam olim ante exortos Pelagianos eadem se docuisse, quæ postea contra eosdem operosius et diligentius demonstare compulsus fuerat : « Prædestinatio, inquit, prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi, » cap. 21. Et quidem sanctus doctor donum fidei et primam gratiam ex absoluto decreto Dei suspendit, quo omnia prorsus merita divina gratia antecederet. Hinc Semi-Pelagiani Augustino hostes facti per centum fere annos variis dissidiis Gallias fatigarunt, donec in Arausicana synodo II ex Augustini libris datis responsis diuturnæ illæ inter doctos homines agitatæ contentiones finem sortitæ sunt. Nullius sane culpæ Augustinus reus inde traducendus est, imo summis idem laudibus commendandus venit, qui Semi-Pelagianorum nec sapientia nec auctoritate deterritus, traditam semel de divina gratia atque prædestinatione ad initium saltem fidei (quod in confesso est apud omnes) sententiam pluribus demonstravit, neque per ipsum ullo modo stetit quin missis in Galliam duobus præclarissimis libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ natos ibidem tumultus compesceret. Cum Augustinus de initio fidei atque perseverantiæ dono ea docuerit quæ verissima sunt, et eadem in synodorum postea canones transierint, Cassianus, Faustus, Hilarius Arelatensis, aliique reprehendendi sunt, qui Augustino contradicentes erroneam doctrinam defendendo, gravissimas Galliæ turbas peperere. Ex his constat Adamum præpostere de illis Gallicanis dissidiis judicasse. Hinc recte sub Rhemigio sanctissimo ac doctissimo Galliarum antistite Ecclesia Lugdunensis ante octingentos annos de hoc ipso pronuntiavit : « Augustinus nec tanta perturbatione et commotione fidelium ab intentione veracissimæ et fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut revocari. Sed magis eos et scriptis suis in quantum potuit admonuit et instruxit, et orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent et agnoscerent quam necessario et quam salubriter propter commendationem divinæ gratiæ ejusdem prædestinationis veritas omnino et credenda et prædicanda esset. » Lib. de trib. epist. cap. 35. Itaque falso contra sanctum Augustinum locutus est Ludovicus Molina in sua Concordia, hæc scribens : « Augustini doctrina de prædestinatione plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant. » Neque enim rejicienda sunt pharmaca quod initio quidem sorpta stomachum delicatiorem turbare solent. Haud salus illorum periclitata est, qui in quæstione nondum ab apostolica sede decisa non ita se faciles præbebant ad Augustinianam sententiam recipiendam ; scimus enim Cassianum, Faustum, Hilarium Arelatensem episcopum, qui Semi-Pelagianorum principes fuere, uti sanctos in Galliis coli, ut in Pelagiana Historia, lib. II, cap. 12, nobis descriptum est. Quis autem non moleste ferat recentiores Augustini doctrinam uti Gallicanarum rixarum causam traducere, cum easdem omnino contentiones una ipsa sedaverit atque sustulerit, quandoquidem Arausicani canones qui pacem Galliis dedere, exscriptæ ad verbum Augustini sententiæ sunt ? Quod initio quidem factum fuisset, si Semi-Pelagiani sancti doctoris sententias recipere maluissent, quam eisdem contradicendo provinciam dissensionibus involvere. Ex his, ut ante inferebamus, illarum turbarum origo non in Augustinum, sed in ejusdem hostes rejicienda est. Porro falsum est, quod scribit Adamus pag. 610, in materia de gratia et prædestinatione nonnullos sectatorum sancti Augustini ipsum deseruisse, vel non ausos eum publice tum temporis in Galliis defendere. Contrarium enim testantur Prosper et Hilarius in epistolis ea de re datis ad Augustinum : « Recensito autem, inquit Prosper, hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ

ritatem antea sequebantur, intelligentiores instructioresque sunt facti, ita qui persuasio- ue impediebantur obscuro, aversiores quam nt recesserunt. » Unde Augustini sectatores subinde a sancto doctore libris acceptis, ani- is ejusdem partes sustinebant. Hilarius vero ita : « Sunt ex parte tales personæ (nempe Semi- iani), ut his consuetudine Ecclesiastica laicos iam reverentiam necesse sit exhibere. Quod m ita curavimus, Deo juvante, servare, ut, cum fuit, non taceremus quæ ad quæstionis hujus ionem exiguitas nostrarum virium suggereret. » rosperum in epistola eadem fateri quosdam usos publice Augustiniana pronuntiata defen- quod non inde factum est quod illa creditu lia ac paradoxa arbitrabantur, ut contendit ad- ius. sed quod Hilarii episcopi Arelatensis alio- ne doctissimorum Augustini hostium *dignitas et atia*, teste eodem Prospero, timorem eisdem bant.

i vero discutienda veniunt quæ ad Augustinia- a dogmatum difficultatem persuadendam idem inisci tur pag. 611, ubi ait : « Augustinus sæpe sus est, difficultates vel a seipso vel ab ad- iis propositas in hac materia data a se solu- excedere, seque plus objectionibus commotum responsionibus sedatum. » Additque : « Cum liqua difficultate insuperabili pressus est, ad ripturæ verba confugit : *O altitudo divitiarum tiæ et scientiæ Dei* ! etc. (*Rom.* xi). » Peream, si im Augustinus ea affirmavit quæ illi Adamus iit : debuerat in re gravissima aliquem sancti is textum appellare. Sed non ita est, Adame ; enim Augustinum hæc contra Julianum om- adversariorum acutissimum et ferocissimum, em in fine lib. vi : « Ad omnia me tibi res- se, Juliane, et omnia refellisse, etc., puto quod icis, si pervicax non sis. » Et in fine lib. i : « Vi- argutias tuas, et fragilia, quibus tibi multum s acutus et nitidus, argumenta confringam. » . iii, cap. 3 : « Tuarum velut acutarum argu- tionum nihil non solutum destructumque di- n. » Hinc sanctus Prosper in cap. 2 contra In- canit nullum argumentum Pelagianorum non m fuisse.

..... *Nullumque omnino relictum*
octa fides, quod non dissolveret argumentum.

nctus Prudentius in epistola ad Hincmarum dulum eorumdem hæreticorum argumentis a Augustino *abundantissime et competentissime ictum* esse scribit. Videantur dicta cap. 1 ap- cis ad dissertationem de synodo quinta. Illa ta- nsuperabilis quæstio Augustino visa fuit, cur hunc potius quam illum prædestinaret, de qua e agit serm. 11. de Verb. Apost., cap. 14, et 105 ad Sixtum, et lib. iv ad Bonif., cap. 6, t : « Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet al- nem, quam perspicere volens idem Apostolus mmodo expavit, et exclamavit : *O altitudo di-* *vitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* ! etc. » Ita summi ingenii fasces secretis divinæ Providentiæ consiliis Augustinus submisit, quod et recentiores fateri co- guntur, si rogentur cur Deus huic det gratiam con- gruam, alteri vero neget?

Quod addit, Augustinum imperfectam reliquisse inchoatam a se in Epistolam Pauli ad Romanos Ex- positionem, in qua de mysteriis gratiæ disseritur, quasi rei difficultati succubuerit, non convincit Au- gustini doctrinam esse difficilem, ut sibi probandum Adamus eo in capite proposuerat, Rationem inter- missorum Commentariorum hanc tradit sanctus doc- tor lib. I Retract., cap. 25 : « Ipsius operis magnitu- dine ac libore deterritus et in alia faciliora deflexus sum; » non quod ignoraret quid de prædestinatione et gratia juxta Apostoli sententiam statuendum esset, cum id et in libris, et in epistolis, et in sermonibus adeo sæpe ex eadem Epistola Pauli ad Romanos de- duxerit, ut Beda, Florus, Victor Tripolitanus, aliique ex solis sancti Augustini interpretationibus in eam Pauli Epistolam sparsim ejusdem operibus insertis integra Commentaria in centonem consuerint, ac plane totam Epistolam Augustinianis verbis expo- suerint. Denique falsum est, quod Adamus scribit pag. 612, dixisse Augustinum suam de prædestina- tione sententiam *non esse populis prædicandum*. Quodve summæ falsitatis est, id probans ex cap. 15 de Dono preseverantiæ : etenim ibidem per plura capita inculcat, et prædicandam esse sententiam de gratuita prædestinatione, et modum quo citra rudium conturbationem prædicari possit, assignat. Audiatur sanctus doctor ita inchoans cap. 14 de Dono persev. : « Sed aiunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam. » Audin', Adame, illam sen- tentiam fuisse Semi-Pelagianorum, quos ibi rejicit sanctus pater, quam satis negligenter, ut mitius lo- quar, eidem affricas. Accipe interim Augustini res- ponsum : « Quasi vero adversata sit Apostolo præ- dicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide et veritate prædestinationem toties commendavit, et verbum Dei prædicare non destitit?

Hæc nobis scribentibus opportune S. D. N. Cle- mens X pro Augustino sententiam pronuntiavit, au- reis plane characteribus imis præcordiis incidendam. Etenim in diplomate raro ac singulari, dato die 18 Decembris, anno 1671, quo universis Christi fidelibus festa sancti Augustini die nostræ familiæ templa adeuntibus, ibique pie supplicantibus plenariam in- dulgentiam impertitur, hæc habet : « Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longe super- gressa sancti Augustini episcopi et confessoris, Ec- clesiæ doctoris præcellentissimi, qui Spiritu Dei ple- nus hæresum errorumque tenebras tanquam fulgen- tissimum Christianæ eruditionis jubar profundissi- mis, simulque sole clarioribus scriptis profligavit, et hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato devotoque mentis affectu recolentes, » etc. Hac apostolicæ sedis sententia honorificentissima, gravissima sanctissima-

que omnes a quibuscunque adversariis Augustinianis libris objectæ nubeculæ fugantur penitus ac dissipantur. Hoc diploma in forma Brevis, ut aiunt, exaravit illustrissimus D. Joannes Gualterius Slusius, spectatæ doctrinæ præsul, urbi et orbi notissimus, Clementi X pont. max. a secretis brevium. Illud vero apostolicæ cameræ typis excusum ad eumdem summus pontificem detulit illustrissimus D. Josephus Eusanius apostolici sacrarii præfectus, idemque Augustinianæ gentis decus, quam uti olim in suggestu et scholastica cathedra illustravit, ita eamdem continuis propemodum beneficiis exornat; detulit, inquam, laudatum Breve die 24 mensis ejusdem, hora 14, cum summus pontifex sacrosancta mysteria peregisset. Horum autem lectores præmonitos volui, ne quis postea diploma illud a pontifice nec visum nec lectum comminiscatur, quemadmodum de altero diplomate ab Alexandro VII ad Lovanienses dato, in quo sanctus Augustinus ejusque doctrina eximie commendantur, quidam recentior concepto juramento publicavit, cujus quidem hominis voces inferius capite 6 castigamus. Hæ quidem Clementis X litteræ quotannis pro Augustini solemniis de more, qua late per orbem Augustiniana respublica colonias deduxit, populis exponentur, ac magni doctoris ex apostolici oris sententia *sole clariora scripta* apparebunt, nullusque posthac non falsas ac prorsus inanes illius recentioris voces intelliget, qui ausus est blaterare sancti Augustini libros esse *tenebris ac nubibus obductos*, dum ex apostolicæ sedis oraculo sole clariores elucent.

Omitto consulto plura sanctorum Patrum testimonia, quibus Augustinus ab objecta obscuritate vindicatur; illa enim producam in calce hujus operis, et quidem nobilissima. Hic tamen sancti Prosperi verba in præsenti repetere juvat in præfatione ad excerpta Genuensium, initio cujus hæc ait: « In libris beatæ memoriæ Augustini episcopi, etc., si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere debebatis ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, et a quo datur spiritus sapientiæ et intellectus. » Hæc autem dixit, non quod putaret Augustini dicta esse obscura, sed quod ob minutam intelligentiam illis ad quos scribit obscura visa erant: nam hisce plane verbis illud opus concludit: « In quibus *nulla est obscuritas*, si de fide prædestinationis et gratiæ Dei, ex qua est omnium honorum origo, perseverantiaque meritorum, hoc teneatur quod habet veritas. » Ipse Augustinus, in fine libri de Gratia et libero arbitrio, hæc serio lectoribus inculcavit: « Repetite assidue librum istum, et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum. » Et de eodem volumine loquens initio libri De Correptione et gratia: « Semel lectum, inquit, nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum. » Volo autem Prospero supparem producere doctissimum Galliarum præsulem, qui gravi sententia Adan ptoris Galli præposterum de Augustini scripti cium perculit, ut pateat allata ab adversario menta nihili fieri ab eruditis viris. Illustri Joseph Maria Suaresius, episcopus Vasionen dissertatione priori de Chronologia operum Augustini, hæc ait: « Sed quod sanctissimus apostolorum princeps de coapostoli sui sanct sensit Epistolis, usurpare de operibus sancti stini audeo, scilicet in illis sanctum loqui Patr *his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, q docti et instabiles depravant, sicut et cæteras S ras, ad suam ipsorum perditionem.* Nec enim a ulla id accidit culpa, sed lectorum vitio, q minus perspicaces, seu vagis imbuti prius err ordinem potissimum librorum et disputationu rantes, mentem acutissimam et sanissimos sen doctissimi Patris assequi non potuerunt; ex occæcati sibi nebulas offundunt, et inania p comminiscuntur. » Hæc quidem ille ante trie scripsit, cujus sententia tanto præsule digna huic capiti finem imponet.

CAPUT II.

Recentiores accusant eamdem sancti Augustini nam antilogiæ. Rejiciuntur.

Graviorem alteram injuriam iidem scripto gustino inferunt: inquiunt enim eumdem s doctorem tot tantisque antilogiis laborare, ut prægrande satis volumen possent consarcina cusationem ipsorummet verbis recitabo. Adam 6, pag. 614, hæc citra pudorem eructat: « Mi addere quod si diversas sancti Augustini sen in hac materia colligere vellem, corpus quodd diversissimis partibus coaptarem. Uno loc nostram salutem absoluto esse decreto definita nihilominus affirmat pendere illam a nostra v te; præscientiam esse posteriorem decreto re tionis, et esse item anteriorem; nostra liberta tiam adimpleri, et libertatem in usum a gratia gratiam esse victricem, sed et eidem nostra tatem resistere; solum peccatum originis plu damnationem perpetuam conjicere, et h damnari ob propria tantum delicta et libertatis lionem. Hic arma sumpsit contra gratiam, eamdem evexit. Hinc concludo quod si mil licet dicere, sanctum Augustinum in variis s librorum locis sibi contradixisse, saltem fas es credere ipsius doctrinam esse intricatissima nulla reperiri possit intricatior, quam quæ si repugnare videtur. » Ita recentior sancti Au defensor. Hæc eo collimant ut summum E magistrum omni prorsus exuant auctoritate. Q quisque enim est qui credat viro illi qui n credit? Certane mihi erunt illa quæ ipsimet incertissima visa sunt? Ubi et divisio ac senten varietas est, inde procul veritas degit, quæ, cu sit, nequit in partes dividi. Qui opposita docet sane docet, enim vero diruit ædificatque. Solu

sibi nec cohæret nec constat. Quod si vera sunt, quæ adversarius Augustino objicit, erit Augustinus impostor et mendax, et dum de uno in aliud transilit immemor eorum quæ dixerat, et tibiam sibi et cervicem frangit. Si Augustinus usque adeo antilogiis scatet, ut quodlibet potius enigma intelligas quam veram ejus germanamque sententiam expisceris; si obscuris verborum involucris veritatem, quam explicandam susceperat, implicuisse credendus est, quo jure quove titulo Clemens VIII in maximis illis de auxiliis divinæ gratiæ litigiis unum Augustinum consulendum jussit, a quo veritatis secreta peterentur? Pessimo sane consilio in obscuris lucem, et inter secum invicem pugnantes Augustini sententias dissidia componendi modum quæsivisset.

Pelagiani olim, ac postea Semi-Pelagiani, easdem calumnias in Augustinum projecere, quorum verba sibi data sunt, eos autem acerrime reprehendit sanctus Prosper contra Collatorem cap. 41, ut nihil ab Adamo contra sanctum doctorem proponatur, quod non ex veterum ejusdem hostium ore prodierit, quos tamen omnes brevi illo dicto Augustinus confutavit: « Hinc est quod sententias meas inter se contrarias putas, vel putari cupis, tanquam improbem quod ante approbaveram, aut amplectar quod ante respuerim. Audi ergo apertam sententiam meam, et intellige ve. sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati sincerissimæ veritatis. » Lib. v, contra Julian. cap. 9. Et quidem Augustino quid commune cum reliquis accidit, qui ob singulare ingenium supra cæteros doctrinarum copia evecti scholarum magistri evasere. Etenim sectatores, cum certatim diligentiorem operam in sectæ patrono legendo ponere studeant, suo tamen plus nimio ingenio indulgentes, diversa docendo magistros in contradictionis suspicionem trahunt. Hoc Aristoteli, hoc Platoni contigit, hoc sancto Thomæ postea ac Scoto nobilissimarum scholarum principibus accidit, toties discipulis præceptoris mente acerrime inter se conflictantibus. Nullus tamen sectatorum summis illis viris contradictionis crimen impingit, sed quæ ab adversariis adducuntur, congruis interpretamentis explicare conantur. Quare cum Augustinus librorum copia, doctrinæ subtilitate, et, quod caput est, argumentorum prope contrariorum pertractatione cæteros longo post se intervallo reliquerit, eidem etiam periculo proximus factus est, nempe ut contraria docuisse credatur, dum a contrariis ac sibi invicem repugnantibus scriptoribus certatim sibi favens publicatur. Maligni tamen ac irreligiosi prorsus lectoris sit, affirmare tantum doctorem contraria docuisse. Verum Adamus haud iis scrupulis perstrictus clamat pag. 590, « Augustinum theologorum scholas in partes, ac doctores in factiones divisisse. » Erras: nam e contra potius diversæ scholarum ac doctorum factiones Augustini doctrinam in contrarias partes dilaniarunt: etenim dum ad Augustinum legendum præoccupatis animis accedunt, nec ejus uti volunt magisterio, sed patrocinio, suas opiniunculas maximo Ecclesiæ doctori audacter affricant. Quis enim recentiorum ea mente sancti doctoris volumina aperit, ut ejurata etiam propria opinione, unius Augustini sententiæ inhærendum sibi decernat? Sed velit nolit, Augustinus in partes vel machinis trahendus est, atque Ecclesiæ magister, si superis placet ipsorum discipulus publicandus.

Hanc eamdem accusationem prosequens adversarius c. 6, pag. 611, inquit: « Ostendimus etiam sanctum Augustinum in hac materia ter sententiam mutasse. » Citat autem in margine cap. 3 de prædestinatione sanctorum. Verum semel tantum se mutasse sententiam sanctus doctor ibidem scribit; nam initium fidei ex nobis, non ex Deo esse olim arbitrabatur, quem postea errorem re melius ex Apostolo cognita repudiavit. Quæ tamen mutatio sententiæ non vitio, sed laudi illi deputanda est, cum ab errore ad veritatem deflexerit; imo revelante Deo eam se priorem opinionem exuisse scribit cap. 4: « Ecce inquit, quare dixi superius hoc apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. » Sapiens igitur vir Deo revelante monitus sibi erranti contradixit, et priori errore posteriori sententia emendato, unam esse voluit, imo fecit de gratia ac prædestinatione doctrinam in omnibus sibi cohærentem. Scimus tamen de Augustini sententia theologos inter se digladiari; at ii ipsi certatim sacras litteras sibi faventes producunt, neque minore contentione de Scripturæ quam de Augustini sensu decertant. Porro quis eo dementiæ impetu feratur, ut dicere ausit sacri codicis sententias esse intricatissimas, turbas Ecclesiæ dedisse, doctos viros in factiones divisisse, aliave similia, quæ de Augustino Adamus scripturit? Non defuere tamen nebulones, Christianæ religionis hostes, qui sacras litteras contradictionis arguerent, quos cæteros inter refellit sanctus Augustinus in libro de Consensu evangelistarum.

At quæ adversarius ad Augustinianas antilogias suadendas adducit, futilia prorsus sunt vixque citra nauseam repeti possunt. Opponit enim primo loco Augustinum docuisse nostram salutem absoluto Dei decreto definitam esse, et alibi tradidisse eam nihilominus a nostra voluntate pendere. At hæc ipsa est sancti Thomæ sententia, quam non solum sectatores, sed melioris etiam notæ theologi subscribunt, dicentes gloriam in intentione absoluto Dei decreto prædestinatis præfixam fuisse, at in exsecutione ab eorumdem meritis pendere; de qua re Augustinus lib. de Grat. et lib. arb., cap. 18, ubi quærit quomodo vita æterna detur nostris meritis tanquam præmium, et simul detur ex gratia nulla merita supponente. Alteram contradictionem opponit, nempe docuisse Augustinum præscientiam esse posteriorem decreto reprobationis, et esse etiam anteriorem. Sed debuisset hic recentior indicare libros et capita ubi hasce Augustinianas antilogias notasset; neque enim tantæ

fidei virum illum putamus, ut dicenti et nullo testimonio probanti credere debeamus, in re præsertim gravissima, ubi sanctorum doctrinam atque auctoritatem in quæstionem trahit. Interim dicimus falso asseri sanctum Augustinum posuisse reprobationem ante demeritorum præscientiam; nota est illa ejusdem sententia toties repetita: « Bonus est Deus, justus est Deus, potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est. » Hinc contra Pelagianos probat Deum futurum injustum, si rejiceret a gloria pueros nulli peccato obnoxios, idque fere ubique præstat in opere posteriori contra Julianum, et in priori etiam lib. III, cap. 4 et 12; serm. 14 de Verb. Apost., et epist. 106. Nec ullum locum dabit adversarius ubi doceat Augustinus reprobari quempiam a Deo, cujus nullum Deus demeritum præviderit. Addit tertio loco tradere Augustinum, « A nostra libertate gratiam compleri, et a gratia libertatem in usum deduci. » Sed hæc bene inter se conveniunt: nam sola gratia non ponit actum bonum in nobis, sed una cum libera voluntate, quam ipsa præmovet et in actum deducit: unde ex gratia et libero arbitrio fit completum principium actuum bonorum, ita tamen ut libertas gratiæ ancilletur. Et sane cum sine gratia nihil fieri possit prout oportet ad salutem, a sola gratia humana libertas in bonum et meritorium usum agi potest. Non do Augustini textus, quia res in omni schola est manifesta, licet de modo quo illæ motiones fiant disceptetur. Primum legi potest in Augustino sermo 13 de verbis Apostoli, cap. 11, § *Agnosce quid poscas*, etc., ubi inter alia scribit: « Si non esses operator, ille non esset cooperator; » lib. II de peccatorum Meritis, cap. 5, et alibi. Alterum vero in omni pagina librorum contra Pelagianos, ubi catholicum illud dogma semper inculcat, nihil boni meritorii fieri posse sine gratia.

Quarta sequitur objecta Augustino contradictio: « Gratiam esse victricem, sed et eidem nostram libertatem resistere. » At de eadem gratia in individuo nunquam hoc Augustinus somniavit, ut eadem simul et vinceret libertatem, eamque sibi subderet, et nihilominus a libertate rejiceretur; si enim rejicitur, jam non est victrix, sed victa repellitur. Quod si de diversa ac distincta gratia ea Augustinus dixit, omnis contradictionis umbra ab ejusdem dictis procul abest. Sane recentiores pleno ore affirmant gratiam congruam semper esse victricem, non congruam vero repulsam pati a libero arbitrio, quod et eorum antagonistæ de gratia prædeterminante et pure sufficienti tradunt; quæ si contradictionem involvunt, publicæ gratiæ agendæ Adamo erunt, qui universos scholasticos ab inveterato errore liberaverit. Itaque cum Augustinus scribit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8: « Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; » cum eamdem dicit movere *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime*, cap. 12 de Corrept. et grat.; *efficacissimus viribus*, lib. de Grat. et lib. arb., cap. 16; *occultissima*, *efficacissima tate* lib. I ad Bonif., cap. 20: cum, inquam, tus doctor his aliisque epithetis victricis gratia giam exprimit, de congrua et efficaci accipiend at cum debili cuidam gratiæ nostram libertat sistere tradit, ut patet ex lib. I, quæst. 2, a plicianum, ex cap. 9 de Prædest. sanctoru ait: « Ex duobus ætate jam grandibus impi iste vocetur, ut vocantem sequatur, ille aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem tur, inscrutabilia sunt judicia Dei; » palam fit dam vocanti Deo resistere quæ etiam ex cap. Corrept. et grat. deducuntur, cum adjutoriu nistratum angelis ante lapsum dari etiam i naturæ lapsæ quibusdam, aliis in pœnam non dari scribit; cum inquam, ista docet, de gratiæ specie debili, incongrua et remote suf loquitur, unde nulla hic contradictionis suspic gustinum tangit.

Quinta contradictio est: « Plures damn solum peccatum originis, » et item docet, « h non damnari nisi ob peccata personalia, et p libertatis rebellionem. » Non ita est, Adame. Augustinus pueros decedentes sine baptismo nari ob solum peccatum originis, majores ver homines, et propter peccatum originis, et p alia, quæ ipsorum malitia superaddidit; in nulla contrarietatis umbra conspicitur. Au sanctus doctor lib. de Corrept. et grat. cap « Hi ergo qui non pertinent ad istum certissim felicissimum numerum, pro meritis justissime cantur. Aut enim jacent sub peccato quod or liter de generatione traxerunt, et cum illo hære debito hinc exeunt, quod non est regeneratio missum, aut per liberum arbitrium alia insup diderunt, arbitrium, inquam, liberum, sed non ratum, liberum justitiæ, peccati autem servun volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii alii minus, sed omnes mali, et pro ipsa dive diversis suppliciis judicandi. » Rursus quom quibus in baptismo dimissum est peccatum ori possint dici ob peccatum originale relicti in perditionis, tradit sanctus doctor cap. 7, et n ferius dicemus, ubi de erroribus Augustino ol sermonem instituemus, et certe hi nullo pacto nari possunt ob reatum peccati originis, et loquitur Augustinus, dum ait neminem damna ob propria crimina.

Sextam contradictionem ita efformat: « Hic sumpsit Augustinus contra gratiam, et alibi ea evexit. » At nullum Augustini verbum proferent ita facilem assensum damus. Ubinam Augu contra divinam gratiam arma induit? ubina injurius fuit? quo verbo illam vel tantillum læsit in libris contra Manichæos de humani arbitrii tate exaratis, nondum exortis Pelagianis, d gratiæ mentionem fecit, illiusque ad juste p vivendum necessitatem memorabili dicto pron vit, ac si futuros ejudem gratiæ hostes prævi

lib. I Retract., cap. 9, recitatis pluribus tex-
x libris de Libero Arbitrio, in favorem gratiæ
dit: « Ecce quam longe antequam Pelagiana
s exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra
sputaremus. » Hinc cum in libro primo ad
ianum multa pro libero arbitrio dixisset,
men gratiæ subjecit, non supra eamdem ex-
nde lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 4, ait :
jus quæstionis solutione elaboratum est qui-
o libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit
itia. » Ergo si Augustinus vel cum pro defen-
iberi arbitrii decretoria arma tractabat, gra-
toriam dabat, ubinam contra illam gladium

m quidem contradictiones sententiarum Au-
recentior ille scriptor opponit, qui tamen
usus est tantum erroris Augustino affricare,
m hoc illi in religionem veniret, adjecit:
concludo quod si mihi non licet dicere
n Augustinum in variis suorum librorum locis
itradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius
am esse intricatissimam, » etc. Non ait,
ncludo, cum mihi non liceat dicere, etc., sed
subdubitans, liceatne sibi Augustinum contra-
is incusare, si *mihi*, inquit, NON LICET. At nec
i tibi licet dicere, neque alterum fas est cre-
iempe doctrinam sancti Augustini *esse intrica-
n*, insigni enim nota præclarissimi Ecclesiæ
i libros afficis, quam tuo Suario vel Vasquio
a quopiam minime patereris. Crede mihi,
bi licitum est tam abjecte de Augustino sen-
uid enim irreligiosius fieri potest quam Au-
m veluti multifornem in sentiendo Protheum
e, modo affirmantem, modo negantem, modo
modo nigrum, tot in eadem scena cothurnos
mutantem? Non igitur contrarius sibi est
nus, sed Adamus contra se pugnat, qui cum
inscripserit titulum : *Calvinus sancti Augus-
mis destructus*, mirabili constantia affirmat
pag. 596, scripta sancti Augustini non esse
ota *ad exarmandos Calvinistas*. Unde lepida
doctoris sententia. lib. v contra Julian. cap. 5,
caput claudamus : « Non sunt ergo, inquit,
iea inter se contraria, quamvis te patiantur,
intelligendo, vel alios intelligere non sinendo
lum. » Additque : « Tu ergo, qui in me quasi
ias inter se pugnantes notasti, et momordisti,
quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi
titeris. »

CAPUT III.

ores sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos excessus insimulant.

ulli scriptores recentes, qui de re theologica
didere, cum sancti Augustini auctoritate ni-
e premi sero jam tandem sentiant, illamque
ejicere reformident, ne eo in campo hostibus
gustini nomen ubique inclamant, cedere vi-
, novo crimine sancto doctori impacto, eidem
ucere conantur; inquiunt enim Augustinum,

A æstu disputationis abreptum, « excessisse lineas ne-
cessariæ veritatis, ut sit nimia quædam severitas et
iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet
transgredi jubet, si præeat Augustinus. » Verba An-
nati sunt lib. VIII sui Augustini, cap. 2, pag. 862.
Adamus hunc capiti septimo titulum dedit : *Sanctum
Augustinum permisisse se nimium abripi æstu dis-
putationis contra Pelagianos, et longius quam volebat
prætergressum esse. Celebre sancti Bonaventuræ
dictum hac de re explicatur*, pag. 616. Quas voces
Moraines, Decampsius cæterique recentiores integras
reddunt. Neque vero semel iterumve hoc Augustino
contigisse putant, sed in omnibus fere suis contra
Pelagianos disputationibus. Iniere quidem hanc facil-
limam evadendi viam, ne in Augustino interpre-
B tando diutius ingenia macerarent. Verum nil moderni
isti Augustini censores producunt, quod Pelagiani
ac Semi-Pelagiani ante duodecim sæcula sancto doc-
tori non opposuerint. Julianus Pelagianorum inso-
lentissimus hoc Augustino vitium objiciens dicebat:
« Si quis aut aut liberum in hominibus arbitrium aut
Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestia-
nus et Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hære-
tici, fiunt Manichæi, et dum falsam verentur infa-
miam, verum crimen incurrunt, instar ferarum, quæ
circumdantur pinnis, ut cogantur in retia. » Apud
Augustinum lib. II de Nuptiis et concupiscentia,
cap. 3, quam a se et cæteris catholicis calumniam
erudite ibidem sanctus doctor excussit. Hoc ipsum
C Semi-Pelagiani publicabant, ut ejusdem auctoritatem
convellerent. Hæc sunt Cassiani verba, cap. 11,
collat. 13 : Multi enim singula hæc credentes, ac
justo amplius asserentes, variis sibique contrariis
sunt erroribus involuti. » Idem habet Faustus lib. I,
cap. 1, 6 et 17. Et hi quidem uti impudentissimi
oblocutores acriter reprehenduntur in epistola quam
Cœlestino papæ recentiores quibuscum disputamus
ascribunt : « Quia nonnulli, inquit, qui catholico
nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum
sensibus, seu pravitate sive imperitia demorantes,
piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum
Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubi-
tent, magistris tamen nostris tanquam necessarium
modum excesserint, obloquuntur. » Ut sit nimia
D quædam recentiorum animositas, damnata convicia
iterum in Augustinum pleno ore eructantium. Et
quidem Augustinus, cum universa abs se exarata
volumina censoria severitate corrigeret, atque in
laudandis Platonicis modum se excessisse ingenue
fateretur lib. I Retract. cap. 1, tot in expugnandis
Pelagianis excessus suos non animadvertit, eam forte
censuram recentioribus relinquens, quam uti appen-
dicem Retractationum libris apponerent. Sane hoc
clypeo se munit Calvinus contra Patrum testimonia.
Illius verba sunt apud Taperum art. 7 de Libero
Arbitrio : « Græci, et præ aliis atque inter eos singu-
lariter Chrysostomus, in extollenda humanæ volun-
tatis facultate MODUM EXCESSERE. » Et licet quandoque
ægre tulerit hunc excessum a Pighio in Augustino

quoque culpari, attamen eodem vitio Augustinum etiam laborasse eadem audacia commentus est, scribens quod « ne Augustini quidem sententia PER OMNIA recipienda est. » Quibus palam significavit plus aliquando sanctum doctorem dixisse quam veritati, se judice, congruebat. Profecto si excessus isti, et quidem juxta adversarios satis in Augustino frequentes, admittantur, eidemque vitio alii quoque Patres subjiciantur, nullo propemodum sanctorum testimonio hæretici convinci poterunt; ubi enim aliqua Patrum sententia se premi senserint, excesisse eosdem clamabunt, qua ratione omnium veterum auctoritas labascit, et omnis ad heterodoxos convinecndos via præcluditur.

§ I. *Quid nomine* excessus *recentiores intelligant inquiritur. Sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ testimonia eisdem non suffragari. Excessus perperam Augustino objici.*

Si recentiores interrogemus quid Augustinianorum excessuum nomine intelligant, respondet Adamus, pag. 626, Augustinum *ultra veritatis limites excurrisse nimio disputationis æstu accensum, visumque hæreticis favere.* Addit Annatus, pag. 862: *Ut sit nimia severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus.* Fatentur tamen non ob hoc Augustinum mentitum esse, sed, ut egregie Moraines interpretatur, INSOLENTER *loquendo quidem, ut sentiebat, sed æstu disputationis et vehementia spiritus ad alterum extremum interdum declinasse* INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS, *quod non est mentiri, sed* FALLI, ET DICERE FALSUM *sine mendacio.* Disp. 40 Anti-Jansenii, sect. 6, num. 65. Igitur si non mendacii, falsitatis tamen apertæ reus Augustinus apud recentiorum tribunal convincitur. Quo vero juste se ita de Augustino judicasse persuadeant, nonnullos nec infimi subsellii theologos in testes vocant, qui dixere sanctum doctorem contra Pelagianos disputantem excessisse, quorum verba cap. 5 ex professo examinabimus; de sanctis Thoma ac Bonaventura (hos enim illi opponunt) pauca hic adnotamus. Cum sub Augustini nomine legeretur a prioribus scholasticis liber sancti Fulgentii de Fide ad Petrum, in cujus cap. 27 asseritur pueros cum solo originali peccato defunctos ignis sempiterni supplicio puniri, sanctus Thomas verba *ignis* ac *supplicii*, etc., large accipienda esse dixit, quæst. 5 de Malo, art. 2, ut ponatur species pro genere; addens: « Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis pœnam aliquam deberi. » Sanctus Bonaventura etiam idem testimonium, quod Augustinianum putavit, explicans, dixit quod ea posuit Augustinus *plus dicens, et minus volens intelligi,* in quibus verbis triumphum sibi canunt adversarii. INSIGNE DICTUM appellatur ab Adamo, in titulo cap. 7. Eadem verba Annatus, lib. VIII, c. 2, grandioribus characteribus expressit, quo statim legentium oculos implerent; hinc clamat Adamus: « Quid reponent nostri adversarii contra duos illustres Ecclesiæ doctores sanctum Thomam et sanctum Bonaventuram, qui hosce excessus in libris sancti Augustini confessi sunt? Pag. 629. Erigat utramque aurem Adamus, audiamque quid reponamus. Vos Augustinum in excessum prolapsum dictitatis, quod est, veritatis limites prætergressum fuisse, *intellectu æque ac verbis, quod non est mentiri, sed falli,* quæ Morainii confessio est; *at* Seraphicus Doctor excessum illum non intellectui, sed verbis tantum Augustini deputavit, *plus dicens,* inquit, *minus volens intelligi,* quod est, sanctum Augustinum non mente, sed verbotenus solummodo, non reapse, sed apparenter citra ullam falsitatem expressiori quodam vocabulo usum, nempe *ignis* ad infantium pœnas explicandas, cum tamen id ex Seraphici opinione haud ille mente sentiret. Adversarii autem Augustinum INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS falsum tenuisse contendunt.

Qua vero ratione eos Bonaventuræ testimonium juvet, plane non video, cum quam Augustinianæ menti falsitatem ipsi important, ad eadem Seraphicus procul amoveat. Non est igitur cur illius celeberrimi doctoris suffragium jactetis: ille enim, quod ad Augustini excessus pertinet, nullo pacto vobiscum concinit. Sed neque sancti Thomæ dictum vobis suffragatur: nam dum dicit Augustinum *large* locutum, indicat illum expressius tantum verbum adhibuisse, non eumdem veritatis lineas prætergressum. Large accipiendum verbum illud affirmat, qua ratione ab Augusnino acceptum credidit. Etenim ut dicatur Augustinus *ultra veritatem processisse* (quo modo excessus illius explicat Adamus pag. 626), stricte, presse ac omnino rigorose dicendus foret sumpsisse nomen illud *supplicii*, itemque *gehennæ, cruciatus,* etc.; alias si large accepit, intra veritatis cancellos sese cohibuit. Igitur sancti illi doctores contra recentiorum placita adeo aperte stant, ut mirum sit adeo inconsiderate juxta ac secure contra Augustinum adduci, atque in eorum verbis tantos ab Adamo rumores toto capite septimo excitari. Illud vero minime omittendum est, penes unicam dictionem et semel tantum asseri ab illis sanctum Doctorem expressius locutum. At quo crimine se involvet ducentorum et amplius voluminum scriptor, si verbum non ita proprie semel tantum usurpavit? Sed hic adversarios rogamus verbone uno tantum tenus docuerit Augustinus prædestinationem ante prævisa merita, libidinem esse malam, legem veterem sine Redemptoris gratia reos tantum facere, non esse absque gratia veras virtutes in infidelibus, in quibus aliisque plurimis excessisse illum publicant? Haud equidem credo id eos affirmaturos, cum sanctus doctor non solum pluribus argumentis eas sententias stabilire conatus sit, sed universas quoque summi ingenii vires ad easdem persuadendas exeruerit, imo et quasdam uti catholicas habendas esse contenderit Non hoc est, boni homines, *plus dicere, et minus velle intelligi*; non hoc est *large* unica tantum voce, et semel quidem uti; sed quid sit, jam

ıs videtis, dum sanctorum Thomæ et Bona- A suum origo dicenda est : etenim si Augustinus e rostris contra Pelagianos declamasset, more rhetorum non tam rationum momentis quam verborum copia insultans, utcunque hyperbole, hoc est, veritatem sententia excedente uti potuisset, ac nonnulla per exaggerationem addere, quæ oratorum licentia est. At cum dogmata, quæ per excessum Augustino excidisse dicunt, tot argumentis confirmarit, atque ex sacris arcanis petitis testimoniis tanto conatu stabiliverit, ut sexcentos et amplius versus eisdem suadendis non semel exaraverit, haud equidem vanam oratoris pompam per hyperbolem affectasse dicendus est, sed potius ipsas periodos, imo verba ipsa satis mature ponderasse, uti rei dignitas, tantique doctoris gravitas et sapientia exigebant. Porro et illud ridiculum est, *ex Platonicorum amore* Augustinum in eos excessus prolapsum. Impense quidem Augustinus Platonicos coluit, atque in eorum scriptis summa cum laude versatus fuit, quod ex libris contra Academicos exaratis intelligitur. At quomodo ex eorum lectione in disputationibus de divina gratia ultra lineas necessariæ veritatis exundaverit, ne suspicari quidem possumus ; imo nec id Adamo, licet audacter affirmanti, cognitum fuisse puto. Quæ enim gratiæ virtus ex Platonicorum libris habetur ? Nisi malit impetum illum disputando Augustino, ut ait, familiarem e Platonicorum schola derivasse, quod cum ex eorum libris nec Plotinus, nec Philo, nec Ficinus tradiderint, ab ipso Adamo id comprobandum est, veteris Academiæ libris excussis. Sed neque excessus illi *ex odio, quo Augustinus veritatis hostes prosequebatur*, originem habuere : nam sanctus Pater, cum contra hæreticos scribebat, omnes odii causas se procul habere protestabatur. Nullus contra Augustinum neque infensior, neque infestior Juliano hostis insurrexit, ut plane universum Pelagianorum virus unius Juliani ore in Augustinum cructatum fuisse videatur. At non solum citra odium stylum contra eumdem Augustinus strinxit, verum etiam hæc amorem erga hostem et quidem maximum exprimentia scripsit lib. I contra Julianum, cap. 7 : « Ego quidem pro dilectione quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit, ut de medullis mei cordis exstirpes, mallem, fili Juliane, » etc. Quare cum omnes excessuum causas, quas in Augustino Adamus indagavit, sanctus doctor procul habuerit, longe etiam ab excessibus idem collocandus venit.

Instat Adamus cap. 16, pag. 760 : « Quando Augustinus defendit libertatem contra Manichæos, videtur gratiæ necessitatem destruere ; cum vero pro gratia contra Pelagianos decertat, libertatem evertere. » Et pag. 632, in fine cap. 7, miratur quosdam « nunquam scivisse ipsummet sanctum Augustinum hunc sui spiritus impetum in pluribus suorum librorum locis confessum fuisse. » Libeat hic cum Augustino exclamare : « Quis non exspectet sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis ? » lib. VI contra Julianum, cap. 8. Quid enim frequen-

ı suffragiis destituti convincimini.

ı sane mihi movent lepida exempla recen- Augustini excessus explicantium, imo forte ſtum : « Uti viridarii cultores, inquit Adamus, pag. 111, distortam plantam erecturi, in op- partem eamdem flectunt, non quod eo in re illam volunt, sed ut facilius in rectitudi- ollatur, ita pariter Augustinus, inquit Morai- sp. 19, num. 35, disputando contra Pelagianos, ı nimis extollerent vires naturales liberi ar- ffirmarentque sufficere sine gratia non modo utes naturales quascunque, sed etiam ad sa- Augustinus ut illos ab eo errore abducat, in ium extremum æstu disputationis abripi in- videtur. » Cum quo concinens idem Adamus B cap. 7, pag. 631, « Augustinum suos hostes ma periculosa conjecisse, non ut eos ibi re- st, sed ut eosdem ad mediocritatem, unde il- esis abstraxerat, revocaret. » At quis nesciat ı fuisse eo pacto Augustinum ineptum prorsus imprudentem disputatorem, si toto cœlo op- ı sententiam contra Pelagianos propugnasset, errore illos reduceret ? Etenim cum omnia o arbitrio darent, nullo gratiæ loco servato, diametro Augustini sententiam, qua per ex- nihil libero arbitrio concedere, sed omnia in itiæ reponere videbatur, obstinatissime sub- recusassent. Longe melius fecisset Augus- i quædam libero arbitrio et quædam gratiæ C edisset, ut illos ab errore removeret : faci- m quisque ab extremo ad medium, quam ad im alterum propellitur. Hinc sanctus Thomas s dixit Augustinum *large* locutum, non ut ea ie hæreticos in suam sententiam traheret, hæretiorum errorem redderet catholicis ma- stabilem. Ita si recentiores veterem opinio- auxiliis exuere cogerentur, facilius descen- in sententiam moraliter arbitrium prædeter- em, quam in illam quæ physicam prædetermi- m astruit, hanc enim nimium odere. Ridendæ eniunt causæ ab adversariis assignatæ, quæ inum in excessus illos impulere. Hæc loqui- mus, pag. 624 : « Ipsius corporis tempera- n, ipsius genium, ipsius eloquentia, veritates D rtractandi modus eidem familiaris, magnus atonicos amor, quorum excogitata plerumque sunt, odiumque in omnes veritatis hostes inum in propositiones adeo apparenter inso- conjecere. » Afros fervidioris naturæ sub lidiori novimus, at an Augustinus calido tem- nto fuerit unus Adamus sine teste affirmet ; idem non ignoro sanctum doctorem minus fri- patientem fuisse ex epist. 227, at pacato et sedato stylum contra hæreticos strinxisse tum est, uti mox demonstrabo. Interim mi- et Augustini genium homini post duodecim ab illius obitu viventi tam exacte innotes- otuisse ! Sed nec eloquentia illorum exces-

tius a Pelagianis Augustino objiciebatur, quam illum Pelagianismi odio in Manichæismum declinare? At sanctissimus magister hasce a se calumnias sæpissime excussit. Legatur lib. II de Nupt. et concup., cap. 3 et 23, lib. II ad Bonif., cap. 1 et 2, ubi fusissime recensitis extremis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus, media Ecclesiæ catholicæ inter utrosque sententia concludit: « Possunt enim duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarii veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichæos diligendi sunt et Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut catholica mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cum, monente atque adjuvante Domino, debeat utrosque vitare, et cupiat utrosque sanare! » Rursus lib. IV, cap. 3, ita exorditur: « Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinquepartitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium; rursusque ita sejungat a Pelagianis, ne conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. » O egregium magistrum ac præceptorum tenacissimum! quippe qui, si Adamo fides est, *in disputationibus contra Pelagianos et Manichæos adeo incaluit, ut in errorem oppositum illi quam impugnandum suscepit, declinarit*, pag. 632. Sed pura puta sint isthæc Anti-Augustinianorum figmenta. Nullus mortalium adeo exacte Pelagianorum ac Manichæorum errores perspectos habuit uti Augustinus, qui non modo mediam inter utrosque viam tenuit, sed eamdem ubique in libris ad Bonifacium posteros docuit, quinque præcipuis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus e diametro oppositis ibidem recitatis, simulque media tradita Ecclesiæ inter errantes sententia, ut mirari liceat adversarios adeo secure hasce de sancto doctore fabulas vendere. Quod autem addunt, Augustinum ipsum hosce animi sui impetus agnovisse, et pluribus in locis id falsum esse, falsissimum est. Citat Adamus initium libri de Gratia et libero arbitrio; sed ibi hæc tantum scribit: « Sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, » etc. Te hic judicem volo, Adame, num in disputando æstus, impetus, excessus suos ibi Augustinus fateatur. Hoc unum dicere poteris, extremos illum errores inibi recitasse. Producit lib. IV, contra Julianum, cap. 8. Verum ibi Augustinus Julianum uti publicum calumniatorem redarguit, scribentem dixisse Augustinum negari liberum arbitrium si gratia commendetur, et negari gratiam et liberum arbitrium defendatur. Respondet autem sanctus Pater: « Non dixi negari gratiam, sed ut negari gratia videatur. Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri. » At nec verbum de innata sibi in disputando vehementia atque excessu. Quod vero negari videatur gratia commendatione liberi arbitrii, *propter quæstionis difficultatem* minus intelligentibus id videri posse dixit. Prætereo appellat lib. V, cap. 9, contra Julianum, et lib. I de Origine animæ, cap. 15. At in priori loco de concupiscentia tantum disputat, in posteriori de origine animæ, et neutrobique de animi sui impetu, zelo, fervore, excessu verbum ullum habet.

Cæterum quantum periculi ex objectis excessibus Augustini doctrina subeat, nemo non videt; etenim si in illis excessibus Augustinus liberi arbitrii vires plus justo depressit, ac vires gratiæ altius extulit, tunc Calvinus concinuisse cum Augustino dicetur, qui in illis excessibus suum dogma fundavit. Scimus Calvinum falso æque ac superbe gloriari solitum, suum esse totum Augustinum, ita eumdem clamantem inducit ipse Adamus pag. 561: *Augustinus totus noster est*. Nostri homines respondent Augustini doctrinam parumper excedere limites veritatis, et ex hac parte Calvino favere, nec esse doctrinam ejusdem recipiendam, nisi detonsis illis excessibus, in quos nativo animi furore præceps corruit. Hinc Adamus, cap. 8, pag. 640, scribit: « Modo ne in Pelagianorum errores, quos Augustinus insequitur, incidam, mihi licet verborum quibus ad eos expugnandos utitur impetum non sequi. Inde fit ut medius stem inter Pelagium et Calvinum. Si enim verba Augustini mitigando me nimium demitterem, Pelagianus essem. Si vero eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista forem; medium ergo me cum Ecclesia teneo. » Sane videris crudelem illam feminam imitari, quæ ut in Arcanis habetur, coram Salomone regum sapientissimo medium dissecari puerum, ac partim sibi partimque adversariæ tradi gaudebat; Augustinum enim in partes dividendum judicas, ut qua parte in excessuum altitudinem extollitur, Calvino cedat; qua vero humilior est, tuus, imo Ecclesiæ sit. At hoc quid aliud est quam Augustinum Calvino prodere, quem a Calvino abs te vindicari jactitabas? Augustinum tamen in partes secari superi vetant, totus totum petentibus concedendus est, et qui Augustini parte contentos se dicunt, ne minimum quidem illius unguem obtineant. Sed inani prorsus assertione Calvinus totum suum esse Augustinum finxit, nam veritate cogente partem et ipse Augustini se abjicere fassus est lib. III Instit., cap. 11, inquiens: « Ac ne Augustini quidem sententia per omnia recipienda est. » Itaque, Calvino judice, Augustini sententia partim accipienda, partim repudianda est; cui perbelle noster Adamus consonat. At hæc injuria usque adeo nociva est, ut universam Augustini auctoritatem, velint nolint, evertat. Etenim quo præsidio adjuti discernere tandem poterimus hic Augustinum in veritatis meta sistere, alibi vero ultra excurrere? Viderint an maximum Ecclesiæ doctorem de excessu ubique suspectum faciant.

Hic mihi discutiendum occurrit an hæc dicteria in unum Augustinum cadant, an ipsius quoque Eccle-

sæ venustissimam ac nitidissimam faciem detur- A centiores sententiam illam sancti Augustini rejiciunt,
pent. Scimus Hormisdam a Possessore Africano objicientes cum Morainio disp. 13, num. 87, *excessisse illum æstu disputationis, et in odium hæresis quam impugnabat, interdum ad extrema declinasse.* Sed errat Morainus, ac simpliciorum ignorantia abutitur, dum contendit Augustinum interdum ad extrema declinasse in ea sententia quam passim et utique solidissime ac constantissime inculcat. Illa de concupiscentia quæstio erat una ex quinque præcipuis quas sanctus Augustinus cum Pelagianis habuit, unde cum Julianus diceret: « Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, BONO bene utitur; qui modum non tenet, BONO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, BONO melius non utitur; » Augustinus, contra hæc reponit lib. III contra Julianum, cap. 21: « Ego vero sic ad tua ista respondeo: Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, MALO bene utitur; qui modum non tenet, MALO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, MALO melius non utitur. » Inde veluti pugnæ signo dato clamat: « In hac controversia de bene utendo isto UTRUM BONO, AN MALO, tota inter nos causa versatur. » Et quidem Julianus adeo acriter pro concupiscentia tanquam naturali perfectione decertavit, ut id *toto libro*, teste ibidem Augustino, exsecutus fuerit. Opponunt ea in opinione sanctum doctorem excessisse; at contendimus illam sententiam non excidisse eidem quasi aliud agenti, sed totis viribus contra hæreticos eamdem serio ac consulto propugnanti. Quod si Augustinus excessit, eodem vitio antiqua etiam Ecclesia laboravit, quæ recitatam sententiam ante Augustinum et cum Augustino secuta est, quod adversarii a nobis docendi sunt, quandoquidem illud ignorant, vel saltem dissimulant. Augustinus, lib. v contra Julianum, cap. 12, in fine, quinque quæstiones proponit de concupiscentia, quas cum Pelagianis habebat: harum tertia ista est: « Utrum malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum. » Additisque duabus aliis quæstionibus, ait: « Hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. » Porro qua reprehensione dignus esset Augustinus, si opiniones falsas, et in quas ex disputationis furore præceps actus fuerat, pro catholica veritate publicasset? Audiatur, Suarez, prolegom. 6 de Gratia, cap. 6: » Ulterius, inquit, addimus quidquid in hac materia Augustinus ut certum affirmat, et ad dogmata fidei pertinere, a quolibet prudente et erudito theologo esse tenendum et defendendum etiamsi non certo constet esse ab Ecclesia definitum, tum quia cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in damnandis erroribus gratiæ Dei contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati doctoris, qui Augustino aliquid de gratia Dei tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet, præsertim cum tot annis, tanta sapientia, tanto ingenio, tanta diligentia et instantia, et, quod caput, tot donis et auxi-

pent. Scimus Hormisdam a Possessore Africano episcopo interrogatum quid sentiendum foret in quæstionibus de gratia et libero arbitro, respondisse: « De gratia Dei et libero arbitrio quid Romana, hoc est catholica, sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis B. Augustini libris possit cognosci, » etc. Scimus Bonifacium, cum esset doctissimus, adversus tamen Pelagianos Augustini responsa exspectasse. Scimus Clementem VII gravissimam illam de auxiliis divinæ gratiæ controversiam ad unius Augustini mentem expendendam jussisse. Porro quæ Romanorum præsulum in fidelium grege salubribus pabulis nutriendo cura fuisset, si eumdem ad Augustiana prata duxissent, ubi tot lethiferæ contradictionum, excessuum atque errorum herbæ luxuriabant? At si B in disputationibus de gratia Romani pontifices Augustinum secuti sunt ejusque et lateri et vestigiis inhæsere, nescio qua fronte Adamus mediam quamdam ipsos viam inter Pelagium et Augustinum calcasse asseveret exclamans: *Medium ergo cum Ecclesia teneo.* Scito Ecclesiam in iis unum post sanctas Scripturas Augustinum secutam esse, ut medium illud iter, quod illam tenuisse fingis, de medio dubio procul tollendum videatur.

§ II. *An sanctus Augustinus excesserit, scribens concupiscentiam rationi contrariam esse malam, et defectum naturæ humanæ ex peccato originali ortum, neutiquam vero bonum naturale illius.*

Unius Antonini Moraines dicta examinabimus, qui in suo Anti-Jansenio frequenter sanctum doctorem C excessus insimulat. Est autem illius libri scriptor Joannes Martinonus, ut mihi testatus est P. Macedo, quo eruditissimo viro hic Patavii familiarissime utor isque vicissim singulari me benevolentia complectitur, qui etiam mihi auctor fuit ut tum Historiam Pelagianam, tum hasce Vindicias evulgarem; decreveram enim instar Aspendii intus mihi conere et musis, nec publici judicii periculum subire. Et quidem Morainium esse Martinonum idem laudatus scriptor publicavit in aureo scripto D. Augustini, cap. 13, et ex anagrammate ficti nominis patet. Non est hic animus operosiorem pro Augustino apologiam instituere; compendio sancti Patris causa tractabitur, cum ostendemus ea ipsa dogmata in quibus Augustinus excessisse dicitur, fuisse Romanis pontificibus D ac Patrum synodis probata. Asserit Augustinus concupiscentiam esse per se malam, et vitium humanæ naturæ ex primo peccato derivatum, nec illam esse passionem naturalem hominis, idque variis argumentis in libris ultimis quatuor prioris contra Julianum operis demonstrat. Attamen sanctus doctor non arbitrabatur concupiscentiam esse peccatum, sed esse veluti habitum vitiosum ad malum inclinantem. E contra Pelagiani contendebant concupiscentiam esse perfectionem, ac bonum naturale ad hominum propagationem primo parenti inditum, unde per irrisionem concupiscentia ab Augustino, lib. IV contra Julianum, cap. 11, dicebatur Pelagianorum *suscepta*, et lib. V, cap. 5, eorumdem *pulcherrima famula.* Re-

liis præditus pro divina gratia tuenda et explicanda laboraverit. » Cum Suario sentit cardinalis Bellarminus. lib. II de Gratia et libero arbitrio, cap. 11: « Non posset, inquit, idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide catholica venditare ausus esset. » Hæc illi.

Hanc sancti Patris de concupiscentia sententiam ejusdem discipuli secuti sunt. Sanctus Fulgentius, in epistola de Bono conjugali, cap. 3, scribit: « In illis nempe bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris et viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri, nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. » Sanctus Prosper, seu Pomerius lib. III de Vita contemplativa, cap. 2: « Piis, inquit, conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia vitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita pœnaliter et inserta, quæ peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit. » Favet Augustinianæ sententiæ synodus Tridentina in decreto de peccato originali, ubi tradit concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellatam, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*. Inclinare autem ad malum est proprium habitus vitiosi, hominem ad prava semper propellentis. Nec defuere plurimi ex scholasticis qui recitatam Augustini sententiam strenue propugnarent: Petrus Aureolus, acerrimi ingenii vir, in 2, dist. 30, art. 2, scribit: « Habitualis rebellio appetitus sensitivi non est in nobis natura appetitus sensitivi tantum. Hoc dico propter opinionem quorumdam qui dicunt quod appetitus relictus puræ naturæ suæ adhuc haberet in se habitualem illam rebellionem. Ego dico quod ex se est indifferens ad obediendum vel non obediendum rationi; per aliquod autem additum, puta per qualitatem morbidam, fit inobediens rationi. Et hæc conclusio posset probari auctoritatibus et rationibus; est enim expressa sententia Augustini. » Eamdem sancti doctoris sententiam strenue tuetur noster Gregorius Ariminensis, 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2, ubi ait: « Hanc Augustini sententiam secutus est Magister, ut patet in ista distinctione 30 et seq., in quibus tractat de ista materia, et multi etiam antiqui ac moderni sequuntur doctores. » Ita, teste Aureolo, contraria Augustino sententia *quorumdam* tantum fuit, ubi ex Gregorio sancto doctori *multi* antiqui, ac moderni scriptores tum temporis adhærebant. Hinc factum est, ut famosam illam *qualitatem morbidam* nobilissimi scholastici e Nominalium secta antiquitus juxta Augustiniana placita defenderint. Ex recentioribus unus mihi sit instar omnium P. Macedo, qui lib. IV de Clavibus D. Petri, cap. 10, part. 2, sancti doctoris sententiam solidissime, ut cætera, communit. Imo celebres etiam e societate scriptores concupiscentiam et malam esse et nulla ratione inter Dei opera deputandam tradidere. Bellarminus, grande non societatis tantum, sed catholicæ etiam Ecclesiæ decus, lib. VI de Amissione gratiæ caput 14 ita inscribit *Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam*. Quod postea pluribus argumentis ex Augustino desumptis demonstrat. Octavum argumentum ejusdem repetam: « Malum est, inquit, ut inferiora superioribus reluctentur, id enim contra æquitatem et rectam rationem est; at propter concupiscentiam pars animæ inferior superiori, id est, rationi repugnat, legi mentis non paret, spiritui adversatur; quis igitur ambigat an ea mala sit appellanda? » Quod est argumentum Augustini, lib. V contra Julianum, cap. 3. Joannes Bagocius, lib. 5 Demonstrat. dogm. Christ., disput. 8, cap. 1, sect. 3, sancti Augustini sententiam pluribus probat, et concludit: « Absit autem ut quisquam catholicus Deum rei tam fœdæ et ad malum importune incitantis auctorem credat, cum tamen si hominem nullo præcedente peccato cum illo peccati fomite condidisset, tam ejus quam naturæ humanæ, et omnium naturalium qualitatum facultatumque auctor esset existimandus! » In hac eadem sententia cum Augustino concinit doctissimus P. Elisalda, qui cum theolgicam cathedram in collegio Romano moderaretur, eamdem doctrinam dictavit. Hinc in publicis thesibus a Patribus societatis anno 1658 de more æstivis horis propugnatis Augustiniana sententia his plane verbis concepta proponebatur; « Hæc concupiscentia, quo sub nomine multa comprehenduntur reducibilia ad unum, natura sua est vel pars peccati vel affectus peccati, estque in natura humana vitium, etiam corruptio et infirmitas, et neutiquam naturalis constitutio et complexio illius. Consistit in habitu quodam pravo et corrupto, qui languor animæ est et dicitur, et eodem modo reducendus est vel non est ad prædicamentum qualitatis atque infirmitatis corporalis, cujus modum imitatur. Minus illius habitus est inordinatio virium animæ inter se, et non subjectio partis inferioris ad superiorem. »

Plura autem argumenta sanctus doctor contra Julianum concupiscentiam defendentem congessit, quem etiam acutis subinde salibus perstringit irridetque hæreticus, teste eodem lib. II contra Julianum, cap. 7, toto libro secundo, et priori parte tertii contra librum primum de Nuptiis et concupiscentia ab Augustino ad Valerium missum pro susceptа laborat, quem sanctus Pater lib. IV et V prioris operis refellit. Dabo eam in rem unum et alterum ejusdem argumentum, Lib. IV, cap. 13, ita urget: « Duo enim bona quæ a Patre *Deo* sunt, inter se pugnare non possunt, pugnant autem inter se continentia et concupiscentia. Quid horum a Patre magis velis esse responde. Video quas patiaris angustias: faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. » Confirmatur primo ex lib. V, cap. 7: « Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat et malum; aut malum et malum; aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. » Cum autem continentia contra concupiscentiam pugnet, hanc malam esse ibidem Augustinus deducit. Hinc ait: « Adhuc non evigilas,

ut intelligas, nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus. » Confirmatur secundo ibidem : « Quando enim libido vincit, vincit et diabolus ; quando libido vincitur, et diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, et a quo vincitur, est hostis ejus. Cum quo autem vincit et vincitur, auctor est ejus. » Vis harum rationum in hoc consistit quod Dei dona sese invicem fovent ac perficiunt ; ideo enim multiplicantur, non ut priora a posterioribus destruantur, sed ut novo cumulo ab eisdem augeantur ; ita spes fidem munit, et utramque charitas corroborat. Posteriora enim dona dantur in præmium bonorum operum, eisque subjectum redditur melius. Cum autem continentia sit donum Dei, ut ex prima ad Corinthios Epistola, cap. VII, probat Augustinus lib. I de Nuptiis et concup., cap. 3, consequens est ut concupiscentia naturale Dei donum esse non possit, sed vitium solummodo sit ac defectus. Alterum argumentum, quod sanctus doctor contra Julianum urget, tale est : Nullum opus Dei est materia pudoris ; atqui concupiscentia est materia pudoris, non igitur illa est opus Dei, et ex consequenti non est perfectio naturalis. Major est certa ; etenim *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I, 31). Bonum autem non est materia pudoris, sed gloriæ ac laudis. Audiatur Augustinus lib. II de Nuptiis et concup., cap. 9 : « Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere ? Et quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine, cum omnes opifices quanto possunt labore, et industria id agant, ne de suis operibus erubescant. » Porro concupiscentiam esse materiam erubescentiæ ac pudoris certius est quam ulla aliunde petita ratione evidentius fieri possit. Scribit ibidem sanctus doctor, cap. 5 : « De hac (concupiscentia) erubuerunt etiam qui primi pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerant, sed tanquam Dei opera prædicanda atque glorianda. Tunc ergo texerunt quando erubuerunt ; tunc autem erubuerunt quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. » De hoc ipso passim Augustinum agit etiam in Opere imperfecto.

Imo subtiliter et acute Julianum vellicat, qui laudaret concupiscentiam simulque contra eamdem pugnaret, laude quidem eamdem bonam fingens, sed pugna malam contestans. Cum vero Augustini sententiæ aculeis undique armatæ sint, quibus non modo hæreticus pungatur, verum etiam feriatur, quasdam hic libet subnectere. Itaque libri IV initio scribit : « Hoc malum contra me laudando, adversarius meus videris, sed in te debellando, meus testis es. Si autem hoc non debellas, tuus hostis es. » Longior sane est sententia III, cap. 21, sed salibus tota aspersa est. « Fortasse ergo, inquit, laudare te fingis, si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista, non video, ut et laudes velut amicam, et expugnes velut inimicam. Unum eorum credimus, sed elige quod credamus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas ; si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio. » Et postea : « Mallem te fallaciter laudare concupiscentiam, quam fallaciter impugnare. Tolerabilius enim lingua tua quam vita mentitur, tolerabilius sententia quam continentia simulatur. Fingis quippe laudem qua sis adversarius sententiæ meæ, si non fingis castitatem qua es adversarius concupiscentiæ tuæ. » Rursus capite ultimo ejusdem libri sic Julianum premit : « Quid est quod laudas cum quibus pugnas ? Quomodo virtute hostes debellare te credam, quos verbo lacerare non audes ? Si ambo concupiscentiam debellamus, quare non ambo vituperamus ? Quam te jactas expugnare continentia, quare non vis damnare sententia ? » Quod vero Pelagiani continentiam præcipue profitebantur, qua contra concupiscentiam bellum gerebant, Augustinus ex ipsorum sententia continentiam in suspicionem simulationis adduci lepide ibidem inferens addit : « Bellum vestrum latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet. Quid enim vis credamus de bello quod geritis in operto, quorum amicitiam cernimus in aperto ? Quomodo vis ut arbitremur adversus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis ? Verum ecce vinco suspicionem meam ; expugnare te credo quod laudas, sed laudare te doleo quod expugnas. » Præterea lib, III, cap. 21 : « Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione ejus, me vero laude ejus. Sed ego respondeo : Ut vincatur qui laudat, judicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat ? Si bonum est, cur expugnat ? Si autem nec bonum nec malum est, utquid laudat, utquid expugnat ? Quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tandiu pro me contra te ipsum judex eris. An forte adversus libidinem non certabis, ne in isto, quod mecum habes, certamine supereris, dicens tibi ipsi, Melius non pugno quam ostendo pugnando malum esse quod laudo ? Noli, obsecro te : quid enim sum ego, quem pro magno desideras vincere ? Vincat te potius veritas, ut tu libidinem vincas, » etc. Quare veluti prostrato adversario insultat Augustinus : « Victoria de te mea ille malo tecum pugnante secura est. » Lib. IV, cap. 2.

Sanctus doctor inde etiam Pelagianorum sententiam expugnabat, quod laudarent illi continentiam, quæ tamen inimica erat concupiscentiæ, quod non minus eleganter quam festive sæpe objicit Juliano : « Duo enim bona quæ a Deo Patre sunt, inter se pugnare non possunt, pugnant autem inter se continentia et concupiscentia. Quid horum a Patre magis velis esse responde. Video quas patiaris augustias ; faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus. » Lib. IV, cap. 13. Lepide idem inculcat cap. 14 : « Inter se belligerantes tanquam in bello timidus ambas laudare conaris, velut inimicam metuens habere, quæ potuerit alteram vincere. » Cum Julianus continentiæ cultorem profiteretur, erat enim episcopus, irridebatur ad Augustino quod libidinis laudatorem ageret : » Vir fortissimus nocturnorum etsi non

administrator, certe exhortator, prædicatorque bellorum. » Lib. v, cap. 7, Quem tamen ad eam pravam sententiam deponendam hortabatur : « Rogo te, si libido ista, ut credimus, solam tibi ingerit molestiam resistendi, nullam vero exhibet voluptatem, cur ei quamvis falsæ tam magnam laudis persolvendam putas esse mercedem ? » Lib. III Operis imperfecti, cap. 76, addens cap. 87 : « Nunquid ideo te plus amabit ? Prorsus falleris : illa non amat hominem, sed plane stimulat, ut amet quod amare non debet. »

Utrique sancti Augustini argumento duplicem responsionem repositam video. In primis Julianus dicebat duo in concupiscentia distinguenda esse : naturalem vim, et pronitatem ad speciem per generationem propagandam, et excessum ejusdem, quo etiam ad inhonesta et illicita homines propellit. Illud primum esse bonum, donum Dei, laudabile, nec materiem pudoris ; hoc vero alterum esse quid vitiosum ac vituperabile. Hanc Juliani responsionem secutus est Moraines. Alii vero recentiores, cum eos pudeat Juliani verbis loqui, alia via evadere conantur : dicunt concupiscentiam esse donum Dei ; at cum aliqua inperfectione, cum omne creatum sit defectuosum ; pudicitiam autem pugnare contra imperfectiones concupiscentiæ, ac eisdem resistere, harum erubescere, de his confundi. Ex his tradunt non inferri malum esse id cui imperfectiones illæ connexæ sunt, sicuti voluntas est peccabilis ob sui imperfectionem, quia est ex nihilo, et tamen non confundimur de illa, neque dicimus eamdem esse malam et vitium naturale. Sed neutra responsio satis est ad infringendam vim argumentorum Augustini. Primum Juliani ac Morainii responsum sæpe refellit sanctus doctor. Lib. v contra Julianum, cap. 7 : « Quid enim, inquit, te adjuvat, quod reprehendere videris ejus excessum, cujus approbas motum ? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur. » Acute : siquidem est mala eo ipso quod ad malum impellit ; hæc enim est proprietas habitus vitiosi, inclinare ad actum malum. Hinc optimo jure P. Macedo exemplo habitus vitiosi, quem Suarez, disp. 44 Metaph., sect. 13, num. 26, negat posse a Deo produci in homine, quia Deus ea ratione inclinaret ad malum, eumdem doctorem premit concedentem concupiscentiam posse a Deo in homine in statu naturæ puræ produci. Præterea, lib. IV, cap. 14, idem Augustinus ait : « Ut non fiat malum excedendi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus, quod habemus. » Item lib. III, cap. 20, ait : « Deinde incipis disputare de excessu concupiscentiæ, quem reprehensibilem dicis, quas in ejus moderatione, cum ea bene utitur conjugatus, equus ipse, qui malus est, et non potius sit ejus auriga laudandus. » Hinc idem Pater, lib. I Operis imperfecti, cap. 70, scribit : « Si ei consentis, malum agnosce peccando ; si ei resistis, malum agnosce pugnando. »

Præterea, lib. IV ejusdem operis, cap. 41 : « Ecce ergo dicis Deum in homine modum instituisse libidini ; cur in eo modo non stat, in quo est divinitus instituta, sed eum, nisi coerceatur, egreditur ? Quomodo ergo bonum dicitur, quæ urget et compellit hominem facere malum ? » Et concludit : « Excessus proinde libidinis in peccato est, sed etiam impulsus in crimine, » nempe vitio per modum habitus. Sed nec altera responsio probari potest. Nam imperfectio consistit in privatione ac carentia perfectionis et actualitatis, vis autem concupiscentiæ impulsiva ac malum explicat validiorem causalitatem ; unde nequit constitui in sola privatione, quæ nihil potest causare efficienter, sed purus tantum terminus *a quo*, ut docent Aristotelici. Quare, sicuti habitus vitiosus, quo efficacius movet ad actus pravos, majorem dicit intensionem suæ entitatis, ita etiam concupiscentia, quo potentius excitat ad actus quoscunque inhonestos, majorem intensionem suæ actualitatis ostendit. Præterea eadem responsio refellitur : quia omnis virtus seu passio naturalis habet aliquos motus bonos, inde enim bonitas naturæ a posteriori cognoscitur ; at concupiscentia nullos actus bonos habet, ut probat Augustinus lib. IV contra Julianum, cap. 2 ; nam in sanctis continentibus concupiscentia nullos actus bonos exerit : « Quid ergo, inquit, illic agit, ubi malum est quidquid agit, ac si ei consentiatur et peragit ? Quid ibi agit hæc concupiscentia, ubi nihil boni concupiscitur ex illa ? Quid ibi agit libido, ubi nihil boni libebit ex illa ? » Lege ibi plura.

Dices sanctos continentes ad majorem perfectionem voluntarie sibi interdicere actus bonos concupiscentiæ, quos uxore ducta possent licite exercere. Hanc responsionem capite illo secundo explodit Augustinus dicens : « Pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive de illicito sive de licito percipere voluptatem, frenat ab illicito, permittit ad licitum ; hoc est bonum, non tamen ejus, sed bene utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit sive ad licitum sive ad illicitum indifferenter ardere, utique malum est. Hoc itaque malo bene utitur pudicitia conjugalis. » Et quidem ubique Augustinus constanter docuit conjuges bene uti malo. Quod rursus inde probavit, quia concupiscentia in conjugatis impellit ad malum, excitat in feminas prægnantes, et in omne libidinosum opus insurgit. « Non importune, ait ibidem, in conjugatis esse dicatur. Si enim summum culmen obtinent pudicitiæ conjugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam. » Sane nusquam sanctus doctor vocavit concupiscentiam bonum, sed ubique malum dixit, ut plane evidens fiat secundum propriam essentiam esse malam, non vero secundum imperfectionem annexam, ut recentiores illi contendunt. Imo sæpius urget contra Julianum, admissa semel concupiscentia ex prima hominis productione eidem inserta, Manichæorum hæresim promoveri, qui cum concupiscentiam esse malum videant, neque Deus

bonus mali auctor statui possit, statim inducunt Deum malum concupiscentiæ malæ conditorem. Ita enim discurrit lib. I contra Julianum cap. 8 et seq.; lib. V, cap. 16, et in Opere imperfecto, lib. III, cap. 178, 208, 213; lib. V, cap. 30; lib. VI, cap. V, et 36. Dabo unum testimonium ex eodem lib. VI, cap. 6: « Tu autem, qui nesciens quid loquaris, objicis mihi quod dicam Deum creare peccatum, resiste Manichæo dicenti, in discordia carnis et spiritus, inter se contrarias mali et boni apparere naturas. Unum est quod respondemus, ut pestis ista vincatur, hanc scilicet discordiam primi hominis in nostram vertisse naturam : quod tu negando conaris ut vincant, satisque manifestaris fictus Manichæorum oppugnator et verus adjutor. » Capite etiam 14 et fuse et erudite idipsum deducit. Exemplum autem quod iidem scriptores ex voluntate, ob sui nihileitatem, a qua ortum habet, peccato obnoxia afferunt, non est ad rem, siquidem voluntas plures actus bonos elicit, qui in suo ordine naturali boni sunt et laudabiles, unde et ipsa bona esse cognoscitur. At concupiscentia nullos actus bonos habet, nullos enim ad licitum tantum terminum exerit, sed ad illicita quæque exæstuat, a voluntate autem in honesta meta illius actus figitur, ita ut ad vetita non prorumpat.

Opponunt Augustinum lib. I Retract. cap. 9 dixisse : « Quamvis ignorantia et difficultas (loquitur de difficultate orta ex concupiscentia) etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus. » Ergo, inquiunt, ex Augustino laudandus esset Deus, tametsi hominem creasset absque perfecta concupiscentiæ subjectione. In uno hoc *tam claro*, ut aiunt, Augustini testimonio sibi victoriam canunt, cum tamen sanctus doctor innumeris locis oppositum asseruerit, nec ibidem, ut ipsi perperam arbitrantur, ipsorum sententiam docuerit. Etenim sanctus doctor eo loci contra Manichæos disputabat, qui dicebant concupiscentiam esse malam, et impossibile esse sine illa hominem produci; et cum a Deo bono creari nequeat, malam quamdam naturam omnium malorum productricem commentabantur. Augustinus, ut eosdem refelleret, hypothesim utramque gratia disputationis admisit, nempe hominem cum concupiscentia creatum, et sine ista nequaquam creari potuisse. Urgebat vero hæreticos, etiam tunc Deum fore laudandum, nam nulla culpa Dei fuisset facere quod fieri non poterat. Manichæos autem putasse impossibile esse condi hominem sine concupiscentiæ malo testatur sanctus doctor lib. I contra Julianum, cap. 5, et lib. III, cap. 12. Igitur in illa hypothesi adhuc esset laudandus Deus, ut lib. III de Libero Arbitrio ab Augustino probatur. Hinc idem scribit lib. I Retract., cap. 9 : « Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur. » Postea : « Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. » Nempe malum concupiscentiæ non esse a Deo in prima productione homini insertum, eo quod *fecerit Deus hominem rectum* (*Eccle.* VII); quod testimonium sæpius inculcat contra Pelagianos, lib. XIV de Civitate Dei, cap. 11; lib. XIII, cap. 14; lib. de Corrept. et grat. cap. 6; epist. 105, ad Sixtum; lib. IV Operis imperf., cap. 44, et alibi. Concupiscentia autem rectitudinem hominis sustulit, illumque in illicita declivem, imo præcipitem fecit. At Augustinus, præter hoc testimonium, alterum etiam celeberrimum adhibuit ex cap. 40 Ecclesiastici : *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum*, etc., quod in Opere imperfecto in omnibus pene paginis repetit, probans Deum injustitiæ accusandum, si jugo victricis concupiscentiæ hominem nulla culpa præcedente aggravasset; id enim summa miseria est, ac gravem inde pœnam homo experitur; omnis autem pœna injuste infligitur, si nulla eamdem culpa merita est. Igitur illam hypothesim, quam agens cum Manichæis disputationis gratia Augustinus admittebat, in libris contra Pelagianos non modo non probavit, verum etiam solidissimis argumentis explosit.

Julianus plura argumenta congessit ut probaret concupiscentiam esse perfectionem naturalem hominis, esse bonum, solumque ejusdem excessum esse culpabilem. Lib. IV Operis imperf., cap. 56, eo utitur argumento, quod concupiscentia sit perfectio naturalis pecudis, et bonum ejusdem ad speciei propagationem inserviens; unde eadem quoque dicenda videtur hominis perfectio, qua parte cum brutis secundum gradum sensitivum convenit. Rursus lib. I ejusdem Operis, cap. 70, arguit quia concupiscentia fuit ante peccatum; ideo enim Adam peccavit, quod appetitus sensitivus ejusdem vetitum fructum concupivit. Præterea si concupiscentia est pœna peccati, igitur laudanda est, bona est, honesta est : siquidem bonum atque honestum est peccatorem puniri. Ita arguit apud Augustinum lib. V prioris Operis, cap. 4. Denique exemplo ciborum probat ejusdem excessum esse culpabilem; nam ut illi boni sunt, malus tamen potest esse illorum usus, ita bona est concupiscentia, licet malus sit ejusdem abusus. Apud sanctum Patrem lib. III, cap. 20, et lib. I de Nuptiis et Concup., cap. 19. Respondet Augustinus ad primum, concupiscentiam in pecude esse perfectionem, quia est conformis ejusdem naturæ, nec repugnat spiritui in brutis. In homine autem dicit defectum, vitium ac corruptionem naturæ, unde ait libro de Peccato originali, cap. 40 : « Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris. » Et lib. IV Operis imperfecti, cap. 56 : « Sic ergo, inquit, in libidine agnosce et pecoris naturam, et hominis pœnam, si animam non habes asininam. » Ubi etiam notat concupiscentiam in brutis non inhiare in prægnantes et in actus contra naturam, uti facit in homine; unde pejor longe est in homine libido quam in brutis. Ad secundum respondet ibidem negando in terrestri paradiso actum concupiscentiæ præcessisse actum voluntatis comedendi pomum vetitum. Do ejusdem verba : « Præces-

sit, inquit, mala voluntas, qua serpenti subdolo A crederetur, et secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur illicito. Ac per hoc quamvis jam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, nec præcessit voluntatem, nec restitit voluntati. » Ad tertium negat illationem ; etenim concupiscentia, prout est pœna, honeste a Deo intenditur, at mala est respectu hominis cui infligitur ; ita mors mala est homini, bona respectu Dei illam decernentis in pœnam peccati. Addit exemplum de cæcitate cordis, qua Deus uti judex in pœnam præteritorum criminum punit delinquentes, quibus tamen illa est maximum malum, et concludit : « Proinde omnia quæ pro hac tua cæca et inconsiderata opinione dixisti, qua carnis concupiscentiam eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non B solum non vituperandam, verum etiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in eo fueris immoratus, evanuisse certissimum est. » Ad quartum respondet idem Augustinus lib. III contra Julianum, cap. 20 : « Ita enim, inquit, non intelligis quid loquaris, ut non vides creaturam panis et vini non concupiscere adversus spiritum, sed ipsam potius inhoneste a male utentibus concupisci, et ea forinsecus in nostrum corpus intrare. » Hinc neminem pudet in propatulo comedere, uti olim Romanorum mos fuit, at licite concupiscentia palam uti conjuges erubescunt, ut plane appareat malam esse concupiscentiam, cum vel licitus ejusdem usus pudorem incutiat. Videatur sanctus Pater lib. I ad Bonifacium, C cap. 16.

Objiciunt recentiores contra eamdem sancti doctoris sententiam. Motus concupiscentiæ præveniunt rationem, quia sunt ante omnem electionem, ergo concupiscentia non est omnimode subjecta rationi, cum habeat motus ante omnem actum illius. Rursus inquiunt : Homo appetitu rationali fertur in honesta, appetitu sensitivo, seu concupiscentia fertur in delectabilia ; ergo vehementiori impetu ista inhiat in delectabilia, quam ille in honesta, siquidem cum objecta honesta repræsententur per species alienas, minus movent quam delectabilia, quæ per species proprias de præsenti sensum alliciunt. Denique instant : Nullum quod est debitum naturæ est amissum per peccatum, atqui est amissa subjectio partis in- D ferioris respectu appetitus rationalis, igitur ea subjectio non est perfectio debita naturæ. Hæc tamen olim ab Augustino diluta sunt. Respondet ad primum quod in pœnam tantum peccati motus concupiscentiæ præveniunt deliberationem appetitus rationalis ; unde si homo non peccasset, motus appetitus sensitivi præcessissent quidem voluntatis actus, non illi quidem vim inferendo ac rationem graviori impetu præoccupando, illamque absorbendo, uti de facto contingit, sed suaviter alliciendo, quod et in paradiso accidit, ubi « non voluntatem cupiditas duxit, nec præcessit voluntatem, nec restitit voluntati, » lib. I Operis imperf., cap. 70. Ad secundum negatur consequentia : etenim rectus ordo exigit ut inferius a superiori, non vero superius ab inferiori moveatur. Unde optima hominis constitutio petit ut pars ejusdem superior pleno jure in inferiorem utatur, non vero ut ista illam sibi subjuget ac supplantet. Pertinet autem ad hominis pœnam ac miseriam, ut more pecudum fortius a delectabili trahatur quam ab honesto, et hoc provenit ex ignorantia, quod alterum ex peccato originali in humanum genus derivatum vitium est ; neque enim si perfecte honestum repræsentaretur voluntati, ab ista dimitteretur delectabili electo. Itaque in illa præponderantia et majori vi in trahendo, quæ inest delectabili supra honestum in statu naturæ lapsæ, pars rebellionis appetitus sensitivi contra rationalem consistit. Porro hæc scribit Augustinus lib. V contra Julianum, cap. 3 : « Si prudenter hic saperes, profecto esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori. » Tertium argumentum nullum est, nam in sententia Augustini falsum est post primum peccatum naturalia mansisse integra, homo enim per peccatum fuit spoliatus gratuitis, et læsus insuper in naturalibus, quod ex parabola Peregrini Jerichontini Lucæ 10 suadetur integro fere volumine a Florentio Conrio archiepiscopo Thuamensi. Testimonia vero Augustini in eamdem rem indicat P. Macedo in Cortina, thesi 34, et lib. IV de Clavibus Petri, in contr. de Peccato originali, cap. 12, ubi valide pro sancti doctoris sententia decertat.

Unum obstare videtur, quod acerrime urgent recentiores. Etenim damnata est hæc propositio Baii 55 : *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Quare potuit Deus condere hominem in statu naturæ puræ subjectum concupiscentiæ, qualis modo nascitur. De his propositionibus Baii varie sentiunt theologi. Pater Vasquez, magni inter recentiores nominis, 1-2, disp. 190, cap. 18, proponit verba bullæ quæ ejusmodi sunt : « Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen et proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective, et quæcumque super iis verbo scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus. » De qua censura ita idem judicat : « Multa (ex illis propositionibus) continentes acre judicium, quo doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantum, ut scandalo et offendiculo patentes, et hac ratione solum prohiberi ; nam et audacia nimiaque arrogantia in aliorum sententiis maligne vel licandis ac lacerandis, non parum scandali afferre solet, a quo docti et prudentes theologi in suis scriptis abstinere deberent. » Hæc autem confirmat locupletissimo testimonio cardinalis Francisci Toleti, qui in causa Baii Lovanium ab apostolica sede delegatus fuit. Quare cum Baius Pelagianæ hæreseos incusaret asserentes hominem talem potuisse a Deo creari qualis modo nascitur, hinc ob infamiæ notam quam oppositæ sententiæ auctoribus inurebat, ejus-

dem propositio censuræ subjecta est. Hoc autem patet ex censuris ejusdem, quæ in eadem bulla referuntur; v. g., propos. 37 ait: « Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. » Quam sententiam defendit Vasquez, 1-2, disp. 190, cap. 18, ubi testatur censuram Baii, non vero asssertum esse ab apostolica sede damnatum, cum in Arausicano canone 22 dicatur: *Nemo habet de suo nisi mendacium, et peccatum.* Præterea propositio 13 ita scribitur: « Pelagii sententia est: Opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. » Quare cum Lovaniensis scriptor oppositam sententiam de creatione hominis cum concupiscentia ab auctore naturæ inserta Pelagianismi dubio procul de more incusaret, merito ob censuram ejusdem propositio uti scandalosa proscripta est. Rursus in bulla Baii propositiones dicuntur damnari *respective*, nempe, *in proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Propositio illa 55 damnatur *respective* ad propositionem 27, quæ est: « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Quasi subjectio concupiscentiæ non fuerit ex dono Creatoris, sed ex exigentia naturali humanæ substantiæ, tanquam propria passio ejusdem, quod falsum est. Nam hæc duo distinguenda sunt: concupiscentiæ subjectionem datam primo homini ex exigentia rei creatæ, vel ex pura puta decentia. Primum enim negatur, alterum a nobis asseritur; et hoc patet ex Augustino, scribente lib. III contra Julianum, cap. 11: « In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum. » Scio eumdem, lib. II de peccatorum Meritis et remissione, cap 22, hæc scribere de primis parentibus: « Quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ORDO JUSTITIÆ, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. » Ubi nomine justitiæ non rigorosum debitum in natura humana fundatum intellexit, sed ex decentia solius Creatoris derivatum. Rursus sciendum est aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari. Hoc ostendimus lib. II Hist. Pelag., cap. 20, de illa propositione: « Unus e Trinitate passus est, » quam Hormisdas rejecit, at Joannes II, Vigilius ac synodus V, uti Catholicam definiverunt. Etenim in sensu Eutychianorum damnata fuit, quasi Verbum in natura divina passum diceretur; et licet alii adderent *passum carne*, attamen cum ob affinitatem cum hæresi Eutychetis suspecta esset, jure sanctus Hormisdas eamdem approbare recusavit. Baius propositione 74 hæc tradidisse dicitur: « Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est. » Quod falsissimum est, nunquam enim ipsamet concupiscentia est peccatum, ut ex Tridentina synodo constat. Quare propositio illa Baii non solum ob censuram damnata est, verum etiam quod hæreticorum recentium errori a Tridentinis Patribus damnato concineret; illi enim mordicus sustinent concupiscentiam esse peccatum, ut patet apud Bellarminum, lib. V de Amissione gratiæ, cap. 5, in quo errore propositio 55 Baii, quod concupiscentiam attinet, fundatur, a cujus tamen damnato sensu longo intervallo distamus; non enim dicimus Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, et quidem vehementius quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus. Profecto thesis illa Baii, hominem non potuisse a Deo produci qualis modo nascitur, juxta amplam ejusdem expressionem vera est: quis enim dixerit Deum posse condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur? Hoc enim erat illud absurdum, quod Pelagiani contra orthodoxos urgebant, Deum esse auctorem peccati, si eo infectus homo nascebatur. Et quidem Martinus de Esparza, insignis nostræ ætatis theologus, quæst. 10 de Gratia, hæc scribit: « Concupiscentia post peccatum ita est soluta ut regnet in carne peccati, hoc est obtineat prædominium adversus rationem, præponderante ejus inclinatione in malum, atque in perniciem et damnationem hominis inclinationi rationis superioris in bonum honestum atque in salutem, et ultimam felicitatem ejusdem hominis. Quod tantum ac tam grande malum occupationis regni per partem inferiorem adversus partem superiorem nequaquam adfuisset in statu puræ naturæ. » Quare ex hujus scriptoris sententia non potuit condi homo a Deo in statu naturæ puræ cum concupiscentia rationi prædominante atque in eamdem vim legislativam exercente, ut ibidem ad sextum loquitur, cum tamen homo de facto tali concupiscentiæ subjectus nascatur. Hactenus de sensu illius 55 propositionis Baii.

Quæri potest an sanctus doctor admiserit ut possibilem concupiscentiam rationi subjectam, ita ut non secundum se, sed secundum prædominium supra rationem eamdem solummodo primo homini in sui conditione inseri potuisse negaverit. Respondeo Augustinum sensisse concupiscentiam secundum se esse vitium, et non solum esse vitiatam. Ita illam pronuntiavit *vitium, quod non est ex Deo*, lib. I de Nuptiis et concup., cap. 23. Idem habet lib. II, cap. 34, et passim contra Pelagianos. Attamen hoc sibi sufficere dicebat, si hæretici saltem concederent eamdem esse vitiatam, inde enim peccati originalis vulnus statim apparebat. Scribit sanctus doctor contra Julianum lib. II, proxime laudato cap. ult.: « Et si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam, etiam ipsum vitium esse carnis concupiscentiam, ut illa quæ obedienter et ordinate moveretur, nunc inobedienter inordinateque moveatur, » ete. Et lib. V, contra Julianum, cap. V, ait: « Sed quod dicis, etiam genitalia servire animi imperio, novam quamdam li-

bidinem dicis, aut forte nimis antiquam, qualis et in paradiso esse potuisset, si nemo peccasset. » Et lib. II Operis imperf., cap. 122, scribit de concupiscentia : « Aut ergo nulla ibi erat, aut voluntatem mentis nec præcedebat, nec excedebat. » Idem repetit lib IV, cap. 56, et lib. IV prioris operis, cap. 5 et 14. Cæterum sancto doctori constans sententia stetit, nullam fuisse concupiscentiam in primo homine ante peccatum non modo secundum illam vim tyrannicam supra rationem, sed nec ullam omnino licet rationi ipsi subjectam. Probatur hoc ex lib. IV contra Julianum, cap. 11, ubi ait : « Quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiamsi peccatum non præcessisset? sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis ; aut certe etiam ipsa libidine, ut non nos de illa nimium contristemus, non qualis nunc est, sed ad nutum voluntatis serviente. » Lege cap. 14. Et lib. V, cap. 7, his adversarios vellicat : « Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiave contendimus, nec dilectionem, quam debere vos ei videmus, offendimus, saltem ipsam subdite voluntatis imperio in illo felicitatis loco. » De hac ipsa re agit sanctus doctor lib. I ad Bonifacium, cap. 17 ubi quatuor modos assignat quibus nuptiarum fecunditas perfici potuisset, quorum duo postremi sunt : « Aut tunc ad nutum voluntatis libido consurgeret, quando esse concubitum necessarium casta pudentia præsensisset ; aut nulla omnino existente ibi libidine, ut cætera membra quæque ad opera sua, sic ad opus proprium etiam genitalia jussis volentium sine ulla difficultate servissent. » Postea de his duobus ait : « Duarum vero reliquarum quamlibet elegeritis, non est adversus vos ulla contentione laborandum. Etsi enim quartam nolueritis eligere, ubi est omnium obedientia membrorum, sine ulla libidine summa tranquillitas, quoniam jam vos ei fecit vestrarum disputationum impetus inimicos, illud vobis saltem placebit, quod tertio loco posuimus. » Legendum est integrum caput ; inde enim evidenter colligitur sanctum doctorem censuisse nullam fuisse in terrestri paradiso concupiscentiam, eamque subjectam voluntati disputationis tantum gratia admisisse, ne adversarios *de illa nimium contristaret*, ut ex eodem proxime recitavimus. Hæc Augustinus de concupiscentia scripsit, probans ex illo primæ Joannis Epistolæ cap. II, v. 16 : *Concupiscentia carnis non est ex Patre*. Quem textum de actibus vetitis concupiscentiæ Pelagiani interpretabantur. Quam vero absurdam eorumdem opinionem sanctus Pater arbitraretur, ex iis quæ scribit lib. IV Operis imperf., cap. 69, colligitur : « Non igitur, inquit, caventur opera mala, nisi frenetur concupiscentia mala, quæ a te HORRENDA IMPUDENTIA, vel potius AMENTIA dicitur bona. Nec erubescis, nec horrescis, te ad TANTUM DEDECUS pervenisse, ut nemo liberetur a tuo malo, nisi non consentiat tuo bono. Concupiscentia igitur carnis, qua cupiuntur quæ prohibentur, non est a Patre. Frustra putas, vel potius vis putari, ubi hoc Joannes apostolus dixit, concupiscentiam carnis positam pro luxuria. Prorsus si non est a Patre luxuria, nec illa est a Patre, cui si consentiatur, concipit paritque luxuriam. Nam motibus suis quibuslibet obtinere quid conatur, quæso, nisi ad luxuriam pervenire? Quomodo ergo est bonum, quæ pervenire conatur ad malum? Quomodo est nostrorum bonum, quæ nos ad malum compellit? » Lege ibidem.

§ III. *Utrum sanctus Augustinus excesserit, deducens peccati originalis reatum ex innumeris humanæ vitæ miseriis. Insigne D. Thomæ pro Augustiniana sententia testimonium.*

Pergo ad alterum sancti Augustini excessum. Etenim ille, quo Pelagianos confutaret, non solum e sacris arcanis testimonia petivit, sed ut erat subtili ac prompto ingenio, rationibus etiam naturali lumine manifestis usus est. Inter cætera argumenta celeberrimum invenit magnus doctor, quo peccatum originis persuaderet, deducens nempe illud ab infinitis humanæ vitæ miseriis. Ita appellans illam Ecclesiastici sententiam cap. XL, initio : *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum*, arguebat ad salvandam Dei justitiam aliquod in nascentibus crimen asserendum esse, ne tot miseriis puniri innoxii crederentur. Hoc argumentum ubique in Augustini non dicam libris, sed librorum paginis occurrit. Lib. VI Operis imperf., cap. 36, has sententias conglomerat : « Omnis autem pœna hominis, quid est, nisi pœna Dei imaginis, quæ si infertur injuste, profecto a quo infertur injustus est. Quis porro dubitet quod injuste inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit? » Et cap. 27 : « Justus est Deus, quod assidue contra te dicis, et nescis, justus est inquam, Deus, et ideo nascentes nec faceret, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos. » Item : « Ipsi nullum, sicut putatis, trahentes peccatum, immeritas si hoc ita est, procul dubio sustinent pœnas. Ubi est justitia Dei, quam si cogitares, nunquam crederes sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascentes. »

Respondet Moraines, disp. 13, num. 106, Augustinum a miseriis vitæ humanæ peccatum originale probantem, « excessisse videlicet fervore disputationis abreptum, et odio hæresis Pelagianæ ad contrarium extremum declinasse, neque hac in parte doctrinam ejus approbasse Ecclesiam. » Placet quod non dixit *interdum* declinasse ad extremum, ubique enim declinasse dicendus esset, nam illud argumentum *tam sæpe dictum sæpiusque dicendum* vocat cap. 23 lib. VI laudati. Quare Augustinus sciens, prudens, volens, ea ratione usus est, non disputationis æstu ac furore percitus, ut adversarii opponunt. Imo Pelagiani idem argumentum evadere totis viribus conati sunt, ut patet ex Juliano libro eodem, cap. 25, ubi Augustinianam ratiocinationem irridens : « Verum quid nos, inquit, tam obstipæ veritatis solius rationem sequendam putamus, cum inimicorum nostrorum phalanx ipsis innitatur rerum periculis, et insurgat in nos

arum inimica suffragiis; vult quippe pudore A peccatum, a quo per denominationem extrinsecam
is dolore parientis, sudore laborantis trans- dicitur pœnalis. At Patres ex ipsa gravitate mortis ac
em culparum et pœnarum in semina compro- cæterarum illam præcedentium miseriarum malum
ut his videlicet signis difficilium partuum, esse illam gravissimum urgebant, ut inferrent non
arum sudantium, et divisorum novalium cri- nisi in pœnam potuisse juste infligi; alias supposuis-
turale credatur, cujus merito per tot incom- sent in antecedente: quod erat a Pelagianis absolute
genus exerceatur humanum. » Igitur de hoc negatum.
nto Pelagianos inter ac Augustinum ex pro- Subscribunt eidem argumento alii Patres. Sanctus
controversia fuit, cum præsertim Augustinus Prosper contra Collat., cap. 20 : « Nimis enim
solverit quæ ad illud infringendum Julianus impium est hoc de Dei sentire justitia, quod a præva-
it, ut palam fit ex lib. VI Operis laudati. Quod ricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos.
ribunt Ecclesiam hac in re non approbasse Patet ergo culpa ubi non latet pœna, et societas
ini doctrinam, ipsorum eruditionem pandit, qui peccati convincitur de communio e supplicii, ut quod
n et Romani pontificis et synodorum decretis est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris,
atam fuisse non animadvertunt. Sanctus Ge- sed de retributione sit judicis. » D. Anselmus, lib,
apa, in epistola 7 ad episcopos per Picenum, B de Conceptu Virginis et peccato orig., cap. 13 :
Senecam quemdam Pelagianum eodem Augus- « Ea ipsa ratione, inquit, qua non debuit Deus Adam
umento utitur ad probandum originale pecca- facere nisi justum, nec aliquo debito sive incommodo
« Ideo, inquit, de felicitatis suæ claritate gravatum, aperte mens rationalis agnoscit eum,
s, atque ad spinas et tribulos miseriasque quem similiter propria voluntate et virtute procreavit
ices cœlesti [voce damnatus est, quæ utique alicui malo subditum fieri non debere, quoniam
usti judicii tam gravis et aspera in bono per- nimis inconveniens est omnipotenti ac sapienti Dei
iti nullatenus esset inflicta, et NISI MALO NON bonitati talem facere rationalem creaturam sola
ENTER ILLATA probaretur. » En Augustini propria voluntate de materia, in qua nullum est pec-
ideli echo redditas ab apostolica sede. Sed catum. » Item lib. II *Cur homo Deus*, cap. 2, ait :
um synodus Patrum Africanorum in Sardinia « Sapientiæ et justitiæ repugnat ut cogeret mortem
n, in libro de Incarnatione et gratia, cap. 24, pati sine culpa, quem justum fecerat ad æternam
« Si qui ergo, inquiunt, mortem solam ut beatitudinem. Præterea antiquissimus auctor Hy-
am peccatum ex homine primo transiisse in pognosticon, lib. II, initio, eodem modo discurrit :
umanum nituntur asserere, mirum si non in- C « Hac nos pœnæ sententia colligatos ipsa sibi humana
nt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. natura totum per orbem terrarum diffusa testimo-
quia Deum dicunt injustum in eo quod mori nium perhibet, dum se paternis cruciatibus sanctæ
parvulos, quos nulla volunt isti originalis pec- legis testimonio pervidet laborare. Quod qua justitia,
ntagione pollutos. « Item : « Qua igitur justi- si hæredes parentum peccati non sumus, patimur? »
is justus infantibus sine peccato nascentibus Lege ibi plura. Rursus lib. V, inter cætera ait :
pœnam, in quibus pœnæ non invenit cau- « Secundum errorem vestrum Deus, qui tales fecit
etc. Præterea synodus II Arausicana canone 2 naturam ut pœnalibus anima passionibus convexetur,
Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et crudelis est, aut certe injustus, ut innocentiam sanc-
s propagini asserit nocuisse, aut certe mor- tam et nullius penitus erroris obnoxiam tantis per-
ntum corporis, quæ pœna peccati est, non mittat urgeri periculis, et in ipsis nonnunquam vita
et peccatum, quod mors est animæ, per unum privari. » Et quidem Augustinus lib. IV contra Julia-
em in omne genus humanum transisse testatur, num cap. 12, referens sententias eorum qui nes-
iam Deo dabit. » Igitur qui maximam mise- cientes originale peccatum ex miseriis hominum
, nempe mortem sine peccato homini accidere ortum, Dei æquitatem accusarunt, ait illos rem
injustum facit Deum, quod est sancti Augus- D vidisse, causam nescivisse, cum alii in vita supe-
gumentum. Hunc textum Arausicanum non- riore peccasse animas dicerent, unde ad miserias
idere, quare respondent mortem sub ratione subeundas in pœnam nasci iterum cogebantur, de
non potuisse infligi homini sine culpa citra quibus in fine ejusdem libri erudite discurrit. Ex
ustitiam, at potuisse Deum citra injustitiam quibus patet philosophos plerosque lumine naturali
e genus humanum in statu naturæ puræ, sine cognovisse hominem innocentem injuste tantis mise-
talitatis dono, morti naturali subjectum. Sed riis affligi. Quare argumentum illud Augustini ad stabi-
sponsio nulla est : nam Pelagiani dicebant liendum peccatum originis non solum probatum fuit
n esse naturalem homini ex ejusdem corporea Ecclesiæ, verum etiam ipsis gentilibus, quoad rea-
sitione, nec illi tanquam pœnam infligi; contra tum saltem peccati : adeo vel solo lumine naturali
x Augustino colligit Arausicana synodus, si est manifestum atque apertissimum. Unde magnus
orporis sine peccato transiit in posteros, Deum ille Bellarminus, cum pro opposita sententia plura
Pelagianis injustum. Quod enim mors esset adduxisset lib. VI de Amissione gratiæ, cap. 15, in
sub ratione pœnæ, erat consequentia illata fine hæc doctissime juxta ac sincere scripsit : « Om-
hæreticos, qua talis enim supponit necessario nino enim verisimile est non fuisse Deum optimum,

et nostri generis amantissimum, conditurum hominem tam miserum quam nunc est, nisi peccati nostri magnitudo tale supplicium meruisset. » Quæ confirmat opinione ethnicorum ex Augustino citato. Itaque quod ex amore erga homines, et sua ipsius bonitate nunquam Deum facturum fuisse Bellarminus docuit, id Augustinus cum tot Patribus ex Dei justitia fieri non posse affirmavit. Quod si recentiores et Gelasii, et aliorum veteris Ecclesiæ auctorum testimonia aliqua interpretatione adhibita utcumque explicare conabuntur, idem precamur erga Augustinum faciant, cujus unius vocibus illi locuti sunt. At si cæteros etiam æstu disputationis abreptos veritatis metam excessisse pronuntiabunt, eorum voces surda aure præteribimus, Augustino tot testibus doctissimis ac sanctissimis astipulantibus. Neque instent, damnatam esse hanc Baii propositionem : « Non potuisse Deum condere ab initio hominem, qualis modo nascitur. » Nam reponitur cum Gregorio Ariminensi, 1, dist. 42, q. 1, art. 2, ad arg. cont. 2 concl. : « Deus non potest de justitia, quæ potest de potentia. » Ita nulla est impossibilitas Judam in cœlum trahi, sed id contra Dei justitiam est. Quare licet sit possibile potentiæ, non est possibile justitiæ, talem condi hominem qualis modo nascitur; in priori vero tantum sensu qui negat, cum damnata Baii propositione sentit. Et certe, uti superius dicebamus, Deus ab initio non potuit condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur. Alius ergo debet esse illius propositionis damnatæ sensus, qua de re plura § superiori dicta sunt, quæ iterum repetere non vacat.

Hoc igitur sancti Augustini argumento et Apostolica sedes, et tot Patres usi sunt, ac præsertim utraque synodus et Sardiniensis et Arausicana, ut jam satis pateat Morainii ignorantia aut temeritas, qui vel id ignoravit, vel una cum Augustino tot tantosque Patres excessus crimine involvit. Sed age, cum homine scholastico omnium scholasticorum principis testimonio pugnemus. Is est magnus Augustini discipulus, ac nobilissimæ scholæ maximus magister sanctus Thomas, qui scribit Augustinum SATIS PROBABILITER ex miseriis vitæ humanæ peccatum originale deduxisse. Igitur Angelicus præceptor, 4 contra Gentes, cap. 52, initio, docet miserias humanæ naturæ esse quædam probabilia signa peccati originalis, et subdit : « Posset tamen aliquis dicere hujusmodi defectus tam corporales quam spirituales non esse pœnales, sed naturales defectus ex necessitate materiæ consequentes. Necesse est enim corpus humanum, cum sit ex contrariis compositum, corruptibile esse, et sensibilem appetitum in ea, quæ sunt secundum sensum delectabilia, moveri, quæ interdum sunt contraria rationi, » etc. Quæ ipsissima est responsio quam recentiores argumento sancti Augustini applicant. Verum statim illam infringit Angelicus his verbis : « Sed tamen si quis recte consideret, SATIS PROBABILITER poterit æstimare, divina providentia supposita, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur, et si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus speciali et supernaturali beneficio tolleretur, ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturæ quam corpus, tali conditione credatur corporis esse conjuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animæ, per quam corpus vivit. » In quam rem cum nonnulla alia dixisset, concludit : « Sic igitur hujusmodi defectus quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus quod est in ea inferius, tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanæ naturæ, SATIS PROBABILITER probari potest hujusmodi defectus esse pœnales, et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo esse infectum. » Hæc sanctus Thomas, quem cum tot sapientissimi ac subtilissimi doctores sequantur, jam videtis quos quantosve asseclas habet illa Augustini ex miseriis humanæ vitæ peccati originalis *satis probabiliter* posita illatio. Sed nec defuere scriptores e societate, qui Augustino ea in sententia manus darent; unus audiatur Joannes Bagocius; lib. v Demonst. dogm. Christ., disp. 8, cap. 5, sect. 2, in titulo quærit : *An foret injustus Deus, si cogeret hominem sine reatu culpæ mori.* Respondet : « Sanctus Augustinus et alii ejus discipuli, ipsique Patres canonum Arausicanæ synodi aiunt Deum non potuisse hominem nisi culpæ reum necessitati moriendi addicere, voluntque, si id Deus faceret, fore injustum, quia pœnam non merenti infligeret. » Et cap. 7, sect. 3, ait : « Fateor quoque Deum de potentia per bonitatem et sapientiam ordinata nullo peccato permisso, non potuisse velle hominem morti obnoxium, et cum pravitate concupiscentiæ carnalis creare. » Hæc ille non exiguæ inter recentiores famæ, qui postea insignibus Thomæ Augustini nominibus assumptis contra Jansenium scripsit.

§ IV. *An sanctus Augustinus disputans de virtutibus infidelium excesserit.*

Idem Morainius, rigidiorem existimans sancti doctoris sententiam de virtutibus infidelium, hæc scribit disp. 19, num. 35 : « Dicit disputando contra Pelagianos, qui cum nimis extollerent vires naturales liberi arbitrii, affirmarentque sufficere sine gratia non modo ad virtutes naturales quascunque sed, etiam ad salutem, Augustinus ut illos ab eo errore abducat, in contrarium extremum æstu disputationis abripi interdum videtur. » Sed eumdem lapidem hic censor offendit : nam de virtutibus infidelium non æstu disputationis impulsus sanctus doctor disseruit, sed ab adversariis in eam arenam provocatus, libenter et animose descendit. Etenim Pelagiani, ut probarent posse hominem sine gratia bene operari, exempla infidelium producebant, quos asserebant sine Dei gratia pluribus virtutibus floruisse. Audiatur sanctus Pater lib. iv contra Julianum, cap. 3 : « Soletis enim, negantes Dei dona esse virtutes, quibus

vivitur, et eas naturæ voluntatique humanæ, A gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod nonnunquam habeant infideles, » etc. At Augustinus ibidem per septingentos et amplius versus ut virtutes infidelium habuisse bonitatem tantum ita, ac fuisse specie tenus apud homines laudabilem, illo præsertim ad Romanos XIV testimonio : *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Unde de operibus infidelium tanto labore ac studio stinus cum Pelagianis disputaverit, ac ibidem m adversariis aditum subtilissimis argumentis luserit, non æstu disputationis id protulit, sed longam rei difficillimæ meditationem. ac seriam tionis totius considerationem, Duo autem sanctor asseruit : Primum nullas in infidelibus ex liberi arbitrii viribus virtutes reperiri; alte- B si quæ in eisdem virtutes fuerint, easdem neam ipsorum voluntati, sed divinæ gratiæ asndas esse. Scio plerosque scholasticos, quod um illud attinet, ab Augustini sententia recesIlli autem juxta Aristotelis Ethicam de virtudisputarunt, cum tamen philosophos humanæ æ debilitas ex originali labe derivata latuerit, summi boni cognitione longius a veritate exorerint. At Augustinus ex sacris litteris, nec non siori ac subtiliori theologia suam ipsius sententeduxit. In eo vero Augustinianæ sententiæ versatur, quod virtutes a vitiis non officio, sed liscernuntur. Audiatur Augustinus lib. IV laucontra Judianum : « Noveris itaque, inquit, C officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse tes. Officium est autem quod faciendum est : finis propter quod faciendum est. Cum itaque facit aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter cit, propter quod facere debet, peccare convinci- Hoc probat ibidem exemplo avarorum, qui virtumoralibus studere se fingunt, quæ tamen in vitia unt, quod avaritiæ ancillantur. Unde non est denda sola substantia operis in speciem boni ex to, sed finis quoque considerandus venit, propuem idem opus elicitur. His autem fusius ibidem gustino probatis, idem conatur evincere, in inbus non fuisse veras virtutes, quia easdem hus laudi ac gloriæ subjiciebant, qua ratione in vertebantur, utpote quæ superbiæ inservirent. D scribit lib. IV contra Julianum, cap. 3 : « An inquit, et istis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ lonicam dilectionem, et virtute civili non vera, erisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ serut, etc. Et antea dixerat : « Bonum est enim ut niatur homini periclitanti, præsertim innocenti. le qui hoc facit, si amando gloriam hominum maam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bocit quod non bona voluntate facit. » Hinc, cum us ibidem objecisset : « Si gentilis nudum operuenunquid quia non est ex fide, peccatum est? » rest Augustinus : » Prorsus, in quantum non est ex peccatum est, non quia per seipsum factum, est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. » In quam rem plura ibi subtiliter et acute congerit.

Hæi quidem certa sunt, nam a nullo viro catholico in dubium vocari potest actus morales humanæ gloriæ inservientes, licet alias ex objecto boni sint, ex prava tamen intentione vitiari, sicuti actus in speciem boni Epicureorum a virtutibus degenerabant, quia sectæ magister easdem virtutes, ut ibidem ait Augustinus, « inducit voluptatis ancillas. » Opponunt tamen contrariæ sententiæ auctores posse hominem infidelem elicere actus virtutis ob solam ipsiusmet operis honestatem, nullam inde ab aliis laudem captare desiderans; siquidem cum bonum honestum sit intra objectum voluntatis, illud propter se præcise a voluntate appeti potest. Verum Augustinus miro ingenii acumine hanc responsionem infregit lib. IV contra Julianum. cap. 3 , hæc scribens; « Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens ut mens bona magis sibi placeat, magisque seipsa delectet, quam quælibet alia creatura. Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat, cum per hoc tumescit typho, et morbo inflationis extollitur, quandiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud et immutabile bonum,in cujus comparatione se spernat, sibique illius charitate vilescat, » etc. Conformia his tradit lib. XIX de Civit. Dei, cap. 25 : « Proinde, inquit, virtutes quas (humana mens) sibi habere videtur, per quas imperat corpori, et vitiis ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum AD SEIPSAS REFERUNTUR, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. » Itaque cum virtus etiam ob sui tantum honestatem appetitur, facit ut illam prosequens atque assequens sibi complaceat in suo opere, ac philautiæ vitio laboret. Quare, sicuti honeste operans ut aliis placeat ac laudetur ab aliis peccat peccato inanis gloriæ, ita pariter qui honeste operatur complacens sibi, ac in seipso gloriatus, reus est philautiæ. Hinc dixit Apostolus, *Scientia inflat* (*I Cor.* VIII). Eo enim ipso, quod homo cognoscit se virtute præditum, semet delectatur, cæteris se præponit, ac in seipso, non in Domino gloriatur. Est autem primus ad superbiam gradus se pluris quam alios facere, ac virtutem sibi, non Deo acceptam ferre. Illud autem Augustini pronuntiatum, nempe virtutem, cum ob sui honestatem appetitur, esse superbam, ac philautia vitiari, probatur fuse ab eodem sancto doctore serm. 13 de Verb. Apost., exemplo Stoicorum, qui sectabantur virtutem propter seipsam, eorumdem tamen virtutes superbiæ ancillabantur. Ibi autem introducit Paulum Athenis cum Stoicis et Epicureis colloquentem (dicitur enim Act. XVII: *Quidam autem Epicurei, et Stoici philosophi disserebant cum eo*), et inter alia scri-

bit: « Dicebat Epicureus : Beatus cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus : Imo beatus cujus est in fructu virtus animi ejus ; dicebat Apostotus: *Beatus cujus est nomen Domini spes ejus.* Errat Epicureus ; falsum est enim esse hominem beatum, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur et Stoicus ; falsum enim est, et omnino mendosissimum, beatum esse hominem, cujus est in fructu virtus animi ejus. » Profecto an virtus propter sui tantum honestatem intenta inflet habentem, ac philautiam causet, tam claro exemplo manifeste patet. Unde quidquid sit de re speculative considerata, in praxi Augustini sententia vera est. Porro tanta erat Stoicorum superbia, ut ad virtutem capessendam divino nos auxilio indigere stultissime pernegarent. Eorum verba recitavimus lib. 1 Hist. Pelag., cap. 1, ubi etiam probavimus superbiam Pelagianorum, qua divinæ gratiæ necessitatem inficiabantur, ex Stoicorum dogmate derivasse. Egregie sanctus doctor contra Pelagianos sermone eodem 13 dixit : « Tu te vis agere, a te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, et eris Stoicus? » Idem magnus magister lib. v de Civit. Dei, cap. 20, cum dixisset quosdam philosophos, ad Epicuri turpitudinem demonstrandam, affabre in tabula pinxisse voluptatem in regali sella tanqam reginam considentem, virtutes vero eidem pro obsequio astantes, ejusque nutum observantes, ut quod illa imperaret, promptissime exsequerentur, hæc addit: « Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius. » Postea autem his Stoicos vellicat : « Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ serviant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, et multum inanitatis habet. » Inde recentiorum responsionem præoccupans addit : « Nec illi se ab ista defenderint fœditate, qui cum aliena spernant judicia, velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur, ei SIBI PLACENT. Nam eorum virtus, si tamen ulla est, alio modo quodam HUMANÆ SUBDITUR LAUDI; neque enim ipse, qui sibi placet, homo non est. » Hæc ipsa confirmantur exemplo angelorum reproborum, ac primorum parentum, quorum lapsus ex philautia ortum duxit. Scribit sanctus Prosper ad Demetriadem : « Hæc superbia a diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam a Creatore acceperat, potentia et diguitate SIBI PLACUIT, etc., a cœlesti sublimitate dejectus est. » Et de homine dixit Augustinus lib. x de Civit., cap. 13: « Diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille SIBI IPSE PLACERE cœpisset. » Hinc idem acute scribit lib. XIV ejusdem operis, cap. 28 : « Fecerunt itaque civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei ; cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur, » etc. Quare ab amore sui initium superbia sumit, quæ virtutum omnium venenum est, solius divinæ gratiæ antidoto expellendum. Hæc autem valide probant virtutem etiam propter se ipsam intentam inflare, cujus ratio est quia quilibet amore naturali diligit se, et quo plura in se bona conspicit, plus sibi complacet ; unde præ aliis se æstimat, et philautia intumescit, ac veluti Narcissus suamet pulchritudine rapitur. Unum autem contrariæ sententiæ auctores opponere possent, optime hucusque dicta concludere, si eliciens actus honestos, inde apud semetipsum inani complacentia turgescat; at fieri posse ut quis honeste operetur, v. g., det eleemosynam pauperi, ac statim ejusdem mens alio avocetur, in quo casu neque apud semetipsum de bono opere per actum reflexum gloriabitur. Fateor quidem, si statim mens alio a novo objecto trahatur, fieri posse ut nulla apud seipsum gloria vel jactantia titilletur; at id per accidens contingit. Nam agens morale debet considerare an recte operatus sit, an optime se habeat erga suum finem ex illa actione; quæ quidem considerans amat suum opus ac in seipso gloriatur. Censeo tamen hæc opera bona non fuisse facta ab infidelibus suis ipsorum viribus derelictis, sed præmunitis specialibus divinæ gratiæ auxiliis, quibus forte aliquando factum est ut recte operantes novo proposito objecto de bono opere minime gloriarentur. Etenim cum adeo facilis, imo cum irreparabilis sit casus ab actu virtutis in philautiam, divinæ gratiæ fuit, quoties infideles nulla ex opere bono superbia intumuere. Video hanc doctrinam diserte tradi a Ripalda, celebri inter recentiores theologo, qui disp. 20, sect. 6, num. 25, ait: « Recte dicitur voluntatem in hoc ordine Providentiæ destitutam auxilio gratiæ, suisque viribus relictam, solum posse superbiam et peccatum. » Quæ pluribus ibidem prosequitur, laudans præsertim hanc sancti doctoris sententiam : « Liberum arbitrium desertum a divino adjutorio, quamlibet scientia legis excellat, nullo modo habet justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ. » Igitur ubi ex opere bono nulla superbia in animo erumpit, divinæ gratiæ auxilium præsto est.

Quod autem infideles ex speciali gratiæ auxilio quandoque bene operati fuerint, probatur ex libro I ad Bonifacium, cap. 20, ubi Augustinus lenitatem in Assueri regis animo repente natam gratiæ ascribit: « Cor regis, inquit de Deo, antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima et efficacissima potestate convertit, et transtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi. » Idem repetit lib. de Gratia Christi, cap. 24. Præterea epist. 130 continentiam Polemonis philosophi divinæ gratiæ deputandam scribit : « Tamen, ait, ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. » Hoc tamen ex Augustino observandum est, actus bonos infidelium ex divina gratia derivatos ex subsecuta prava operum circumstantia ut plurimum vitiari ac amittere bonitatem quam in sua ipsorum productione ex Dei munere habebant. Hoc deduco ex Augustino lib. IV contra Julianum, cap. 3, hæc scribente : « Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infide-

a ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis; A ter, eique impensius studeat, v. g., pudicitiæ conjugali, sine speciali Dei auxilio non potest a philautia vel inani apud alios gloria temperare. Unde recte ob hanc rationem dixit sanctus doctor infideles non posse habere veras virtutes, illa præcipue Apostoli sententia motus: *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Moraines scribit hæc verba Pauli *perperam* ab Augustino intellecta fuisse; at sancti Patris interpretationem apostolicæ sedi et catholicæ Ecclesiæ probatam fuisse ostendam inferius cap. 4, § 5. Hinc idem Augustinus, lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 7, tradit bona opera Cornelii Act. x a fide in Deum processisse: « Cujus, inquit, acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. B Nam quomodo invocabat in quem non crediderat? » Ex quibus patet ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Christum, sed satis esse fidem in Deum, imo solam fidem etiam acquisitam sufficere colligitur ex lib. de Patientia, cap. 16 et 27, ubi schismaticorum patientiam et bonam esse et laudandam scribit, cujus verba paulo post referemus. Video tamen sanctum doctorem unum actum bonum sine gratia in infidelibus et cæteris hominibus concedere, nempe illum quo homo appetit summum bonum. In Enchiridio, cap. 25, ait: « Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. » Idem habet cap. 125, et lib. IV contra Julianum, cap. 3: « Neque enim, inquit, omnes homines naturali instinctu immortales et beati esse vellemus, nisi esse possemus. » At ob ignorantiam ex peccato originali contractam nescit homo suis viribus relictus in quonam beatitudo et felicitas vera sita sit, unde tot de summo bono philosophorum sententiæ emerserunt. Sola autem fide revelatum est Deum clare visum esse summum hominis bonum, cujus unius possessione fit beatus.

Hæc Augustini sententia fuit de operibus infidelium, quam et Patres ac nobilissimi doctores secuti sunt. Sanctus Leo Magnus, serm. II de jejunio Pentecostes, ait: « Apud ipsos paganos sunt quædam vana jejunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides sanctificat etiam manducantem, apud illos infidelitas pollüit jejunantem. Unde quia extra catholicam Ecclesiam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom* XIV). » Idem asserit Bonifacius II, in epistola ad sanctum Cæsarium Arelatensem, et sanctus Fulgentius cum synodo Byzacenorum Patrum in Sardinia exsulum, quorum verba recitabimus inferius, cap, 4, § 5. Sanctus Prosper in epistola ad Rufinum ait: « *Omne quod non est ex fide peccatum est*: ut scilicet intelligant justitiam infidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratia. » Et in carmine contra Ingratos, cap. 16, canit:

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Julianus Pomerius, santi Cæsarii Arelatensis ma-

m autem esse peccata, quibus et BONA MALE fa-
quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta
ia faciunt voluntate. Qualis volun'as nullo chri-
dubitante arbor est mala, quæ facere non po-
si fructus malos, id est sola peccata: *Omne*
velis nolis, *quod non est ex fide peccatum est.* »
nim Augustinus, voluntatem sola fide dirigi ad
dum opus cum debita circumstantia relationis
m ultimum finem. Hinc superius ibidem dixe-
: Cum non ad suum referuntur auctorem dona
oc ipso mali his utentes efficiuntur injusti, si
irtutes habent, veras non habent, ac per hoc
ntinentia, sive pudicitia vera virtus est impio-
» In hoc vero capite defendit sanctus doctor ab
is Juliani id, quod scripserat lib. I de Nuptiis et
p., cap. 3, ubi cum dixisset continentiam esse
a Dei, ait: « Quid ergo dicimus, quando et in
dam impiis invenitur pudicitia conjugalis?
eo peccare dicendi sunt quod dono Dei male utan-
on id referentes ad cultum ejus, a quo accepe-
An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando
nfideles agunt, secundum Apostoli sententiam
is: *Omne quod non est ex fide peccatum est?* »
ecundum ibidem eligit dicens: « Quis audeat
donum Dei esse peccatum? » Et cum præmi-
bona naturalia animæ et corporis, cum quibus
es nascuntur, esse dona Dei, hæc addit: « De
em quæ faciunt, dictum est: *Omne quod non*
fide peccatum est. Cum igitur faciunt hæc ho- C
sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudi-
pertinere, sive hominibus placere quærentes,
i vel aliis, sive in his rebus quas vitiose con-
unt, humanas molestias devitantes, sive dæmo-
servientes, non peccata coercent, sed aliis pec-
lia peccata vincunt. Absit ergo pudicum vera-
lici qui non propter Deum verum fidem connubii
t uxori. » In laudato vero cap. 3 contra Ju-
a fusissime hanc suam sententiam vindicat ab
ientis quæ plura contra eamdem hæreticus ur-
bi sui constans negat veram pudicitiam fuisse
itilibus.

» nonnullos asserere Augustinum dixisse illa
esse peccata, quæ in Deum ultimum finem non
ntur positive, non autem negative; exempli gra- D
i continens est, ut sibi vel aliis placeat, glo-
apud se vel alios quærens, peccat, quia inanem
m positive sibi finem illius pudicitiæ destinat;
ic positive illud opus deviat a Deo tanquam
» fine. At si continentiæ propositum eliciat, mo-
»nestate tantum operis, nec in eodem apud se
ud alios gloriatus, tunc ille actus negative Deum
spicit tanquam ultimum finem, ex nulla tamen
vitiosus apparet. Hæc doctrina admitti potest,
rtim, quia sanctus doctor inde virtutes genti-
itiari docuit, quod iidem de illis vel apud se vel
alios gloriam quærerent. Hæc enim intelligenda
de actibus virtutum per accidens non vitiatis,
prima statim eorumdem productione contingere
us. Nam si quis eumdem actum virtutis frequen-

gister, cujus libros laudat sanctus Isidorus, uti diximus lib. II Hist. Pelag., cap. 14, lib. III de Vita contemplativa, cap. 1, Augustini sententiam plenam exscribit : « Hæc, inquit, etsi possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari in tantum, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sint aliquas per corpus operati virtutes ; quod eas nec a Deo suo se accepisse crediderint, nec ad eum qui est finis omnium bonorum referre voluerint. Et quid dico, nihil eis profuerunt? imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Legatur totum caput, ubi fusius eamdem doctrinam explanat. Cassiodorus, et vulgo etiam cæteri hosce libros ascribunt sancto Prospero, qua de re in Historia Pelagiana pluribus disseruimus. In eadem sententia fuit Beda in præfat. ad Cant., ubi Pelagii sententiam de philosophorum virtutibus impugnat. inquiens : « Quod ergo dicit, multos philosophorum patientiam, castitatem, modestiam aliasque de naturæ bono habere virtutes, constat, quia quicumque philosophorum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam nescierunt, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum vero vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt, non solum munere primæ creationis, verum etiam quotidiana ejus gratia. » Cum Augustino etiam concinit sanctus Rhemigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, lib. de tenenda veritate sacræ Scripturæ, cap. 11, scribens : « Sed hujusmodi humana bona, quæ humana affectione potest velle, potest nonnunquam agere humana natura. Cum propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt ; cum propter SOLAM VITÆ HONESTATEM, sine dubio INFLATA ET ELATA sunt. Tamen potest ea discernere, potest etiam velle, potest etiam habere, in quantum naturali bono adjuvatur, et Dei dispositione permittitur humana natura. » Ibi plura erudite asseruntur.

Omitto consulto testimonia Cypriani, lib. I de Patientia, § *Hanc se sectari philosophi*, Tertulliani, lib. de Cultu feminarum, initio § *A feminis nutionum*, Gregorii Magni, lib. II Moralium, cap. 15, § *Si non prius*. Etenim horum dicta ab adversariis explicari possunt de bono opere meritorio, quod nunquam reperitur in iis qui fide carent. Imo omnes fere scholastici, qui non similiter Augustino de operibus infidelium loquuntur, ne videantur sancto doctori adversari, dicunt eumdem negasse opera infidelium esse bona, hoc est, meritoria, ut Pelagiani contendebant. Sed hi plane Augustini libro perfunctorie legerunt : nunquam enim Julianus aliive Pelagiani admisere opera meritoria, seu donantia jus ad gloriam sine gratia justificante. Juliani verba reddo ex lib. IV, cap. 3 sancti Augustini contra eumdem : « Cunctarum, inquit, origo virtutum in rationabili animo sita est, et affectus omnes, per quos aut FRUCTUOSE, aut STERILITER boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cum insit omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cum fit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt (substantiam operis vocant scholastici), sed in eo solum variant quod merentur. » Et postea : « Ego STERILITER bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam. » Ita Julianus virtutes viribus naturæ ab infidelibus acquisitas veras virtutes secundum substantiam appellabat, negabat tamen esse meritorias gloriæ æternæ. At e contra Augustinus intulit opera sterilia non posse dici bona, sed tantum mala, tum ex defectu relationis in Deum, tum ex inde derivata philautia, ut superius exposuimus. « Tibi, inquit santus doctor, virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines ; et rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronuntiare non dubites. » Rursus : « Aut certe, quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, » etc. Hoc autem Pelagiani asserebant, quia credebant cum catholicis per solam gratiam sanctificantem homines fieri filios Dei adoptivos cum jure ad gloriam, quod jus viribus naturæ haberi posse negabant. Legantur eorum testimonia apud Augustinum libro de Peccato orig., cap. 5, lib. VI contra Jul., cap. 17, et clarissime lib. III Operis imperf., cap. 108 et 117, et lib. V, cap. 9. Ex quibus satis evidenter ostenditur Pelagianos non admisisse in infidelibus opera meritoria regni cœlestis et gloriæ, sed tantum de eorumdem bonitate secundum substantiam cum Augustino contendisse. Porro de hac quæstione ad mentem sancti Patris egregie disputarunt duo insignes Augustiniani theologi, Gregorius Ariminensis, in 2, distinct. 26, quæst. 1, et Gaspar Casalius Lusitanus episcopus Leirensis, lib. I de Quadripartita Justitia, per plura capita. Basilius Pontius Legionensis, in priori parte Relectionum de gratia, ad mentem sancti Patris Augustini, cap. 75, in resp. ad 2, scribit se in altera parte de operibus infidelium disputaturum, quem tamen librum nusquam potui reperire. Ex exteris Augustini sententiam doctissime defendit P. Macedo in Cortina D. Augustini quæst. 2, de necessitate gratiæ. Qui doctores solvunt etiam argumenta quæ contra sancti Patris sententiam vulgo adducuntur ; unde, ne actum agamus, hic eadem non repetimus. Legatur Ariminensis, qui optime omnibus objectis occurrit ; neque enim recentiores nova argumenta produxere, quibus Augustinanum assertum impugnarent. Scio illos opponere damnatam hanc Baii propositionem : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, etc. Sed hac censura sancti Patris sententia neutiquam percellitur. Etenim hic palam

lit in infidelibus aliqua opera bona in prima
i sui productione, ex gratia tamen donata.
ea etiam sine gratia homo appetitu innato ex
tini sententia amat summum bonum, nullus
st qui non velit esse beatus. Et de his hactenus.
uoniam ob hanc ipsam sententiam de operi-
fidelium Augustinus male audit a Maldonato,
paucis hominis dicta refellere. Is igitur in
ent. cap. VI Matth. vers. 18, ita scribit : « Nec
sequenda illa opinio est, quam Tridentinum
ium nuper merito damnavit, omnia peccato-
nt etiam infidelium opera esse peccata, quam-
ximum auctorem D. Augustinum lib. IV con-
lianum cap. 3, et contra duas epistolas Pelag.,
, et Prosperum sent. 106, habuisse videatur. »
am docuit sanctus Pater omnia opera pecca-
sse vitiosa, qui recentium hæreticorum error
mnatus in Tridentino sess. 6, can. 7. Imo Au-
us oppositum sæpe docet; nam cap. 7 de
stinatione sanctorum tradit omnia bona opera
lii, antequam crederet, Deo accepta referenda
t proxime ostendimus. Item lib. de Patientia,
6, docet schismaticum qui timore pœnarum
rum cruciatus sustinet, ne Christum neget,
citra meritum tamen vitæ æternæ, agere :
o modo ista culpanda sunt inquiens, imo vero
c laudanda patientia est. » Et cap. 27 ait :
ne enim hoc non est bonum, ut credat homo
supplicio se esse puniendum, si negaverit
um, ut pro ista fide qualecunque supplicium
st, et contemnat humanum. Proinde sicut ne-
m non est hoc etiam esse donum Dei, ita in-
ndum est alia esse Dei dona filiorum illius
alem, quæ sursum libera est mater nostra.
unt enim quodammodo hæreditaria, in quibus
hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Alia
quæ possunt accipere etiam filii concubina-
quibus Judæi carnales, et schismatici vel hæ-
comparantur. At Cornelius ante baptismum,
udæi et hæretici inter peccatores censentur,
m tamen opera quædam laudanda, utpote Dei
Augustinus concedit. Illud vero tolerari nullo
potest, quod audet Maldonatus asserere, Tri-
am synodum damnasse sententiam Augustini
ribus infidelium. Ubinam, quæso te, synodus
ribus infidelium loquitur? Canone illo sep-
damnat dicentem : Opera omnia, quæ ante
ationem fiunt, quacunque ratione facta
vere esse peccata, vel odium Dei mereri. »
nathemate configit errorem novatorum dicen-
omnia opera facta ab homine extra charitatem
peccato constituto esse peccata, quod illa a
entiæ reatu vitiantur; quæ sententia et falsa
m damnata fuit, uti vidimus, ab Augustino.
m vero abest ut Patres Tridentini eam sancti
is sententiam damnarint, quin potius non de-
ex eorum cœtu et scientia et dignitate perce-
, qui postea Augustini sententiam in sensu
severiori acceptam defenderit. Hic autem est

A doctissimus Gaspar Casalius, Augustiniani instituti vir, et episcopus Leirensis Lusitanus, qui anno 1562 ingens volumen de Quadripartita Justitia inscriptum Tridenti composuit, ac legatis sanctæ sedis nuncupavit, in cujus libro I, a cap. 22, diffusissime sancti Augustini sententiam propugnat, Patrum, et theologorum tum auctoritate tum rationibus eamdem confirmans. At sessio illa de justificatione celebrata fuerat anno 1547. Itane tantum audaciæ viro illi fuisse dicemus, ut damnatam a synodo sententiam iterum tanta contentione defenderet? Libeat Casalium audire : « Porro, inquit, de illo alio, quod semper Augustinus videtur docere, extra fidem, extra cognitionem veri Dei non reperiri aliquam veram virtutem, quæ non sit vitium, quid dicendum? B Quid dicendum, inquam, secundum sententiam ejus et aliorum sanctorum doctorum? Quoad ipsum dicimus : Ipse quidem ita docuit, et quia verax erat, atque eo corde loquebatur, ita credidit. Nunc alii secus dicunt, sed seipsos sapientiores esse Augustino non ostendunt. » Sed non adeo rigorose de operibus infidelium sanctus doctor locutus est, nam aliquos quandoque virtutum actus eosdem elicere palam concessit, ut ex dictis satis apparet.

§ V. *An sanctus Augustinus asserens parvulos puniri mitissima pœna sensus in inferis, per excessum locutus sit.*

Nusquam novi Augustini censores potiori titulo excessus eidem objicere videntur, quam ubi de pœnis C puerorum sine baptismo decedentium cum Pelagianis disputavit. Etenim antiqui etiam scholastici hoc ipsum de sancto doctore publicarunt. Hoc Scotus, hoc Richardus, hoc Major, Capreolus, aliique unanimi consensu tradidere. De hoc Augustini placito scripsit sanctus Banaventura : « Plus dixit, minus volens intelligi. » Quam sententiam Annatus grandioribus characteribus exscripsit, sæpiusque ad Augustini auctoritatem elevandam obtrudit. Nec defuere qui rem politulo, ut ipsis quidem videtur, exemplo explicarunt, teste Hauzerio, tom. II Anatomiæ Augustinianæ, col. 765 : « Hinc, inquit, sicut equites armati, dum invehuntur in hostes, solent eodem impetu obvios etiam pueros inermes conculcare; ita et B. Augustinus persequendo Pelagianos videtur qui- D busdam quasi præ fervore pugnandi minus etiam parvulis illis pepercisse. » Quinimo nec a scommate abstinuere : affirmat enim Soto illos qui positam sancti Augustini sententiam defendunt, nuncupari ignominiæ causa *tortores puerorum*, et noster Puteanus in 1-2, quæst. 83, art. 4, dub. 4, testatur Gregorium Ariminensem, quod similia Augustino tradidit, appellari *tortorem puerorum*. Itaque Adamus, cap. 6, page 666, scribit Augustinum in taxanda infantium pœna « zeli excessu extra quæstionem quam cum Pelegianis habebat tractum fuisse, ac præter intentionem locutum. » Addique, Patres « qui de hac quæstione scripsere omnes contrariam sententiam tradidisse. » Idem habat Moraines, disp. 40, num. 60. Quod vero Gregorius Magnus ac Fulgentius Ruspen-

sis in ea doctrina cum sancto Augustino concinuere, A scribit : « Non ex sensu Ecclesiæ, tanquam illus testes, sed ex suo id asseruisse. » Ego quidem rem Augustinianæ scholæ gratam me facturum arbitror, si hac in re sanctum Patrem omni excessum suspicione liberavero, simulque ostendero eumdem catholicæ Ecclesiæ probatum dogma, communem antiquorum Patrum, ac seipso dignam sententiam docuisse ; e contra vero scholasticorum plerosque in opiniones quasdam de infantium pœnis descendisse, quæ pontificum Romanorum, synodorum ac Hatrum statutis plane adversantur. Rem paucis sic conficio.

Sancti Patris Augustini sententia de pœnis sensibilibus parvulorum sine baptismo decedentium adversus Pelagianos tradita proponitur. Primum pro eadem ex sacra Scriptura argumentum. Adversariorum responsione explosæ. B

Pelagiani, licet assererent pueros sine originali peccato nasci, eosdem tamen, si sacris undis inexpiati decederent, in regnum cælorum ire negabant, illam Domini sententiam reveriti : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Jonan.* III, 5). Scribit hæc Augustinus serm. 14 de Verb. Apost. : « Ideo, inquit, parvulo non baptizato polliceri regnum Dei non possum, contra Domini sententiam apertam. » Cum vero ab omni crimine immunes pueros pronuntiarent, in locum pœnarum eosdem trudi inficiabantur, dicentes secundam quamdam felicitatem illis statutam in medio quodam loco inter gloriam regni cœlestis et inferorum supplicia. Ubi tamen hic medius locus esset. ipse Pelagius se nescire ingenue fassus est celebri illo dicto apud Augustinum lib. de Peccato orig., cap. 21 : « Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant, scio : quo eant, nescio. » Nec discipuli quid certius tradidere, hoc unum asserentes, ire pueros in locum, ut mox notabam, secundæ felicitatis. At Augustinus hanc a Pelagianis promissam pueris felicitatem non modo irrisit, verum etiam solidis argumentis probavit infantes sine baptismo defunctos mitti in gehennam ignis. Hinc hæretici Augustini sententiam uti crudelem rejiciebant, ut patet ex his Juliani verbis lib. III Operis imperf., cap. 199 ; « Sed reclamas. Audiamus ergo quid parias, Aristoteles Pœnorum. Tantum, inquis, malum ei inest, ut possideatur a diabolo, atque æternum mereatur incendium. » Hæc ille, cui Augustinus : « Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis præter Dei regnum, quietis et vitæ æternæ locum præparant, ideo Christi erit falsa sententia ; *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Qui autem non crediderit condemnabitur ?* »

Primum argumentum pro pœnis parvulorum sanctus Pater deduxit ex cap. XXV Matth., quod serm. 14 de Verb. Apostoli ita proposuit : « Venturus est Dominus, et judicaturus de vivis et mortuis, sicut Evangelium loquitur ; duas partes facturus est, dexteram et sinistram sinistris dicturus : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus*; dextris dicturus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. NULLUS RELICTUS EST MEDIUS LOCUS, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud, QUI INDICIS MEDIUM, RECEDE DE MEDIO. Non te offendat, qui dexteram quærit, et te ipsum admonet. Recede de medio ; sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit et sinistra, et nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum cœlorum est : *Percipite*, inquit, *regnum*. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? *Ite in ignem æternum*. In dextera unique ad regnum æternum, in sinistra ignem æternum. Qui non in dextera, procul dubio in sinistra. ERGO QUI NON IN REGNO, PROCUL DUBIO IN IGNEM ÆTERNUM. » Ubi despiciens homines secus opinantes veluti de fæce vulgi ait : *Hic quæris medium homo de medio*. Hæc Augustinus publice pro concione recitavit Carthagine in basilica majori coram Aurelio Primate totius Africæ, quo jubente eam orationem habuit, ut fusius narravimus lib. I Hist. Pelag., cap. 5. Hinc versus finem ait : « Lego tantum : Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumpsi, antiquus episcopus sedis hujus. » Illa igitur sententia de sensibili puerorum pœna publice orthodoxis tenenda tum temporis proponebatur, quam tanta certitudine sanctus Pater asseverabat, ut *procul dubio in ignem æternum* ituros infantes pronuntiaret. Unde non primus illa docuisse credendus est, sed totius Ecclesiæ illius ætatis fidem secutus. Idem Augustinus alio utitur testimonio, quod cum affine recitato sit, hic indicabo. Lib. I de Peccatorum Meritis et remissione, cap. 28, ait : « Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus MALE CREDENTIUM ISTAM NESCIO QUAM MEDIETATEM, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait: *Qui mecum non est adversum me est*, etc. (*Matth.* XII). Hoc idem argumentum versat antiquissimus auctor Hypognosticon lib. V, cap. 5, ubi ait : » Ecce non baptizatus, vitali etiam cibo poculoque privatus, dividitur a regno cœlorum, ubi fons viventium permanet Christus. Da mihi præter hunc alterum locum, ubi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cælorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur. Secundum gehennam; ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis invenimus. Finge, Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vi-

tam requiei et gloriæ possidere parvuli possint. Dextera est justi judicis sedentis regnum, et sinistra gehenna; vita et mors, justi et iniqui. In dextera igitur justi sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis; in regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum; vita ad lætitiam gloriæ; mors ad fletum et stridorem dentium; justi in regno Patris cum Christo, iniqui in igne æterno parato diabolo et angelis ejus. Sed hoc dicens non divisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantum, quoniam ad duo, regnum videlicet et gehennam, hæc omnia referuntur, etiamsi plura dicantur, etc. Qui baptizatus ergo non est, in iis quæ regni cœlorum sunt non potest reperiri. Et si non ibi, putasne, Pelagiane, jam sentis ubi, aut certe dic ubi?

Variæ huic argumento applicari solent ab scholasticis responsiones, sed omnes facile rejiciuntur. Catharinus in opusculo de statu parvulorum, postquam dixit hoc argumentum esse oppositæ sententiæ *Achillem*, negat parvulos debere sisti in judicio. Morainés, disp. 40 de Gratia, num. 11, respondet primo male supponi ab adversario esse dogma fidei quod ad judicium generale, de quo Christus loquitur Matthæi XXV, parvuli sint comparituri, ibique ad dexteram vel ad sinistram collocandi. Nam contrarium sine errore contra fidem affirmant Durandus et Albertus. Et num. 12 respondet secundo neque etiam fide divina certum esse quod licet infantes ad judicium generale sint comparituri, futuri sint de numero judicandorum. Et citat Tostatum, Carthusianum et sanctum Thomam, 4, dist. 47, q. p. art. 3, ad 5, ubi affirmat pueros ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparituros, non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis. Quod probabile putat Suarez apud eumdem Morainium. Numero vero 13 ulterius respondet non satis constare futuros in sinistra, ac non potius in medio quodam loco constituendos.

Nulla tamen ex istis responsionibus admitti potest: nam aperte in concilio Africano, ut mox ostendam, definitum est parvulos futuros in sinistra his verbis: « Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret. » Et sanctus Gelasius papa, in epistola ad episcopos per Picenum, adversus Pelagianos de iisdem parvulis inquit: « Et quia non nisi dextram partem legimus et sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri. » Hanc Gelasii epistolam legit Morainés, eamque disp. 2, num. 31, *eruditam* vocat. Verum omittamus Africanum canonem ac Gelasii epistolam, hæc enim scholastici veteres non legere, nonne Augustinus hanc sententiam veluti orthodoxum dogma tradidit? Statuit sanctus doctor in epist. 107 ad Vitalem duodecim regulas, quarum septima et octava his verbis describuntur: « *Scimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi*, ut *ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit*, non secundum ea quæ si diutius viveret, gesturus fuit, *sive bonum, sive malum*. Scimus etiam parvulos secundum ea quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, et renuntiare diabolo dicuntur, et credere in Deum, unde et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Propter quod et illis, qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur* (*Ibid.*). Unde et ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Domini manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt; secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt, non secundum ea quæ, si hic diu viverent, gesturi fuerat, judicantur. » Porro has duas sententias cum reliquis aliis decem pertinere ad fidem catholicam docuit ibidem sanctus Pater his verbis: « Nempe manifestum est ex illis duodecim sententiis, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, » etc. Repetam hic Bellarmini verba lib. II de Grat. et libero arbitrio cap. 11, licet alia occasione ab ipso pronuntiata: « Nam si Augustini, inquit, de prædestinatione (dicam de pœnis parvulorum judicandorum) sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam pro fide catholica venditare ausus esset. » Idem postea etiam tradidit libro quinto operis postremi adversus Julianum. Beda etiam, qui longe post Augustinum floruit, affirmat secundum catholicam fidem parvulos judicandos esse. Etenim in præliminari ad sacrum codicem Canticorum adversus Julianum ait: « Quod dicit (Julianus), non aliunde alios judicare, alios judicari, nisi quia in eadem natura dispar voluntas sit, et quia, cum omnes idem possimus, diversa faciamus, contradicit catholicæ fidei, quæ etiam PARVULOS ESSE JUDICANDOS confitetur, eos qui in eadem natura positi priusquam aliquid boni malive facere aut velle, aut saltem nosse poterant, sine baptismo rapti sunt. »

Secundum argumentum ex Scriptura. Pueri nascuntur sub potestate dæmonis, ex qua eorumdem pœna sensibilis aperte demonstratur. Quam infeliciter huic argumento ab adversariis respondeatur. Octo pœnis parvulos subjici, quæ breviter numerantur.

Alterum argumentum desumitur ex omnibus iis sacræ paginæ locis in quibus humani generis captivitas sub principe dæmone designatur. Joan. XII, 31; *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Marc. III, 27: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.* Idem Dominus testatur Matth. XII, 29: *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Et

Lucæ XI Dominus comparat dæmonem *forti armato custodienti atrium suum*. Ex quibus locis sanctus doctor infert parvulos cum principe dæmone æterno igne cremandos. Audi integrum maximi viri discursum lib. III Operis imperfecti contra Juliannm, cap. 199, cujus superius fragmentum dedi: » Tu autem, inquit, qui eam (nempe imaginem Dei) negas a diabolo possideri, procul dubio negas a potestate erui tenebrarum, cum in Christi regnum regeneratione transfertur, et accusas universam catholicam Ecclesiam magno crimine majestatis; non enim legibus hujus mundi tenetur reus quisquis imaginem, quamvis non vivam, imperatoris exsufflat. Exsufflantur autem parvuli in exorcismo priusquam baptizentur; exufflantur igitur vivæ imagines, non regis cujusque, sed Dei. Imo vero exsufflatur, sed diabolus, qui contagione peccati tenet procul dubio reum, ut illo foras misso, parvulus transferatur ad Christum. Exsuffletur itaque Juliani amentia, ne majestatis rea in parvulorum mundatione et exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris IN IGNE ÆTERNO CUM DIABOLO FUTURUM, quia in Dei regnum intrare non sinitur? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis præter Dei regnum, quietis et vitæ æternæ locum præparant, ideo Christi erit falsa sententia: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur* (*Marc.* XVI)? » Rursus lib. V ejusdem operis cap. 6: « An forte, inquit, homines non sunt, qui eruantur de potestate tenebrarum quarum tenet diabolus principatum? Aut vero ITA DESIPIS ut affirmes eos sibi diabolum non vindicare, quos possidet et suæ potestati subditos tenet? Sed ut taceam de his quos potestis dicere per suam malam voluntatem a diabolo possideri, quid dicturus es de illo de quo pater ipsius, Domino interrogante, respondit quod ex infantia sua ab immundo spiritu vexaretur? Nonne membra ejus et sensus, quæ omnia Deo auctore instituta sunt, et communia impiorum, piorumque sunt munera, diabolus sibi, ut affligeret, vindicabat? etc. » Hoc argumentum valde torquet adversarios, qui variis datis solutionibus vim ejusdem, ut ego quidem arbitror, frustra evadere conantur.

Respondet primo quidam alias celeberrimus theologus: Hæc pœna non videtur debita peccato originali; sicut ei non debetur pœna sensus, ita non debetur simul traditio in manus hostis potentissimi et infensissimi, qui perducat hominem in necessitatem moralem incurrendi ejusmodi pœnam, et simul prohibitio auxiliatoribus ne suppetias ferant. Hæc enim esset pœna gravior quam pœna sensus: quippe tolerabilius est solum cruciari quam poni in morali necessitate novi criminis merentis illum cruciatum. Hæc responsio non consonat Ecclesiæ statutis ex quibus aperte colligitur ex peccato originali nos esse captivos dæmonis. Sanctus Cœlestinus, ut vulgo putant, in epistola ad episcopos Galliæ, cap. 12, hæc definit: « Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu; cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, et exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo *Princeps mundi hujus mittatur foras* (*Joan.* XII,) *et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris* (*Matth.* XII), *qui captivam ducit captivitatem* (*Psalm.* CXVII), *et dat dona hominibus* (*Ephes.* IV). His ergo, etc. » Quam doctrinam postea universa Ecclesia tradidit, ut patet ex cap. *Sacerdotes*, de Consecrat. dist. 4, et cap. *parvuli*, et cap. *Sicut nossis*, et cap. *Dehinc*, etc., et expresse synodus Tridentina, sess. 5, de peccato orig. definit, Adam « incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli. » Hinc sanctus Augustinus, lib. VI Operis imperf. contra Jul., cap. 20, reprehendit Julianum ægre ferenten *dominum, ac possessorem imagini Dei diabolum imponi*, hæc scribens: « Dicit Jesus, qui secundum hoc nomen suum salvum facit populum suum a peccatis eorum: *Nemo intrat in domum fortis, nisi prius alligaverit fortem*, et vos in hoc populo Christi, quem salvum facit a peccatis eorum, parvulos non esse conceditis, quos ut a propriis, ita nec originalibus vultis obstrictos esse peccatis, et cum fallaci vestro sermone minuitis vires ejus, qnem dixit Veritas fortem. » Postea: « Nec tibi videatur indignum quod subjecta est diabolo imago Dei; hoc enim non fieret nisi judicio Dei, nec removetur ista damnatio, nisi gratia Dei, etc. »

Catharinus more solito, hoc est audacter, in opusculo citato ait: « Neque sub diaboli perpetuo potestate erunt, quia et pro illis ejectus erit diabolus foras in die novissimo, ut nihil juris habeat ulterius in illos. » Hoc tamen responsum, ut bene etiam notavit Bellarminus, ab homine catholico defendi minime potest. Peto enim quare infantes modo sint captivi dæmonis? Clara sunt Ecclesiæ dogmata: Ob peccati originalis maculam. Rursus interrogandus est Catharinus an hæc macula duratura sit post diem judicii vel non? Si secundum dicat, in errorem labitur, solo enim baptismate illa culpa destruitur: « Hæc noli dicere, ait Augustinus, si vis esse catholicus (*lib.* III *de Orig. animæ, cap.* 9). » Si primum, ergo remanebit integrum jus dæmoni in pueros etiam post diem judicii, cum adhuc obnoxii erunt peccato originali. Audiat, velit nolit, Augustinum, quem hac in quæstione, uti in aliis etiam sæpe impugnat lib. I de Nuptiis et concup., cap. 23: « Hoc generi humano inflictum vulnus a diabolo, quidquid per illud nascitur cogit esse sub diabolo, tanquam de suo fructice fructum jure decerpat, non quod ab illo sit natura humana, quæ non est nisi ex Deo, sed vitium, quod non est ex Deo. Non enim propter seipsum quæ laudibilis est, quia opus Dei est, sed propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur; propter quod damna-

tur, propter hoc et damnabili diabolo subjugatur, quia et ipse diabolus spiritus immundus est. » Idem asseruit sanctus Fulgentius lib. I de Veritate prædestinationis, cap. 14 : « Causa vero majorum atque minorum qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est. Ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit. »

Respondet Arriaga, tom. I in 1-2, disp. 52, nihil aliud significare pueros esse sub potestate diaboli, quam esse peccatores. Alii vero putant pueros esse sub potestate diaboli per peccatum originale, quia dæmon ex illo peccato habuit potestatem tentandi genus humanum, et consequenter ipsum perdendi in gehenna. Verum aliud est esse peccatorem, aliud captivum diaboli ; captivitas enim est effectus peccati, sicuti si quis princeps subditum ob aliquod crimen in tyranni alicujus potestatem detruderet. Porro quemadmodum peccatum mortale hominem transcribit in familiam subditam diabolo, hoc etiam peccatum originale præstat, unde dicebat sanctus doctor lib. I de pec. Meritis et remiss., cap. 34, initio : « Quid de ipsa forma sacramenti loquar ? vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur ? » Quod vero alii dicunt ideo esse genus humanum sub potestate dæmonis, quia hic potestatem, et jus ex illo peccato contraxit tentandi homines, inepte prorsus asseritur, tum quia nequit pueros tentare, qui velle nil possunt, tum quia potuit tentare Adamum, qui tamen nondum erat sub potestate dæmonis, tum quia posse tentari, non est esse, sed posse esse captivum. At pueri nascuntur reapse captivi dæmonis. Unde Zosimus papa, epist. 157, apud sanctum Augustinum ait : « Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuit ante captivus. « Clare etiam sanctus Gregorius lib. XXVI Moral, cap. 20, distinguit captivitatem a potestate tentandi : « Nunc princeps, inquit, hujus mundi ejicietur foras. Unde jam nunc sanctos homines non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus, et quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. »

Præterea falsum est pueros eodem modo esse sub potestate dæmonis per peccatum originale, sicut per quodlibet actuale, uti docet Moraines, num. 13 : nam in parvulis et cæteris non baptizatis jus habet dæmon veluti in proprio mancipio, ut enim definit sanctus Cœlestinus papa supra, utimur exorcismis et exsufflationibus clericorum, ut *spiritus ab eis immundus abigatur*. Ergo vere sunt possessi a dæmone per inhabitationem, cum neque *spiritus immundus abigi* nec *princeps ejici foras* possit, nisi sit intus in parvulo. Quibus tamen exorcismis et exsufflationibus non utimur ad absolvendum peccatorem vel omnium pessimum, sed tantum in energumenis sanandis, qui intus a diabolo per inhabitationem possidentur. Notavit hoc insignis ille carmelita Joannes Bacconus, qui cæteris scholasticis antiquis de hac captivitate, unde parvulorum pœnæ satis clare inferuntur, vix pauca verba facientibus, unus ipse Augustino-catholicæ sententiæ adhæsit in 2 sent. dist. 39, quæst. 1, ubi ait de dæmonis dominio : « Inhabitat dico, non sicut forma informans, nec per formam aliquam, quam creat in anima peccatrice, sicut Deus eam creat, sed habitat per dominium in peccante, seu aliis verbis jure dominii et potestatis. » Et ibi ad 2 dubium definit originale peccatum « per obsequium nostræ voluntatis erga diabolum, et ex consequenti etiam diaboli inhabitationem. » Inhabitat igitur dæmon in corporibus non baptizatorum tum pusillorum tum adultorum, non ut vere sint energumeni, sed ut princeps jure dominii in regno suo, tanta est potestas quam in illos habet princeps tenebrarum, quæ omnia ex exsufflationibus et exorcismis colliguntur ; siquidem dum parvulus baptizatur, dicit sacerdos : *Exi, spiritus immunde, et da locum Spiritui sancto*. Peccatores vero fideles sunt de corpore Ecclesiæ, cujus caput est Christus. De potestate dæmonis supra infideles late discurrit sanctus doctor epist. 107, ad Vitalem.

Respondet tandem Moraines : « Tertia ratio, inquit num. 17, nos minime tangit, qui non negamus parvulos illos mansuros esse in æternum Deo invisos propter peccatum originale, et quodammodo sub captivitate ac servitute diaboli, ut in hac vita, privatos scilicet speciali Dei protectione, qua ab ejus invasionibus et infestationibus fiant immunes. » In hac responsione maxime displicet illa particula *quodammodo*, limitans dæmonis in captivos potestatem. Egregie inquit Augustinus lib. VI contra Jul., cap. 20 : « Cum fallaci vestro sermone minuitis vires ejus quem dixit Veritas fortem. » Utquid enim additur restrictio quam nec concilia nec pontifices apposuere ? Illud autem in eadem responsione summe placet, quod fatetur pueros non futuros immunes a dæmonis invasionibus et infestationibus, hoc enim est quod intendimus, nempe futuros obnoxios pœnis sensibilibus, eo quod futuri sunt sub crudelissimi tyranni potestate. Nisi dicat infantes nihil mali ex hujusmodi *invasionibus* et *infestationibus* percepturos, quo quid dici potest ineptius ? vexantur enim non a frigore, non a calore, sed a dæmone, *cui mille nocendi artes*.

Simile etiam adducto argumento est illud, quod colligitur ex Epistola ad Rom. IX : *Sic autem Deus volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, que perfecta sunt in perditionem*. Quæ vasa iræ ibidem *vasa* etiam *contumeliæ* apellantur ab Apostolo. Cum igitur infantes sint vasa contumeliæ, cui, quæso, loco illa Deus deputabit ? « Deus, inquit Fulgentius *vasa contumeliæ* æterno semper ardura deputabit incendio. »

Patres Africani in epistola synodica, cap. 13 : « *Vasa contumeliose* sunt, quibus dicitur : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* » Quod prius docuerat Africanæ Ecclesiæ magister lib. 1 Operis imperf. contra Jul., in fine : « Nos vero Deum quidem parvulorum opificem prædicamus, sed ex eadem massa medium locum vasis, ubi nec in honorem fiant, neque in contumeliam, quem non dedit Apostolus, non damus. » Considerent igitur adversarii tantam esse potestatem dæmonis in sua vasa, ut prius, ut inquit Christus, dæmonis triumphator ligandus fuerit, quam ex ejus domo vasa raperentur, nec minuant, ut ait sanctus doctor, *fallaci sermone vires ejus, quem dixit Veritas fortem.*

Certum igitur est parvulos non baptizatos esse vasa contumeliæ in domo dæmonis, e qua per Christum non sunt erepta, et captiva ibidem teneri a *forti armato custodienti atrium suum.* Hanc tenebrosam domum scholastici antiquiores dixere limbum, in quo parvuli detinentur. Ita sancti Thomas, Bonaventura, item Scotus, Ægidius, Durandus, Richardus et alii communiter, teste Bellarmino, cap. 2 supra. Ex qua doctrina, velint nolint, probatur pœna sensus. Pro quo notandum est, quod docet sanctus doctor lib. 21 de Civit. Dei, cap. 11, « octo genera pœnarum in legibus esse : damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem. » Ergo, cum parvuli, præter pœnam exsilii, quam scholastici vocant pœnam damni, patiantur servitutem sub dæmone, et carcerem, aliam profecto pœnam patiuntur a pœna damni. Qualis autem sit ista pœna servitutis sub principe tenebrarum ac forti armato audivimus supra a celeberrimo quodam theologo dicente : *Hæc enim esset pœna gravior, quam pœna sensus.* Verissime. Pone, exempli gratia, principem filios alicujus subditi non solum exsilio mulctare, et paterna etiam hæreditate privare, sed illos quoque tyranno cuipiam in mancipia divendere, haud sane exigua esset postrema ista pœna captivitatis. Porro nulla pejor, nulla acerbior, nulla atrocior captivitas est, quam esse sub dæmone, Phalaride, Dionysio, Maxentio crudeliore, tyrannorum omnium truculentissimo. Neque levis censenda est pœna carceris, præcipue sub *forti armato custodiente atrium.* Id etiam alter e societate scriptor Neotericus non inficiatur ; *gravissimam*, inquit Arriaga 1-2. disp. 52, num. 5, *pœnam* illam carceris fore, ubi veluti stipites nec videre, vel olfacere, nec gustare quid possent, sane hæc sensibilis pœna esset. Unde plures ex iisdem scholasticis recentioribus, ne pueros pœna carceris affligant, *nescio quem tertium decipiendis parvulis faciunt locum*, uti olim Pelagiani, teste sancto Gelasio papa, cujus proxima verba sunt, et sancto Augustino sæpissime id affirmante et irridente, finxerunt.

Verum quid dicent adversarii si octo illa pœnarum genera a parvulis sustineri probabimus ? Pœnam damni et exsilii ipsi concedunt, modo pœnam captivitatis et carceris ex sacris litteris clare deduximus. De reliquis quatuor idipsum probamus. Vincula illos pati certum est, cum sint captivi, nec illa solvi possint nisi prius ipse fortis armatus custos atrii alligetur. Patiuntur etiam pœnam *ignominiæ*, sunt enim, teste Apostolo, *vasa contumeliæ* (*Rom.* IX). Hinc sanctus doctor, lib. 1 contra Julianum, Operis imperf. cap. 138 : « Ex qua tamen (massa) alios in Dei regnum adoptari fatemini, quos procul dubio vasa in honorem facta conceditis ; alios vero non ad hoc adoptari, quos facta vasa in contumeliam, nisi intelligenter consentiatis, impudenter negatis. Neque enim, si non est pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei, separari a regno Dei. » Insuper patiuntur verba, carent enim teste Morainio, num. 17, *speciali Dei protectione, qua ab ejus*, scilicet dæmonis, *invasionibus, et infestationibus fiant immunes.* Nec putandus est adeo mitis hic tyrannus, ut servos suos ne semel quidem flagris affligat. Satis sit, infantes esse vasa in illius domo, ut ait Christus, et captivos *in familia diaboli teneri*, ut docet sanctus Pater lib. cit. de peccatorum Meritis, cap. 34. Adde his pœnam talionis, qui enim cum suo primo parente noluere esse sub Deo, facti sunt servi sub diabolo. Tene aurea sancti doctoris verba lib. XIV de Civitate Dei, cap. 15 : « Justa damnatio subsecuta est, talis quidem damnatio, ut qui custodiendo mandatum fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis ; et quia sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur, nec sicut affectabat in sua esset omnimoda potestate, sed a sei pso quoque dissentiens sub illo, cui peccando consensit, pro libertate quam concupierat, duram, miseramque ageret servitutem ; mortuus spiritu volens, et corpore moriturus invitus : desertor æternæ vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus. » Mortem vero pœnarum ultimam non solum corporalem, sed etiam spiritualem incurrisse per peccatum universam Adami posteritatem certum est. Et quidem pueros ex peccato originali pœna mortis secundæ mulctatos tradit passim sanctus doctor ; lib. 1 ad Bonifacium, cap. 22, ait : « Aut si evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam, salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes nisi fuerint baptizati, quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium. » Mors autem secunda ex cap. 20 Apocalypsis intelligitur, ubi hæc leguntur : *Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus in stagnum ignis.* Et postea : *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* Quare, cum pueri sine baptismo decedentes non sint scripti in libro vitæ, dubio procul morti secundæ, hoc est, igni deputantur. Hoc argumentum et fuse et erudite ex Augustino urget archiepiscopus Thuamensis in opusculo de hac quæstione, cap. 11 et 12. Scio Morainium respondere, num. 69, mortem secundam esse privationem visionis Dei ; sed hæc responsio rejicitur ab Augustino cap. 92 Enchiridii, et lib. XIII de Civit. cap. 8, et lib. XIV, cap. 28 ; item a sancto Fulgentio lib. 1 ad Monimum, cap. 6, ubi ex sacris litteris pronuntiat

imam esse, cum anima separatur a corpo- A hæreseos falsitatem confixit: « Illud vero, inquiens,
ım vero cum eadem æternum punitur cum quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, par-
vulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis
gratia posse donari, perfatuum est. » Epist. 95 apud
Augustinum. Itaque tum synodi tum pontifex illam
vitam æternam parvulis in originali peccato mortuis
negarunt, quam Pelagiani eisdem pueris dabant.
Vita autem æterna dicit perpetuam possessionem
Dei animam beantis in regno cœlorum, et ex conse-
quenti exclusionem cujuscunque miseriæ, cui vitæ
opponitur æterna mors, quæ consistit in perpetua
amissione summi boni, et perenni afflictione ac
cruciatibus in inferis. At Pelagiani nusquam ausi
sunt dicere pueros sine baptismo ituros in regnum
cœlorum, ut ex serm. 14 de Verbis Apostoli supe-
B rius laudato exposuimus. Scribit de iisdem Augus-
tinus lib. I de peccatorum Meritis et remissione, cap.
18: « Dicunt parvulos recenti vita editos visceribus
matrum, non propter remittendum peccatum perci-
pere baptismum. sed ut spiritalem procreationem
non habentes, creentur in Christo, et ipsius regni cœ-
lorum participes fiant, eo modo filii et hæredes Dei,
cohæredes autem Christi. » Hinc idem sanctus doc-
tor contra Pelagianos ait lib. II Operis imperf., cap.
113: « Respondeto quid sitis, qui tot imagines Dei
sine illius peccati merito separatis a regno Dei, et
facitis duas æternas felicitates: unam quæ sit in
regno Dei; alteram, quæ sit extra regnum Dei. » Et
lib. I ejusdem operis, cap. 132, tradit parvulos juxta
C Pelagianos futuros « in loco aliquo secundæ felicita-
tis, quem, inquit, talibus ædificavit hæresis vestra. »
Ex his infertur vitam æternam, quam illi hæretici
pueris promittebant, sitam fuisse in secunda quadam
felicitate, hoc est, minori ea qua fruebantur beati in
regno cœlorum. Nam cum ibidem pueri nullos cru-
ciatus per totam æternitatem passuri essent, æter-
num felices vivere ab ipsis dicebantur. Scribit san-
ctus Fulgentius, lib. I ad Monimum, cap. 6, Deum
animæ per peccatum mortuæ duplicem insuper mor-
tem comminatum: « Primam in separatione animæ
et corporis; secundam in æterna cruciatione animæ
et corporis. Ac per hoc primam, qua discedente ani-
ma caro sola moritur: secundam vero, quando re-
diens in carnem anima in eadem et cum eadem in
D qua peccavit, carne torquetur. » Primæ morti op-
ponitur vita temporanea, alteri vero vita æterna,
quando anima perpetua felicitate fruetur, qua de re
legatur Augustinus lib. XX de Civitate Dei, cap. 6. Itaque
vita æterna infantium, ex Pelagianorum sententia, illa
est quæ opponitur morti secundæ, quæ ideo ex Augus-
tino, lib. XVIII, ibidem, cap. 28, « secunda mors dici-
tur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ a
Dei vita aliena erit, nec corpus, quod æternis dolo-
ribus subjacebit. » Quare, cum synodi Africanæ ac
sanctus Innocentius damnarunt dicentes pueros sine
baptismo defunctos habere vitam æternam, explose-
runt secundam illam felicitatem quam extra regnum
Dei Pelagiani infantibus promittebant, et ex conse-
quenti decrevere eosdem subituros etiam mortem se-

ıcti doctoris sententia probatur ex conciliis s, et litteris Innocentii Papæ. Assertio de ırvulorum ab Ecclesia Africana inter fidei , teste sancto Fulgentio, relata. Insigne pro ı sancti Gelasii papæ testimonium.

ci, qui in statuendis parvulorum pœnis ı ab Augustino sententiam abiere, publi-
sdem opinione *munum Augustinum patro-*
ɔ, ut loquitur Catharinus, eamque *paucis-*
, ut ait Moraines. Imo Catharinus, unum sibi
ugustinum, scribit: « At magna, inquit,
tas Augustini, magna profecto, veritatis,
ateat longe major, longe major pontificum
et Ecclesiæ de cathedra docentis, et com-
torum sententia. » Quibus ille auctor in
ıtrum scriptis se plane hospitem prodidit;
ıcti Patris sententiam et synodorum et
testimoniis confirmabimus, et iis quidem
ıtibus, ut minime dubitem quin schola-
eadem incidissent, ne latum quidem un-
ugustiniana sententia discessissent. Recte
2, dist. 33, quæstione unica *magistrorum*
m placitum contra Augustinum stare di-
tamen totius Africæ venustiores episcopos
ɔ.

ɔm veteres Parisiensis scholæ doctores,
ıa ingenia scholæ subtilitatibus devovis-
n fuere in synodorum ac Patrum lectione
ıc eruditionis defectu quasdam opiniones
a quibus antiquioris Ecclesiæ magistri
tarunt. Hoc in præsenti controversia pa-
ıa scholastici ex manca Pelagianæ hare-
, uti a recepta antiquitus sententia reces-
illorum plerique in quibusdam cum Pela-
venere, quod etiam notavit cum laudis
nominandus cardinalis Bellarminus, cu-
n calce fere hujus controversiæ recitabo.
ium Africani Patres Pelagianorum errores
ɔ perculerunt in utraque synodo provinciæ
nsis, itemque in altera synodo Milevitana,
ıariis conciliis, uti fusius libro priori Historiæ
nobis descriptum est. In his autem sacris
ɔ pœnas sensibiles puerorum sine baptismo
n statutas esse demonstro. Patres syno-
nensis, in litteris ad Innocentium, apud
n epistola 99, hæc de Pelagianis scribunt:
etiam propter salutem, quæ per Salvato-
ım datur, baptizandos negant, ac sic eos
ıta doctrina in æternum necant, promit-
ım si non baptizentur, habituros vitam
Patres vero Numidiæ provinciæ, in epis-
dem Innocentium, quæ inter Augustinia-
hæc ipsa scribunt de eisdem hæreticis:
ıoque parvulos, si nullis innoventur Chris-
e sacramentis, habituros vitam æternam,
ræsumptione contendunt. » Innocentius
ıs litteris acceptis, gravi rescripto novæ

cundam, quæ beatæ vitæ opponitur. Cæterum vita illa æternum beata, quam Pelagiani pueris destinabant, ante synodos Africanas rejecta fuit in concilio Diospolitano, anno 415, ubi cum objectum fuisset Pelagio, Cœlestium ipsius discipulum docuisse, « infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, » negavit se illa dixisse. Hinc Pelagium premebat Augustinus, epist. 106 ad Paulinum Nolanum, pueros sine gratia regenerationis in Christo « non habere in se vitam, ac per hoc pœnæ sempiternæ obnoxios. »

Conrius ac Moraines existimarunt, vitam æternam quam parvulis Pelagiani pollicebantur, sitam fuisse in visione clara Dei, extra tamen regnum cœlorum. Unde responderi potest his, quæ hucusque deduximus, synodos statuisse pueros non posse sine baptismo frui vita æterna, hoc est visione clara Dei nec tamen statim inferri, morte secunda juxta totam suam latitudinem plectendos, sed prout hæc tantum dicit privationem visionis Dei, non quatenus continet cruciatus et æterna supplicia animæ et corporis. Sed hæc sententia nulla ratione admitti potest, si consideremus quid Pelagiani nomine regni cœlorum intelligerent. Et licet Moraines, num. 55, dicat eosdem id *non satis expressisse* colligitur tamen quæ fuerit illorum sententia ex Juliano lib. VI Operis imperf., cap. 37, ubi ait: « Multo maxime congregatio omnis glorificata sanctorum esse Deo subjecta non desistet, sed totum corpus dignum regno cœlorum, quod sub Christi capite construitur, divinæ voluntati perfecta affectione cohærebit ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus et contineat cunctos et compleat. » Ex his infertur Pelagianos non promisisse pueris visionem beatam; etenim videns Deum *divinæ voluntati perfecta affectione cohæret, ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus et contineat* eumdem *et compleat.* Quare pueri fruentes visione clara Dei reapse forent in regno Dei, quod illi negabant. Rursus sanctus Augustinus ubique premit Pelagianos negantes peccatum originale, quod pueri exclusi a regno cœlorum immerito et injuste tanta miseria torquerentur. Lib. II Operis imperf., cap 113: « Ac tandem aliquando, inquit, extra regnum Dei infelices futuros fatemini parvulos non renatos. Dicite ergo hujus infelicitatis meritum, verbosi et contentiosi, qui negatis originale peccatum. » Et lib. IV, cap. 99, ait: » Ipsum etiam sic amatis, ut non ibi esse, non saltem levem pœnam credatis hominis esse, sed nullam. » Quod si Pelagini extra regnum Dei dabant parvulis visionem Dei, haud congruenter Augustinus contra ipsos inferebat pueros futuros infelices et pœnæ subjectos. Nam videns Deum possidet summum bonum, nec ullo pacto potest esse infelix, aut alicui pœnæ obnoxius. Præterea sanctus Pater, libro II Operis imperf., cap. 113, his instat Juliano et collegis: Dicite, obsecro in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit, ullusne regnabit an nullus? si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo rege illa felicitas; si vero ullus in ea regnabit, quis erit rex imaginum Dei, qui non erit Deus? » At in illa secunda felicitate pueri fruerentur visione Dei, et profecto Deus in illis regnaret, nec eo dilemmate Augustinus adversarios perculisset; etenim Deus clare visus regnat solus in anima videntis, et omnes ejusdem actus regit ac moderatur. Itaque Pelagiani beatitudinem naturalem pueris destinabant; uti enim illi naturaliter innocentes ab iisdem asserebantur, ejusdem etiam ordinis beatitudinem invexere, in quo tamen dogmate nunquam quid sentirent nostris innotuit; unde Augustinus aliique Patres eorumdem sententiam plane se non percipere fassi sunt. Ille lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 13, narrat, a Pelagianis promitti pueris NESCIO CUJUS *felicitatis locum*, et in lib. de Hæresibus, cap. 88, *æternam et beatam* QUAMDAM *vitam suam.* Idem habet lib. I de Origine animæ, cujus verba mox referam. Ipse Pelagius dicere solebat: *Quo eant nescio*, ut ex Augustino superius dictum est.

Redeo ad Africanas synodos. In concilio celebrato anno 418 Carthagine contra Pelagianos, in quo hic canon in vetustis codicibus statutus legitur. « Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV), ut intelligatur, quia in regno cœlorum erit ALIQUIS MEDIUS, aut ULLUS ALICUBI LOCUS, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, quis catholicus dubitet PARTICIPEM FORE DIABOLI, qui cohæres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, SINISTRAM PROCUL DUBIO PARTEM INCURRET. » In Historia Pelagiana, lib. I, cap. 13, hunc canonem recitavi, ubi ex Photio ostendi in antiquis codicibus scriptum fuisse, quod etiam testatur Binius, licet a nonnullis omissus sit, de quo nolo cum quopiam contentionis funem ducere. Interim hoc ipsum sancti Augustini testimonio confirmabo, qui lib. II de Origine animæ, cap. 12, scribit: « Novellos hæreticos Pelagianos justissime conciliorum catholicorum et sedis apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum etiam præter regnum cœlorum. » Unde satis verisimile fit laudatum canonem reapse fuisse ab Africanis synodis exaratum. Illud vero observandum venit, ideo Patres negasse *alium alicubi locum*, quia duo tantum loca nominantur in sacris litteris, nempe dextra et sinistra, et ex consequenti *participes fore diaboli.* In sinistra judicis, unde asserunt pueros futuros in sieodem libro de Origine animæ, cap. 9, scribit sanctus Pater: « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis, vel felicitatis CUJUSLIBET atque UBILIBET, quasi MEDIUM LOCUM. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit. » Quare cum illa opinio *de quasi medio loco*, nempe inter inferorum pœnas et gaudia regni cœlestis, inter errores hæresis Pelagianæ Augustinus recensuerit, constat eamdem et ab Africanis Patribus, qui contra illam hæresim diligentissime excubuere, damna-

se, quod ex dicendis clarissime apparebit. A
dam synodum Byzacenorum Patrum in Sar-
Thrasamundo rege Vandalorum Ariano re-
n sententiam. Cum Constantinopoli graves
i gratia lites agitarentur, nonnulli monachi
em componendis Romam profecti, audita
rum antistitum in Sardinia exsulum fama,
ɔm ad eosdem destinarunt; librum etiam
: de Incarnatione Domini et divina gratia a
ɔnscriptum, rogantes ut de eodem judicium
Byzaceni Patres, cum communi consilio, quid
lis monachis rescribendum foret deliberas-
lgentio episcopo Ruspensi injunxere ut de-
ᵖatribus in litteras mitteret, qui e vestigio
ıxaravit inscriptum de Incarnatione et gratia.
tem Augustini sententia de pœnis puerorum B
me traditur; etenim cap. 14 inquiunt :
stitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit
ɔsam delinquere, si non redimatur san-
Filii Dei, in regnum Dei non permit-
ıtrare? Quo utique quisquis non ingre-
ᵛTERMINABILIBUS IGNIS ÆTERNI CRUCIABITUR PŒ-
ı igitur justitia Deus justus infantibus sine
nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ
ɔnit causam ? » Item cap. 30 hæc scribuntur :
do infantibus, qui baptizantur et in eadem in-
oriuntur, donat æternam salutem, quorum bo-
exspectat, nec invenit voluntatem? Item alios
o sine baptismate mortuos ÆTERNIS CRUCIATI-
nat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis C
? Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec de-
humani, sed deceptores arbitrii ad hoc sua
tas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu
ı parvulorum, ubi nulla interveniente vel bo-
vel malitia voluntatis, alios vident potiri
alios INTERMINABILI DEPUTATOS INCENDIO ? »
r inter volumina sancti Fulgentii recensetur,
ɔ ipso dictatus fuit, at eumdem a synodo ap-
m, ac ad monachos Romam missum patet ex
ɔdem initio, ubi episcopi Byzaceni nominan-
Dilectissimis et in Christi fide atque gratia
m amplectendis sanctis fratribus, Petro diaco-
ıni, Leontio et alio Joanni, cæterisque fratri-
, Dacianus, Fortunatus, Boethus, Victor Scho-
Orontius, Vindiacinus, Victor, Januarius, D
nus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius,
Januarius, in Domino salutem. » Quindecim
piscopi doctissimi ac sanctissimi in Augustini
am pedibus ivere. Nec obstat laudatum volu-
sse Fulgentii manu exaratum, qui Augustini
ententiam mordicus tuebatur; nam in omni-
ɔdis uni alicui ob eruditionem et eloquentiam
injungi solet, ut publica Patrum decreta lit-
andet. Scribit discipulus Fulgentii, cap. 20
ejusdem : « Post deliberationis autem lon-
ɜ moras, quidquid definitio communis inve-
ɔloquenter allegandum sensibus cæterorum,
ᶠulgentio dimittebatur. » Et postea : « Pro-
quandocumque rescribebant consulentibus,
episcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo,
sed solius B. Fulgentii sermo tenebatur in stylo. »
Quare ea omnibus Byzacii Patribus, quorum tum
temporis Dacianus erat primas, sententia stetit. Ha-
bemus etiam epistolam synodicam eorumdem antisti-
tum, inter quos tamen Fulgentius non nominatur,
quam publicavit Sirmondus, et inter Opera Fulgen-
tii, tom. VI Bibl. Patrum, edit. Coloniens., anno
1618 recensetur, in cujus cap. 8 eadem sententia
traditur. Verba inferius recitabo.

Volo hic evidenter ostendere antiquitus in Afri-
cana Ecclesia, in qua quadringenti sexaginta sex
episcopi numerabantur, adeo certum fuisse, pueros
sine baptismo defunctos puniri in inferis pœna sensi-
bili, ut id inter fidei dogmata relatum fuerit. Cum
Petrus diaconus, vir doctissimus, ut ex ejusdem
libro de Incarnatione et gratia constat, in Orientem
transmissurus esset, rogavit per litteras sanctum
Fulgentium, ut brevem fidei catholicæ synopsim ad
se mitteret, cui se conformare posset : intelligebat
enim plures hæreses passim toto Oriente grassari.
Fulgentius librum eidem misit inscriptum de Fide ad
Petrum, qua de re dixi lib. II Hist. Pelag., cap. 19.
In eo autem volumine quadraginta dogmata ad catho-
licam fidem pertinentia recitat, eaque in singula ca-
pita digerit, quæ ita inchoantur : ***Firmissime tene, et nullatenus dubites.*** Primum dogma recitatur cap. 4.
Cum vero cap. 26 posuisset dogma XXIII de peccato
originali, capite insequenti 27 hæc scribit : « Fir-
missime tene, et nullatenus dubites, non solum homi-
nes jam ratione utentes, verum etiam parvulos qui
sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati sine
sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine
Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc sæculo
transeunt, IGNIS ÆTERNI SEMPITERNO SUPPLICIO PU-
NIENDOS, quia, etsi propriæ actionis peccatum nul-
lum habuerunt, originalis tamen peccati damnatio-
nem carnali conceptione et nativitate traxerunt. »
Hoc XXIV dogma, seu, ut ille loquitur, capitulum de
fide Petro credendum proposuit, et cum postea reli-
qua capitula recitasset, hæc habet cap. 44 : « Hæc
interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei
firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene,
veraciter patienterque defende. Et si quem contraria
his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge et
tanquam hæreticum abjice. Ita enim ista quæ posui-
mus fidei catholicæ congruunt, ut se quis non solum
omnibus, SED ETIAM SINGULIS voluerit contraire, in eo
quod singulis horum contumaciter repugnet, et his
contraria docere non dubitat, hæreticus et christianæ
fidei inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis ana-
thematizandus appareat. » Itaque testatur Fulgentius
parvulos cum solo originali peccato morientes *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*, et id *ad regu-
lam veræ fidei pertinere, et tanquam hæreticum abji-
ciendum*, qui eidem dicto *voluerit contraire*. Hæc non
indigent interprete, sed tantum lectore. Quis autem
ex his non intelligat Africanam Ecclesiam Augustini
sententiam de pœnis infantium inter fidei dogmata

recensuisse ? Neque enim omnium Afrorum episcoporum doctissimus ea in re deceptus dici potest, vel alios voluisse decipere, proprias opiniunculas pro inconcussis Ecclesiæ dogmatibus venditando. Qualis vero quantusve fuerit Fulgentius ex ejusdem gestis patet. Hæc sufficiat ex cap. 20 libri de Vita ejusdem dixisse : « Sexaginta quippe et eo amplius episcopos tunc catena ligabat exsilii, quorum lingua et ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. » Tot ejusdem libri editi eximiam ipsius doctrinam abunde manifestant. Vide quæ de eodem dixi lib. II Hist. Pelag., cap. 21 et 24.

Hoc ipsum colligitur ex Augustino, qui lib. I de peccatorum Meritis et remissione cap. 28, asserentes pueros futuros in medio quodam loco nuncupat *male credentes*. Item in lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 12, ait : « Cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis AD MALA. Hoc catholica fides novit. » Præterea, lib. V contra Jul., Operis imperf. cap. 64, ait : « Inter reprobos sunt certe plurimi qui si ex hac vita abriperentur infantes, secundum falsam vestram hæresim penitus ab omni, secundum autem catholicam fidem a damnatione gravissima tollerentur » Certum est eam pœnam a catholica fide in parvulis asseri, quam Pelagiani inficiabantur ; at hi pœnam damni, hoc est, exclusionem a regno cœlorum libenter concedebant. Hinc dixit Augustinus, serm. 14 de Verbis Apostoli : « Videris enim tibi misericors, quia non aufers ei vitam, DAMNAS, tamen, quem separas a regno cœlorum. DAMNAS, non eum percutis, sed in EXSILIUM MITTIS. En Pelagiani pueros *non percutiebant*, hoc est, pœna sensus illos nequaquam mulctabant, sed pœna tantum damni, in exsilium illos mittendo. Quare, Augustino teste, catholica fides tradit parvulos *percuti*, et non tantum in exsilium mitti, quod Pelagiani ultro fatebantur. Rursus tract. 67 in Joannem hæc ait : «Proinde respuendi sunt a corde Christiano qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid ubi maneant beati innocentes qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regno cœlorum intrare non potuerunt. Hæc fides non est fides ; quoniam non est vera et catholica fides. » Et tamen videmus plures scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam citra dolores et tristitiam parvulis promittere extra regnum Dei, quorum sententia minus tolerari potest quam illa Pelagianorum, quia isti contendebant infantes esse innocentes et nulla culpa coinquinatos, unde non adeo grave absurdum videbatur quamdam eisdem felicitatem præparare, cum tamen scholastici, nec ignobiles, asserant cum Ecclesia catholica pueros esse originali labe infectos, sub potestate dæmonis, filios iræ nec postea dubitent eisdem beatam quamdam vitam promittere.

Sed ex eadem Africa ad Romanam apostolicam sedem evectus sanctus Gelasius papa adeo aperte Augustinianam sententiam confirmavit, ut nihil solidius hac in disputatione adduci possit. Hic, in epistola ad episcopos per Picenum contra Senecam delirum senem Pelagianum missa, scribit : « De parvulis autem quod asserit, sine baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis IMPIA, satis profana propositio est. » At Pelagiani nunquam sine baptismo regnum cœlorum pueris promiserunt, sed nescio quem tertium locum inter cœlum et inferos. Audiatur laudatus Gelasius : « Nihil est ergo quod dicant quod non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur. » Ubi cum pontifex præter exclusionem a regno cœlesti, quæ est pœna damni, decernat pueros *perpetua damnatione puniri*, palam fit eumdem Augustini sententiam approbasse, et concludit : « Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati. TOLLANT ERGO DE MEDIO NESCIO QUEM IPSI TERTIUM, QUEM DECIPIENDIS PARVULIS FACIUNT LOCUM. » Ita arguit pontifex : Pueri sunt damnati, ergo tollant de medio tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum. Ex quibus patet in antecedenti loqui Gelasium de damnatione apud inferos, qua pueri perpetuæ, hoc est, secundæ mortis supplicia sustinent, unde recte infertur tollendum esse de medio tertium locum. At cur TERTIUM dicit, nisi ut duo tantum loca esse declaret, nempe cœlum sedem beatorum, et inferos carcerem damnatorum? Quod defensores Augustinianæ sententiæ tortores puerorum a scholasticis nuncupantur, longe graviori censura eosdem Gelasius perculit, dum illos *deceptores parvulorum* apostolici oris sententia pronuntiavit, quippe qui eisdem secundæ felicitatis locum inani asseveratione promittebant. Imo ibidem tertium illum locum explodit, motus eodem testimonio sacrarum litterarum, quod initio ex Augustino adduximus. Etenim scribit pontifex : « Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non nisi dexteram partem legimus et sinistram, non illos faciant IN SINISTRA REGIONE sine baptismate permanere, sed baptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri. » Quare Gelasius papa non modo sancti doctoris sententiam, verum etiam ejusdem quoque rationem approbavit. Porro definitiva illa sententia est : *Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum.* In quibus dum dicit *nescio quem*, declarat nec scire se nec inquirere quænam aut ubinam esset secunda felicitas parvulis a Pelagianis promissa, sed ob id eorum dogma damnare, quod tertium locum facerent inter regnum cœlorum, quod dandum est iis qui erunt in dextera, et inferni pœnas, quæ destinantur iis qui erunt in sinistra. Ex his jure Gelasius appellatur a Gabriele Vasquez, prima parte, disp. 91, num. 75, *per omnia Augustinianus*. Et quidem in eamdem epistolam, ut alias notavimus, totius Augustinianæ contra Pelagianos doctrinæ succum valentiorem contraxit. Unde cum ex Clementis pont. opt. max. indulto ejusdem sancti pontificis memoriam

nnis Augustiniana familia recolenti facultatem rasset, in precum officia ejusdem vitæ sin- nsignem Gelasii erga sancti Patris Augustini nam cultum inseruit. Gelasii laudes recitat sius Exiguus in epistola ad Julianum presbyte- in qua ejusdem pontificis doctrinam, pietatem antlatos pro orthodoxa fide labores eximie endat. Has litteras leges in calce prioris partis ionis Romanæ Lucæ Holstenii. Et quidem com- m id temporis fuisse sententiam in Ecclesia, s sine baptismo decedentes in inferos detrudi, ex libello fidei quem Pelagiani episcopi concin- t; ibi enim veluti ingens absurdum exagge- nas sensibiles puerorum.

Augustini assertum Patrum ac plurium theolo- um etiam recentiorum auctoritate probatur.

nen Patrum,ut par est, Hieronymus ducet, qui us in Palæstina cum Pelagio veluti collato certavit. Edidit ille Dialogos contra eumdem iarcham, in quibus sub nomine Critoboli Pela- , sub nomine vero Attici virum catholicum uentes induxit. Itaque Critobolus objicit in fine libri: « Oro te, quid infantuli peccavere? conscientia eis delicti imputari potest, nec antia, qui juxta Jonam prophetam manum dex- neciunt et sinistram. Peccare non possunt, et nt perire, genua labant, vagitus verba non ex- it, balbutiens lingua ridetur, et ÆTERNÆ MISE- RUCIATUS miseris præparantur. « En Pelagius brat catholicis veluti quid absurdum puerorum ena vita cruciatus. Quid his reponit Hieronymus forte illa Annati verba: *Negamus crudelem uentiam?* Lib. 8 sui Augustini, cap. 1, pag. 858. equidem, sed ex Paulo apostolo peccatum ori- s probat, ut pueris tormenta non injuste infligi ntur. Eadem pœna sensibilis infantium asseri- i sancto Avito, antistite Viennensi, qui anno n Galliis floruit. Etenim in carmine ad Fusci- sororem hæc eleganter scripsit:

nibus id vero gravius, si fonte lavacri
ini expertem tenerum mors invida natum
scipitat, dura generatum sorte GEHENNÆ,
i mox ut matris cessarit filius esse,
rditionis erit; tristes tunc edita nolunt,
æ FLAMMIS *tantum genuerunt pignora matres.*

autem Alcimus Avitus præsul doctissimus, ac lo Epaunensi aliisque præsedit. Huic autem sup- n dabo sanctum Fulgentium Ruspensem episco- , qui eidem Avito convixit. Hic in lib. de Fide etrum diaconum sententiam eamdem tanquam de tenendam docuit cap. 27, cujus verba supe- laudavimus. Idem, lib. I de Veritate prædesti- nis et gratiæ, cap. 12, ait: « Nulla igitur est e diversitas in infantibus, quæ faciat unum eligi, um reprobari. Si vero parentum consideretur ntas, illi qui Christiani sunt, ut eorum filius izaretur, sollicite voluerunt, instantissime cura- nt; quorum tamen filius antequam baptizaretur e præventus, ÆTERNIS EST IGNIBUS deputatus. » te etiam 14 scribit: « Causa vero majorum atque minorum, qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est. Ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit. » Et statim: « Reddet unicuique secundum opera sua, ut non solum pro originali peccato ÆTERNIS IGNIBUS ARDEANT (quibus ARSURI sunt sine baptismate morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt), sed etiam pro sua voluntate mala tanto deterius torqueantur, quanto amplius propriæ iniquitatis adjiciant. » Hi Fulgentii libri eximie commendantur a Patribus Africanis in Sardinia pro fide orthodoxa exsulantibus, in epistola synodica cap. 18.

At sæculo eodem desinente, sanctus Gregorius Magnus, et insequenti ineunte sanctus Isidorus Hispalensis Augustini sententiam approbarunt, quippe quæ communis tum temporis in Ecclesia habebatur. Gregorius, lib. IX Moral., cap. 12, in illa Job: *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa*, hæc scribit: « Nonnulli etenim prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc AD TORMENTA PERVENIUNT. Quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur; PERPETUA (quippe) TORMENTA PERCIPIUNT (qui) nihil ex propria voluntate peccaverunt. « Et postea: « Districtus judex, qua eos animadversione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat, si et illos IN ÆTERNUM PERCUTIT, quos reatus arbitrii non addicit? » Hæc adeo clara sunt ut Moraines dicat Gregorium ea non ex sensu Ecclesiæ, sed ex propria opinione asseruisse. Sanctus Isidorus, lib. II Differ. spirit., num. 26, idem tradit inquiens: « Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse astrictas, quæ nisi percipiant baptismatis sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne et commune habebunt peccatum, et pari judicio DAMNABUNTUR IN IGNEM ÆTERNUM. » Et lib. I Sententiarum, cap 22, ait: « Pro solo originali reatu luunt IN INFERNO nuper nati infantuli PŒNAS. » Erat ergo certa in Latina Ecclesia illa assertio de pœnis puerorum, quam Augustinus, Fulgentius ac Synodi in Africa docebant, quam Gelasius ac Gregorius sanctissimi pontifices in Italia tradebant, quam sanctus Avitus in Gallia, et sanctus Isidorus in Hispania citra dubium asserebant. Eamdem vero diutius usque ad scholasticorum ætatem viguisse existimo. Sanctus Prudentius, episcopus Tricassinus, qui floruit anno 850, in libro de Prædestinatione, cap. 16, ait: « Quæ punitio bifariam dividitur, et nunc in absolutione animæ a suo corpore comparata hujus primæ prævaricationis merito, quod ab ipsa radice in omne

posteritatis ejus genus transfusum atque innatum est, et postmodum (in) GEHENNA, quæ tam HUJUS quam aliorum multiplicitate criminum libidinosa perversitate contractorum acquisita est. » Et inferius de parvulis scribit : « Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato PERPETUA PLEXIONE DAMNANTUR. » Ex Anglia veniat Anselmus, qui in lib. de Conceptu Virg. et pec. orig., cap. 22, hæc docuit : « Sed cum nemo dubitet quia par pœna non sequetur imparia peccata, in hoc tamen similis est et personalis et originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem judicii nullus erit angelus, aut homo NISI AUT IN REGNO DEI, AUT IN INFERNO. » Explodit tertium illum locum felicitatis secundæ, quem plerique parvulis promittunt. Ultimus accedat sanctus Aelredus, sancti Bernardi contemporaneus, in libro I Speculi charitatis, cap. 15. Cum sibi objecisset : « Parvulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos ? » Respondet : « Quid enim ? Injustum æstimas ut lignum inutile et infructuosum ignis depascat? Cogita, quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiaturi, justissime addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi Quid ergo ? Ingratum te præbes, o lignum inutile ! quod quidam ramusculi a tua præmortua præcisi radice eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidam fructuoso inserti pristinæ libertati donentur. » Hujus sancti Regulam lege apud Holstenium, pag. 187, parte I. Collectionis Romanæ. Ex his patet quam falso dixerit Adamus *omnes Patres contra Augustinum stare.* Certe neque Pater Suarez, neque Pater Vasquez cum Augustino ea in re conveniunt, at bene sanctum doctorem secuti sunt omnes Latini Patres, qui controversiam illam quoquo modo attigerunt, in quorum lectione Adamus totus hospes fuit.

Hæc itaque antiquæ Ecclesiæ ac sanctis Patribus de infantium pœnis sententia stetit, donec post ducentesimum supra millesimum annum Christianæ epochæ novæ opiniones a scholasticis procusæ sunt. Qui si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impendere, profecto sancti Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam alte infixissent. Verum tanta fuit vis veritatis, ac tantum Augustini auctoritas valuit, ut plerique etiam scholasticorum pedibus in Augustini sententiam ierunt. Primus fuit Gregorius Ariminensis, subtilissimus antiquæ Parisiensis scholæ doctor, qui pœnas sensibiles infantium acerrime sustinuit in 2 Sententiarum. dist. 30, quæst. 3. Nullus autem veterum scholasticorum in Augustini lectione Gregorium superavit. Hanc illi laudem ultro recentiores tribuunt. Dicitur a Vasquez 1-2, disp. 185, num. 13, *apprime in Augustini doctrina versatus* A Vandero appellatur *vir doctissimus, et si quis alius doctrinæ Augustinianæ perstudiosus,* disp. 1 de Libert. Dei, num. 23. Addit Fasolus part 1, q. 23, art. 1, dub. 3, num. 34, *cujus libri Augustini auctoritatibus et sententiis passim abundant.* Idem nuncupatur a Raynaudo *homo in Augustini lectione versatissimus,* In cens. inoff. [Pro Valer. Cemeliens.] cens. num. 2. Denique Decampsius scribit : « Gregorius Ariminensis, quem non vitæ tantum instituto, sed etiam doctrina Augustinum fuisse norunt omnes, qui vel strictim ejus libros attigerunt. » Lib. III de Hæresi Jans., disp. 3, cap. 20. Quæ consulto hic inserui, ut planum fiant quantum li lei Ariminensi præstandum sit, ubi de Augustini mente disputatur. Video enim hunc insignem doctorem plerasque sententias tanquam vere Augustinianas defendere, quas tamen recentiores veluti portenta ac paradoxa prorsus anti-Augustiniana rejiciunt. Hic itaque vir subtilissimus Augustini auctoritatem communi illius ætatis scholasticorum sensui præposuit. Albertus etiam Magnus, in Summa, tract. 18, probabilem Augustini sententiam fatetur, uti etiam Polmanus, doctor Duacensis, in calce Breviarii theologici, num. 169 Consentiunt Sonnius, tract. de Extremo Judicio, cap. 6 et 7 ; Driedo, lib. I de Gratia et libero arbitrio, tract. 3, cap. 2, part. 1. Ex Augustiniana familia præter Gregorium fuse eamdem sententiam tuentur Augustinus Musæus in Apologetico ad Paulum III, Alpius Reylof Bolga, lib. VIII de Anima ad mentem sancti Patris Augustini, cap. 2, § 13 ; Michael Paludanus, insignis doctor Lovaniensis, in epistola ad Conrium archiepiscopum Thuamensem, quæ legitur in limine libri ejusdem Conrii mox laudandi. Denique Carolus Moreau Gallus, tomo I sui Tertulliani, part. II. pag. 89 et seq., ubi ait : « Attendant et hi qui solam pœnam damni in eis admittunt, se ab antiquo Ecclesiæ et Patrum sensu esse remotissimos. » Ibi enim plura Patrum testimonia laudat, quæ tamen de damnatione generice sumpta intelligendos esse facile adversarii dicent ; neque enim Gelasii, Aviti, Isidori, Prudentii aliorumque auctoritates produxit, quas nos superius attulimus. Hic tamen Augustinianos plurimum debere fateor doctissimis Seraphicæ familiæ Patribus, totidem enim pro Augustiniana sententia, quot ex nostris, stare video. Alphonsus a Castro, insignis theologus, in lib. adversus hæres., v. *Baptismus,* ait pueros originali infectos esse *gehennæ obnoxios.* Matthias Hauzerus idem docet tom. II Anatomiæ Augustinianæ, pag. 764. Idem etiam docent Joannes Poncius Hibernus, disp. 18 Cursus theologici, tota quæstione 6, et in Commentario in 2 Sententiarum Scoti, dist. 33 ; P. Macedo, lib. IV de Clavibus, cap. 18, contr. de Peccato orig , sect., 3 ; quorum omnium studia vicit Florentius Conrius, archiepiscopus Thuamensis. integro pro sancti Augustini assertione volumine evulgato, in quo fusissime ex sacris litteris et

sensibiles infantium pœnas demonstravit. A iis miseriis quas in natura pura subiisset; quare
non testimonia omisit, unus enim Augusti- cum peccatum originis per se sustulerit justitiam
omnium illi fuit. Hic autem cum cap. 2 originalem, per accidens induxit miserias. Hanc res-
plerosque ea in opinione Augustinum in ponsionem § 2 superius explosimus, quam rursus hic
prolapsum sentientes, quæ recentiorum egregio testimonio Augustini, lib. VI Operis imperf.
ist, haud sibi temperare potuit quin excla- cap. 37, refellimus. « Restat, inquit, ut ista quæ
O vocem non solum miræ animositatis nunc est (scilicet mors corporis), ipsa novissima,
d injuriæ in Augustinum, ejusque sanctos hoc est, in fine destruatur, quando fiet resurrectio
ros, et in ipsam sedem apostolicam forte carnis, ut non sit porro inimica, quomodo esset, si
m! « Video hunc doctissimum antistitem naturalis ita esset, ut pœnalis non esset; pœnalis
rainio novorum dogmatistarum prodro- auten sub justo et omnipotente Deo judice nullo
tamen antiquissimam Patrum sententiam pacto esset, nisi meritis peccati accidisset. » Cum
erit. At quod in limine libri Augustini autem mors pœnalis dicitur, non ideo dicitur ob re-
ripsit, ac peregrinum Jerichontinum in lationem quam habet ad culpam, cujus ipsa pœna
nine descripsit, in quo humanæ naturæ sit, sed pœnale accipitur ab Augustino, quod infert
ta Augustini mentem egregie explicuit, B cruciatum et dolorem, unde et pœna alia est justa,
peris, quos appellat, dogmatistis præcur- alia injusta : nempe injusta est, quæ sine prævio
tantum Conrio stetit Augustinum defen- demerito innocenti a tyranno infligitur. At mors ne-
ergo subtilissimæ scholæ professores, licet quit esse naturalis, ut non sit pœnalis. Etenim anima
addictissimi, cum magistrum in præsenti a corpore separari non potest, nisi præviis morbis
ia cum Augustino minus convenire intel- et doloribus, sive ii longi sint, sive breves; qui enim
eligioni duxerunt Scotum Augustino præ- breves sunt magni sunt. Ergo ex sancto doctore
o eo facto ipsius Scoti, si non doctrinam, nequit mors esse naturalis sub justo et omnipotente
mplum secuti sunt. Etenim subtilissimus Deo, qui tanquam justus non infligeret malum pœnæ
um tantum Augustino detulit, ut Patres sine culpa, tanquam omnipotens non sineret ab alio
n libello supplici exhibito senatui Castellæ toti innocenti naturæ infligi. Hinc clamat eodem lib.
, quo juramentum Salmanticensis acade- VI, cap. 20 : « Neque enim sub Deo justo miser esse
lefendenda doctrina sancti Thomæ, quod quisquam, nisi mereatur, potest. » Quomodo autem
imus Augustini discipulus fuit, tanquam Adam, licet ex elementis et corpore animali compo-
btili injuriosum deferebant, hæc scripse- C situs, moriturus non fuisset, egregie explicat sanctus
otus adeo Augustinianæ doctrinæ addictus doctor ibidem, cap 39. Sed, his omissis, cominus
solis theologicis commentariis octingenties datam responsionem oppugno. Etiamsi homo in na-
ies sanctum Augustinum in suarum asser- tura pura futurus fuisset iis miseriis subjectus quæ
stem protulerit, » etc. Quæ aliave legere ex complexione elementorum, quibus constat et in
mo priori Historiæ Augustinianæ Hispa- quibus vivit, ortum ducunt, multæ sunt aliæ gravis-
æ a Petro de Campo, lib. III, cap. 30, et simæ miseriæ quas homo ex sua natura non patitur.
m Wadingum in Vita Scoti, tomo I Ope- Etenim plerumque pueri a dæmone invaduntur, et
em, cap. 15, num. 69. ad mortem usque cruciantur, illa autem pœna non

ensibili infantium pœna in inferis rationibus oritur ex conditione materiæ. Urget hoc argumen-
. Qua occasione ostenditur Ecclesiam Ro- tum Augustinus lib. VI contra Julianum, cap. 6. « Tu,
inter precum officia eamdem sancti doctoris inquit, assere, si potes, quomodo sibi non obscure,
m recitare. Augustinus vocat illam pœnam sed aperte vindicet parvulos, quos immundi spiritus
um. Statuitur pueros ex pœna damni gravem vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo supplici-
pati. um, tu dic meritum; ambo cernimus pœnam, tu

desunt argumenta satis valida quæ sancti qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cum
sententiam non modo probabilem, verum D Deum justum ambo fateamur, demonstra ista pœna
ge probabiliorem ostendunt; nam quod dignam, si potes, in infantibus culpam. An vero non
Patres attinet, vera est ejusdem senten- agnoscis etiam hoc ad illud *grave jugum* pertinere,
im argumentum est : Peccatum originale quod est *super filios Adam a die exitus de ventre matris*
nsibiles miserias puerorum præsentis vitæ, *eorum* (*Eccles.* XL)? etc. » Ideo enim dæmones per-
asdem per totam æternitatem distendet. mittuntur tantis cruciatibus pueros torquere, quia
consequens, quia pœnæ sensibiles hujus isti sunt peccato deturpati. Itaque durante eodem
unt sufficientes ad satisfaciendum per satis- reatu juste dæmon poterit illos affligere. Rursus re-
pro macula peccati originalis, et quantæ jicitur eadem responsio. Si miseriæ per accidens
nt, juste humanum genus easdem patitur; consequuntur privationem justitiæ originalis in statu
ite eadem macula peccati per totam æter- præsentis vitæ, cur etiam in altero statu eædem mi-
iste in æternum pueri originali labe infecti seriæ itidem saltem per accidens non consequentur
atientur. Respondent communiter scho- privationem originariæ innocentiæ? Profecto cum
serias esse pœnas peccati originalis per peccatum in pueris in præsenti æque ac futura vita
nam justitiam originalis eximebat hominem

remaneat, nescio undenam divinam justitiam in altero sæculo futuram erga infantes mitiorem deducant, cum in aliena vita severius peccatores puniat. Et quidem si Deus Adamum post peccatum morti non destinasset, et hic æternum inter miserias una cum posteris vixisset, nullus judicium Dei culpare posset, qui inimicum genus ac sorde pollutum pœnis addixisset. Ergo in illa hypothesi ob solum originale delictum pueri æternum juste pœnas subirent.

Probatur secundo. Deus odio habet pueros originaria labe pollutos, illis est iratus atque inimicus, ergo juste potest exercere contra eosdem actus justitiæ vindicativæ, prout hæc est inflictiva pœnæ sensibilis. Antecedens colligitur ex Joan. III, 36 : *Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quam sententiam parvulis non credentibus applicat sanctus doctor lib. I de peccatorum Meritis et remissione, cap. 20. Scribit etiam Apostolus Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ*, nempe ob peccatum originis, quod cum natura in prolem transfunditur, quo fit ut puer recens natus sit aversus a Deo, et ex consequenti ejusdem inimicus. Consequentiam vero acute deducit Augustinus tract. 44 in Joannem inquiens: «Apostolus natus in gente prophetarum dicit: *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri.* Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit? » Sunt optimæ illationes, quandoquidem si Deus est iratus pueris, ergo potest contra eosdem exercere actum justitiæ vindicativæ ; ergo etiam eosdem pœna afficere, objectum enim justitiæ vindicativæ est punitio rei ; ergo potest illos gehennæ, hoc est inferni flammis destinare, ubi *erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Nec valet, si dicas iram Dei ejusque justitiæ vindictam apparere in pœna damni qua puniuntur pueri, nec oportere ut ab eadem justitia pœna sensibili castigentur. Etenim pueri sunt rei ejusdem omnino peccati quod commisit Adam, ita ut crimen quod in Adamo fuit actuale, evaserit in posteris originale ; unde dicit Apostolus Rom. V : *In quo omnes peccaverunt* ; ergo sicuti in Adamo peccatum actuale punitum fuit inflictione pœnæ sensibilis, in posteris etiam eodem supplicio castigari poterit ; uti pestis non tantum nocet illi in cujus corpore primum nascitur, verum etiam alteri qui eadem per contactum inficitur : ita pueros *peccati paterni contagione* mori dixit Augustinus lib. VI contra Jul., cap. 4. Huc facit quod docet sanctus Thomas 1-2, q. 81, art. 2, ad 1 : « Pœna, inquit, corporali interdum judicio divino vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quantum filius est aliquid patris secundum corpus. » Deus enim e vita sustulit filium David, ut patris adulterium puniret, et tamen puerulus non erat reus paterni delicti. Hinc Exodi XX, 5, dicitur Deus visitare *iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Quo ergo potiori jure Deus poterit punire pœna sensibili pueros, qui reapse contrahunt maculam primorum parentum, Sed etiamsi illationes illæ Augustini ex his verbis Apostoli, *fuimus et nos aliquando natura filii iræ*, possent utcunque eludi, nobis interim sat est easdem recitari ab Ecclesia Romana inter officia precum feria IV Dominicæ IV Quadragesimæ, in lectione priori expositionis Evangelii. Uti enim certum est Augustinum eo loci juxta propriam sententiam de sensibili puerorum pœna in gehenna locutum esse, ita ejusdem doctrina suis precibus ab Ecclesia inserta, ingenti auctoritatis pondere fulcitur ; saltem omni censura liberatur, quod unum hic intendimus adversus recentiores criticos, excessus Augustino objicientes.

Probatur tertio. Pueri prædestinati ex meritis Christi habebunt in alia vita bona corporis, quæ *dotes* a theologis nuncupantur ; ergo pueri reprobi patientur in alia vita mala corporis ex demeritis Adæ. Simile argumentum ponitur ab Augustino lib. VI contra Jul., cap. 10, ubi paritatem negantes vocat *importunos.* Do ejusdem verba : « Vide ergo, inquit quam importune nolis, parvulum de alieno recte facto reportare malum, et velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero, » Respondent negando paritatem ; nam licet divina bonitas possit dare bona corporis iis qui eodem corpore tanquam instrumento pro eorumdem acquisitione nihil boni egerunt, contra æquitatem tamen est pati corpus illius qui eodem corpore nunquam peccavit ; præsertim cum pœna sensus sit proportionata iis delectationibus peccaminosis quæ corpore percipiuntur. Sed contra est, quia sicuti in alia vita non ponitur novum meritum aut demeritum, sunt enim animæ in termino, sed Deus eo modo erga illas se habet postea, ac quando recesserunt, cum pueri sine baptismo defuncti numerentur in familia diaboli, sicuti e contra mortui suscepto sacramento in familia Christi, æquum est ut sicut isti sub Christo bona corporis recipiunt, ita illi sub dæmone mala corporis sentiant, Etenim si in hac vita sunt sub potestate dæmonis, ita ut illos in corpore torqueat, ut superius ostensum est, cur in alia vita, in qua nulla est redemptio, ab illius potestate, quam antea in eorumdem corpora habebat, eximentur ? Scribit sanctus doctor proxime laudatus : « Jam itaque vobis ipsis reddite rationem, ne putetis indignum ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei ; et qui non habent vitam, sint sub illo qui perdidit vitam. » Nec juvat quod pueri corpore non peccarunt, unde nec in corpore puniendi videntur, nam peccatum solius voluntatis superbientis juste punitur pœna sensus, nec dæmones corpore peccarunt, et tamen pœna sensibili affliguntur. Imo cum totum peccatum, quod fuit actuale in Adam, sit originale in pueris, et illius reatum ex toto subeant, cum in peccato Adæ fuerit voluptas sensus in comestione pomi, hujus etiam voluptatis pœnas luit infelix posteritas, cujus pariter reatus in ipsam per generationem transfusus est.

Hic tamen advertendum est Augustinum asserere

ıam esse pœnam quam infantuli in inferis sub- A llam *damnationem omnium levissimam* vocat ıntra Jul., cap. 11, quod est 8 in editione Ba- , et *mitissimam sane omnium pœnam* in En- , cap. 93, et lib. I de peccatorum Meritis et ıne, cap. 16. Cum ignis calefaciat, et si ca- ntensus, etiam comburat, quandoquidem ex no pœna illa est *levissima* ac *mitissima*, erit calefaciente cum aliqua molestia pueros, sed dem ustulante. Quare sicuti eo intensius ar- reprobi adulti, quo plura scelera admisere, ari hæreditarii tantum criminis rei sint, ca- molestiam usque ac dolorem incutiendum in- ffligentur. Video Fulgentium superius lauda- ibere pueros *arsuros*, sed ea voce calorem B lore, qui tamen esse potest citra combustio- corpus agentem significavit. Confirmatur hoc x lib. V contra Jul., capite proxime memo- ıi ait pueros « in damnatione omnium levis- turos. Quæ, qualis et quanta erit, quamvis non possim, non tamen audeo dicere quod ıulli essent, quam ut ibi essent, potius expe- » Quod si ab igne comburerentur, profecto illis esset nunquam exstitisse. Ibi vero non definire genus pœnæ, nec speciem, nempe in igne et an ibi solummodo calefiant vel us- , sed tantum quo gradu vel intensione calo- n pueri torqueantur.

t quærere scholastici an pueris pœna damni m incutiat. Respondent scholarum principes C istitia pueros afflici. Recentiores tamen pleri- os inter eminet Bellarminus, lib. VI de Amis- rat., etc., cap. 6, tristitiam in parvulis admit- ıod a gloria æterna se exclusos vident. Pudet ıugustino nonnulla recitare; etenim inde pa- tam procul ab Augustini sententia abiisse il- ores qui ob exclusionem a gloria nullam in ristitiam gigni pronuntiarunt quam propius ıgianorum paradoxa accesserunt. Profecto doctor irrisit, imo exsecratus est Pelagia- sentientes, quasi regni cœlestis contemptores. lib. III Operis imperf., cap. 99 : « In regnum intrare imaginem Dei, nullam esse contume- ıtatis, ipsum regnum etiam sic amatis ut non , non saltem levem pœnam credetis hominis D ed NULLAM. » Idem Pelagianos graviter arguit contra Jul., cap. 3, inquiens : « Verum vos ıtissimi amatores illius vitæ quæ futura est cum Christo, NULLAM PŒNAM putatis esse, ım Dei exsulare a regno Dei, cum si parvam esse diceretis, non esset hæc vox beati ama- lius regni, sed MISERI CONTEMPTORIS. Rursus cap. 1, loquens de plebeis Christianis ait : ım si quisquam gestans parvulum filium, nec ımore invidioso, et in parte ubi nullus audiret, laret et diceret : Ego ea mente, intelligentia, , in qua sum factus ad imaginem Dei, tantum gnum Dei, ut hominis MAGNAM judicem PŒNAM, ıunquam possit intrare. Itane vero tu, non homo de turba imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator, tanto utique ardentior, quanto magis te flagrantissima paucorum societas in illud accendit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, responsurus es homini, atque dicturus : NON SOLUM MAGNA NON EST, SED NULLA OMNINO PŒNA EST imaginis Dei, nunquam posse intrare in regnum Dei? Puto quod nec uni homini, cujus nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis. Te itaque sive respondente quodlibet, sive quod magis a te exigeret, si non Christiana, certe humana verecundia, reticente, ingereret aspectibus tuis parvulum suum, » etc. Pœnam autem hic intelligi prout est inflictiva doloris, non vero prout est tantum quid malum in se inferius ostendam. Illa autem veteres haud legisse credam, neque enim illam sententiam publice docuissent, quam ne a Pelagianorum quidem insolentissimo Juliano uni homini non quidem docto, sed de ultima fæce vulgi clanculum citra ullius testimonium inculcari potuisse Augustinus existimavit. Putasne Mastrio curæ fuisse quid hac de re sentiret Augustinus? Nam ab eodem in 2 Sententiarum, disp. 4, de hom., q. 6, num. 163, adducitur « Augustinus de peccatorum Meritis et remissione, cap. 27, asserens infantes in limbo non tristari nec dolorem pati.» Augustinus tres scripsit libros de peccatorum Meritis et remissione, quos Mastrius non distinguit, simulque illi affricat eam opinionem quam veluti paradoxum detestatus est. Nemo ergo nobis vitio vertat si majorem in Augustino legendo diligentiam in scholasticis desideremus.

Moraines cum aliis respondet futuram parvam illam tristitiam puerorum ob exclusionem a gloria : sed hæc erat aliorum Pelagianorum responsio, teste Augustino lib. III. contra Jul., cap. 3 : « Porro, inquit, si quod huic sufficit causæ, PARVAM saltem PŒNAM fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei, » etc. Idem vero, serm. 14 de Verb. Apost., ita contra Pelagianos argumentatur : « Si amatur patria, magna pœna ; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate ; si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva sit pœna, et ipsa parva magna est, si nulla culpa est. » Hæc ille. Nec juvat quod reponunt tristitiam illam vel nullam esse, quod amissio sit boni supernaturalis, quod ipsis naturaliter non debebatur, vel saltem levem, quod videant, non sua ipsorum, sed primi parentis culpa se ab æterna gloria ejectos. Etenim natura humana erat ordinata ad gloriam, quæ gratia omnibus posteris Adæ decreta erat, a qua tamen cum se ob illius delictum excidisse videant, ingens doloris argumentum occurrit. Ita, si quis ob crimen læsæ majestatis amittat bona sibi a principe antea donata, nonne ejus filii toties ingenti tristitia corripientur, quoties præsentem pauperiem cum amissa bonorum affluentia

comparabunt? Quod autem aliena culpa in eum statum deciderint, pudorem quidem, sed non dolorem minuet, imo istum plus augebit. Pueris vero non modo pœna inflicta est, verum etiam inest culpa, et sunt reapse peccatores, unde cum tristitia etiam pudor in illis reperitur.

Respondent alii pueros nullam habituros cognitionem gloriæ æternæ, quod hæc est supernaturalis, nec naturali puerorum cognitione attingi poterit. Sed hæc responsio superius rejecta est, ubi probavimus pueros futuros in sinistra: videbunt enim e diverso electos, eosque ad æternam gloriam vocari. Interim quid his reponeret Augustinus, qui absurdum putavit pueros imagines Dei haud amare regnum Dei, scribens lib. VI contra Jul., cap. 4: « Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil mali de hac ipsa separatione patientur ? » Quid his, inquam, reponeret, dum in scholis audiret pueros non modo non amare, sed ne cognoscere quidem regnum Dei ? Tam procul ab Augustini semitis nobiles scholastici abiere. Verum hæc illis concedamus, aliunde tristitiam puerorum probo. Etenim non solum sunt aversi a Deo, ut auctore supernaturali, sed etiam ut auctor naturæ: Adam enim per peccatum relicto incommutabili bono adhæsit bono creato, quod peccatum cum ex origine a pueris trahatur, redduntur aversi a Deo et conversi ad creaturam. Hoc ipsum confirmatur, quia vel pueri habent aliquem finem naturalem quo possesso satiantur, vel nullum talem finem possunt possidere. Si primum detur, peto vel erit hic finis Deus, vel creatura? si creatura, erunt igitur peccatores et aversi a Deo ut auctore naturæ; si vero Deus erit ultimus finis, quatenus abstractive cognitus, ergo amabunt Deum et a Deo quoque amabuntur; quomodo ergo *ira Dei manet super illos* (*Joan.* III, 36) ? Nonne per peccatum vere sunt inimici Dei? qua igitur ratione illum amabunt ? Si vero illud alterum asseratur, nempe pueros nullum habituros ultimum finem, erunt ergo æternum miseri, utpote summi bŏni possessione exclusi. Et quidem vix posse explicari puto pueros nulla tristitia affici, dum cernunt, quod *ira Dei manet super illos*, dum se vident macula peccati infectos. Doletne ipsos quod in peccato sunt? Quis autem hoc neget ? Magna enim tunc foret illorum perversitas, ac suppliciis gravioribus addicendi essent, si de peccato non tristarentur. Si autem status peccati dolorem ingerit, iidem etiam tristantur; tristitia enim est dolor de iis quæ nobis nolentibus accidunt. Pueros autem nolle esse in statu peccati, certum puto, quod tamen, quamvis nolentibus, æternum illis adhærebit. Sane arbitror illos qui negant tristari parvulos ne cogitare quidem de macula peccati, cum tamen sint proprie peccatores. Pelagiani, qui pueros innocentes putabant, magis consequenter dicebant eosdem vel parvam vel nullam tristitiam pati. Profecto Scotus inde probat pueros non tristari, quia id non posset contingere, nisi nollent carere beatitudine, neque esse in carcere captivi, quæ pœnæ ipsis nolentibus accidissent, at tunc peccarent, quia haberent voluntatem difformem voluntati divinæ. Ex quo discursu patet virum subtilissimum ne cogitasse quidem de tristitia quæ oritur ex peccato. Sed nec ratio illa, quam ante Scotum noster Ægidius produxit, quidquam probat; etenim pueri, cum sint peccatores, habent voluntatem difformem voluntati divinæ; sunt aversi a Deo et ad creaturam conversi; sunt vasa iræ et contumeliæ; sunt e numero reproborum : non sunt reconciliati Deo, sed inter ejusdem inimicos computantur, unde ira Dei manet super illos. Habent ergo ex origine voluntatem difformem voluntati divinæ. An vero quod juste se videant torqueri, patienter tormenta sustineant? Respondet Poncius, num. 34, « non esse sibi inconveniens quod parvuli in inferno peccent actu, cum enim habeant usum liberi arbitrii, et puniantur æternaliter a Deo, tum carentia beatitudinis, tum pœna sensus, esset sane maxima virtus in ipsis conformare se divinæ voluntati. » Quod si martyres intensissima gratia indiguere, ne in tormentis deficerent, sed pro religione pugnarent, nequaquam fieri posse videtur ut pueri solis viribus naturæ tantos ac tam longos cruciatus patienter sufferant. Nec ex alia parte videtur justitiæ divinæ consonum ut hostibus suis, qui sunt de familia diaboli tantam divinæ gratiæ vim impertiatur.

Solvuntur contrariæ sententiæ argumenta.

Optime judicasse arbitror Joannem Poncium superius laudatum, cum num. 10 dixit oppositæ sententiæ argumenta esse *parvi momenti*, quod breviter apparebit ex subjecta eorumdem dissolutione. Objiciunt 1° Augustinum de pœnis parvulorum dubitasse, et ut Goneti verbis utar, disp. 7 de Peccato originali, art. 7, num. 190, fuisse *dubium et anxium in hac materia.* Nam lib. III de Libero arbitrio, cap. 23, ait: Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium. » Ibi autem de parvulis loquitur. Addit Bellarminus: Illa *nunquam, quod sciam, Augustinus retractavit.* Omissa responsione, P. Macedo, non quod falsa sit, sed quod melior hæc altera nostra videtur, dico Semi-Pelagianos olim eodem testimonio abusos fuisse ut gradum facerent ad infringendum argumentum a parvulis ab Augustino deductum, ut gratiam ex meritis exploderent. Hæc scribit Hilarius ad Augustinum: « Parvulorum autem causam ad exemplum majorum non patiuntur afferri; quam et tuam Sanctitatem dicunt eatenus attigisse, ut INCERTUM ESSE volueris, ac potius de eorum pœnis malueris DUBITARE. Quod in libro tertio de Libero Arbitrio ita posuisse meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. » Huic Massiliensium objectioni respondet sanctus doctor in lib. de Dono persev., cap. 12, se olim presbyterum libros de Libero Arbitrio, quos laicus Romæ inchoarat, in

Africa confecisse, nempe ante annum 359. Quare, etiamsi tunc de parvulorum pœnis dubitasset, « Nemo, ait, ut opinor, esset tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. » Addit non oportere credi se ea de re dubitasse, sed quod Manichæi, quidquid de pœnis infantium sentiretur, rejiciendi erant, ne duarum naturarum, nempe mali bonique permixtio crederetur, et concludit : « Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem ; non regenerati autem transeant in mortem secundam, etc » Itaque sanctus doctor ideo non retractavit quod olim docuerat de pœnis parvulorum, quia de iisdem non dubitaverat. Imo in epist. 28 ad Hieronymum, quæ scripta fuit anno 414, cum Orosius in Asiam transmitteret, hæc scribit sanctus Pater de eodem lib. III de Libero Arbitrio : « Non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo (nempe baptismo) ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur. » Etenim Augustinus ibidem disputat tantum de pœnis quas in hac vita parvuli patiuntur. Hinc factum est ut Hieronymus cum Augustino senserit ; nam in eadem epistola diserte scribit parvulorum animas damnari, inquiens : « Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta Scriptura, et sancta est testis Ecclesia. » Orosius autem una cum hac epistola detulit in Asiam ad Hieronymum libros tres de peccatorum Meritis et remissione, in cujus priori cap. 28 locum medium puerorum explodit. Quare Hieronymus iis lectis, ac in calce Dialogorum laudatis, Augustino ea in sententia adhæsit, ut superius ostensum est.

Objiciunt 2° sanctos Patres oppositum sensisse. Etenim Nazianzenus in orat. in sanctum lavacrum dicit quod pueri *nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur*. Gregorius Nyssenus orat. 1 scribit pueros sine baptismo mortuos *neque in doloribus ac mœstitia esse*. Addunt Ambrosium in cap. 5 ad Rom., ubi ait : *Est et alia mors, quæ secunda dicitur, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur*. Denique Innocentius III, lib III Decr., tit. de Bapt. cap. *Majores*, scribit : *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei ; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus*. Respondeo ea fere ratione, qua sanctus Pater capite 14 de Prædestinatione sanctorum satisfacit Massiliensibus, qui objiciebant veteres Patres de hominum prædestinatione, secus ac Augustinum, sensisse. Quid igitur, inquit, opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est ut de gratia Dei (dicam de pœnis parvulorum) quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, et TRANSEUNTER ATTINGERENT, immorarentur vero in eis quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant. » Respondeo rursus Gregorium Nazianzenum eo loci tria hominum genera sine baptismo decedentium recensere : unum eorum qui baptismum contempserunt, alterum eorum qui illud ex negligentia omiserunt, postremum illorum qui nec ex contemptu nec ex negligentia sine illo mortui sunt Comparat autem pœnas eorumdem : priores ait graves pœnas dare, alteros mineres pati, postremos nec cœlesti gloria donari, sed nec suppliciis addici quibus alii ob contemptum vel negligenter omissum baptismum subjiciuntur. Quod verissimum est, illi enim actuale peccatum commisere in contemnendo vel omittendo baptismo, cujus delicti cum pueri rei non sint, neque suppliciis iisdem torqueri possunt. Gregorius vero Nyssenus dubitanter loquitur, nam ibidem quæstionem hanc de parvulis sine baptismo morientibus vocat *difficilem atque perplexam*. Addit nescire se *an illa quæque anima judicem videbit, tribunali cum aliis sistetur?* etc. Quæ tamen omnia postea definita sunt, nam teste Beda in procemio Canticorum, qui negat pueros judicandos *contradicit catholicæ fidei*. Gelasius etiam definit pueros *in sinistra regione sine baptismate remanere*. Ad testimonium Ambrosii respondeo optime a cardinali Bellarmino observatum esse Commentaria illa in Epistolas Pauli perperam Ambrosio ascribi, passim enim Pelagianorum sententiæ iisdem inspersæ sunt, quod fuse et erudite probat Conrius, cap. 8. Profecto in cap. v, in illa Apostoli : *Si enim unius delicto*, etc., ait : *Plures enim gratiam consequuntur, quam mortui sunt delicto Adæ*. Præterea in cap. VIII : *Vocare*, inquit, *est cogitantem de fide adjuvare*. Item in cap IX, ad alia : *Igitur cui vult, miseretur*, etc., scribit : *Ex persona contradicentis loquitur*. Et constanter tradit homines illos in similitudinem Adæ peccasse, qui ejusdem exemplo Deum contempsere, quæ omnia a Pelagianis asserta sunt. Nec obstat quod objicit Gonetus vixisse illum scriptorem sub Damaso, quando Pelagiana hæresis nondum eruperat. Nam Pelagium *diutissime* Romæ vixisse scribit sanctus Augustinus, qua de re legantur a nobis dicta lib. I Hist. Pelag., cap. 3. Quod denique ex Decretali Innocentii papæ opponitur, abhinc trecentis annis a Gregorio Ariminensi solutum est. Præterea Poncius num. 28 ait quod pontifex intendit ostendere non posse adulto dormienti vel non consentienti dari baptismum, quia tunc tolleretur peccatum originale, et non actuale, et per consequens ille si moreretur non careret visione Dei, quia non haberet peccatum originale, et tamen esset in inferno, quia esset in peccato actuali. Quæ ratio nulla est ; etenim etiam peccato actuali debetur privatio visionis Dei. Unde Glossa vocat illam rationem superficialem, nec videtur ab ipso pontifice asserta, sed ab aliquo non satis docto secretario addita. Hæc ille. Sed, ista responsione omissa, facile dico quod sicuti ait pœnam actualis culpæ esse gehennæ cruciatum in inferis, et tamen non inde excluditur pœna damni,

quia non inserit particulam restrictivam, seu exclusivam *tantum, solum*, ita et pœna originalis recte statuitur carentia visionis, sed non sola.

Objiciunt 2°. Pœna sensibilis non est proportionata peccato originali, ergo pueri ob illud non torquentur igne in inferis. Probant antecedens, quia pœna sensus est per passionem hujus particularis personæ, peccatum autem originale non est commissum per actum voluntatis personæ particularis, sed trahitur per infectionem naturæ. Respondeo negando antecedens cum ejus probatione. Etenim omnes homines peccaverunt in Adam, et peccatum illud fuit imputatum singulis ex eodem propagatis, ita ut peccatum quod in illo fuit actuale, originale fuerit in posteris. Audiatur Augustinus lib. I de peccatorum Meritis, et remissione, cap. 10 : « Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, *in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* IX), certum manifestumque est alia esse propria cuique peccata in quibus hi tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. » Igitur peccatum unius fuit et omnium, qui idem erant in uno. Qua ratione pœna sensus est eadem æqualiter destinata omnibus et singulis, qui idem fuere in Adam, et toti naturæ est debita, nisi qua parte ex baptismi gratia eidem subducitur. Quare sicuti leges principum pupillorum voluntates tutorum voluntati alligant, ita ut quod isti volunt illis ratum sit, hoc quoque pacto Deus omnium posterorum voluntates Adami voluntati astrinxit, ita ut quod ille fecisset omnibus hominibus imputaretur. Unde sicuti ex defectu improbi tutoris pupilli quandoque detrimenta subeunt, ita ex peccato Adæ humanum genus in miserias decidit. Imo pœna sensus magis videtur proportionata peccato originis quam pœna damni; nam pœna damni est in anima, pœna sensus in corpore ; posteri autem animam a Deo creatore recipiunt, corpus vero per traducem ab Adam derivatur. Quare cum filii puniri possint pro peccatis parentum, in quantum secundum corpus sunt aliquid illorum, ut ex D. Thoma diximus, humanum genus, quod secundum corpus ex virtute seminali ab Adam deducta aliquid illius est, potiori jure secundum corpus poterit ob illius peccatum, quod etiam proprium evasit, puniri, quam secundum animam. Hinc si anima a Deo creata infunderetur corpori nequaquam per virtutem seminalem ex Adamo traducto, illa non contraheret peccatum originale; quare in tantum peccatum traducit, in quantum in corpus ex Adamo per concupiscentiam carnalem propagatum immittitur. Ex his confirmatur nostra sententia : nam si caro per concupiscentiam genita est causa, cur anima peccato inficiatur, et ex consequenti pœnam subeat, ipsa caro, quæ veluti vehiculum peccati fuit, neutiquam debet esse a quacunque pœna immunis.

Objiciunt 3°. Peccatum originis non tollit ordinem naturalem, sed supernaturalem, nempe conversionem ad Deum per donum gratiæ habitualis, ergo solum debet puniri privatione ejus boni cui opponitur, non supplicio naturæ, quam in nulla re eidem debita lædit. Respondeo primo negando consequentiam; nam neque peccatum actuale lædit naturalia hominis, sed tantum privat hominem gratia sanctificante, et tamen punitur pœna sensus. Imo in sententia illorum qui dicunt peccatum consistere formaliter in privatione gratiæ, hæc privatio non potest esse pœna, cum pœna ponatur a voluntate judicis, et sit contra voluntatem rei respectu cujus est inflictiva doloris. Respondeo secundo negando antecedens, tum quia peccatum originale tollit conformitatem ad rectam rationem, sicut quodlibet peccatum actuale et habituale, ille autem ordo est naturalis, tum quia ex dictis § 2 ex peccato originali ortum traxit concupiscentia, quæ naturalia hominis læsit. Hinc scribit Augustinus lib. de Natura et gratia, cap. 3 : « Omnia quidem bona, quæ (natura) habet in formatione, vita, sensibus, mente, a summo Deo habet creatore, et artifice suo. Vitium vero quod naturalia ista bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet. » His accedit per peccatum originale hominem nasci subditum diabolo, et de familia ejusdem, ut ex exorcismis in baptismo superius ostendimus, quæ sane captivitas naturam hominis et vexat et deturpat. De hac captivitate post Driedonem erudite agit magnus ille noster Salmanticensis theologus Basilius Poncius, part. I Relect. de grat., cap. 16. Denique gratia est donum liberaliter a Deo homini datum ; at quando persona graviter offenditur, v. g., rex crimine læsæ majestatis, non est sufficiens pœna, quod privet rebellem beneficio olim eidem liberaliter collato, sed alia etiam pœna exigitur. In Adam vero omnes posteri a Deo rebellarunt, unde inimici Dei nascuntur, et per gratiam baptismi fiunt amici, sine qua non solum sunt indigni gratia liberaliter conferenda, sed digni pœnis juste irrogandis.

Objiciunt 4° cum Vasquez, 1-2, disp. 124, num. 8; Goneto, disp. 7, cit. num. 178; Morainio et aliis : Nullus puniri debet ob id pro quo ne vituperari aut reprehendi potest : at nemo pro peccato originali vituperari potest; igitur nec puniri. Major patet, quia pœnæ sensibiles habent quamdam vim increpationis. Minor probatur ex Aristotele III Ethic., cap. 6, ubi ait neminem esse dignum vituperio et exprobratione, nisi illa faciat quæ potuit non facere; at pueri non possunt non contrahere peccatum originale, ergo ob illud nulla reprehensione digni sunt. Respondetur negando minorem, nec philosophi dictum nos moratur, qui actualia tantum ac personalia delicta cognovit, originali enim peccato Aristotelicum illud dictum non convenit. Et quidem Pelagiani ex Aristotelis doctrina tentabant tollere peccatum originale, unde sunt illa Augustini lib. VI contra Jul., cap. 20 : « Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, ut gemant

sectatores vestri non inveniri dialecticos judices in Ecclesia de scholis Peripateticorum aut Stoicorum, a quibus possitis absolvi. » Julianus querebatur catholicos episcopos, a quibus damnatus fuerat, nescire *secundum categorias Aristotelis de dogmatibus judicare*. Sane si Aristotelicis principiis standum sit, peccatum originale negandum est; neque enim, qui nascitur, tanquam tabula rasa, maculas antiqui criminis ex Aristotele portare potest, cum generatio opus naturæ sit, non voluntatis, cujus est posse peccare. Certum est ex fide Deum ese iratum pueris, cum nascuntur, ob originale crimen; nascimur enim *natura filii iræ* ex Apostolo, ac per peccatum omnes aversi a Deo, et Deus pueros odio habet, quatenus peccatores sunt, quod catholicum dogma est; vituperat igitur Deus vitium, quod ipse non fecit in homine. Adde infantes esse *vasa contumeliæ*, et ex consequenti esse dignos contumelia ac vituperio. Miror autem Vasquez, virum in Augustini doctrina adeo versatum, ut sodales Complutenses *Augustinum* alterum, vel saltem *mentem ac linguam Augustini* eumdem nuncupaverint; miror, inquam illud argumentum veluti solidum objecisse, quod tamen diserte ab Augustino eversum fuerat. Audiatur sanctus doctor lib. de Corrept. et grat., cap. 6 : « An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo vero corripiatur et in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena quod ea singuli de parentibus trahunt, sed non sine causa dicuntur et nostra, quia *in illo uno omnes*, sicut dicit Apostolus, *peccaverunt*. CORRIPIATUR ergo ORIGO DAMNABILIS, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, » etc. Ex quibus patet posse hominem corripi ob peccatum originale.

Instat Moraines, num. 41, non solum Aristotelem aut ethnicos philosophos dicere neminem esse vituperio et reprehensione dignum propter id quod non libere fecit aut omisit, sed omnium fidelium et infidelium communem illam vocem esse, ut confirmat sanctus Augustinus lib. de Duabus Animabus, cap. 11. Quare cum nullus commiserit peccatum originale libere, sed illud ex infectione naturæ trahatur, nemo potest ob illud vituperari aut reprehendi. Respondeo laudatum sanctis doctoris testimonium a Juliano eidem Augustino sæpe sapius objectum fuisse, lib. I Operis imperf., cap. 45, lib. V, cap. 43 et 45, et alibi. Cui sanctus Pater respondet lib. I Operis imperf., cap. 48 : « Ipse, inquit, Adam est, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem : *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere* (*Lib. de Duab. Anim., cap.* 11). Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, et propter quod diceret : *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago* (*Rom.* VII, 9), ac per hoc id egit peccando, quod justitia vetabat, et unde illi liberum fuerat abstinere. Nam ei, qui dixit, *quod nolo malum hoc ago*, abstinere inde liberum non est. Ac per hoc sic tria ista discernas, et scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi : *Voluntas est agendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* Peccatum namque isto modo definitum est non pœna peccati, non utrumque. » Et postea : « Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est ut ipsum sit et pœna peccati. » Certum igitur est posse peccatum originale esse vere et proprie peccatum, etiamsi non inde liberum sit abstinere, et doctrinam illam traditam a sancto doctore lib. de Duab. Anim., cap. 11, quam post Julianum Moraines objicit, applicandam non esse peccato originali, de quo ibi sanctus Pater non loquebatur. Unde falsa sunt quæ postea idem Moraines addit : « Si ex mente D. Augustini, inquit, imo ex sensu totius Ecclesiæ et consensus generis humani, judicandum est de peccato originali ejusque pœna, dicendum est neminem propter illud non a se commissum, sed vi originis ex necessitate contractum esse dignum reprehensione et vituperio, ac proinde nec supplicio positivo et connaturali. » Falsa, inquam, hæc sunt : nam ex mente sancti doctoris oppositum dicendum est; docet enim arguendum esse etiam illum qui peccat tertio illo genere peccati; inquit enim ibidem : « Tertium vero genus, ubi peccatum ipsum est, et pœna peccati potest intelligi in eo qui dicit : *Quod nolo malum hoc ago.* Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, injuste argueretur; arguitur autem juste, ubi dicitur : *Pharisæe cæce*, et aliis plurimis divinorum elogiorum locis. » Imo ab illa necessitate vituperationem destrui erat ipsissima objectio Juliani dicentis lib. V Operis imperf., cap. 52 : « Hujus vituperatio ad necessaria non recurrit, quia quidquid ad necessarium pervenerit, ipsum pulsat auctorem, » nempe Deum. Cui sanctus Pater respondet : « Numquid hoc malum hominis, ubi dicit, *quod nolo malum, hoc ago*, ipsum hominis pulsat auctorem? et tamen eum qui sic agit malum satis apparet ad necessarium pervenisse, necessitate quippe agit quod non agit voluntate. »

Objiciunt 5° durum videri, et divinæ bonitati minime consentaneum ut pœna ignis æterni puniat infantes, qui propria voluntate non peccarunt, sed aliena tantum, atque ex vi et miseria suæ originis peccato originali infecti sunt. Respondet Augustinus lib. V Operis imperf., cap. 13 : « Si autem crudele esse arbitramini damnari parvulos, quos originale peccatum trahere non putatis, crudele vobis videatur non rapi ex hac vita parvulos secundum vos nullum habentes omnimo peccatum, quos Deus utique novit, in multis magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione

morituros. Nam secundum RATIOCINATIONES HUMANAS crudelius videtur non liberare, cum possit, nullis inquinatum parvis, magnisque peccatis, quam damnare progeniem peccatoris. Porro cum illud justum esse qua potestis voce clamatis, et hoc esse injustum qua fronte contenditis? » Et quidem si secundum humanas ratiocinationes loquamur, videtur etiam durum, hominem ob unicum parvum desiderium, quod momento evanuit, damnari in æternum, et tamen hoc fide credimus; in eo enim actu nulla sensus delectatio fuit, qui tamen pœna sensus æternum torquebitur. Quare nec durum videri debet pueros secundum sensum puniri, qui sensu non peccaverunt, nisi quatenus idem fuere cum Adamo. Præterea cum primus parens, si perseverasset in bono, transmissurus fuisset in posteros justitiam originalem, et omnia bona tum animi tum corporis, ut tradit sanctus Pater lib. III Operis imperf., cap 199, cur durum videtur, si prævaricatus miserias ac pœnas posteris hæreditarias fecit?

Objiciunt 6°. Propter peccatum originale non injungitur hominis baptizandis aliqua pœnitentia, nec jubentur habere ullum dolorem de illo, ergo non correspondet illi aliqua pœna sensus, sicuti correspondet peccatis actualibus. Respondeo primo adversariorum plerosque qui hoc argumentum urgent concedere in parvulis tristitiam ob carentiam visionis quam patiuntur; igitur debetur peccato originali dolor interior, etiamsi pro peccato originali nullus internus dolor ab Ecclesia præcipiatur. Respondeo 2°, data priori parte antecedentis, negando consequentiam, quia cum miseriæ hujus vitæ sint effectus peccati originalis, cur nova pœna imponeretur, cum innumeræ pro eodem nobis subeundæ sint? Sat est si dicatur catechumenis omnes homines in Adamo peccasse, ac proinde e terrestri paradiso expulsos, tot tantisque pœnis addictos, quas divina gratia adjuvante fortiter sustinere possumus. Respondeo 3° negando secundam partem antecedentis, nullum dolorem injungi catechumenis ob peccatum originale: oppositum enim expresse tradit, imo jubet Augustinus cap. 6 superius laudato de Correptione et gratia, inquiens: « Corripiatur ergo origo damnata, ut EX DOLORE correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen quis corripitur, filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, atque FLAGELLANTE, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle. » Nonne catechumenus primum docendus est se vel ab ortu in peccato esse, inimicum Dei, sub dæmonis potestate, ejusdem membrum, in ejusdem familia? Quæ ille audiens statim dolore corripitur, quod natus sit sub potestate dæmonis, atque sub eo diutius vixerit. Audiatur sanctus Augustinus, lib. I de peccatorum Meritis, cap. 19: « Dicet aliquis: Quomodo ergo et ipsi vocantur in pœnitentiam? Nunquid tantillus potest aliquid pœnitere? Huic respondetur: Si propterea pœnitentes dicendi non sunt quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur cum per eorumdem verba gestantium diabolo et huic sæculo renuntiare monstrantur? » Igitur si pœnitentiam pueris eo pacto sanctus Doctor asserit, adulti ad baptismum accedentes eamdem non habebunt? Tunc ergo dolet ipsos peccati originalis, quando ex Augustino renuntiare se diabolo dicunt.

Antequam hanc disputationem claudam, volo recitare objectionem Gulielmi de Rubione, qui in 2, dist. 32, q. 2, art. 2, hoc argumento impugnat cruciatus puerorum: « Ille qui est æque innocens alio peccante, sicut non peccante, non est affligendus, nec magis juste potest affligi post peccatum alterius, quam si ille nunquam peccasset; sed propter peccatum primorum parentum eorum filii, qui nunquam peccaverunt, non sunt magis culpabiles, quam si non peccassent ipsi eorum parentes; imo sunt æque innocentes, post ipsorum peccatum, sicut fuissent si nunquam ipsi peccassent; licet enim sint modo rei, ergo. » etc. Negat hic scriptor maculam veram et propriam quæ inest pueris ante baptismum, in quo juxta Ecclesiæ canones parum conformiter loquitur; putat enim posteros dici peccatores per denominationem extrinsecam a culpa Adæ, ut patet ex iis, quæ habet dist. 30, q. 2, § *Et ideo*, ita ut culpa fuerit in solo Adam, reatus vero, seu obligatio ad pœnam, quæ, ut ubidem ait, est culpæ effectus et quid eamdem consequens, in nepotibus. At Tridentina synodus, in decreto de peccato originali, definivit anathema esse qui dixerit Adam inquinatum « per inobedientiæ peccatum, mortem, et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ. » Et sess. 6, cap. I, statuunt Patres: « Omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse, factos immundos, et, ut Apostolus inquit, *natura filios iræ*, » etc. Ille vero Nominalis ait pueros esse æque innocentes post peccatum progenitorum, sicut fuissent si nunquam isti peccassent. Quare cum Rubion tantum innocentiæ pueris tribuat, nil mirum illorum post mortem supplicia negari. Hæc itaque argumenta Augustinianæ sententiæ objiciunt, quæ facili negotio solvuntur, nec illorum opinionem valent reddere Augustinianæ probabiliorem, uti notat Estius dist. 33, § 8, cui sancti Patris assertio probabilis visa est. Nec audiendus est Duvallius, tract. de Pec., q. 4, art. 3, ubi ait sententiam contra Augustinum accedere ad fidem, et habere rationes quas constat esse evidentes.

Essent hic conferendæ sententiæ de pœnis parvulorum, nempe sancti Augustini, Pelagianorum ac scholasticorum. Sed quia id ex hucusque dictis facile conjici potest, et id tentans invidiam forte mihi conflarem, libens periculosam collationem omitto. Hoc mihi certum est in statuendis infantium pœnis

non excessisse Augustinum, sed potius eos scholasticos, qui pueros naturali beatitudine donandos scribunt, ac felicissimam eisdem regionem promittunt. Ita censuit acerrimus catholicæ religionis vindex cardinalis Bellarminus, qui t. III, lib. VI, cap. 3, hanc censuram ponit: « Non igitur, inquit, Augustinus aliquid humani passus esse aut excessisse in hoc dogmate censendus est; sed illi humanum aliquid patiuntur et EXCEDUNT, qui parvulos in superiore parte terræ, quasi in terrestri paradiso collocant, eosque beatos ac felices dicunt. » Addam etiam de iisdem judicium reverendissimi P. Laurentii Brancati a Laureea, Vaticanæ bibliothecæ præfecti, et eximii nostræ ætatis theologi, qui in eruditissimo volumine de Novissimis, disp. 27, art. 7, num. 152, ait: « Quod dicunt nostri moderni, hucusque censeo inane, novum et ridiculum, nempe de statione, habitaculo et deambulatione super terram; unde id habent? quis eis revelavit? » Ego autem mirari satis nequeo, quando video veteres scholasticos sanctum Thomam, sanctum Bonaventuram, Ægidium, Scotum et alios negasse parvulos tristari ob amissionem gloriæ, cum oppositum tam aperte, tam diserte, tam aseveranter Augustinus asseruerit, et Pelagianos, quod secus sentirent, acerrime increpuerit. Scio illos non affirmare pœnam damni esse levem vel nullam secundum se; quatenus enim est privatio summi boni possessi in patria, dicitur ab ipsis summum malum, cum ejusdem gravitas ab excellentia boni, quo privat, mensuretur; unde minus proprie superius sancti doctoris testimonia exaggerasse videbimur, ubi idem tradit non esse in patria, esse magnam pœnam, cum id ultro scholastici concedant. Sed profecto non disputavit sanctus doctor cum Pelagianis de pœna sic intellecta: illi enim cum acutissimi essent, nequaquam negabant pœnam exclusionis a regno cœlorum prout dicit nudam privationem Dei possessi in patria, esse in se magnum malum, sed dicebant levem vel nullam pœnam in pueris, quia nullum vel levem dolorem pueris incutiebat. Damnum enim quod quisque subit in amissione boni, in tantum eidem infert pœnam, in quantum sentitur: si enim non sentiatur, nulla illi pœna est, ut patet in pueris, quorum bona dilapidantur; patiuntur enim malum, sed non sentiunt, quia ex defectu cognitionis illud non percipiunt. Pœna vero a judice præsertim intenta non dicit malum prout est nuda privatio boni nulla habita consideratione subjecti, sed significat id quod est malum alteri, quatenus illi dolorem ingerit aliquid ponendo vel tollendo, quod reus nollet. Porro hoc pacto accipi pœnam ab Augustino certum est; nam lib. VI contra Jul., cap. 10, ait: « Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. » Quo dimisso tanquam absurdo, quod nunquam Julianus admisisset, instat: « Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum ejus a quo ad ipsius imaginem creantur nihilne mali ex hac ipsa separatione patientur? « At malum quod sentitur ex amissione boni quod amatur, habet rationem pœnæ affligentis subjectum, quod privatur eo bono quod ab eodem amatur. Præterea, serm. 14 de Verbis Apostoli cum dixisset Pelagianos non percutere parvulos, hoc est non infligere illis pœnam sensus, sed tantum illos in exsilium mittere, negando ipsis regnum cœlorum, probat eos pati ac cruciari ob exclusionem ab eodem regno: « Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate; si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. » Ex quibus aperte constat Augustinum velle parvulos cruciari ob exclusionem a patria cœlesti, eo quod illam amant et desiderant, quam si non amarent, essent *perversi* et *mali*, quippe qui societatem non quærerent sanctorum. At malum quod sentitur amissione boni quod amatur, est allativum doloris et tristitiæ: dolemus enim et tristamur quoties amato bono privamur. Jam vero si Patrum qui Augustino faveut suffragia ad calculum revocentur, eruut hi viginti quatuor seniores: nam Byzaceni quindecim fuere qui sancti Augustini sententiam subscripserunt. Inter Patres fuit Gelasius papa, qui in epistola decretali tertium locum a Pelagianis inventum de medio tollendum decrevit. Non desunt scholasticorum suffragia. Albertus Magnus, Estius, Driedo, Polmanus uti probabilem Augustini sententiam defendunt. Stant pro eadem inito fœdere quinque ex ordine Minorum, et totidem Augustiniani nostri theologi. Et quidem spero fore ut deinceps, ubi hæc nostra disputatio legetur (si tamen ulla horum scriptorum cura posteris erit), plures in sancti Augustini partes transeant, vel saltem a censuris abstineant, neque sanctum doctorem excessus insimulent in ea sententia tradenda, quam unanimi consensu pontifices, synodi ac patres docuere, ut hucusque luculenter monstratum est.

§ VI. *An Augustinus disserens de lege veteri contra Pelagianos excesserit.*

Pelagiani, ne gratiam omnino negando orthodoxorum indignationem subirent (videbant enim eamdem gratiam in sacris litteris, a Paulo vero præcipue commendari), dixere legem qua Deus homini faciendа vel fugienda præcipit, esse gratiam, utpote quam Adæ posteris profunda agendorum ignorantia laborantibus, et longo vitiorum usu naturali lumine pene exstincto misericorditer proposuit. Imo legem contra gratiam impudentissime erexere. Etenim arguebant ex lege nullam esse aliam insuper Dei gratiam necessariam. Hæc est ratiociuatio sexta Cœlestii apud sanctum doctorem cap 3 de Perfect. just.: « Quærendum est utrum præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, et præceptum non est; aut quia præceptum est, potest. » Et in lib. de Gratia et lib. arb, cap. 16, scribit Augustinus: « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: *Non juberet Deus, quod sciret non posse*

ab homine fieri. Quis hoc nesciat? » Hinc hæretici in laudes legis effusi, in eadem uti in arce causæ ab Augustino se tutos arbitrabantur. Audiatur magnus Ecclesiæ magister, lib. IV, ad Bonifacium papam, cap. 5, subdolos hostium conatus publicans: « Nusquam autem, inquit, isti inimici gratiæ ad eamdem gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quam ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est. Legem quippe diversis locutionum modis et varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, etc. » Augustinus, quo Pelagianam hæresim a fundamentis everteret ex sacris litteris et subtilissimarum rationum momentis ostendit legem non modo non esse gratiam homines ad bona capessenda adjuvantem, sed reos tantum facere jubendo, terrendo, puniendo, non adjuvando. Pleni sunt hujusmodi phrasibus sancti Patris libri, præsertim liber de Spiritu et littera, qui totus in hoc argumento versatur. Plura loca indicat Cortina P. Macedo, ad thesim 48. Unum testimonium profero ex cap. 8 libri de Gratia Christi: « Ac per hoc, inquit, usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit nisi adjuvet gratia; et hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, et ut concupiscentias malas superent, adjuvandos. Jubet enim magis quam juvat, docet morbum esse, non sanat, imo ab eo potius, quod non sanatur, augetur, ut attentius et sollicitius gratiæ medicina quæratur. » At Moraines, Augustini de lege veteri dicta examini subjiciens, hanc de iisdem sententiam profert disp. 24 Anti-Jansenii, num. 44: « Augustinum pluribus locis durius loqui de lege veteri, sed sicut ipsemet ait lib. III de Doctrina Christ., cap. 10, *Scripturæ verba quando aliquid absonum videntur præ se ferre, sunt in benignum et commodum sensum interpretanda*; quidni etiam verba ipsius Augustini, quotiescunque vel nativo impetu animi, vel æstu disputationis abreptus, videtur ad extrema declinare? » Quid autem *durius* de lege veteri Augustinus dixerit, non erit indagatu difficile, cum probe sciamus in quo sancti Patris doctrina a Morainio culpetur furoris et excessus in disputando. Dixit Augustinus cum Apostolo ad Galatas III, legem datam *prævaricationis gratia*, de quo plura disserit serm. 11 de Verbis Apost., cap. 8 et 9. Dixit *litteram occidere* cum eodem Apostolo II Cor. III, atque integro volumine verba illa explicat. Dixit cum eodem Paulo Rom. III: *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. Quam sententiam exponit serm. 13 de Verbis Apostoli, et epist. 89. q. 3. Vocavit legem cum eodem Galat. III, *pædagogum* molestissimum, ac similitudinem probavit sermone eodem, et epist. 144, ubi etiam nuncupat legem *non absolutionis adjutorium, sed vinculum criminis*. Quod Augustinum in excessum suspicionem traxit, ac durius assertum videtur, est ubi idem doctor pronuntiavit tantum abesse ut lex homines adjuvarit, quin potius reos fecerit sine gratia jubendo, non adjuvando. Scribit cap. 1 de Corrept. et grat.: Declinare a malo et facere bonum « nullus potest sine spiritu gratiæ; quæ si desit, ad hoc lex adest ut reos faciat et occidat. » Serm. 6. de Verbis Apost. ait: « Lex enim jubebat et non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, etc. Quomodo ergo lex mihi opitularetur jubens per litteram, et non dans gratiam? « Sermone 13 laudato dixit: « Lex timorem dedit. » Ubi autem gratia non infundit amorem, observatio legis ex puro timore servili facit prævaricatorem; qua de re egregie agit in epistola 144, ad Anastasium. Videtur ergo Augustinus sensisse homines lege urgeri ad recte operandum, neque tamen semper adesse gratiam adjuvantem, ex quo inferri videtur tunc præcepta Dei esse observatu impossibilia, nam sine gratia impleri non possunt, qua tamen illos carere idem tradit. Hinc Julianus hæc Augustino exprobrabat lib. III Operis imperf., cap. 119: « Taceo interim qua rabie in totam legem fremas, quam credis ea imperasse mortalibus, quorum apud eos nullam facultatem videret. » Quam stropham sæpius cantat.

Duo hic possunt difficultatem facere, num lex aliquando imperet, et obliget, ut aiunt, sub peccato, si desit gratia adjuvans ad implendam legem, ut videtur velle Augustinus, et an in lege veteri timor tantum servilis sine gratia regnaret, quod eumdem quoque sensisse nonnulli opinantur. Hæc enim duo Morainio forte duriora videntur, in quibus Augustinum extra veritatis lineam saltasse putat. Pro expediendo priori dubio res mihi altius repetenda est. In primis statuendum est discrimen inter observationem legis in statu naturæ innocentis et statu corruptæ. Etenim Adam habuit auxillium proxime sufficiens ab observationem cujuscumque præcepti in omnibus et singulis occasionibus et instantibus. Hoc adjutorium erudite exponitur ab Augustino cap. 11 et 12 de Corrept. et grat. Dicitur ab eodem adjutorium *sine quo non*, non *quo*; nam Adam illo adjutorio posito non statim operabatur, sed cum volebat eodem semper præsente poterat operari. « Tale quippe, inquit cap. 11, erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim quam fit ut habeat homo justitiam si velit, etc. » Addit quod primo illo adjutorio *ostensa est potentia liberi arbitrii*; nam ut antea præmiserat, Deus illud adjutorium *reliquit in ejus libero arbitrio*, et ut ait lib. III Operis imperf., cap. 112, *Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio*. Quare illud adjutorium semper præsto erat Adamo; scribit enim Augustinus, *quod desereret cum vellet*. Paulo vero post in eodem cap. 11 hæc tradit: « Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suo culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur,

m gratiam datur. » Ex his infero primo in
ıturæ lapsæ non omnibus dari nec semper
sse illud adjutorium, alias oratio esset super-
a, ut ait Augustinus lib. de Natura et grat.,
quid stultius quam orare ut facias quod in po-
abeas? Et in epistola 95 : *Ipsa igitur oratio*
a est gratiæ testificatio. Non rogamus autem
det quod habemus, sed cujus maxime indi-
etenim ex epist. 105, *si in potestate habe-*
m utique posceretur. Quare, cum urgente quo-
ecepto possit homo orare Deum ut gratiam
præcepti impletionem largiatur, signum est
illam non adesse semper in omnibus et sin-
casionibus. Hinc factum est ut cum Adamus
illam habuerit pro omnibus et singulis mo-
ibi inhærentem, non indiguerit oratione ad
ndum ullum præceptum. Scio recentiores hoc
ı uti nuperum paradoxum non approbare, sed
st apertissima sententia Augustini lib. VI
imperf., cap. 15. « Dominica, inquit, testa-
io, ubi non solum dicimus, *Dimitte nobis de-*
pter mala quæ fecimus, verum etiam, *Ne nos*
in tentationem, propter hoc utique ne mala
s ; unde et Apostolus dicit : *Oramus autem*
inum, ne quid faciatis mali. Quod si ita esset
ıtate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam
ıtura humana vitiata, NON utique POSCERETUR
sed agendo potius teneretur. »

s, cum ex inhærente divino, eoque jugi ad-
Adam in quolibet momento temporis potuisset
mplere, frustra orasset Deum ut vires sibi ad
a facienda ministraret. Vidit ista theologorum
ostri sæculi acutissimus Basilius Poncius, qui in
mnibus de gratia, part. I, cap. ult,, pag. 213,
« Atque hoc est adjutorium, quod sæpe Au-
s dicit Adamum habuisse, quod nos in hoc
m habemus, quia non habemus pro singulis
nibus perseverantes cogitationes et affectiones
t notum est. Unde Adamus non egebat ora-
t adjutorium illud compararet, quia jam Dei
: cum ipsa natura ingenitum erat, sed gratia-
tione pro tanto beneficio, quod a Deo in prima
ţine acceperat. » Neque recte diceretur Adam
prem gratiam potuisse petere, ut facilius le-
npleret. Etenim vanum fuisset, novas vires
in tanta non peccandi facilitate, ut loquitur san-
ter cap. 12. Poterat tamen Deum orare ut ten-
ı procul arceret, ne ad malum pelliceretur,
endi periculo vicinus fieret. At posita tenta-
euti quam, nisi inaniter, a Deo petiisset vires
esistendi. In statu autem naturæ lapsæ illud
ium pro omnibus et singulis momentis pro-
afficiens non semper præsto est hominibus,
ecessitas orationis elucet, qua rogamus Deum
data ipsius implere possimus. Hinc scribit ibi-
ugustinus : « Ideo in hoc agone magis nos
olui orationibus certare quam viribus, quia
: vires, quantas hic habere nos competit, ipse
nistrat certantibus, quem rogamus. Si ergo hi
quorum contra carnem spiritus concupiscit AD ACTUS SINGULOS INDIGENT DEI GRATIA, ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate nec certare cœperunt, aut, si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur. » Ubi affirmat gratiam ad singulos actus virtutis dari, neque tamen omnibus ministrari. Brevius idem tradit epist. 107, ad Vitalem : « Scimus (gratiam) majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari. » Et lib. IV Operis imperf. cap. 128, scribit : « Proinde hominibus natura filiis iræ dantur præcepta vivendi, quia datur et gratia, ut qui jubet, juvet, ac sic mala non solum quæ voluntate addita, verum etiam quæ sunt congenerata vincantur. Quod enim hominibus impossibile est, Deo facile est. Quibus autem NON DATUR gratia, propter quam dictum est, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV) ? prævaricatores fiunt accedente lege, non justi. Sed si quam ad utilitatem vivunt filiorum misericordiæ, ut eos videntes, et quid sibi non merito, sed gratia donetur, intelligentes non extollentur, sed qui gloriatur in Domino glorietur. » Quæ sententiæ passim in Augustino occurrunt.

Quod autem lex, ad hoc ut obliget, non debeat supponere in operante potentiam proximam ad faciendum opus quod imperatur, est constans ejusdem sancti Patris doctrina contra Pelagianos, qui, uti vitimus, ex præceptorum impositione humanæ voluntatis potentiam ad mandata facienda cum cujuscumque divini adjutorii exclusione prædicabant. Quibus Augustinus cum collegis Africanis respondet epist. 95, ad Innocentium papam : « Distinguenda est lex et gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, nisi esset voluntas, nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. » Postea inculcatis sacris testimoniis, in quibus lex et oratio asseruntur, concludit : « Sicut ergo agnoscimus voluntatem, cum hæc præcipiuntur, sic et ipse agnoscat gratiam cum petuntur. » Quare cum instante quolibet præcepto legis, homo non irrisorie, sed veraciter Deum debeat orare, ut sibi gratiam donet ad faciendum mandatum, signum est divinam gratiam necessariam ad exsequendum opus imperatum non adesse in omnibus et singulis momentis ; nam ut clamat ubique magnus doctor, « si adest possibilitas, utquid orant? » Lib. de Natura et gratia, cap. 53. Hæc doctrina, quæ plane verissima est, probatur ex synodo Tridentina, sess. 6 de Justificatione, cap. 11, ubi ait : « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Est sententia exscripta ex libro sancti Augustini de Natura et gratia, cap. 43, et licet illa postrema verba, *et adjuvat ut possis* non asserantur explicite ab Augustino, subintelliguntur ; nam si ab illo petis ut possis, signum est quod ille est qui adjuvat ut possis. Sed plenam eamdem sententiam ex tract. 53 in Joannem exhibeo : « Sed audiamus, inquit, Dominum et præcipientem, et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus,

et adjuvantem, ut implere possimus. Primo illa sanctæ synodi ex Augustino verba, *et petere quod non possis*; ergo dum petis, vel etiam antequam petas, stas sub lege præcipiente, et nondum habes gratiam adjuvantem, tunc enim non potes facere quod lex jubet. Quare errarunt Pelagiani, qui ex lege hic et nunc obligante existimarunt hominem posse suismet viribus exsequi imperata. Inde etiam rejiciuntur plures theologi, qui putant legem non posse hic et nunc obligare, nisi adsit gratia adjuvans; nam dum *petis ut possis*, profecto sentis te urgeri præcepto, et simul cognoscis te destitutum gratia proxime necessaria ad opus implendum, unde oras ut eamdem tibi Deus largiatur. Hic vero rejicienda est sententia illorum qui dicunt gratiam proxime sufficientem semper adesse, nec unquam legem obligare nisi adsit gratia adjuvans, alias homo ob impotentiam excusaretur ab observatione legis.

Nam si lex, ut obliget, semper infert assistentiam gratiæ sufficientis, sequeretur gratiam sufficientem ad observationem legis necessariam non fuisse amissam ex peccato Adæ, quod licet a pluribus concedatur, puto esse falsissimum Probatur sequela: nam Adam per peccatum non exemit homines a lege naturali, hæc enim lex perinde obligat, Adamo peccante vel non peccante: ergo si ut lex obliget habet connexam assistentiam gratiæ sufficientis, hæc gratia sufficiens, sive stante Adamo sive cadente, connexa erat cum lege prout obligante; ergo non fuit amissa ex peccato primi parentis. Probo modo illam gratiam sufficientem esse amissam argumento eodem, quo Paulus ad Galat. II usus est ad contundendam superbiam eorum qui dicebant legem posse justificare; arguit breviter, sed solidissime: *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Cujus argumenti vis tota in hoc consistit quod si lex sola sufficiebat ad hoc ut homines observando præcepta se innocentes conservarent, Christus gratis passus diceretur. Cur enim venit in mundum, ac tot tormenta subiit, si aliunde ex legis doctrina homines poterant se justos servare? Jam vero eamdem vim habet apostoli ratiocinatio contra gratiam sufficientem: Si per legem et gratiam sufficientem poterat homo implere totam legem, ergo Christus gratis mortuus est. Respondebunt Christum venisse ut abundantiori gratia humana natura fulciretur. instamus: Igitur Christus mortuus est ut facilius possemus implere legem ex donis ipsius gratiæ, quam tamen, licet difficilius, implere poteramus per gratiam sufficientem etiam absque ipsius Redemptoris morte. Ad hoc verbum *facilius* veluti ad sacram anchoram in tempestate confugiebant Pelagiani, quos his Augustinus exsecratus est lib II Operis imperf., cap. 198, ubi, recitatis iisdem verbis Pauli, ait: « Apostoli est vox ista, non mea; jam erumpite in apertum, inimici crucis Christi, quid timetis magnum populum Christi, et Christi magnum judicium non timetis? Aperte dicite: Justificari natura, justificari lege possumus, gratis mortuus est Christus. Sed, formidantes multitudinem Christianam, pelagianum verbum supponitis, et quærentibus a vobis quare mortuus sit Christus, si natura vel lex efficit justos, respondetis, ut ipsum *facilius* fieret, quasi posset, quamvis *difficilius*, fieri tamen sive per naturam, sive per legem. (Poteris addere, sive per gratiam sufficientem connexam necessario cum lege obligante.) Christe, responde, vince atque convince, clama: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5), ut taceant hi qui clamant: Etsi difficilius, tamen possumus et sine te facere; aut si tacere non possunt, se ipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant. » Hanc nostram sententiam erudite Basilius Poncius defendit parte. I Relect. de grat, cap. 14, ubi argumenta solvit Suarez, et Vasquez, qui ingenue fatetur 1-2 disp. 139, cap. 4, num. 36, Augustinum fuisse in hac ipsa sententia quam exposui.

Lex igitur ex Augustino homini data est, non ut cum gratia sufficienti secum necessario connexa homines agendorum cognitione instructos ad opera præcepta implenda juvaret, sed ob hoc data est ut homo conatus facere quæ præcepta erant, et cernens per semet illa exsequi non posse, gratiæ auxilium imploraret. Hæc scribit ad Anastasium epistola 144: « Lex itaque docendo et jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, a quo sanata voluntas possit, quod infirma non posset. » Idem tradunt Augustini discipuli, Fulgentius, lib. II de Verit. prædest., cap. 4: « Dum ergo, ait, præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus. Sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium. » Et Prosper in epistola ad Demetriadem: « Nec ob aliud unquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. » Igitur lex non infert potentiam proximam voluntatis faciendi quod jubetur, et ex consequenti non habet annexam gratiam proxime sufficientem ad faciendum opus imperatum. Augustinus ex Apostolo, Galat. III, vocat legem *pædagogum*, quia lex ducit ad gratiam. Legatur sermo 13 de Verbis Apostoli. Egregie in lib. de Spiritu et littera, cap 19: « Lex ergo data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. » Pergit ulterius sanctus doctor, scribens legem jubere facienda, fidem vero impetrare adjutorium ad imperata exequenda. Hinc celebre evasit illud ejusdem dictum: *Fides impetrat quod lex imperat.* Epist. 89, q. 2, lib de Spiritu et littera, cap. 29, et alibi. Audiendus est cap. 13 libri proxime laudati: « Ac per hoc, inquit, lege operum dicit Deus: Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo: Da quod jubes. Ideo enim jubet lex ut admoneat quid faciat fides, id est, ut cui jubetur si nondum potest, sciat quid petat; si autem continuo potest, et obedienter facit, debet etiam scire quo donante facit. » Ex quibus patet quandoque auxilium proxime sufficiens præsto esse;

inquit enim, *si autem* CONTINUO *potest*. Illud vero ex Augustino certum est, neque fidem posse movere hominem ad petendum divinum auxilium, ad hoc ut possit implere præcepta, nisi Deus infundat gratiam actualem, qua homo moveatur ad orandum. Semi-Pelagianorum error fuit posse hominem petere et desiderare suis viribus gratiam, quem damnavit ex Augustino synodus Arausicana, canone 6 ; etenim licet quis sit fidelis, non habet in singulis momentis præsens divinum auxilium proxime sufficiens ad orandum. Hoc passim in Augustino habetur. Lib. de Dono persev., cap. 32, de Semi Pelagianis ait : « Nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus atque pulsemus : *Accipimus enim spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater* (*Rom.* VIII), etc. » Idem habet epistola 105, lib. de Corrept. et grat., cap. 1 ; epist. 121, cap. 15. In libro I quæst. ad Simplicianum, q. 2, inde probat orationem fervidam, qua impetramus, esse a Deo : « Nonne aliquando, inquit, ipsa nostra oratio sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia si vel hoc dolemus, jam oramus ? » Ex his colligitur quomodo infideles peccent non observando legem, quandoquidem sine fide manent tantum sub lege præcipiente, non sub gratia proxime adjuvante ; unde opera quæ ipsi faciunt semper sunt peccata, nisi ubi aliquando Deus quosdam bonos actus ipsis nescientibus in eorumdem voluntatibus operatur. Scribit Augustinus in epist. 144 : « Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Ideo lex pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, *qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt* (*Rom* X) ? Itaque, cum infideles in Christum non credant, Dei gratiam ad implendam legem naturalem non petunt ; unde nec eamdem observant, et si quæ bona facere videntur, illa non faciunt bene, ut § 4 probatum est. Cur vero non excusentur, tradit Augustinus in lib. de Spiritu et littera, cap 33, et epist. 105, ad Sixtum. Quamvis enim careant auxilio proxime sufficienti, habent tamen auxilia quædam remota, unde non patiuntur antecedentem necessitatem peccandi, quam licet humanum genus ex peccato primi parentis incurrerit, Christi tamen Redemptoris beneficio sublata est, ut acute probat noster Poncius part. I Relect. de grat., cap. 15. Nihil igitur Augustinus *durius* (de lege) *impetu animi vel æstu disputationis* asseruit, ut contendebat Moraines. Sed quod nec de lege veteri durius quidpiam pronuntiarit ostendo.

In primis, si verba ut foris sonant tantum considerentur, profecto non Augustinus, sed Paulus censendus foret durius locutus de veteri lege Moysis. Dixit Rom. V : *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*, cum tamen lex ideo promulgetur, ut delicta tollantur, et cessent. Dixit II Cor III : *Littera occidit*, cum tamen lex subditos a criminibus arceat. Dixit I Cor. XV : *Virtus vero peccati lex*, cum lex peccata prohibeat. Has tamen loquendi formulas Augustinus locis superius laudatis explicuit, nihilve absurdi continere monstravit. In eo autem sanctus doctor reprehenditur quod visus sit asserere legem veterem reos fecisse homines jubendo, non adjuvando ; quod ve opera facta in lege veteri peccata dixit, cum Judæi illa fecerint timore pœnæ, non amore justitiæ. Judæi habita lege eo superbiæ delapsi sunt, ut putarint solam legem ad hominem justificandum sufficere, neque necessariam esse Dei gratiam, sed tantum liberum arbitrium. Hic autem error tam alte eorum mentibus insidebat, ut plerique etiam ad fidem ex Judaismo conversi in veteri errore obstinatius versarentur, unde illos Apostolus arguit in Epistola ad Galatas, cap. 2, argumento superius recitato : *Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Testatur Augustinus hæc ipsa sæpius Apostolum inculcasse ut eorumdem superbiam contunderet. « Ad hoc ducit, inquit serm. 13 de Verbis Apostoli. et commendat ista Apostolus propter Judæos, qui de lege gloriabantur, et libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur ; ac per hoc quia libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur, ignorantes Dei justiam, id est, ex fide justitiam datam a Domino, et suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam, *justitiæ Dei*, sicut dicit, *non sunt subjecti*. » Et in lib. de Spiritu et littera, cap. 29, ait : « Israel vero persequens legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare ? quia *non ex fide, sed tanquam ex operibus*, id est, tanquam eam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. » Porro cum hunc errorem sorbuerint postea Pelagiani, asserentes gratiam Dei in Veteri Testamento non esse nisi legem Moysi traditam, gratiam vero Novi Testamenti esse Evangelium et exemplum Christi, Augustinus, ut illorum errorem confutaret, acute probavit legem a gratia separatam reos facere homines jubendo, non adjuvando, ut ex testimoniis adductis constat. Neque injurius fuit legi ; non enim hæc imposita fuit ut homines se sola justos faceret, sed ut ostenderet quid faciendum esset, et cum homo se præceptis faciendis imparem esse cognosceret, ad auxilium gratiæ confugeret, quod ex sancto doctore ejusque discipulis probavimus, ostendentes non *durius* loqui, qui asserat in hypothesi quod sola lex jubeat, nec gratia proxime sufficiens adsit, legem eamdem obligare, et transgressorem reum esse peccati. Porro sicuti Hebræi non ex amore justitiæ bona opera faciebant, ita mala vitabant timore tantum pœnæ. Hinc Augustinus dixit opera Judæorum in veteri lege fuisse peccata, et legem illam fuisse legem servilem, quod illi qui eamdem implebant, timori inservirent Scribit sanctus doctor, lib. IV ad Bonifacium, cap. 5 : « Quod ex lege testimonium commemoratum ab Apostolo propter vitam temporalem intelligitur, propter cujus amittendæ timorem, faciebant homines legis opera non ex fide,

quæ transgressores legis eadem lege a populo jubebat occidi. » Idem in lib. de Spiritu et littera, cap. 32, ex his Apostoli Rom. VIII, 15, suam sententiam probat : *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Erat ergo lex vetus lex timoris, quod carnalis ille populus se ac sua tantum amans, quidquid boni juxta legis mandata faciebat, amore sui faciebat, volens sibi bona ac timens mala. Lex ergo tanquam servis incutit timorem, gratia, quæ per fidem Christi impetratur, inspirat amorem. Quare sanctus Pater lib. eodem de Spiritu et littera, cap. 29, ait: « Ex lege autem timemus Deum, ex fide speramus in Deum, sed timentibus pœnam absconditur gratia. » Cur autem iis qui ex puro timore servili legem implent gratia abscondatur, tradit ibidem cap. 19, et serm. 13 de Verbis Apostoli, epist. 144, ubi hæc habet : « Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahat quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest fieri. Nam, quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? » Lege ibi plura. Timor quidem si desinat esse pure servilis, et per aliquem Dei amorem incipiat esse castus, est bonus, nec vitiat opera ex eodem derivata; qua de re et fusissime et eruditissime disputarunt duo insignes Lovaniensis academiæ doctores Christianus Lupus et Franciscus Fervacques, Augustiniani, editis a sexennio quotannis de eodem argumento libris et apologiis. Plurimi autem Veteris Testamenti Patres non sub lege tantum fuere, sed sub gratia adjuvante, quia propriæ infirmitatis conscii ad sectanda virtutum opera divini auxilii opem implorarunt. Cæterum omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum mihi videor colligere ex Augustino lib. de Natura et grat., cap. 67, ubi ex lib. III de Libero arbitrio, cap. 10, hanc sententiam recitat approbatque adversus eos qui Adami peccato omnia crimina imputabant, et se ipsos innocentes asserebant : « Recte enim fortasse quæ rerentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens, qui MULTIS MODIS PER CREATURAM sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis credere quod ignoras. Neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. » In quo autem consistant hujusmodi auxilia remota, non ita facile explicatur: etenim *miris modis* Deum humanas voluntates ad bonum faciendum movere idem Augustinus lib. I ad Bonifacium, cap. 19, verissime affirmat, quos modos satius est humili silentio venerari, quam curiosa disputatione perquirere. De his auxiliis remotis locutum arbitror eumdem sanctum doctorem in lib. de Dono persev., cap. 9, ubi ait : « Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, ut vocantem sequatur, aut NON ITA vocetur, ut vocantem sequatur, *inscrutabilia sunt judicia Dei.* » Vocatio illius qui non sequitur est per auxilium debile et remotum, quo intellectus transeunter tantum quasdam bonas cogitationes elicit, sed adeo debiles ut nec voluntatem trahant ad bonum, sed leviter tantum excitent, et cito citius intellectus alio evolet, et in malum voluntas longo scelerum usu obdurata feratur.

§ VII. *An sententia sancti Augustini de prædestinatione ad gloriam ante omnem meritorum prævisionem sit per excessum prolata.*

Joannes Adamus et Antoninus Moraines in quæstione etiam de prædestinatione, et ea quidem præcipua gravem Augustino excessum objiciunt. Adamus, lib. III sui Calvini destructi, hac de eodem scribit cap. 8, pag. 639 : « Profecto quando constat ipsum in materia de gratia et prædestinatione cum excessu locutum esse, ac verba ipsius esse mitiganda, ne ab illorum acrimonia in errorem contrarium propellar, licitum mihi esse debet aliquod catholicum temperamentum inquirere. » Subit mentem illud Augustini dictum lib. III Operis imperf., cap. 57 : « Dic quod dicturus es, egregie corrector. Moraines, cum dixisset Didacum Ruizium ex sancto Augustino gratuitam prædestinationem docere, hæc inquit : » Ruiz falsum supponit, et si Augustinus id faceret, non doctrinæ affinitas, aut connexio, quæ nulla est, sed æstus disputationis ad hoc illum impelleret, » disp. 9, num. 50. Verum sententiam illam de gratuita prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita docuere sanctus Prosper, sanctus Fulgentius, Patres Africani in epistola synodica, aliique tanta certitudine, ut hæc dixerit sanctus Fulgentius, imo cum Fulgentio Patres synodi Sardiniensis in fine libri de Incarnatione et gratia : « Deus enim, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit præparavit, quique non aliter perficit in opere quam in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. »

Sane Semi-Pelagiani jam olim dixerant absque ea

doctrina de prædestinatione Ecclesiæ causam adversus Pelagianos per plures annos fuisse defensam, ut refert Hilarius in epistola ad Augustinum, quibus sanctus doctor respondens lib. de Dono perseverantiæ, cap. 20, ait : « Hæc est prædestinatio manifesta et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, DEFENDERE NECESSITAS COMPULIT. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. » Porro cuinam major fides habenda est, Augustinone, qui ad illud de prædestinatione dogma asserendum se *necessitate compulsum* testatur, ad Pelagianos *diligentius* ex Scripturis confutandos; an Morinio, qui id nulla vel doctrinæ affinitate seu connexione ab Augustino factitatum comminiscitur? Quod vero hanc connexionem etiam Annatus negat, illam cap. 8 contra eosdem probabimus. Magnus ille ecclesiasticorum Annalium scriptor Baronius ipsos recentiores excessus merito accusat, qui Calvini hæresim fugientes in alterum extremum a sancti Augustini doctrina discedentes, declinant, et quidem in hac materia de prædestinatione : « Cum igitur, inquit, Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores exsurgunt, ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. » Anno 490, pag. 449.

Sed audio Petavium inclamantem : « Jampridem disputari in utramque partem cœpit in scholis quæstio de prædestinatione, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini. » Tom. I Dogm. theol., lib. x, cap. 1. Sed hujus recentioris voces gravissimo, eoque domestico testimonio comprimam. Anno 1584, a Claudio Aquaviva, magno illo et incomparabili universæ Societatis moderatore, prævio sex doctissimorum theologorum ejusdem sodalitii examine, selectæ sunt quædam sententiæ omnibus suis defendendæ, ne quolibet vento doctrinæ circumferrentur. Porro pag. 37, ubi de opinionum delectu agitur, hæc leguntur : « Item definitum est prædestinationis nec rationem nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis ; at hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum schola jam recepit, sed et Ecclesiæ Patres per mille et ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis et responsis pontificum Romanorum, nempe Zosimi, Sixti, Cœlestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus aliique hujus prædestinationis oppugnatores male semper audierunt. » Examinata hæc cum aliis sententia fuit a Joanne Azorio Hispano, Gaspare Gonzalez Lusitano, Jacobo Tirio Gallo, Petro Bufæo Austriaco, Antonio Guisano ex superiori Germania, et Stephano Tuccio, qui Romæ morabatur, ut in præfatione illius libri asseritur. Augusta Theologorum nomina. Et quidem sancti Augustini sententiam de gratiosa prædestinatione ad gloriam ante meritorum prævisionem defendebant, antequam Augustiniani excessus fingerentur. Hoc idem assertum sanctus Thomas, ejusque nobilissima schola, ac melior Scotistarum pars, itemque e societate plurimi gravissimi ac doctissimi scriptores propugnant, quorum judicia contra recentiorum censuras appello.

§ VIII. *An sanctus Augustinus excesserit, docens copulam conjugalem solius voluptatis gratia esse peccatum veniale.*

Docuit Augustinus copulam cum uxore absque prolis generandæ voluntate propter solam delectationem esse peccatum veniale. Non placet hoc dictum Augustini Morainio, sed ait disp. 17, num. 22, *excessisse interdum æstu disputationis abreptum, et in odium hæresis quam impugnabat, ad contrarium extremum declinasse.* Ne id vitii Augustino objiciens lectorum oculos offendat, accusationis acerbitatem adverbio *interdum* mitigat, cum tamen, uti dicebam, passim et ubique in hosce excessus præcipitem Augustinum faciat. Cæterum sancti doctoris sententia communi sanctorum Patrum et veterum scholasticorum judico verissima est. Inquit Augustinus tomo VI, lib. de Bono conjugali, cap. 6 : Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori venialem habet culpam. » Hoc assertum docuerat Clemens Romanus, lib. VI Constitut. apost., ut dicunt cap. 7 : « Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena. » In eadem sententia est sanctus Anselmus in I Cor. VII, ad illa verba : *Hoc autem secundum indulgentiam*, ubi ait : « Tunc enim solum conjuges sine culpa sunt in admixtione, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Sed tamen et alia commixtio quæ fit pro sola voluptate, veniam accepit propter nuptias. » Sanctus Fulgentius, in epist. de Debito conjugali, cap. 3, scribit : « Conjugatus ergo si fornicetur, damnabiliter peccat ; si vero tori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulum intemperatus excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit. » Et cap. 4 : « Retenta ergo tori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori. » Sed ex sancto Gregorio papa pulcherrime hoc probatur. Cum sanctus Augustinus monachus, quem ad Anglos ad fidem convertendos in Britanniam miserat, quædam dubia eidem proposuisset, inter quæ num vir suæ conjugi permixtus antequam aqua lavaretur, ecclesiam ingredi posset, vel ad sacram communionem accedere, respondet sanctus pontifex lib. XII Epist., cap. 10, ad interrogat. August. : « Romanorum tamen semper ab antiquioribus

usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam esse conjugium, sed quia ipsa licita admixtio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. » Et postea : « Si quis ergo suam conjugem, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione, quod delleant. » Idem, adductis illis verbis Pauli I Cor. VII : *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, ait : « Non enim indulgetur quod licet et justum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse monstravit. » En non solum Augustini sententiam assertam a Gregorio Magno ex apostolica sede ad fidelium instructionem loquente, verum etiam ex Apostolo et ex antiquo Romanæ Ecclesiæ ritu eamdem confirmatam. Quid ad hæc repones, Moraini? Et Gregorium, et Fulgentium, et Anselmum, et Clementem ad præcipitia deflexisse dices? At isti nullo æstu disputationis abrepti illa dixere, unde gravius errasse sane dicendi sunt, cum Augustinum zelus hostium expugnandorum excuset.

Sed volo ostendere theologiæ scholasticæ proceres in eadem sententia cum Augustino concinere. Primus sit, quem omnes secuti sunt, Magister Sententiarum, qui in 4, dist. 31, ita scribit : « Hoc autem ne prædictis obviet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato. » Et loquitur de conjugatis. Accedat Albertus Magnus, tomo XVI, 4 Sententiarum, dist. 31, art. 21, § *Responsio*, ubi ait : « Sed cum sola libido movet, etc., aut fervet intra metas honestatis et concessionis matrimonii, et tunc veniale dicendum est, ut patet ex verbis Augustini in littera positis. » Dabo huic supparem Alexandrum Alensem, part. II Summæ, quæst. 147, memb. 2 : « Si enim, inquit, illa delectatio sit sub Deo, veniale peccatum est, excusatur enim propter sacramentum conjugii ; unde Augustinus, de Bono conjugali, etc. » Ita hi duo lumina theologicæ scholæ eam sententiam tradunt, Augustini auctoritatem secuti. Non dissentit Angelicus magister sanctus Thomas, dist. 31, cit. quæst. 2, art. 3, ubi quærit utrum peccet mortaliter cognoscens uxorem intendendo solam delectationem, cui quæstioni in fine corporis respondet : « Si autem quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum. » Jungatur Angelico Seraphicus doctor Bonaventura, qui dist. eadem quæst. 3, in fine, ita judicat : « Si autem in ea vult delectari, quia uxor, et nullo modo eam cognosceret, si uxor non esset, tunc non est omnimoda ino tio, et tunc est peccatum veniale, et excusatu bonum matrimonii, ut non sit mortale. » Posse numeros doctores addere, qui plenis suffragii gustini sententiam comprobant. Appello Sa inter recentiores doctissimum, qui tomo III de monio lib. IX, disp. 11, num. 4, hanc thesim p nit : « Secunda conclusio : Actus conjugalis voluptatis gratia exercitus, nec fines matri transgrediens, est culpa venialis. » Quod sane tum quinquaginta doctorum tum veterum tum tiorum testimoniis communit. Hanc sancti Aug sententiam nuper defendit noster P. Alipius R Belga, lib. IV de Anima, c. 2, § 4. I nunc, Mor et Augustino furorem nimiumque in disputand petum oppone. Ita est, a regia via in extrema il clinavit, sed secum et Patres et cunctos the proceres traxit, ut jam tot sapientissimis viris pr tibus possit quilibet inoffenso pede illac iter ca licet Moraines alia via progrediatur, qui si fort torum virorum vestigia notasset, eosdem et ip cutus, licet longo positus intervallo, sibi meliu suluisset.

Hæc quidem de objectis ab uno Morainio Au nianæ doctrinæ excessibus dicta sufficiant, q ipsimet recentiores attentius considerent, dubio cul fatebuntur non Augustinum, sed semet in p *losos excessus* declinasse; cum enim audirent s senio Iprensi episcopo unum ubique Augus laudari, unius Augustini sententias, veluti ex o responsa proferri, eumdemque in theologica p supra cæteros Ecclesiæ Patres attolli, ipsi qu cul a Jansenio declinarent, eo usque præcipite *putationis æstu abrepti* sunt, ut Augustino fere tium remiserint, clamantes cum Morainio in p tione Anti-Jansenii : « Qui prius Augustinum i nibus deposcebant judicem, nunc ibi liberum p ne quidem arbitrum honorarium in aliis illu mittere. » Imo, quo facilius cæteros ad Aug dicta examinanda animarent, divinum illis a sanctum opus auxilium adfuturum polliciti su Annati vocibus lib. VIII sui Augustini vindicati 5, pag. 897 : « Neque adeo perversum est hoc silium, ut habere non possit adjutorem Deum. gustinus ad Adrumetinos monachos, initio lib Gratia et libero arbitrio, scripsit, ad sua scripta intelligenda, divinam opem imploranda *Domino ut intelligatis orate*. Annatus vero, ad e sancti doctoris scripta censuris perstring etiamsi non rogetur, Deum obvium adjutorem pondit, cum temeritatis ultorem potius timere d set. Adamus, pag. 632, in fine, cap. 7, Aug excessus *innocentem passionem contra Pel* nuncupavit, sed lepido vocabulo accusationis a tatem non mitigavit. An vero recentiorum in A tino reprehendendo excessus *innocens passio* Augustinum dici possit, ipsorum conscientian pello ; certe ipse ita judico.

CAPUT IV.

res sancto Augustino plures errores perperam objiciunt

s quidem in hanc arenam a recentioribus quippe qui invito Augustino Augustini causam ndam suscipio, vereorque ne mihi vitio detur imperio refragari. Etenim cum vir clarissi- ctus Marcellinus, summa cum potestate ab in Africam contra Donatistas delegatus, ac- nescio quem Augustino errorem objici, id mo antistiti per litteras significavit, quo ob- ium calumniis obviam iret. Verum Augusti- s rescripsit : « Vos autem, qui me multum , si talem me asseritis adversus eos quorum vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, usquam scriptorum meorum errasse dicatis, laboratis, non bonam causam suscipitis, fa- a me ipso judice superamini. » Epist. 7. Sed fficulter a magno Patre me veniam impetra- pero, si ejusdem factum imiter, qui cum er- cujus argui se ex Marcellini epistola intelle- rocul a suis scriptis esse cognosceret, pravam sententia conceptam opinionem confutavit, s eam accusationem non correctorum intel- , sed malitiæ atque imperitiæ tribuendam. um recentiorum etiam non quidem malitia, mitius loquar, imperitia, plurium errorum us accusetur, nostrum est innoxium Patrem rsariorum objectis vindicare. Hujus quoque nis necessitatem subiere sancti illi doctores rsus Pelagianorum reliquias pro Ecclesiæ et ni doctrina certarunt. Nam eo usque audaciæ devenere, ut non illos puduerit indicem er- sancti Augustini contexere (sancti Prosperi tor), « ut quæ in libris prædicti viri damna- perisse jactabant, brevium capitulorum indi- blicarent, talique commento et detestationem m impeterent obtinerent, et ab his quæ in- nt curam exterriti lectoris averterent. » In ad capit. Gallorum. Horum vestigiis nonnulli scriptores inhærentes, plurium Augustini indicem publicarunt, quo sancti doctoris que auctoritas in ordinem redigeretur. Hosce s non unus edidit. Adamus tamen, part. III, pag. 584, ac Moraines disq. 12 Anti-Jansenii, 32, cæteris hac in re diligentiorem operam . Contra hosce Augustinianæ doctrinæ cen- regie stylum acuit sapientissimus Pater Ca- oreau Augustiniamus integro volumine in- *Vindiciæ pacificæ*, quod primo tomo sui Tertul- pendicis loco apposuit, ubi diffusissime ob- Augustino errores procul esse a tanti Patris demonstrat. Nos eos tantum refutabimus, lamus ac Morainius concinnarunt, et quos ve- itales ad Augustini famam vel saltem auctori- elevandam objectant, in qua quidem re ita , ut quæ in Moreau desiderari ab eruditis t, hic tantum afferens, nihil interim ex illo e mutuare velim.

A Inter cætera volumina, quæ innumera quidem posterorum memoriæ Augustinus consignavit, primo loco laudantur libri ejusdem Retractationum et Confessionum; in istis voluntatis, in illis intellectus errores, quos cæteri tanta arte ac conatu celare solent, orbi universo patefecit : in utro magis laudandus incertum. Et quidem quo edita abs se volumina attentiori cura examinaret, Eradium in episcopatu sibi adhuc viventi successorem impetravit. Ita ab ingenti negotiorum tumultu sequestratus, diu noctuque destinato operi incumbens, quælibet a se dicta censoria auctoritate discussit, ut nullus in Augustini libris examinandis severior Augustino judex esse potuerit. Ea vero diligentia ac tam rigorosa censura recentioribus non suffecit, sed novas in Hipponensi sole maculas B notaturi, Augustini iterum libros in quæstionem vocarunt, vociferantes novos se in Augustinianis libris nævos, ac maculas deprehendisse, quo Augustino oculatiores haberentur. Sed age, novos hosce censores audiamus.

§ I. *An sanctus Augustinus erraverit, putans animas rationales et angelos esse corporeos.*

Objicit primo loco Adamus docuisse Augustinum : *Animas et angelos esse corporeos, ac solum Deum esse immaterialem*, pag. 585. At Moraines scribit : *Sentit etiam angelos et dæmones esse corporeos.* Adamus prius refellendus est, qui Semi-Pelagianrrum errorem ipsorum hosti Augustino imponit. Docuerat Cassianus, collat. 7, cap. 13, solum Deum esse spiritualem, animas vero hominum esse corporeas; eumdem, uti C in materia de gratia, ita ea in opinione secuti sunt Faustus in epist. ad Paulinum, et Gennadius in lib. Eccles. Dogm., cap. 11. At sanctus Augustinus animam rationalem non solum spiritualem absque ulla corporeæ fæcis permixtione asseruit, verum etiam id solide demonstravit. In epistola 28 ad Hieronymum ait : « Incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. » Illo sane optimo argumento, quod in omnibus et in singulis particulis corporis tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus « corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare, et amplioribus ampliora ; » quam sententiam *firmissime de anima tenere* se dicit. Et lib. XII de Gen. ad D litt., c. 33, ait : « Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire audeo profiteri. » In libro de Quantitate animæ, « Diligentissime ac subtilissime disputatum est, inquit, ut eam si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse. » Lib. I Retract., cap. 8. Prætera lib. IV de Origine animæ, a capite 12 usque ad cap. 22, evidentibus argumentis probat animam esse incorpoream. Quid clarius ab Augustino dici unquam potuit ? et tamen eam sancto doctori absurditatem Adamus affricat. Scribit lib. X de Gen. ad litt., cap. 24 : « Nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur; » quod Tertulliano accidisse addit cap. 25 epist. 157,

ad Optatum : « Illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest ? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Qua dementia repulsa, etc. » Itane Augustinus docuit animam corpoream esse, cum hoc effatum somnium dementiamque pronuntiaverit, nihilque *perversius* dici posse asseruerit ? Adamus hæresim illam Augustino apponit, nec unicum saltem locum Augustini designans, ubi animam corpoream ille putarit, quasi tam celebris fuerit ea Augustini sententia, ut neque ullius textus citatione indigeret. Audiat interim Claudianum Mamercum, qui eodem sæculo paulo post Augustinum vixit, ita de sancto doctore loquentem : « Aurelius Augustinus et acumine ingenii, et rerum multitudine, et operis mole veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro noster voluminum magnitudine, et qui profecto talis natura, attentione, disciplinis exstiterit, ut non immerito ab istis corporalibus nostri sæculi Epicureis aut Cynicis spiritalis sophista dissenserit, libro ad Hieronymum de Origine animæ sic pronuntiat : *Incorpoream esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.* Cumque id ita fore rationibus magnis atque insolubili argumentatione convincat, etc. » Lib. II de Statu animæ, cap. 6. Putasne, lector, Adamum harum unam rationem vel argumentationem legisse ?

Sed jam illo scriptore patentissimæ falsitatis convicto, quid de angelorum corporibus Augustinus senserit videamus. Celebris sententia Platonicorum fuit, angelos conflatos esse ex spiritu et corpore quodam subtilissimo elementari quolibet longe nobiliori, ut ex Apuleio pluribus tradit Augustinus lib. VIII de Civit. Dei, cap. 8 et 16. Hanc sententiam ex Patribus secuti sunt Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Lactantius, et pro eadem citantur Athanasius, Basilius et Methodius a Joanne episcopo Antiocheno, cujus verba etiam sunt in synodo Nicæna II, act. 5 : « Solummodo autem Deus incorporeus et informabilis. Intelligibiles autem creaturæ nequaquam ex toto sunt incorporeæ, et imitabiles pictura existunt. » Eidem opinioni adhæsere Cassianus, Faustus, Gennadius aliique. Verum plures sapientissimi Patres oppositum opinabantur, omnem ab angelis corpulentiam removentes. Augustinus, quod eam quæstionem tractare ex professo nollet, videretque utramque partem plurimorum auctoritate firmatam, in re difficili ac dubia sententiam suspendit. Id *ambiguum esse* scribit lib. XV de Civit. Dei, cap. 23. At lib XXI, cap. 10, ubi quærit an ignis corporeus possit dæmones torquere, ait : « Sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, » etc. Et postea : « Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, etc. ? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi. » Ex quibus dubium se de angelorum corpore fuisse significat, at non de anima dubitasse, quam *profecto incorpoream* dixit. Unde Adamus hoc ipso testimonio rursus arguitur, ac Morainii allucinatio, qui eam sententiam uti certam ab Augustino assertam dicit, quæ dubia semper apud eumdem fuit, licet quandoque corporeos esse angelos supponat, ne nova illata quæstione ab argumento distrahatur. Non defuere tamen qui Augustinum dubitantem sequerentur; unus pro mille sit sanctus Bernardus, qui lib. V de Considerat., cap. 4, ait : « Quanquam de corporibus horum (nempe angelorum), non modo unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. » Et serm. 5 in Cant. : « Cæterum, inquit, angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, et sint animalia sicut homines, etc., videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est unde alterutrum doceam, et nescire me fateor; sed et vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. » Hæc sanctissimus idemque doctissimus Pater.

§ II. *An sanctus doctor asseruerit solem et astra esse animata.*

Rursus opponit sancto Patri Morainius : *Item dubitavit num sol et luna, aliaque sidera, quæ oculis conspicimus, sint animata.* Ibidem. Sed hic quoque adversarii eruditio vel desideratur vel appellatur : etenim apud veteres non modo philosophos, verum etiam Patres controversum erat essentne cœli animati. Platonici ac Stoici animatos cœlos dicebant, in quorum opinionem ivere Cicero lib. II de Natura Deorum, et Plinius lib. II. Historiæ nat., cap. 9. Peripatetici etiam plerique idem existimarunt, ut patet ex Raguseo, tom. I Philosophiæ, disp. 14, et Alexandro Achillino, lib. III de Orbibus, cap. 1, qui etiam ex Aristotele eamdem sententiam deduci satis prolixe contendit. Communior tamen Peripateticorum opinio ex Philosopho intelligentias assistentes cœlis, non vero eosdem informantes concedit. Non una etiam fuit Patrum de cœlorum anima opinio : unde cum sanctus doctor tantis litigiis sese immiscere noluerit, judicium suspendit, nempe an angeli vere orbes informarent, vel eos solummodo in gyrum propellerent. Unde in fine lib. II de Gen. ad litt., ait : « Solet etiam quæri utrum cœli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos, et, si habent, utrum ab eis etiam

r inspirentur; sicut animantur carnes per ani-
imalium; an sola sine ulla permixtione præ-
» Quas quæstiones insolutas relinquens ait,
non *facile posse comprehendi*. Quare sanctus
s part. I, q. 70, art. 3, ubi quærit utrum lu-
a cœli sunt animata, ait : « Similiter etiam
loctores fidei fuit circa hoc diversa opinio.
es enim posuit corpora cœlestia animata;
ymus etiam idem sentire videtur, etc. ; Basi-
ro, et Damascenus asserunt corpora cœlestia
se animata ; Augustinus vero sub dubio dere-
ia neutram partem declinans. » Idem Angeli-
ctor, Contra Gentes, II cap. 70, ingenue testa-
il ab Ecclesia de anima cœli definitum esse :
ntem, inquit, quod dictum est de animatione
ion diximus quasi asserendo secundum fidei
am, ad quam nihil pertinet sive sic sive ali-
tur. » Scotus vero, 2, dist. 14, q. 1, in fine,
: « Si cœli non sunt animati, hoc est magis
m quam ratione probatum. » Quod si neque
tate Ecclesiæ, ut ait Angelicus, neque efficaci
, ut subdit Subtilis, quidquam de cœlorum
certi stabilitum est, nonne jure magnus nos-
tor ea de re poterat dubitare? Cum lib. XIII
tate Dei, cap. 16, retulisset sententiam Plato-
: « Et hoc quidem utrum Plato verum de si-
i dicat, alia quæstio est. Neque enim continuo
endum est globos istos luminum, sive orbicu-
e corporea super terras seu die, seu nocte
es, suis quibusdam propriis animis vivere,
intellectualibus et beatis, etc. » Ex quibus
ugustino illam de cœlorum animabus senten-
on multum placuisse, eam tamen ob Platoni-
ac Patrum præsertim auctoritatem in medio
ise.

rum cœlos sine anima melius statuendos ex
i sententia non semel docuit. In libro poste-
letract., cap. 7, ubi corrigit libros contra
m, ait : « In decimo quarto de sole et luna
icta sunt, tanquam sentiant, et ideo tolerent
adoratores suos. Quamvis verba ibi accipi
ab animali ad inanimale translata, modo lo-
s qui vocatur Græce metaphora. » Vides san-
atrem retractare sententiam qua visus fuerat
nimas dare, idque metaphorice tantum intel-
im esse aperte protestari? In his vero libris
vam veluti sententiam tulit, qua quid de as-
animabus ipse sentiret intimavit, ita ut,
alibi oppositum dixisset, ex posteriori as-
orrigeretur. Idem habet tract. 1 in Joannem,
verba : *Quod factum est in illo vita erat.* Lega-
ditus P. Alipius Reylof, Augustinianus, lib. I
ma, cap. 4, ubi de sancti Augustini sententia
ime disputat. Opinio vero illa de cœlorum
damnata demum legitur in litteris a Justi-
imperatore scriptis ad Mennam patriarcham
atinopolitanum, ubi inter reliquos anathema-
hic habetur : « Si quis dicit cœlum, et solem,
m, et stellas, et aquas quæ super cœlos sunt,
A animatas et materiales esse quasdam virtutes, ana-
thema sit. Uti præcipuus Origenis error ille pro-
scriptus fuit. Porro Justiniani litteras Vigilius papa
cum universa Ecclesia catholica approbavit, uti te-
statur insignis tum temporis Carthaginensis diaco-
nus Liberatus, cap. 23 Breviarii ; qua de re pluribus
egimus in dissertat. de Synodo v. Hunc autem ca-
nonem in eadem synodo v œcumenica, anno 553 ce-
lebrata, approbatum fuisse scribit Nicephorus
lib. XVII, cap. 27. Unde P. Lupus eumdem uti ab
eadem synodo statutum more solito, nempe erudite,
notis ac scholiis illustrat. An vero modo defendi
possit anima cœlorum post damnatam illam Orige-
nis opinionem, nolo disputare ; posset enim quis
reponere damnatam solummodo illam sententiam
B juxta mentem Origenis intellectam, de quo hæc scri-
bit sanctus Hieronymus epist. 61 contra Joannem
Hierosolymitanum : « Origenes docet solem ipsum,
et lunam, et omnium astrorum chorum esse animas
rationalium quondam et incorporalium creaturarum, quæ nunc vanitati subjectæ, ignitis videlicet
corporibus, quæ nos imperiti et rudes luminaria
mundi apellamus, liberabuntur a servitute corru-
ptionis in libertatem filiorum Dei. » De qua Origenis opinione hæc tradit sanctus Augustinus tomo VI,
in lib. contra errores Priscillianistarum, cap. 8 :
« De sole et luna, cæterisque sideribus, quod cœlestia sint corpora videmus, quod animata sint, non
videmus. De divinis hoc libris legatur, et credimus. »
C Hæc ibi. Et quidem Fromondus, lib. I de Anima,
cap. 1, art. 8, fatetur eum qui animam vegetativam
aut etiam sensitivam astris concederet, in synodum V non peccare, quæ animas tantum intellectivas a cœlestibus corporibus exclusit. Petrus Aureolus, Parisiensis scholæ præclarissimum decus, et
ordinis Minorum singulare ornamentum, quem nunquam sine admiratione se legisse testatur Basilius
Poncius in quodlibetis quæst. 8, c. 3 (est enim ob
ingenii acumen, et argumentorum sive copiam sive
vim spectes, queis nova plerumque abs se inventa
asserta communit, nemini scholasticorum secundus), hic, inquam, cum in 2 Sententiarum, dist. 14,
q. 2, art. 2, pluribus investigasset num intelligentia
movens cœlum uniretur tanquam motor, an vero ut
D forma, et probabiles rationes ad animam cœlorum
persuadendam adduxisset, solutis etiam argumentis
quæ a theologis contra eamdem opinionem fieri
communiter solent, ita concludit : « Sed, dimissis
philosophis et aliis, intelligendum est in hac materia quæ via prædictarum duarum est probabilior,
cum utraque satis probabilis videatur. Respondeo :
Augustinus dicit (recitato uno et altero testimonio) : *Sed nec illud certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol, et luna, et cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida esse corpora, non cum sensu, aut intelligentia videantur.* Hæc Augustinus. Si ergo TANTUS DOCTOR in hac materia dubitavit, ego nihil definio in hac parte. » Ridendus igitur Morainius,
qui Augustini dubitationem inter errores rejecit,

quam subtilissimus scholasticorum, sola sancti doctoris auctoritate atque exemplo motus, secutus est, ille, inquam, Aureolus, « cujus vestigiis non erubescit modo tota Neutralium schola inhærere, principia D. Thomæ et Scoti deserendo, » quæ verba sunt sapientissimi Patris Mastrii Meldulensis in præfat. ad tom. I Metaphysices.

§ III. *Augustinus de origine animæ dubitans perperam erroris arguitur. Ostenditur sanctos Patres ea in dubitatione Augustino per plura sæcula adhæsisse.*

Tertius sancti Augustini error palmaris ac capitalis excutiendus. Clamat Morainius : *Dubitavit etiam de origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur.* Sed hic recentior eam dubitationem errori Augustino vertens, supinam qua laborat totius antiquitatis ignorantiam patefacit. Non una erat antiquitus de origine animæ inter Patres sententia, ut videre est in epistola August. 157, ad Optatum episcopum, et Hieronym., in epistola ad Marcellinum, quæ est 27 inter Augustinianas. At duæ reliquis rejectis celebriores in Ecclesia evaserant; alii enim creari a Deo animas in singulorum hominum conceptione dicebant, plurimi vero non creari animam a Deo, sed ex anima parentis traduci contendebant. Augustinus in hanc quæstionem totius summi ingenii vires contulit, nihilque penitus indiscussum reliquit, quo rei veritatem assequeretur ; sed cum neutram quæstionis partem efficaci auctoritate aut demonstrativa ratione sibi probari animadverteret neutri adhæsit, fuse tamen ea re ventilata in lib. x de Gen. ad litt,, cap. 6, et seq., in quatuor libris de Origine animæ, epist. 28, ad Hieronymum, et in tribus epistolis ad Optatum, quas laudat sanctus Fulgentius lib. III de Verit. prædest. et grat., cap. 18. Verum, exortis postea Pelagianis, qui peccatum originale inficiabantur, illud præcipue argumentum jactantes, creari a Deo animas, nec illas posse a Deo produci cum peccato, ea sententia, quæ animarum propagationem defendebat, sancto doctori probabililior videri cœpit. Audiatur Augustinus lib. x de Gen. cit., cap. 23, ubi post longissimam disputationem concludit : « His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel pene paria ex utroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem ; nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum præponderaret. » Itaque ad finem usque vitæ Augustinus in eo dubio perseveravit. Cæterum tantum valuit Augustini exemplum, ut sapientissimi Patres, eumdem subsecuti, per plura sæcula cum Augustino de animarum origine dubitarint, donec, scholasticorum opinione prævalente, animarum traduce antiquato, earumdem creatio in Ecclesia communis evasit. Hoc quidem diligentius ostendendum est, quia Bellarminus, lib. IV de Amissione gratiæ, cap. 11, *ex traditione ecclesiastica* contendit certam esse sententiam de creatione animarum, quod tam falsum apparebit quam verum, dubitationem Augustini ex traditione ecclesiastica antiquis temporibus fuisse receptam.

Et quidem ante Augustinum de origine animæ dubitavit Rufinus in epistola ad sanctum Anastasium, ubi, tribus recitatis de origine animæ sententiis: « Ego vero, inquit, cum hæc singula legerim, Deo teste dico quia usque ad præsens certi vel definiti aliquid de hâc quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, et si cui ipse revelare dignabitur. » Quia vero Rufinus tertiam sententiam posuerat de animabus, « quod factas jam olim, id est tunc cum Deus omnia creavit ex nihilo, nunc eas judicio suo dispenset in corpore, » quod Origenem sensisse subdit, merito vapulat a Hieronymo in Apologia, et in epistola ad Marcellinum, At Augustinus nunquam de ea Origenis opinione dubitavit essetne falsa, ut in epist. 28 ad Hieronymum fatetur, rationem reddens cur in libris de libero arbitrio ex illius suppositione disputarit. Rufinus tamen suo tempore, nempe Anastasio summo pontifice, quæstionem de anima magnis contentionibus agitari cœptam ibidem testatur, et Hieronymus in epistola laudata vocat eamdem *maximam ecclesiasticam quæstionem.* Ad tempore sancti Augustini enatis Pelagianis ea de re lites recruduere. Hinc ab Orosio in Africam ad Augustinum, inde in Asiam ad Hieronymum peregrinationes susceptæ ; hinc Augustini ad Hieronymum, et Optati ad Augustinum epistolæ missæ; hinc ab eodem Optato unum, quatuor ab Augustino et duo a Vincentio quodam de origine animæ scripta volumina. Res tamen dubia permansit, nihilque tot elucubrationibus peractum est. Hieronymus sententiam asserentem singulas singulis hominibus animas creari *potius credidit*, scribens tamen traducem animarum *Occidentalem Ecclesiam solere sentire* teste Augustino epist. 157. At non ita creationem animarum tenebat, ut rem illam dubiam esse ingenue non fateretur, cum ea de re ab Augustino consultus respondit : *Unusquisque in suo sensu abundet.* Quare sanctus Eucherius, episcopus Lugdunensis, in cap. III Genes., ad illa verba, *Et ædificavit Dominus Deus*, ait : « Utrum sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur, an novæ semper creentur a Deo ex nihilo ? quæ quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil a sanctis viris vel Scripturarum auctoritate manifestius pronuntiatum est. » Pomerius etiam Africanus vir eruditissimus apud Massiliam scripsit octo libros de Anima, in quorum quarto disputavit : « Utrum anima, quæ nascituro corpori infundenda est, nova fiat sine peccato, an ex substantia animæ primi hominis velut propago e radice producta etiam peccatum primæ animæ secum originaliter retrahat ? » Apud Gennadium de Viris illustr., cap. 98,, et licet nesciamus quid in ea quæstione senserit, rem tamen suo tempore dubiam non obscure significat. Floruit hic circa annum 480.

Sequitur sextum sæculum, in quo et Patres et synodi de origine animæ cum Augustino dubitarunt.

Obortis Constantinopoli de origine animæ dissidiis, Africani episcopi de eodem argumento consulti ita responderunt in epistola synodica ex Sardinia, ubi exsulabant, Byzantium missa : « Quæstionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari. » Cap. 10. In eadem dubitatione fuit sanctus Fulgentius, lib. III de Veritate prædestinationis et gratiæ a cap. 18, ubi Augustino, quod ea de re dubitavit, eximiis laudibus commendato, cap. 20 concludit: « Quanto ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus, præsertim quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse. » Coætaneus Fulgentii Cassiodorus in lib. de Anima, cap. 14, tantum abest ut illud Augustini dubium reprehenderit, ut eumdem potius ob id laudaverit: « Pater, inquit, Augustinus religiosissima devotione laudandus, nihil temere dicit esse affirmandum, sed in ipsius esse secreto, sicut et alia multa quæ nostra non potest nosse mediocritas. » Et statim : « Melius est enim in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quam periculosam assumere fortassis audaciam. » Ita altero post Augustinum sæculo dubitatio de origine animæ sapientissimorum Patrum menti altius inederat.

Verum circa sæculum VII Augustiniana dubitatio longe celebrior atque dignior evasit : eam enim suo judicio apostolica sedes approbavit, suamque effecit, ac doctissimi Patres eamdem inter fidei dogmata retulere. Sanctus Gregorius Magnus, lib. VII, epist. 53, ad Secundinum, scribit: « Sed hac de re dulcissima mihi tua charitas sciat quia de origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem, gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi. » Hæc doctissimus ac sanctissimus pontifex. Ex quibus prorsus evanescit illa ecclesiastica traditio, ex qua creationem animæ Bellarminus deducit ; nam, teste Gregorio, sancti Patres eam de origine animæ *insolubilem fassi sunt esse quæstionem.* Vides igitur non unum a Morainio Augustinum erroris argui, sed et in Gregorio apostolicam sedem et Patrum senatum, a quibus dubitatio Augustini approbata fuit. Sed aliquid majus addendum est. Itaque, cum communiter de origine animæ dubitaretur, tantum ea dubitatio in Ecclesia invaluit, ut sanctus Isidorus, Hispalensis antistes, non fuerit veritus eamdem inter regulas fidei veluti ab omnibus catholicis credendam reponere. Etenim, lib. II de Offic. eccles., cap. 23, quod incipit : *Hæc est autem post apostolorum symbolum certissima fides, quam doctores nostri tradiderunt*, inter alias sententias quas de fide tenendas proponit, hanc inserit: *Quod incerta sit animæ origo.* O eximiam recentiorum eruditionem, qui eam Augustino dubitationem errori vertunt, quam et apostolica sedes, et synodi, et Patres plenis suffragiis subscripsere, eamque unus eorum doctrina ac pietate illustris de fide populis credendam proposuit !

At nec octavo neque nono sæculo res definita fuit, sed sapientissimi Patres cum Augustino, imo cum apostolica sede adhuc dubitabant. Testis sit sanctus Prudentius, episcopus Tricassinus, cujus laudes recitat Saussaius in Martyrologio Gallicano (*Die* 6 *Aprilis*), qui in lib. de Prædestinatione, adversus Joannem Erigenam, ita loquitur capite 16 : « Nascitur enim de carne caro, sed utrum et anima similiter de anima nascatur, magna quæstio est, et a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta. » Itaque usque ad annum 850, quo tempore sanctus Prudentius vivebat, ex ecclesiastica traditione dubia erat de origine animæ sententia. Verum nec post millesimum annum ita certa erat sententia de creatione, ut plures de eadem non dubitarent. Sanctus Anselmus, Cantuariensis antistes, morti proximus cuidam familiari sibi dicenti : « Ad Paschalem Domini tui curiam redicto sæculo vadis, » hæc reposuit : « Et quidem si voluntas ejus in hoc est, voluntati ejus non contradico ; verum si mallet me adhuc inter vos saltem tandiu manere, donec quæstionem quam de animæ origine mente revolvo absolvere possem, gratiosus acciperem, eo quod nescio utrum aliquis eam me defuncto sit absoluturus. » Hæc ille ad annum 1109, teste ejus discipulo lib. II de Vita ejusdem, cap. 59, apud Surium 21 Aprilis. Hugo a Sancto Victore, lib. I de Sacram., part. VII, cap. 30, probat animam non esse ex traduce, sed creari ; ait tamen : « Probabilius constat animas ex traduce non esse. » Et inferius : « His igitur et hujuscemodi rationibus probabile factum est animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo creatas novis quotidie corporibus de paterno semine fieri, et rursus in vulva formatis ad vivificationem infundi. In quibus tamen omnibus nulla nunquam ratio sive auctoritas in tantum prævalere potuit, ut dubietatem tolleret quæstionis ; excepto eo solo quod fides catholica magis credendum elegit animas quotidie corporibus vivificandis sociandas de nihilo fieri, quam secundum corporis naturam et carnis humanæ proprietatem de traduce propagari. » Ex quibus patet ad annum usque 1130, quo floruit Hugo, nulla neque ratione neque auctoritate *dubietatem quæstionis* de origine animæ sublatam fuisse, sed tunc in Ecclesia magis communiter defensatam esse sententiam de creatione animarum. Hinc Magister Sententiarum, in 2, dist. 19, dixit Ecclesiam catholicam docere animas non esse ex traduce, qua sententia ab scholasticis recepta, animarum creatio as-

serta est, ita tamen ut, teste Bellarmino, lib. IV de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 10, in fine, adhuc non desint, *qui in ea sancti Augustini dubitatione hærendum censeant*. Estius quidem, nobilis theologus, scribit 2 Sententiarum, dist. 17, § 14, nihil esse de origine animæ ab Ecclesia definitum, nec futuros læsæ fidei reos qui ea de re dubitarent. Sed viderint illi qui ita dubii adhuc esse vellent; sat mihi est ostendisse jure Augustinum de origine animæ dubitasse, eamque dubitationem per plura sæcula sanctis Patribus placuisse. Sane prudentissimus fuisse dicendus est, qui in quæstione difficillima judicium suspendit, nihil certi ad Ecclesia definitum esse sciret : « Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. » Ita suam hanc perplexitatem defendit lib. II de peccatorum Meritis, cap. 36. Hinc cum Pelagiani ex creatione animarum, quam altius exaggerabant, deducerent non posse illas habere peccatum originale, ne alias in Deum creantem culpa rediret, lib. III ad Bonifacium, in fine, et ex litteris Zosimi, quarum fragmentum recitat in epistola 157, sanctus doctor in utraque sententia tam affimantium animarum traducem, quam negantium, peccatum originale bene posse componi demonstravit, ac rem apud Ecclesiam certissimam juxta utramque opinionem explicare conatus est, ne cui peccatum originale incredibile videretur,

Bellarminus concedit Augustinum de animæ origine dubitasse; addit tamen in scriptis post libros de Genesi ad litteram *apertissime refellisse* sententiam de traduce animarum, quod in epist. 157 ad Optatum hæc scribat: « Itaque illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt ; » et superius loquens de sententia Tertulliani, qui ponebat traducem animarum, dicat: « Quo quid perversius dici potest? « Non assentior, cum in illa epistola adhuc se dubitare fateatur; nam recitata utraque opinione de creatione et traduce animarum, initio statim epistolæ ait: « Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed ADHUC inter utramque disceptem. » Et lib. I de Origine animæ, cap. 16, de traduce animarum ait: « Ego nec defendo, nec refello. » Hos autem libros sanctus doctor composuit post illam epistolam quam Cæsarea dedit ad Optatum, ut ostendimus lib. I Histor. Pelag., cap. 15 ; in iis autem libris suam dubitationem fusissime defendit contra Vincentii Victoris reprehensiones. Solvit tamen ibi more solito argumenta utriusque sententiæ, quod non est opinionem de traduce refellere, sed ejusdem incertitudinem demonstrare. Hinc illius assertores inconsideratæ temeritatis arguit, non quod putaret illos falsum asserere, sed quod culparet promptam eorum audaciam, qua opinionem non certis argumentis stabilitam uti veram contentiose defenderent, quia, ut inquit in epistola laudata : « Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, et aperte divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit. » Unde apud Augustinum inconsiderata etiam temeritate alii mordicus oppositam sententiam de animarum creatione sustinebant. Sed neque quod Augustinus de sententia Tertulliani dixit contra sententiam de traduce animarum eo modo quo ab Augustino explicabatur, ut argumentis contrariæ sententiæ responderet, accipiendum est. Nam Tertullianus inde ab Augustino reprehenditur, non quod traducem animarum poneret, sed quod non recte illum assereret, cum putaret animam esse corpoream atque adeo per semen corporeum generantis traduci : « Nam et illi (scribit Augustinus) qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? » Et in hoc sensu sanctus Thomas, part. I, quæst, 118, art. 2, ait, *hæreticum esse* dicere animam traduci cum semine, nempe corporeo, ut ipse ibidem probat, in quo sensu communiter etiam scholastici, 2, dist. 17 et 18, sententiam de traduce animarum rejiciunt. At sanctus doctor nunquam de hoc modo Tertulliani traducendæ animæ dubitavit, sed eumdem tum in ea epistola, tum lib. X de Gen., cap. 25, explosit, atque *incredibilius* dogma pronuntiavit. Sed dubitavit Augustinus « utrum INCORPOREUM semen anima sua quadam occulta et invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in femina. » In eadem epist. 157. De iis vero qui minori cum difficultate traducem defendebant, scribit lib. X de Gen. ad litt., cap. 20 : « Per semen quippe concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt. » Nam animam rationalem ex materia corporea factam fuisse illi soli dixere qui eamdem corpus esse putarunt ex Augustino lib. VII de Gen., cap. 9, contra quos in eo libro idem acutissime disputat. Quare censura illa Augustini eos tantum perstringit qui animam corpoream, juxta Tertulliani errorem, ex corpulentis seminibus originem trahere asseverabant. Qualem vero se exhiberet Augustinus erga utramque sententiam audiatur lib. X de Gen., cap. 21 : « Ego adhuc inter utrosque ambigo, et moveor aliquando sic, aliquando autem sic. » Et cap. 23 : « Admoneo sane, inquit, quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt se ipsos considerent, et interim sapiant corpora non esse animas suas. » Ex quibus Adamus iterum refellitur, dum scribit Augustinum credidisse animam esse corpoream, quem errorem sanctus doctor toto eo libro persequitur.

Bellarminus, ut probet ex traditione ecclesiastica animas a Deo creari, nonnullos Patres adducit, qui etiamsi aliquo modo explicari possent, nullo nobis impedimento esse debent, nam apud Græcos in

Orientali Ecclesia creatio animarum communiter tenebatur. Apud Occidentales vero, teste Hieronymo, opinio de traduce prævalebat. Idem Pater initio quidem hanc secundam sententiam irridebat in cap. ult. Ecclesiastici, motus illis verbis: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, vers. 7. Sed hoc testimonium egregie interpretatur August. lib. x de Gen., cap. 9, et cum in epist. 28 ad eumdem Hieronymum ostendisset cum locum *plus suffragari eis qui ex una putant omnes esse animas*, non amplius sententiam de traduce Hieronymus irrisit, sed laudata Augustini diligentia in explicandis sacræ Scripturæ testimoniis adhibita rescripsit epist. 30 apud Augustinum: *Unusquisque in suo sensu abundet*, contestatus nihil se in litteris Augustini, in quibus latissime de origine animæ disputavit, reprehendendum putare. Commentarios autem in Ecclesiam scripsit *ante annos ferme decem* quam scriberet ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, anno nempe 483: nam epistola illa data est anno 493, ut erudite num. 2 ejus anni probat Baronius. Cum vero libri Augustini per Ecclesiam avide legerentur, sapientiores quique cum Augustino dubitare cœperant in neutram partem inclinantes, ut demonstravimus, magna cum Augustini gloria, cum Patres subsecuti tanti illius auctoritatem fecerint, ut non modo docentem, sed etiam dubitantem sequi voluerint, quasi desperantes veritatem illam assequi, ad quam Augustini ingenium pervenire non potuerat. Itaque sanctus doctor tanto studio ac diligentia omnia Scripturarum loca pro utraque parte adducta exponens, rem satis dubiam apud posteros fecit, suamque illis dubietatem persuasit. Bellarminus ibidem ex Hieronymo eam ecclesiasticam traditionem ita probat: « In epistola ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani ante medium recitatis sententiis Origenis, Tertulliani et Apollinaris, hæreticorum de anima, dicit: *Ecclesiasticum dogma esse, ut Deus quotidie animas fabricetur*; ubi cum opponat ecclesiasticum dogma sententiis hæreticorum, videtur omnino sensisse catholica fide esse tenendum animas non traduci a parentibus, sed creari. » Hæc Bellarminus. Verum Hieronymi verba audire præstat in epistola ad Pammachium: « An certe (quod ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris: *Pater usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17); et illud Isaiæ: *Qui format spiritum hominis in ipso* (*Isa.* XLII); et in Psalmis: *Qui fingit per singulos corda eorum* (*Psal.* XXXII), quotidie Deus fabricetur animas, etc. » Bellarminus addit *dogma*, et silet hæc, *secundum eloquia Salvatoris*, cum Hieronymus illud assertum ecclesiasticum dixerit, non quod esset dogma definitum ab Ecclesia catholica, ac de fide tenendum, cum scripserit ecclesiasticos Occidentales traducem solere communiter defendere, ut fatetur ipsemet Bellarminus cap. Illo 11, § *Quarta sententia*, sed, ut ibidem subdit, quod esset secundum auctoritatem Scripturæ, quæ videtur creationem insinuare, quæ tamen loca explicat Augustinus superius laudatus, et Bellarminus ipse ait: « Quare, ut sanctus Augustinus disputat in epistola 28 ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari. » Quare *secundum eloquia Salvatoris* haud perspicue statuitur assertum illud de creatione animarum, et sic Bellarminus a Hieronymo discedit, quem pro se produxerat, neque erit amplius assertum ecclesiasticum, cum eo titulo tantum a Hieronymo dicatur, quod sit *secundum eloquia Salvatoris*, juxta explicationem auctorum illius sententiæ.

Opponit idem auctor Leonem Magnum, in epistola ad Turibium, cap. 10, hæc scribere: « Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporentur nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator et corporum. » Sed ibi pontifex Origenis sententiam de antiqua ac simultanea omnium animarum creatione confutat, ut patet ex illa epistola 91, initio cap. 10; neque minus dicitur ibidem Deus creator corporum ac animarum; unde sicut ex illo modo loquendi non deducitur corpus non esse ex traduce, nullo item modo inferri potest non fieri ex traduce, ipsam animam. Addit Leonem eumdem epist. 11 ad Julianum, ita loqui de anima Christi: « Nec alio illi quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. » At anima Christi producta est ex nihilo, non per traducem propagata ex Augustino lib. x de Gen, cap. 19 et 20, unde et reliquorum hominum animæ juxta Leonis decretum, a Deo creatæ fuisse credendæ sunt. Sed Leo ibidem damnat opinionem Eutychetis cum Origene concinentis; nam ita loquitur: « Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit prius in cœlis sit commorata quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. » Ex quibus patet, illis verbis: *Nec alio illi, quam cæteris hominibus anima est inspirata principio*, non significari principium, quod idem est ac causa animæ productiva, de quo nulla erat cum hæretico controversia, sed principium, hoc est initium durationis, quod idem fuerat in Christo ac in nobis, nempe initium vivendi in corpore, non in cœlis ante corporis formationem. Do verba pontificis de Verbo scribentis: « Nec animam enim, quæ anterior exstitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit. » Quomodo vero defendentes traducem acute probarent animam Christi fuisse creatam a Deo, non vero reliquas aliorum hominum? Lege Augustinum lib. de Gen. cit. xx: nobis enim satis est ostendisse nihil contra traducem a Leone esse statutum, ut ecclesiastica illa traditio de creatione animarum a Bellarmino asserta nullis innixa fundamentis appareat, cum potius de animæ origine dubitatio Augustiniano speculatu corroborata, per plura sæcula apud Patres invaluerit, ut satis hucusque est demonstratum.

Moraines, qui eam sancti Patris dubitationem in errorum indicem rejecit, non modo omnia quæ antiquitus dicta sunt ignoravit, sed nec quid recentiores audacter pronuntiarunt plane novit. Scripserat vir doctissimus Christianus Lupus, cum adhuc juvenis scripto luderet, in defensione Apologiæ de anima ovi, cap. 15, doctores Marpurgensis academiæ hanc thesim defendere: *Anima rationalis per traducem infunditur, non creatur.* In hac etiam sententia alios esse testatur Vossius lib. II Hist. Pelag., part. I, thesi prima, et Alipius Beylof, lib. VI de Anima ad mentem sancti Augustini, cap. 2, § 3, nominans Timotheum Brighthum Cantabrigiensem, Georgium Sohnium et Danielem Sennertum, qui cum ob eximiam eruditionem inter celeberrimos nostræ ætatis medicos merito reponatur, audiendus est, licet non approbandus. Hic ergo, hypomnemate 4, cap. 14, ait: « Rationalis anima in prima creatione et a Deo opt. max. condita, et corpori humano insita quidem est; verum per illud, *Crescite et multiplicani* (*Genes.* I), vim se propagandi et multiplicandi accepit, et quidem cum semine. Neque enim anima rationalis essentia per se completa est, ut angeli, quæ per se sola subsistat, sed est pars altera hominis, quæ corpus humanum informat, et proinde sicut societas illa corporis nihil ejus nobilitati derogat, ita nec propagatio cum semine. » Item ibidem addit: « Quod Dom. Fienus falsum, absurdum et a religione catholica alienum putat, animam esse ex traduce, est verissimum et sacris litteris consentaneum. » Adducitque nonnulla sacræ Scripturæ testimonia, quæ tamen erudite olim exposuit Augustinus, ne ex sacris arcanis aliquod oppositæ sententiæ præjudicium fieret. Hæc, inquam, refero, sed non probo. Illud tamen advertendum est, quod superius ex epistola 157, ad Optatum indicavimus, Augustinum dubitasse num anima *per* INCORPOREUM *semen* traduceretur, in qua sententia nulla videri debet evidens repugnantia, cum plerique scholastici admittant materiam spiritualem non esse impossibilem. Ita ex materia spirituali angelos componunt sanctus Bonaventura, 2, dist, 3, in part. I, art. 1, q. 2; Alensis part. II, q. 20, memb. 2, § 1; Aureolus, 2, dist. 3, q. 1, art. 3. Ex recentioribus materiam illam possibilem tradunt Bubalus in q. 50 sancti Thomæ de Angelis, art. 2. quæst. 2, difficult. 2, § 1; Arriaga, disput. 1 de Anima, sect. 5; Comptonus, disp. 9 de Anima, sect. 8. Hanc sententiam de materia spiritali ex qua anima componatur, fuse defendit Pater Matthæus Vegliensis in hac celeberrima Patavina academia theologicæ cathedræ Scoti moderator, vir rari ingenii ac nostro præconio major. Hic enim tomo priori de Angelis, q. 27, probat angelos ex materia spirituali componi, quod quæstione sequenti etiam de anima dicendum esse contendit, laudans cap. 1, num. 3, quosdam Scotistas qui in eamdem sententiam descenderunt. Hac ergo materia spirituali animæ admissa, quam tot scholastici defendunt, non erit difficile statuere animarum eductionem secundum formam ex eadem materia spirituali. Noster Alipius Reylof, proxime laudatus, ex eo animarum traducem possibilem defendit, quod anima ut Dei instrumentum alteram animam creare potest: quam virtutem creaturæ communicari posse nobiles scholastici existimarunt. Sed prior modus magis placet. Quæ hic libuit insinuare, ut insulsas quorumdam censuras refellam, qui Augustinum reprehendunt quod traducem animarum probabilem asseruerit, cum tamen evidenter constet animas non posse educi de potentia materiæ corporeæ, alias essent mortales. Etenim nusquam sanctus doctor arbitratus est animas posse educi de materia corporea, sed tantum de materia spirituali, quam esse possibilem tot superius memorati doctores concedunt; illa autem concessa, non video cur eductio formæ spiritualis ex materia spirituali adeo evidenter impossibilis appareat, ut errori verti debeat Augustino quod illam eductionem probabilem duxerit. Fateor materiam spiritualem, ex qua anima fieret visam fuisse difficilem Augustino, ut patet ex lib. VII de Genesi ad litt., cap. 6 et seq. Unde ait cap. 7: « An vero illa spiritalis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? etc. » Ubi fuse materiam spiritualem per modum disputantis examinat. Idem vero sanctus Pater, epist. 157, ad Optatum, proponit difficultates quæ insurgunt posito illi semine spiritali ex quo anima fiat: ut inde satis pateat quantum studii illi dubitationi tollendæ impenderit: sed cum utrinque magnis difficultatibus se premi cerneret, assensam suspendit. Neque enim probare possum hæc Bellarmini verba lib. IV de Amissione gratiæ, cap. 11: « Certe sanctus Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solum faveret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiam (de creatione) tuerentur. » At cur hasce gratias recentioribus Augustinus deberet? Quod ex Scriptura sententiam de creatione animarum ostenderint? at omnia sacrarum litterarum testimonia Augustinus expendit excussitque. An scholasticorum auctoritatem sequeretur? imo potius cum Patribus, quos laudavi, adhuc in veteri dubitatione persisteret. Rationibus earumdem contra traducem convinceretur? at illæ, præterquam quod ab affirmantibus materiam spiritualem facile solvi possunt, id tantum evincerent, ut Augustinus ab admittendo traduce assensum contineret, quod et semper fecit, non autem in sententiam de creatione singularum animarum eumdem traherent, in qua non minoribus difficultatibus se premi sentiebat, præcipue vero quod data ea sententia, quam etiam Pelagiani toto conatu urgebant, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, qua adeo premuntur scholastici, ut in assignando modo quo labes illa per generationem trahatur, minime inter se conveniant, sed sese invicem acerrime oppugnent. Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, et tunc gratias tantum ageret cum certum modum proponerent,

quo data creatione animarum peccati originalis propagatio adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille a nemine rejici posset.

Ex hucusque dictis satis elucet quam immerito, Moraines, Augustino de origine animæ dubitanti erroris notam inuris, quam plenis sanctorum Patrum suffragiis ille absolvitur, et te invito panegyricum eidem recitat magnum Africanæ Ecclesiæ ornamentum sanctus Fulgentius, Ruspensis antistes, his plane verbis conceptum : « Quæstionis (de origine animæ) B. Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle quod alter posset contraria responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quam in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, nec non in libro primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque epistolis quas ad Optatum episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minus copiosa quam profunda, et eo magis laudabili quia congrua temperie moderata ; ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit et inquisivit singulariter, et discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. » Lib. III de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 18.

§ IV. *An fuerit sententia sancti Augustini pueros baptizatos sine reali Eucharistiæ sumptione non posse salvari ?*

Transeamus modo ad reliquos errores quos de Augustino recentiores publicant. Opponit Adamus, pag. 584, Augustinum docuisse *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione sanctissimæ Eucharistiæ*. Moraines recitatis verbis sancti Augustini lib. I de peccatorum Meritis, cap. 20 § *Auferatur jam dubitatio*, ait : « Quæ verba sunt adeo manifesta, ut difficillime patiantur benignam interpretationem, qua plerique theologorum Augustinum ab errore excusare conantur, error enim est notatus et damnatus sub anathemate a concilio Tridentino. » Hic quoque Augustini causa tuta est Romana Ecclesia sancto doctori patrocinante, apostolicæ enim sedis pontifices eadem omnino Augustini verba contra Pelagianos usurparunt. Cum hæretici, coacti illis verbis Domini Joan. III, 6 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, concederent pueros sine baptismo mortuos non ituros in regnum cœlorum, cum illos sine peccato originali esse vellent, negabant eosdem in ignem æternum projiciendos, sed dicebant illos habituros nescio quam vitam æternam, beatam ac felicem, ut tradit Augustinus serm. 14 de Verb. Apost., lib. IV de Orig. animæ, cap. 13, epistola 106, et alibi. Quare, ut hocce effugium Pelagianis præcluderet, illud Joannis VI, 54, opposuit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum non manducarint carnem Filii hominis, aut ejus sanguinem biberint, non habituros vitam beatam, et per consequens fore damnatos. De hoc argumento ex sacris litteris ab Augustino deducto hæc scribit ibidem Moraines : « Item lib. I de peccatorum Meritis et remiss., cap. 20, et lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 13, et lib. II Operis imperf. contra Julianum, cap. 29, docere videtur sacramentum Eucharistiæ non minus esse necessarium parvulis ad salutem, quam baptismum, neque minus ad eos pertinere quod dicitur Joan. VI, 54 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quam istud Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, etc, »

Sed post Augustinum Romani quoque pontifices qui Pelagianos damnarunt eodem prorsus testimonio Joannis VI citato usi sunt, ad vitam illam quam pueris Pelagiani sine baptismo promittebant, eliminandam. Sanctus Innocentius, in litteris ad Patres synodi Milevitanæ ita scribit : « Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. » Putat Maldonatus textum esse corruptum dicens ea verba Innocentii vix sensum ullum congruentem habere posse : « Ubi ergo, inquit, est *defendunt*, legendum puto *deferunt*, et ubi est *nisi baptismate*, legendum puto *sine baptismate.* » Vasquez, part. III, disp. 279, cap. 4, num. 55, tum animadversiones Maldonati notasset, legit, *in eis defendunt.* At illa verba optimum sensum habent, nam vel ipse Cicero usus est illis particulis *non nisi* in lib. de Amicitia : « Hoc primum sentio nisi in bonis amicitiam esse non posse. » In synodo etiam Carthaginensi, anno 397, can. 29, dicitur : « Ut sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur. » Verbum vero *defendo* cum dativo jungit Horatius lib. I. Carminum, ode 17 : *Defendit æstatem capellis*, et Virgilius, eclog. 4 : *Solstitium pecori defendite.* Nec præfectus urbem defendere sibi dicendus est, sed principi, Quare textus sancti Innocentii nullæ novæ grammaticæ castigatione restituendus venit ; sed leviora hæc insinuasse sit satis. Eodem prorsus testimonio sanctus Gelasius papa Pelagianos insecutus est in epistola ad episcopos per Picenum : « Ut providentia Dei, inquit, omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (Joan. III 5), sed etiam pariter dictum est : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus*

sanguinem, non habebit vitam in semetipso (*Joan.* VI 54). De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc sacramentum vitam videantur habere præsentem. » Audis, Moraines, non minus ad parvulos pertinere illud Joan. VI : *Nisi manducaveritis*, etc., quam illud Joan. III : *Nisi quis renatus*, etc. Hoc Innocentius credit, hoc Gelasius statuit, quod tamen in Augustino tanquam palmarem errorem reprehendebas.

Maldonatus in Comment. cap. VI Joan. 54, ait : « Missam facio Augustini et Innocentii I sententiam, quæ sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus necessariam. » Rursus ibidem affirmat Augustinum et Innocentium « eo testimonio Joan. VI adductos fuisse ut crederent infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam percipe- B rent, salvos esse non posse. » Ita socium erroris Augustino tribuunt Innocentium, et si Gelasium legissent, eumdem quoque addidissent. Duo hic nobis præstanda sunt, et Maldonatus castigandus, et Augustinus una cum apostolica sede ab errore ac censuris vindicandus est. In primis certum est veteres Patres consuevisse pueris statim post baptismum sacram Eucharistiam ministrare, ut tradunt Cyprianus in libro de Lapsis ; Gennadius de Eccles. Dogmat., cap. 52 ; Augustinus epist. 107 ; concilium Toletanum II, cap. 11. Quod vero inquit Maldonatus illos ita fecisse, quod putabant *Eucharistiam etiam infantibus necessariam*, nullo pacto concedi potest : id enim est contra Tridentini decretum, sess. 21, C cap. 4, ubi de eodem antiquorum ritu dandi parvulis Eucharistiam, loquens ait : « Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. » Quod rursus addit Maldonatus sanctos Innocentium et Augustinum dixisse *infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam perciperent, salvos esse non posse*, et Adamus dixisse Augustinum *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione sanctissimæ Eucharistiæ*, falsissimum est. Illi quidem dixere infantes sine sacramento Eucharistiæ salvos esse non posse, at id de pueris baptizatis nunquam affirmarunt cum ea tempestate statim post baptismum daretur omnibus etiam Eucharistia. Ob hanc D veri causam eo testimonio Joannis VI contra Pelagianos optime et Romani pontifices et Augustinus usi sunt : nam cum Pelagiani vitam æternam extra regnum Dei parvulis sine baptismo morientibus darent, sancti Patres ita arguebant : Nullus sine baptismo potest suscipere Eucharistiam, per quam ex verbis domini Joannis VI donatur vita æterna, igitur pueri morientes sine baptismi et Eucharistiæ sacramentis non possunt participare vitam æternam. At nunquam dixere infantes tantum baptizatos ante Eucharistiæ sumptionem non habere gratiam et jus ad vitam æternam. Eo autem discursu optime Pelagiani convincebantur quia unde vitam æternam parvulis promitterent, non habebant. Marius Mercator, sancti A Augustini amicus et defensor, in opusculo contra Julianum, hoc ipso argumento utitur ea prorsus ratione qua illud ipsi explicavimus. Do illius sententiam ex Ms. Palatinæ bibliothecæ in Vaticano, num. 234, pag. 8, col. 2 : « Vox Salvatoris est : *Nisi manducaveritis carnem meam, biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobismetipsis* ; quod certe absque ulla tergiversatione sine baptismo nullus usurpat, nec fit illius particeps sacramenti. » Porro hoc argumentum *validissimum* esse testatur Eusebius, episcopus Gallicanus, cujus homiliæ sub Emisseni titulo circumferuntur, qui tamen Emisseno et posterior et melior fuit. Hic in hom. 5 de Paschate ait : « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Quod testimonium contra Pelagii blasphemias EVIDENTISSIMUM atque VALIDISSIMUM est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorum baptismum parvulis conferendum. Sub his enim Dei verbis, quibus Evangelista pronuntiat, *Non habebitis vitam in vobis*, aperte intelligenda est omnis anima munere baptismi vacua non solum gloria carere, sed vita. » Tom. V Bibl. sanctorum Patrum, part. I, pag. 560 edit. Colon. Illam vero auctoritatem sacræ Scripturæ ita adhibuisse sanctum Augustinum patet ex ejusdem epist. 106 ad Paulinum, ubi ait : « Si autem cedunt sedi apostolicæ, vel potius ipsi magistro et Domino apostolorum, qui dicit non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem, quod NISI BAPTIZATI non utique possunt, nempe aliquando fatebuntur parvulos NON BAPTIZATOS vitam habere non posse. » Neque sanctus Innocentius scribit parvulis etiam baptizatis vitam æternam nisi per Eucharistiam conferri, ut illi Maldonatus imponit, sed *in eos creditur* NON NISI BAPTISMATE *conferendam*, ut vitam æternam non ab Eucharistia, sed a baptismate conferri significet, Unde Augustinus in laudata epistola ad Paulinum notat ab apostolica sede adhibitum illud *testimonium evangelicum*, *ne parvuli* NON BAPTIZATI *vitam posse habere credantur.* Non ait, *ne parvuli etiam baptizati sine Eucharistiæ sumptione vitam posse habere credantur.* Quæ gravis est adversariorum allucinatio.

Sed cum ea tempestate omnibus utrumque illud sacramentum, baptisma scilicet et Eucharistia, daretur, non tam frequenter legimus in Augustino quid senserit si baptisma tantum sine Eucharistia collatum fuisset. Cæterum semel casum illum lego apud sanctum doctorem, lib. I de origine animæ, cap. 9, et lib. III, cap. 9, ubi cum Vincentius Victor exemplo boni latronis probaret pueros sine baptismo posse salvari, sanctus doctor respondet fieri potuisse ut latro ille fuerit baptizatus, et antequam in carcerem iret acceperit in baptismo remissionem peccatorum ; vel, ut plerique credebant, in ipsa cruce baptizatus fuerit aqua e Christi latere exiliente. Et lib. II Retract., cap. 18, ait incertum esse an latro fuerit baptizatus, qua de re sermo redibit cap. 5, § 11. At

certum est latronem non sumpsisse Eucharistiam, quæ pridie ante mortem in cœna a Domino instituta fuerat. Igitur per Augustinum homo tantum baptizatus sine reali sumptione Eucharistiæ potest accipere remissionem peccatorum et salutem æternam. Hoc etiam deducitur ex constanti ejusdem sententia, qua asseruit *fidem conversionemque cordis*, quæ fit per charitatem actualem, posse reddere hominem salvum, si a recipiendo baptismo improvisa necessitate excludatur; ita passim scribit in libris contra Donatistas, præcipue lib. IV de Baptismo, cap. 22. At puer baptizatus, etiamsi non percipiat Eucharistiam, longe perfectiori modo habet fidem et charitatem sibi a Deo in sacramento regenerationis infusas; igitur, juxta doctrinam sancti Augustini, vere salvabitur. Cum vero sancti Patres docent sine participatione corporis et sanguinis Domini neminem vitam æternam consequi posse, intelligendi sunt de participatione spirituali, quando per fidem infusam fiunt participes corporis Christi, dum fiunt membrum Christi, cui per fidem incorporatur, sicuti qui sumunt Eucharistiam dicuntur fieri membra Christi, dum manent in eo et Christus in eis. Hinc Augustinus, tract. 27 in Joannem, plura de hac re habet, inter cætera: « Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat; ut compaginet unitas, quæ facit nisi charitas? » Et tract. 26: « Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. » Ita etiam se explicat sanctus Pater in iisdem libris contra Pelagianos, ubi cum lib. III de peccatorum Meritis, cap. 4, dixisset: « Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam; » paulo superius modum assignaverat quo pueri participant corpus Christi: « Unde fit consequens, inquit, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori, membrisque socientur. » Et hanc ipsam esse Augustini mentem testatur sanctus Fulgentius in responsione ad duas quæstiones Ferrandi diaconi. Scripserat Ferrandus juvenem Æthiopem morti proximum fuisse baptizatum, ac statim antequam Eucharistiam sumeret decessisse, petens num eo pacto salvari posset? Respondit Fulgentius hominem per baptismum fieri participem corporis Christi, seu incorporari Christo, etiamsi Eucharistiæ sacramentum reapse non sumat. Et cum plurima ad hoc suadendum testimonia ex sacris litteris adduxisset, sermonem tandem sancti Augustini ad infantes ante altare producit, ubi sanctus doctor inter alia ait: « Intelligite, et gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando Spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis, estote quod videtis, et accipite quod estis. » Igitur infantes ex Augustino per gratiam sanctificantem baptismi facti sunt membra corporis Christi. Porro Fulgentius post illa Augustini verba concludit: « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » In resp. ad quæst. Ferrandi diaconi. Beda, tomo VI, in Comment. cap. 10 primæ ad Corinthios, qui conflati sunt ex centonibus Augustini, ita citat priora illa verba sancti Augustini, ut eidem etiam attribuat sequentia, quæ ex Fulgentio retulimus, omisso priori versu: *Arbitror, sancte frater*, etc., in quem lapidem impegit etiam compilator canonum cap. *Nulli*, de Consecr., dist. 4, verba illi Fulgentii Augustino ascribens. Ex his error ille de necessaria pueris præter baptismum reali Eucharistiæ sumptione a recentioribus Augustino attributus in fumum evanescit, cujus vocibus cum Romani pontifices usi sint ad eosdem divinæ gratiæ hostes convincendos, haud ille unus erroris argui potest, sed una cum Augustino apostolica sedes accusanda venit, præsertim cum sanctus doctor illud testimonium Joan. VI inculcarit, tanquam *ab apostolica sede adhibitum*, uti diximus ex epistol. 106. Quod si recentiores religioni ducunt adeo præpostere de Romanis pontificibus sentire, qui ex communi Ecclesiæ sensu contra Pelagianos sententias dixere, mitiores etiam erga Augustinum animos induant, atque in eadem prorsus causa, et Romanos præsules, et Hipponensem antistitem benignis interpretationibus excipiant, non illas quidem honoris gratia e proprio cerebro fingentes, sed ab ipso Augustino una cum Fulgentio easdem inaudientes. Unus enim Augustinus sibi est ad sui intelligentiam clavis, ac suorum sensuum planus ac sincerus interpres.

§ V. *Non errasse sanctum doctorem exponentem illud Apostoli Rom.* XIV, 23: Omne quod non est ex fide peccatum est. *Ecclesia catholica, Romani pontifices ac Patres sancti Augustini interpretationem approbant.*

Sed rursus Morainius contra Augustinum clamat: « Perperam quoque exponit id quod ait Apostolus Rom. XIV, 23: *Omne quod non est ex fide peccatum est*, quasi velit dicere Apostolus omnia opera infidelium esse peccata, et sine vera fide nullum posse fieri bonum opus; cum tamen ibi sermo sit de eo quod non fit ex dictamine conscientiæ judicantis bona fide licitum esse id quod fit, ut ex textu ipso liquet, et communis interpretatio doctorum contradicit Augustino, qui etiam aliquot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ, etc. Utrumque tamen a vero sensu Apostoli loco citato plane alienum est. » Hæc ille. Nos quidem superiori capite, § 4, quæ fuerit sancti doctoris mens de operibus in-

fidelium indicavimus; modo Morainii ignorantia castiganda est, qui eam interpretationem, quam Ecclesia inter sacras cæremonias secuta est, a vero sensu Apostoli plane alienam dicere non dubitavit. Etenim ex antiquo Ecclesiæ ritu episcopus eos qui subdiaconi consecrandi sunt, ita alloquitur : « Estote ergo tales qui sacrificiis divinis et Ecclesiæ Dei, hoc est corporis Christi digne servire valeatis in vera et catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiæ est. » In Pontificali Romano. Ecce Augustinianum interpretamentum catholicæ Ecclesiæ approbatione consecratum, et per universum orbem orthodoxum ab episcopis inter sacras cæremonias recitatum. Igitur una est Ecclesiæ et Augustini de illis Apostoli verbis sententia, nempe ut de vera fide Christiana intelligantur. Videre mihi videor novos censores hærere, ut aiunt, ad aquas. Si Ecclesiam catholicam *perperam* textum Apostoli explicare dicant, jam vident quam gravi se piaculo obstringunt. At si Ecclesiæ voces rejicere religioni ducunt jam tandem Augustino ecclesiastica auctoritate coacti herbam porrigant. Nec mirum Ecclesiam catholicam ita Apostoli verba intellexisse, eo enim prorsus modo apostolicæ sedis pontifices eadem antiquitus interpretati sunt. Sanctus Leo Magnus, serm. 2 de Jejunio Pentecostes, disserens de infidelium ac Christianorum virtutibus, ita Apostoli sententiam explicat : « Aliud agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem. Unde, quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, etc. » Idem serm. 8 de Quadragesima ait : « Is vera et rationabili purificatione se præparat, cujus cor nulla infidelitate polluitur, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Inutilia erunt et vana eorum jejunia quos illusionibus suis decipit mendacii pater, et vera Christi caro non pascit. » Forte dicetis illam fuisse privatam Leonis interpretationem, qui ea in re cum Augustino sensit ; docuisse illa Leonem pro concione disserentem, non e cathedra contra hæreses quidquam definientem. Sed parum vos ista juvant, dum catholici laudatam explicationem ab Apostolico ore inaudierunt, nec nisi temere dicere potestis Leonem licet non e cathedra definientem, sed docentem *perperam* locutum fuisse. Sed habemus pontificem Bonifacium II, qui septuagesimo a Leonis obitu anno contra Semi-Pelagianos sententiam e cathedra pronuntians Augustinianam interpretationem probavit. Etenim in epistola ad sanctum Cæsarium Arelatensem, loquens de fide Christiana, ait : « Præter quam (fidem) nihil est boni quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut beatus Apostolus dicit : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur, aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. » At si duo Romani pontifices non satis auctoritatis addunt Augustini interpretationi, produco suffragia quindecim Patrum doctissimorum ac sanctissimorum, qui ex Africa in Sardiniam a Trasamundo rege Ariano in exsilium deportati, in libro de Incarnatione et gratia, omnium subscriptione, ut ex titulo patet, approbato, hæc tradunt cap. 25 : « Quis audeat illas in hoc loco gentes accipere quas constat non esse justificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus : quia *Omne quod non est ex fide peccatum est* ; et quia *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi) ? Quod si Abraham ex fide justificatum esse constat, etc. » Hæc synodus Byzacena. Quæ profecto faciunt ut nostri Patris explicatio nisi temere censuræ subjici possit. Sed alii Patres atque antiqui scriptores eidem interpretationi albos calculos adjecere. Sanctus Prosper, in epistola ad Rufinum ; sanctus Fulgentius, lib. II de peccatorum Remissione, cap. 1 ; sanctus Isidorus, lib. de Summo Bono, cap. 2 ; sanctus Bernardus, serm. 30 et 51 in Cantica ; Julianus Pomerius, lib. III de Vita contemplativa, cap. 1 ; Facundus Hermianensis, lib. I de Tribus Capitulis ad Justinianum imperatorem, cap. 1. in fine, aliique ; ita ut si Patrum suffragia numerentur, plus quam viginti Augustino in eadem apostololici textus intelligentia consentiant, cum in altera interpretatione longe pauciores a recentioribus nominentur, nisi semet pariter istis adjungant, a quibus tam longo intervallo disjuncti sunt. Et tamen audacter Morainius contestatur quod *communis interpretatio doctorum contradicit Augustino*, quasi illi Patres quos adduximus doctores non sint, sed *plebeia de fæce Saburræ* ! Video tamen Bernardum alteram etiam interpretationem admittere, nempe, quod non est ex conscientia peccatum est, in lib. de Præcept. et disp., cap. 18 et 20. Vossius, vir satis suo nomine notus, lib. III Hist. Pelag., part. III, thesi 12, conatur uno verbo Augustini interpretationem cum altera memorata de conscientia componere, « nempe ut mens Apostoli sit. Quidquid non provenit ex fide Christiana, per conscientiam ad opus applicata, illud peccatum censetur. » Sed nullis interpretamentis indiget Augustinus, qui de vera intelligentia Paulinæ sententiæ cum Juliano litigavit. Etenim cum sanctus doctor in primo libro de Nuptiis et concup., cap. 3, initio, ubi incipit contra Julianum disputare, ex illis Apostoli verbis : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, intulisset sine fide pudicitiam non esse veram virtutem, Julianus quatuor libros uni illi Augustiniano opponens, rejecta interpretatione sancti Patris, alteram dubio procul de conscientia supposuit, ut vim argumenti elideret. At Augustinus contra hosce quatuor Juliani libros e vestigio alterum de Nuptiis et concupiscentia exaravit, dein sex etiam volumina longe majori labore composuit, in quorum quarto, cap. 3, Juliani expositionem rejicit, suamque datam cap. 3 de Nupt. et concupisc. cit., constanter defendit his plane verbis : « Testimonium illud, quo ex Apostolo posui : *Omne quod non est ex fide pec-*

catum est, sicut tibi visum est, accepisti, et exposuisti non ut sapit, sed ut sapis : De cibis enim Apostolus loquebatur. Verum cum dixisset : *Qui autem discernit si manducaverit damnatus est, quia non ex fide* (*Rom.* XIV, 23), hanc peccati speciem, de qua agebat, generali voluit probare sententia mox inferens : *Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* » Hæc Augustinus, ex quibus dictamen conscientiæ a fide dirigendum esse deducitur, a qua sola, ut ibidem probat, in ultimum finem opus refertur, quam ille conditionem ad bonitatem moralem operis ex omni circumstantia perfecti semper requirit. Etenim judicium practicum, quod dictat abstinendum a cibis lege vetitis, dirigitur a fide, qua creduntur præcepta illa esse servanda per ordinem ad ultimum finem. Quare qui discernit si manducaverit damnatus est, quia non operatur ex fide dirigente judicium practicum, seu conscientiam, quod dictum generali sententia probans Apostolus ait : *Omne quod non est ex fide*, a qua sola bonum opus saltem virtualiter ad Deum referri potest, *peccatum est*. Neque hic audienda est violenta interpretatio Cornelii a Lapide ad hunc Pauli textum dicentis : « Augustinum cum suis vò *Quod non est ex fide*, per miosim sic accipere, quasi dicat Apostolus, quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodve fit ad cultum idoli, hoc peccatum esse ; et quia sanctus Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque opera putasse esse peccata. » Etenim sanctus Pater ad veram virtutem relationem in ultimum finem necessariam adeo putavit, ut nec virtutes propter sui honestatem citra vitium expeti posse affirmaverit, ut fusius cap. 3, § 4, probavimus : deficit enim illis relatio saltem virtualis proxima in ultimum finem, eo quod eliciantur ab homine veri Dei cognitione privato, ac philautiæ vitio corrumpantur, quæ constans Augustino sententia stetit.

Dices : Igitur si *omne quod non est ex fide peccatum est*, videlicet omnis actio quæ non supponit fidem in operante, a qua in ultimum finem dirigatur, est peccatum, eaque astruitur germana intelligentia verborum Apostoli ex Patrum, pontificum ac totius Ecclesiæ catholicæ interpretatione, sequitur omnia opera infidelium esse peccata, quæ tamen est 26 propositio Baii ab apostolica sede toties damnata, Respondeo nos jam superius, cap. 3, § 4, insinuasse, procul esse Augustini sententiam a damnata Baii propositione, sed ne videamur recentiores pontifices, qui memoratam thesim sæpius proscripsere, cum antiquis decessoribus, imo cum ipsamet Ecclesia catholica committere, quæ ex Apostols docet *omne quod non est ex fide peccatum esse*, pauca hic iterum subjiciam. In primis illa propositio 26 Baii a plerisque recitatur [Possevin., verbo *Michael Baius*], præcipue vero a Suario hoc pacto : « Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia : *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* » Scribit autem Turrianus in tractatu de erroribus Baii, ad calcem tomi de Gratia, cap. 5, § 1, num. 4 : « Sic habent aliquot bullæ typis mandatæ Romæ, et aliquot manuscriptæ, quas ego vidi. » Mendose autem esse illam thesim sic describi certum est : nam tantum abest ut Pelagiani dixerint omnia opera infidelium esse peccata, ut e contrario potius assererent infideles pleraque virtutum opera elicere, putantes ea ratione divinam gratiam expungere ex Augustino lib. IV contra Julianum, cap. 3. Suarez, prolegom. 6 de Gratia, cap. 2, num. 7, ait : « Unde suspicor in illa propositione hypothetica deesse negationem aliquam, seu verbum negandi *nempe* : Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia : *Non omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes non sunt vitia.* » At Vasquez, 1-2, disp. 191, cap. 2, ita recitat illam propositionem : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, etc. Et in eadem bulla non semel edita Romæ contra Jansenium verba illa : *Et ad Pelagianismum*, etc., omissa sunt, In primis damnata est illa propositio ob censuram qua Pelagianismi incusabat negantes omnia opera infidelium esse peccata, et illam censuram primitus in bullis fuisse patet ex iis quæ antiquitus Romæ editæ sunt, quas etiam Turrianus, insignis e societate scriptor, testatur se legisse ; quis audeat dicere typographos Romanos propria auctoritate ea verba addidisse ? Hæc confirmantur ex hac propositione 23 ejusdem Baii, nempe, « cum Pelagio sentire, qui textum Apostoli Rom. II : *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. » Quæ quidem propositio vel secundum historicam narrationem accipitur, id est eos qui ita sentiunt id asserere quod itidem Pelagius affirmavit. Et in hoc sensu propositio illa est vera, nec ulla ratione damnari potest, nam Pelagius ita illa Apostoli verba explicat in epist. ad Demetriadem, cap. 4 ; et Patres Byzaceni, in lib. de Incarnat, et grat., cap. 5, recitata illa Pauli sententia scribunt : » Quem quidem Apostoli locum hi qui gratiæ contradicunt gentibus incredulis assignare conantur. » Quod etiam tradit Augustinus lib. IV contra Jul., cap. 3, § *Unde et illi*. Vel eadem assertio accipitur prout censura configit eos qui laudatum textum de infidelibus intelligunt, quasi hæresim Pelagianam eo pacto doceant, et recte ob impudentem censuram, tanquam scandalosa damnatur eadem Baii propositio. Itaque etiam propositio illa 26 ob censuram proscripta fuit, quæ eamdem doctrinam cum 23 continet ; oppositum enim thesis 26 probari solet ab omnibus ex textu memorato Apostoli Rom. II. Respondeo 2° propositiones illas damnari *respective*, et *in sensu ab assertoribus intento*, ut in fine bullæ asseritur. Illa propositio 26 damnatur respective ad 35, quæ est : *Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est*. Ex qua necessario infertur omnia opera infidelium esse peccata. et philosophorum virtutes esse vitia, cum illi sint peccatores. Quare merito damnatur, ut derivata, ex

hæretica doctrina rejecta in Tridentina synodo, sess. 6, can 7, et ab Augustino, ut contra Maldonatum ostendimus cap. 3, § 4. Respondeo tertio infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos a Deo præmoventur, qui profecto peccata esse non possunt. Tradit hoc diserte sanctus doctor, cap. 24 de Gratia Christi ubi, recitato illo Scripturæ sacræ de Assueri mutatione testimonio Esther xv, 11 : *Convertit Deus, et transtulit indignationem ejus in lenitatem*, cum prius præmisisset Assuerum tum fuisse infidelem, et peccatorem, concludit : « Interna atque occulta mirabilia, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam BONAS VOLUNTATES. » Baius vero nullos actus bonos ex Dei gratia ad infidelibus fieri volebat, eo quod gratiam tantum admittebat Spiritus sancti inhabitantis in anima, qui cum in infideli non inhabitet, hinc arbitrabatur nullum in eodem divinæ gratiæ auxilium reperiri. Horum testem appello Gabrielem Vasquez, 1-2, disput. 190, cap. 18, num. 184, ubi de opinione Baii in libro de Justitia et virtutibus impiorum, cap. 4 et 5, hæc habet : « Non admittebat ille distinctionem gratiæ Spiritus sancti nondum habitantis, qualem concedimus ante remissionem peccatorum, et inhabitantis, qualem dicimus esse post remissionem. » Quæ doctrina est contra Tridentinam synodum, quæ, sess. 14, cap. 4, admittit *Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis*. Ex his patet Gregorium nostrum Ariminensem in hac thesi cum Michaele Baio neutiquam convenire. Nam licet in 2 sententiarum dist. 26, q. 1, art. 1, dicat omnia opera infidelium esse peccata, attamen art. 3, in resp. ad testimonia Augustini, ait : « Si tamen aliquod taliter factum, scilicet debito fine, et aliis debitis, scilicet circumstantiis, reperiatur ad infidelibus, dicendum est eos id fecisse non sine speciali adjutorio Dei. » Quod in resp. ad 8, de facto in obstetricibus Ægyptiis pueros Hebræorum occultantibus factum concedit, nempe *Deo specialiter adjuvante*. Quæ etiam ibidem probat sancti doctoris testimonio lib. 4 contra Jul., cap. 3, ubi concedit aliqua bona opera in infidelibus ex speciali tamen Dei gratia derivata, et admittit insuper adjutorium Dei, seu Spiritus sancti nondum inhabitantis, quorum neutrum Baius asserebat, Basilius Poncius, part. I Relect. de Grat., cap. ultimo, pag. 204, ait : « Ponamus enim id quod PROBABILIS OPINIO fert, ut dicam in secunda parte, omnia infidelium opera esse peccata, » etc. Quis autem existimet virum inter Salmanticenses celeberrimum Baii sententiam probabilem duxisse, præsertim cum cap. 15 de ejusdem Baii propositionibus agat? Etenim Poncius in principes hujus sæculi theologos merito a doctis quibusque recensetur. Huic doctissimi Patres Carmelitæ excalceati Salmanticenses honoris gratia hocce epitaphium posuere tract. III de Scientia Dei disput. 18. dub. 8, num. 130 : « Quamvis omittere non possimus magnum illum virum, qui modo dum huic operi insudaremus, maximo omnium dolore, et totius hujus universitatis, imo et orbis jactura, a vivis ereptus est, nempe magistum Basilium Poncium Legionensem, Augustinianæ familiæ augustissimam prolem, et in hac academia cathedræ primariæ sacræ theologiæ meritissimum moderatorem. » Itaque cum illa propositio : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, a nobilissimis theologis etiam post editam bullam contra Baium defendatur, palam fit in recto sensu posse accipi, a quo procul fuit Baius, unde merito eadem thesis ab apostolica sede proscripta fuit. Hæc autem fusius prosecutus sum, non modo ut ostenderem summos pontifices ac tot Patres, imo ipsam catholicam Ecclesiam, dum illa verba Apostoli Rom. XIV : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, explicant de fide Chistiana, nulla ratione suffragari damnatæ Baii propositioni, verum etiam ut satis molestam quorumdam recentiorum importunitatem refellerem, qua crudam illam propositionem absque sensuum, quos plures pati monstravi, distinctione damnatam volunt.

§ VI. *Sanctus Augustinus nunquam censuit cogitationes morosas esse duntaxat peccatum veniale, ut recentiores eidem falso imponunt.*

Restaurat tamen accusationem Moraines, et alterius erroris Augustinum reum postulat his verbis : « Præterea, lib. II (*contra Jul.*), cap. 10, docet cogitationes morosas, sive delectationes voluntarias de rebus venereis esse duntaxat peccatum veniale, modo absit consensus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum ; quæ doctrina ab omnibus catholicis jampridem rejicitur, nec sine scandalo a quoquam obtruderetur. » Sed respondemus Augustinum intelligendum esse de delectatione quæ est sine plena advertentia malitiæ vel periculi illius, in quo casu non esse illam peccatum mortale communis theologorum sententia est, testibus Salas, 1-2, tit. 13, disp. 6, sess. 6, et Vasquez 1-2, disp. 97, cap. 3. (Sanctus Thomas, quæst. 15 de Malo, art. 2, ad 16.) At sanctum doctorem de delectatione eo modo erumpente locutum fuisse non obscure ex illiusmet verbis cognoscitur. « Quando in talibus, inquit, cogitationibus cum ALIQUA delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis non sicut oportet, ne illo incidat, inde avertentes, aut si inciderit, inde rapientes. « Cap. 10 cit. Oportet enim mentem, si eas in cogitationes inciderit, statim inde avertere, quod si ex defectu plenæ advertentiæ non fiat (quod sæpe accidit, cum non sit in nostra postestate quid nobis veniat in mentem, sed turpia quandoque irrepant, animumque repentina delectatione titillent), neutiquam peccatum mortale censetur. Hinc Augustinus consulto addidit *aliqua delectatione*, ut ejus gravitatem ac vim ad peccatum mortale causandum non sufficere ostenderet. Porro sensisse Augustinum cogitationes, seu delectationes morosas esse peccatum mortale patet ex lib. XII de Trinit., cap. 12, ubi aperte docet tales delectationes morosas esse peccatum sufficiens, ad pertrahendum

hominem in æternam damnationem, nisi sacramentali gratia culpa remittatur: « Ita dici potest, inquit, in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. » En claram apertamque sancti doctoris sententiam, qui si alibi ita locutus fuit, ut et in pravum et in bonum sensum trahi potuerit, cur non ipsum audit Morainæs suorum verborum interpretem, sed ex semel contra ipsum concepta opinione in erroneum sensum detorquet, ut ejusdem accusandi patentiorem locum sibi faciat? Tales nos erga aliorum scripta præstare debemus, quales nostris chartis lectores volumus, nempe candidos, ingenuos, extra odium ac livorem positos, quive ea, quæ æquivoca forte excidere, congruis interpretamentis exponunt. Cæterum quantum sanctissimus ille Ecclesiæ doctor delectationes hasce furtim in animum irrepentes timuerit atque exhorruerit, ex his precibus, quas in fine præclari illius operis de Trinitate ad Deum profudit, satis abunde intelligitur: « Multæ sunt, ait, cogitationes meæ tales, quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. » Quid est in delectationibus *velut dormitando immorari*, nisi ex non plena advertentia immorari, sicuti qui dormitat, non plene advertit ea quæ fiunt?

§ VII. *An sanctus Augustinus putaverit baptismum datum sine intentione esse validum.*

Sed alio rursus errore Augustinum involvit adversarius: « Item dubitavit, inquit, num baptismus sine intentione datus per jocum et irrisorie validus sit, lib. VII de Baptismo, cap. 53, censetque exspectandam esse revelationem, antequam talis rebaptizetur. » Ita Morainius ibidem. Non una, sane fateor, est theologorum sententia in explicando Augustino, ne videatur a baptismo necessitatem intentionis removisse, quam tamen necessario requiri et Florentina et Tridentina synodus decrevere. Magister Sententiarum, 4, dist. 6, dubium fuisse Augustinum concedit. At sanctus Thomas ibidem, in fine distinctionis, exponens textum, docet dupliciter posse quempiam irrisorie baptizare: vel propter solam oblectationem quam ex illa exteriori actione capit, non habens interim intentionem faciendi quod facit Ecclesia, neque conferendi rem sacramenti, nempe gratiam, et hoc modo tradit nullum esse baptismum; vel potest quis ludicre alterum baptizare, ut intendat quidem facere quod facit Ecclesia, sed non conferre rem sacramenti, quod ipse falsum nullumque arbitratur: et in hoc posteriori sensu ait esse validum baptismum: quare cum nesciamus quo ex his duobus intentionis modis ludicre baptizans alterum abluerit, exspectanda est, inquit sanctus Thomas, divina revelatio, ut docet Augustinus. P. Macedo, lib. IV de Clavibus, cap. 8 partis primæ, hanc explicationem subscribit, laudans Augustini prudentiam, qui ad eam occultam cogitationem per ludum baptizantis detegendam, Dei unius testimonium, qui cordium scrutator est, necessarium pronuntiaverit. Addit ibidem recentiores gerere se *insolenter*, qui Augustinum ob id reprehendunt, uti est Antonius Moraines in suo Anti-Jansenio, « Iniquissimus, ait, Augustino auctor, sed non miror, quod cum in eo libro fictus sit auctor, cum persona decorem deposuit: Bellarminum imitari debuit multo se doctiorem et meliorem, qui Augustinum intellexit et vindicavit. » Sed sane Moraines, qui de necessitate intentionis ministri Augustinum dubitasse dicit, Bellarminum imitatur, qui lib. I, cap. 28, in sol. 3, arg. Kemnitii, scribit Augustinum de intentionis necessitate *dubitasse*, addens: « Nunc autem res definita est in duobus generalibus conciliis Florentino et Tridentino. »

Hæc tamen explicatio mihi probari nullo modo potest: nam in dubio repeti debet baptismus, ut communis doctorum sententia tradit ex concilio Carthaginensi, post conc, Fl. Stilichonis, anno 401, ubi in dubio an puer barbarus venundatus sit baptizatus, decernitur esse illum baptizandum; expedit enim exponere potius sacramentum periculo nullitatis, quam hominem periculo damnationis; neque dicunt Patres in eo dubio implorandam divinam revelationem. Porro illud decretum notum fuit Augustino, quo præsente repetitum est cum cæteris canonibus synodorum Africanarum sub Aurelio Carthaginensi habitarum in plenario Consilio Africano, anno 419. Igitur non apparente voluntate per ludum baptizantis, iterum est baptismus repetendus. Ita si quis Judæus apud suos in scena nostra sacra irridentes esset baptizatus, ad fidem vero vellet accedere, Ecclesia illum baptizaret, nec revelationem exspectaret, qua Judæi olim in scena baptizantis intentio innotesceret. Quando autem Augustinus eo capite 53 ait: « Utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, etc., implorandum esse censerem, » non intelligit in dubio facti, sed in dubio juris, nam talis persona sic baptizata esset iterum baptizanda. At de sufficientia et valore talis modi baptizandi, ut inter dogmata Ecclesiæ certa definitio reponeretur, exspectandam dixit revelationem, non quidem quæ alicui personæ privatæ fieret per novum miraculum, sed quæ fieret Patribus synodi per solitas illustrationes Spiritus sancti; unde statim addit: « Ita sane, ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum est cognitum afferrent, humiliter exspectarem.

serta est, ita tamen ut, teste Bellarmino, lib. IV de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 10, in fine, adhuc non desint, *qui in ea sancti Augustini dubitatione hærendum censeant.* Estius quidem, nobilis theologus, scribit 2 Sententiarum, dist. 17, § 14, nihil esse de origine animæ ab Ecclesia definitum, nec futuros læsæ fidei reos qui ea de re dubitarent. Sed viderint illi qui ita dubii adhuc esse vellent; sat mihi est ostendisse jure Augustinum de origine animæ dubitasse, eamque dubitationem per plura sæcula sanctis Patribus placuisse. Sane prudentissimus fuisse dicendus est, qui in quæstione difficillima judicium suspendit, nihil certi ad Ecclesia definitum esse sciret : « Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. » Ita suam hanc perplexitatem defendit lib. II de peccatorum Meritis, cap. 36. Hinc cum Pelagiani ex creatione animarum, quam altius exaggerabant, deducerent non posse illas habere peccatum originale, ne alias in Deum creantem culpa rediret, lib. III ad Bonifacium, in fine, et ex litteris Zosimi, quarum fragmentum recitat in epistola 157, sanctus doctor in utraque sententia tam affimantium animarum traducem, quam negantium, peccatum originale bene posse componi demonstravit, ac rem apud Ecclesiam certissimam juxta utramque opinionem explicare conatus est, ne cui peccatum originale incredibile videretur,

Bellarminus concedit Augustinum de animæ origine dubitasse; addit tamen in scriptis post libros de Genesi ad litteram *apertissime refellisse* sententiam de traduce animarum, quod in epist. 157 ad Optatum hæc scribat: « Itaque illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt ; » et superius loquens de sententia Tertulliani, qui ponebat traducem animarum, dicat: « Quo quid perversius dici potest? « Non assentior, cum in illa epistola adhuc se dubitare fateatur; nam recitata utraque opinione de creatione et traduce animarum, initio statim epistolæ ait: « Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed ADHUC inter utramque disceptem. » Et lib. I de Origine animæ, cap. 16, de traduce animarum ait: « Ego nec defendo, nec refello. » Hos autem libros sanctus doctor composuit post illam epistolam quam Cæsarea dedit ad Optatum, ut ostendimus lib. I Histor. Pelag., cap. 15 ; in iis autem libris suam dubitationem fusissime defendit contra Vincentii Victoris reprehensiones. Solvit tamen ibi more solito argumenta utriusque sententiæ, quod non est opinionem de traduce refellere, sed ejusdem incertitudinem demonstrare. Hinc illius assertores inconsideratæ temeritatis arguit, non quod putaret illos falsum asserere, sed quod culparet promptam eorum audaciam, qua opinionem non certis argumentis stabilitam uti veram contentiose defenderent, quia, ut inquit in epistola laudata : « Ubi res naturaliter obsc strum modulum vincit, et aperte divina Sc non subvenit, temere hinc aliquid definire h conjectura præsumit. » Unde apud Augustin considerata etiam temeritate alii mordicus tam sententiam de animarum creatione susti Sed neque quod Augustinus de sententia Ter dixit contra sententiam de traduce anima modo quo ab Augustino explicabatur, ut argu contrariæ sententiæ responderet, accipiendu Nam Tertullianus inde ab Augustino reprehi non quod traducem animarum poneret, se non recte illum assereret, cum putaret anima corpoream atque adeo per semen corporeum rantis traduci : « Nam et illi (scribit Aug qui animas ex una propagari asserunt, qua primo homini dedit, atque ita eas ex pa trahi dicunt, si Tertulliani opinionem seq profecto eas non spiritus, sed corpora esse dunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo sius quid dici potest? » Et in hoc sensu sanct mas, part. I, quæst, 118, art. 2, ait, *hæretic* dicere animam traduci cum semine, nemp reo, ut ipse ibidem probat, in quo sensu co ter etiam scholastici, 2, dist. 17 et 18, sen de traduce animarum rejiciunt. At sanctu nunquam de hoc modo Tertulliani traducen mæ dubitavit, sed eumdem tum in ea epist lib. X de Gen., cap. 25, explosit, atque *incr* dogma pronuntiavit. Sed dubitavit Augustinus INCORPOREUM semen anima sua quadam oc invisibili via seorsum ex patre currat in cum fit conceptus in femina. » In eadem ep De iis vero qui minori cum difficultate tradu fendebant, scribit lib. X de Gen. ad litt., « Per semen quippe concumbentis patris tr etiam semen animæ volunt. » Nam animam lem ex materia corporea factam fuisse illi so qui eamdem corpus esse putarunt ex Augus VII de Gen., cap. 9, contra quos in eo libr acutissime disputat. Quare censura illa A eos tantum perstringit qui animam corporea Tertulliani errorem, ex corpulentis seminib nem trahere asseverabant. Qualem vero se ret Augustinus erga utramque sententiam lib. X de Gen., cap. 21: « Ego adhuc inter ambigo, et moveor aliquando sic, aliquand sic. » Et cap. 23: « Admoneo sane, inquit, valeo, si quos ista præoccupavit opinio, u ex parentibus credant propagari, quantum se ipsos considerent, et interim sapiant corp esse animas suas. » Ex quibus Adamus iter litur, dum scribit Augustinum credidisse esse corpoream, quem errorem sanctus doc eo libro persequitur.

Bellarminus, ut probet ex traditione ecc animas a Deo creari, nonnullos Patres add etiamsi aliquo modo explicari possent, nul impedimento esse debent, nam apud Gr

Orientali Ecclesia creatio animarum communiter tenebatur. Apud Occidentales vero, teste Hieronymo, opinio de traduce prævalebat. Idem Pater initio quidem hanc secundam sententiam irridebat in cap. ult. Ecclesiastici, motus illis verbis: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, vers. 7. Sed hoc testimonium egregie interpretatur August. lib. x de Gen., cap. 9, et cum in epist. 28 ad eumdem Hieronymum ostendisset eum locum *plus suffragari eis qui ex una putant omnes esse animas*, non amplius sententiam de traduce Hieronymus irrisit, sed laudata Augustini diligentia in explicandis sacræ Scripturæ testimoniis adhibita rescripsit epist. 30 apud Augustinum: *Unusquisque in suo sensu abundet*, contestatus nihil se in litteris Augustini, in quibus latissime de origine animæ disputavit, reprehendendum putare. Commentarios autem in Ecclesiam scripsit *ante annos fere decem* quam scriberet ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, anno nempe 483: nam epistola illa data est anno 493, ut erudite num. 2 ejus anni probat Baronius. Cum vero libri Augustini per Ecclesiam avide legerentur, sapientiores quique cum Augustino dubitare cœperant in neutram partem inclinantes, ut demonstravimus, magna cum Augustini gloria, cum Patres subsecuti tanti illius auctoritatem fecerint, ut non modo docentem, sed etiam dubitantem sequi voluerint, quasi desperantes veritatem illam assequi, ad quam Augustini ingenium pervenire non potuerat. Itaque sanctus doctor tanto studio ac diligentia omnia Scripturarum loca pro utraque parte adducta exponens, rem satis dubiam apud posteros fecit, suamque illis dubietatem persuasit. Bellarminus ibidem ex Hieronymo eam ecclesiasticam traditionem ita probat: « In epistola ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani ante medium recitatis sententiis Origenis, Tertulliani et Apollinaris, hæreticorum de anima, dicit: *Ecclesiasticum dogma esse, ut Deus quotidie animas fabricetur;* ubi cum opponat ecclesiasticum dogma sententiis hæreticorum, videtur omnino sensisse catholica fide esse tenendum animas non traduci a parentibus, sed creari. » Hæc Bellarminus. Verum Hieronymi verba audire præstat in epistola ad Pammachium: « An certe (quod ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris: *Pater usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17); et illud Isaiæ: *Qui format spiritum hominis in ipso* (*Isa.* XLII); et in Psalmis: *Qui fingit per singulos corda eorum* (*Psal.* XXXII), quotidie Deus fabricetur animas, etc. » Bellarminus addit *dogma*, et silet hæc, *secundum eloquia Salvatoris*, cum Hieronymus illud assertum ecclesiasticum dixerit, non quod esset dogma definitum ab Ecclesia catholica, ac de fide tenendum, cum scripserit ecclesiasticos Occidentales traducem solere communiter defendere, ut fatetur ipsemet Bellarminus cap. IIIo 11, § *Quarta sententia*, sed, ut ibidem subdit, quod esset secundum auctoritatem Scripturæ, quæ videtur creationem insinuare, quæ tamen loca explicat Augustinus superius laudatus, et Bellarminus ipse ait: « Quare, ut sanctus Augustinus disputat in epistola 28 ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari. » Quare *secundum eloquia Salvatoris* haud perspicue statuitur assertum illud de creatione animarum, et sic Bellarminus a Hieronymo discedit, quem pro se produxerat, neque erit amplius assertum ecclesiasticum, cum eo titulo tantum a Hieronymo dicatur, quod sit *secundum eloquia Salvatoris*, juxta explicationem auctorum illius sententiæ.

Opponit idem auctor Leonem Magnum, in epistola ad Turibium, cap. 10, hæc scribere: « Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporentur nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator et corporum. » Sed ibi pontifex Origenis sententiam de antiqua ac simultanea omnium animarum creatione confutat, ut patet ex illa epistola 91, initio cap. 10; neque minus dicitur ibidem Deus creator corporum ac animarum; unde sicut ex illo modo loquendi non deducitur corpus non esse ex traduce, nullo item modo inferri potest non fieri ex traduce, ipsam animam. Addit Leonem eumdem epist. 11 ad Julianum, ita loqui de anima Christi: « Nec alio illi quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. » At anima Christi producta est ex nihilo, non per traducem propagata ex Augustino lib. x de Gen., cap. 19 et 20, unde et reliquorum hominum animæ juxta Leonis decretum, a Deo creatæ fuisse credendæ sunt. Sed Leo ibidem damnat opinionem Eutychetis cum Origene concinentis; nam ita loquitur: « Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit prius in cœlis sit commorata quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. » Ex quibus patet, illis verbis: *Nec alio illi, quam cæteris hominibus anima est inspirata principio*, non significari principium, quod idem est ac causa animæ productiva, de quo nulla erat cum hæretico controversia, sed principium, hoc est initium durationis, quod idem fuerat in Christo ac in nobis, nempe initium vivendi in corpore, non in cœlis ante corporis formationem. Do verba pontificis de Verbo scribentis: « Nec animam enim, quæ anterior exstitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit. » Quomodo vero defendentes traducem acute probarent animam Christi fuisse creatam a Deo, non vero reliquas aliorum hominum? Lege Augustinum lib. de Gen. cit. xx: nobis enim satis est ostendisse nihil contra traducem a Leone esse statutum, ut ecclesiastica illa traditio de creatione animarum a Bellarmino asserta nullis innixa fundamentis appareat, cum potius de animæ origine dubitatio Augustiniano speculatu corroborata, per plura sæcula apud Patres invaluerit, ut satis hucusque est demonstratum.

Moraines, qui eam sancti Patris dubitationem in errorum indicem rejecit, non modo omnia quæ antiquitus dicta sunt ignoravit, sed nec quid recentiores audacter pronuntiarunt plane novit. Scripserat vir doctissimus Christianus Lupus, cum adhuc juvenis scripto luderet, in defensione Apologiæ de anima ovi, cap. 15, doctores Marpurgensis academiæ hanc thesim defendere: *Anima rationalis per traducem infunditur, non creatur.* In hac etiam sententia alios esse testatur Vossius lib. II Hist. Pelag., part. I, thesi prima, et Alipius Beylof, lib. VI de Anima ad mentem sancti Augustini, cap. 2, § 3, nominans Timotheum Brighthum Cantabrigiensem, Georgium Sohnium et Danielem Sennertum, qui cum ob eximiam eruditionem inter celeberrimos nostræ ætatis medicos merito reponatur, audiendus est, licet non approbandus. Hic ergo, hypomnemate 4, cap. 14, ait: « Rationalis anima in prima creatione et a Deo opt. max. condita, et corpori humano insita quidem est; verum per illud, *Crescite et multiplicani* (*Genes.* I), vim se propagandi et multiplicandi accepit, et quidem cum semine. Neque enim anima rationalis essentia per se completa est, ut angeli, quæ per se sola subsistat, sed est pars altera hominis, quæ corpus humanum informat, et proinde sicut societas illa corporis nihil ejus nobilitati derogat, ita nec propagatio cum semine. » Item ibidem addit: « Quod Dom. Fienus falsum, absurdum et a religione catholica alienum putat, animam esse ex traduce, est verissimum et sacris litteris consentaneum. » Adducitque nonnulla sacræ Scripturæ testimonia, quæ tamen erudite olim exposuit Augustinus, ne ex sacris arcanis aliquod oppositæ sententiæ præjudicium fieret. Hæc, inquam, refero, sed non probo. Illud tamen advertendum est, quod superius ex epistola 157, ad Optatum indicavimus, Augustinum dubitasse num anima *per* INCORPOREUM *semen* traduceretur, in qua sententia nulla videri debet evidens repugnantia, cum plerique scholastici admittant materiam spiritualem non esse impossibilem. Ita ex materia spirituali angelos componunt sanctus Bonaventura, 2, dist, 3, in part. I, art. 1, q. 2; Alensis part. II, q. 20, memb. 2, § 1; Aureolus, 2, dist. 3, q. 1, art. 3. Ex recentioribus materiam illam possibilem tradunt Bubalus in q. 50 sancti Thomæ de Angelis, art. 2. quæst. 2, difficult. 2, § 1; Arriaga, disput. 1 de Anima, sect. 5; Comptonus, disp. 9 de Anima, sect. 8. Hanc sententiam de materia spiritali ex qua anima componatur, fuse defendit Pater Matthæus Vegliensis in hac celeberrima Patavina academia theologicæ cathedræ Scoti moderator, vir rari ingenii ac nostro præconio major. Hic enim tomo priori de Angelis, q. 27, probat angelos ex materia spirituali componi, quod quæstione sequenti etiam de anima dicendum esse contendit, laudans cap. 1, num. 3, quosdam Scotistas qui in eamdem sententiam descenderunt. Hac ergo materia spirituali animæ admissa, quam tot scholastici defendunt, non erit difficile statuere animarum eductionem secundum formam ex eadem materia spirituali. Noster Alipius Reylof, proxime laudatus, ex eo animarum traducem possibilem defendit, quod anima ut Dei instrumentum alteram animam creare potest: quam virtutem creaturæ communicari posse nobiles scholastici existimarunt. Sed prior modus magis placet. Quæ hic libuit insinuare, ut insulsas quorumdam censuras refellam, qui Augustinum reprehendunt quod traducem animarum probabilem asseruerit, cum tamen evidenter constet animas non posse educi de potentia materiæ corporeæ, alias essent mortales. Etenim nusquam sanctus doctor arbitratus est animas posse educi de materia corporea, sed tantum de materia spirituali, quam esse possibilem tot superius memorati doctores concedunt; illa autem concessa, non video cur eductio formæ spiritualis ex materia spirituali adeo evidenter impossibilis appareat, ut errori verti debeat Augustino quod illam eductionem probabilem duxerit. Fateor materiam spiritualem, ex qua anima fieret visam fuisse difficilem Augustino, ut patet ex lib. VII de Genesi ad litt., cap. 6 et seq. Unde ait cap. 7: « An vero illa spiritalis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? etc. » Ubi fuse materiam spiritualem per modum disputantis examinat. Idem vero sanctus Pater, epist. 157, ad Optatum, proponit difficultates quæ insurgunt posito illi semine spiritali ex quo anima fiat: ut inde satis pateat quantum studii illi dubitationi tollendæ impenderit: sed cum utrinque magnis difficultatibus se premi cerneret, assensam suspendit. Neque enim probare possum hæc Bellarmini verba lib. IV de Amissione gratiæ, cap. 11: « Certe sanctus Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solum faveret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiam (de creatione) tuerentur. » At cur hasce gratias recentioribus Augustinus deberet? Quod ex Scriptura sententiam de creatione animarum ostenderint? at omnia sacrarum litterarum testimonia Augustinus expendit excussitque. An scholasticorum auctoritatem sequeretur? imo potius cum Patribus, quos laudavi, adhuc in veteri dubitatione persisteret. Rationibus earumdem contra traducem convinceretur? at illæ, præterquam quod ab affirmantibus materiam spiritualem facile solvi possunt, id tantum evincerent, ut Augustinus ab admittendo traduce assensum contineret, quod et semper fecit, non autem in sententiam de creatione singularum animarum eumdem traherent, in qua non minoribus difficultatibus se premi sentiebat, præcipue vero quod data ea sententia, quam etiam Pelagiani toto conatu urgebant, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, qua adeo premuntur scholastici, ut in assignando modo quo labes illa per generationem trahatur, minime inter se conveniant, sed sese invicem acerrime oppugnent. Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, et tunc gratias tantum ageret cum certum modum proponerent,

ita creatione animarum peccati originalis pro- A *carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum non manducarint carnem Filii hominis, aut ejus sanguinem biberint, non habituros vitam beatam, et per consequens fore damnatos. De hoc argumento ex sacris litteris ab Augustino deducto hæc scribit ibidem Moraines : « Item lib. I de peccatorum Meritis et remiss., cap. 20, et lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 13, et lib. II Operis imperf. contra Julianum, cap. 29, docere videtur sacramentum Eucharistiæ non minus esse necessarium parvulis ad salutem, quam baptismum, neque minus ad eos pertinere quod dicitur Joan. VI, 54 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quam istud Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, etc, »

Sed post Augustinum Romani quoque pontifices qui Pelagianos damnarunt eodem prorsus testimonio Joannis VI citato usi sunt, ad vitam illam quam pueris Pelagiani sine baptismo promittebant, eliminandam. Sanctus Innocentius, in litteris ad Patres synodi Milevitanæ ita scribit : « Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc eis sine regeneC ratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. » Putat Maldonatus textum esse corruptum dicens ea verba Innocentii vix sensum ullum congruentem habere posse : « Ubi ergo, inquit, est *defendunt*, legendum puto *deferunt*, et ubi est *nisi baptismate*, legendum puto *sine baptismate*. » Vasquez, part, III, disp. 279, cap. 4, num. 55, tum animadversiones Maldonati notasset, legit, *in eis defendunt*. At illa verba optimum sensum habent, nam vel ipse Cicero usus est illis particulis *non nisi* in lib. de Amicitia : « Hoc primum sentio nisi in bonis amicitiam esse non posse. » In synodo etiam Carthaginensi, anno 397, can. 29, dicitur : « Ut sacramenta altaris non D nisi a jejunis hominibus celebrentur. » Verbum vero *defendo* cum dativo jungit Horatius lib. I. Carminum, ode 17 : *Defendit æstatem capellis*, et Virgilius, eclog. 4 : *Solstitium pecori defendite*. Nec præfectus urbem defendere sibi dicendus est, sed principi, Quare textus sancti Innocentii nullæ novæ grammaticæ castigatione restituendus venit ; sed leviora hæc insinuasse sit satis. Eodem prorsus testimonio sanctus Gelasius papa Pelagianos insecutus est in epistola ad episcopos per Picenum : « Ut providentia Dei, inquit, omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (Joan. III 5), sed etiam pariter dictum est : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus*

e adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille ine rejici posset.

hucusque dictis satis elucet quam immerito, es, Augustino de origine animæ dubitanti ernotam inuris, quam plenis sanctorum Patrum iis ille absolvitur, et te invito panegyricum recitat magnum Africanæ Ecclesiæ ornamenmctus Fulgentius, Ruspensis antistes, his plane conceptum : « Quæstionis (de origine animæ) gustinus profunditatem sibi imperscrutabilem s, nullam voluit hujus rei definitam proferre tiam, incongruum prorsus existimans aliquid are sine dubitatione velle quod alter posset ria responsione convellere. Cujus tam in delibro de Genesi ad litteram, quam in libris ad B itium Victorem de origine animæ, nec non in primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum t, in tribus quoque epistolis quas ad Optatum pum de hac quæstione composuit, disputatione et non minus copiosa quam profunda, et eo laudabili quia congrua temperie moderata ; idquid ingenii acumine, quidquid ratiocinatiodine, quidquid auctoritatis pondere inquirendiscutiendumque conspexit et inquisivit sinter, et discussit, consensum tamen ab utraque ione continuit, ne laborem tantæ disputatioiniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ teia definitio vacuaret. » Lib. III de Veritate stinationis et gratiæ, cap. 18.

An fuerit sententia sancti Augustini pueros baptos sine reali Eucharistiæ sumptione non posse ari ?

nseamus modo ad reliquos errores quos de tino recentiores publicant. Opponit Adamus, 84, Augustinum docuisse *infantes etiam suscepto mo non posse salvos fieri sine reali sumptione sanc e Eucharistiæ*. Moraines recitatis verbis sancti tini lib. I de peccatorum Meritis, cap. 20 eratur *jam dubitatio*, ait : « Quæ verba sunt adeo esta, ut difficillime patiantur benignam interionem, qua plerique theologorum Augustinum ore excusare conantur, error enim est notatus natus sub anathemate a concilio Tridentino. » ioque Augustini causa tuta est Romana Eccleacto doctori patrocinante, apostolicæ enim sentifices eadem omnino Augustini verba contra anos usurparunt. Cum hæretici, coacti illis Domini Joan. III, 6 : *Nisi quis renatus fuerit a et Spiritu sancto, non potest introire in re- Dei*, concederent pueros sine baptismo morion ituros in regnum cœlorum, cum illos sine o originali esse vellent, negabant eosdem in æternum projiciendos, sed dicebant illos has nescio quam vitam æternam, beatam ac feut tradit Augustinus serm. 14 de Verb. Apost., de Orig. animæ, cap. 13, epistola 106, et alibi. , ut hocce effugium Pelagianis præcluderet, Joannis VI, 54, opposuit : *Nisi manducaveritis*

illi sunt, quibus et Suarez et Molina assurgant, Martinon vero nec eadem cum illis die nominetur.

Illud quidem principium theologicæ scholæ judicium de sancti Augustini interpretatione fuit, cui sane alii ante Augustinum viam aperuerant. Philo, Hebræorum Plato, communem sententiam de opere sex dierum non modo rejecit, verum etiam irrisit, lib. I Allegor. inquiens : « Rusticanæ simplicitatis esse putare sex diebus, aut utique certo tempore mundum esse creatum. » Ex Græcis Clemens Alexandrinus, lib. VI Stromatum, eamdem explicationem secutus est, quam apud Latinos noster Augustinus quam maxime illustravit. Illam etiam tanti fecere universi scholastici doctores, ut magno studio allaborarint in explicanda sententia Augustini de cognitione illa matutina et vespertina rerum, nempe in divina natura et in se ipsis. Ita de vero Augustini sensu inter se non leviter litigant doctores scholarum principes Albertus Magnus, part. I Summæ, q. 12, art. 6 et 7 ; sanctus Thomas, part. I q. 58, art. 6 et dist. 3, quæst. 9 ; Ægidius, part. I Hexamer., cap. 29, et cæteri communiter, quos non sine laude in eadem Augustini mente indaganda imitati sunt Jesuiticæ scholæ duces, Suarez lib. I de Opere sex dierum, cap. 10 ; Vasquez, part. I, disput. 51, cap. 2. Mitto hic quæ ex Cassiodoro, Isidoro, Junilio aliisque in commendationem Augustinianæ explicationis adducunt Lusitani nostri doctores Cerda et Ludovicus ab Angelis. P. Macedo, in altero theologico tomo Collationum de Angelis, doctissime sancti Patris interpretationem defendit (*Collat.* 6, *diff.* 2), ubi plures recentiores laudat qui Augustini sententiam amplexati sunt. Interim legendus omnino est idem Augustinus lib. XII Confess., ubi a cap. 14 usque ad 32, quo liber ille clauditur, justam sibi apologiam paravit, qua suas in Moysem interpretationes suggillantes solide confutavit.

§ X. *Sanctus Augustinus non erravit asserendo peccatum originale esse causam reprobationis.*

Adesdum, lector ; nam immanem prorsus Augustino errorem objicit Adamus, dum cap. 3, pag. 584, et cap. 6, pag. 614, scribit Augustinum sensisse *solum peccatum originis esse causam reprobationis damnatorum.* Postea cap. 10, pag. 667, hanc eamdem Augustini sententiam sequenti censura perstringit : « Sed si iste doctor (nempe Augustinus adderet peccatum originale esse solam causam reprobationis, et esse id quo ad salvatos a damnatis separandos movetur Deus, non solum pro hujus opinionis defensione mortem oppetere nolo, sed credo mihi licere illam horrere, quia mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie urget contra Ecclesiam. » Quis autem sit iste error Augustinianæ sententiæ filius subticuit, sat enim illi fuit sancti doctoris assertum, Calvinismi agnatione objecta, non suspectum modo, sed et exosum reddere. Porro quicunque iste error fingatur ex illa sententia sancti doctoris illatus a Calvino, interrogatum velim Adamum num ex thesi sancti Augustini de reprobatione ex originali solo peccato orta Calviniana illa opinio deducatur vere an apparenter tantum ? Si primum dicat, tunc faciet Augustinum ex Ecclesiæ doctore Calviniani erroris magistrum, quod impium est cogitare ; si vero alterum affirmet, videbit sancti Augustini sententiam non modo reapse non esse Calvinianæ hæreseos, [ut perperam putat, matrem, sed neque affinem, et optime cum Calviniani erroris confutatione posse componi. Unde igitur, Adame, tale monstrum finxisti ? An quod ita Calvinistæ arbitrantur ? sed si horum præjudicia sequeris, jam poteras universam Augustini doctrinam, imo et sacros codices compendio horrere, nam Calvinistæ, quotquot hæresum portenta nutriunt, ne veterum patrocinio nudati videantur, sub sacræ Scripturæ atque Augustinianæ togæ quibusdam veluti laciniis eadem obvolvere tota arte conantur.

O utinam hocce Calvini effatum ex Augustini sententia deductum protulisses ! nulla nobis ejusdem refellendi difficultas esset, qui tenebras non invehi, sed fugari solis præsentia novimus. Sed cum nullum tale dogma appellaveris, eo silentio non obscure significasti non esse illud quidem Augustinianæ sententiæ filium, sed e tuo cerebro natum figmentum, si tamen vigilans illa scripsisti. Sed age, videamus quam longe sancti Augustini sententia de reprobatione ex solo peccato originali orta distet ab errore Calvini. Certa sancta Augustino sententia stetit, reprobationem supponere necessario peccatum saltem originale. Quare versans illa Pauli ad Rom. IX, 11, 13 : *Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali*, etc., *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, in quibus verbis reprobatio Esau designatur, eamdem peccatum originis supponere docuit. In epistola 105 ait : « Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum ? » Et lib. I ad Simplic., q. 2, scribit : « Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem. » Quod quidem peccatum non esse factum a Deo, qui bonorum tantum est auctor, ibidem probat concludens : « Odit enim in eis impietatem, quam ipse non facit. » Quare nullo pacto Deum futurum justum asseverat, si homines reprobaret nullo in ipsis existente peccato : « Ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito, injustum est, » ibid. Et epist. 105 ad Paulinum : « Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea vasa fierent in contumeliam. » Idem habet epist. 157 ad Optatum : « Merito autem videretur injustum quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam. » Hinc contra Pelagianos urget Deum futurum injustum si pueros morientes sine peccato originis, licet non forent baptizati, damnaret, dicens : « Bonus est Deus, justus est Deus ; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est, » lib. III contra Jul., cap. 18. Pluri-

ur inspirentur; sicut animantur carnes per ani- A animatas et materiales esse quasdam virtutes, ana-
animalium; an sola sine ulla permixtione præ- thema sit. Uti præcipuus Origenis error ille pro-
t. » Quas quæstiones insolutas relinquens ait, scriptus fuit. Porro Justiniani litteras Vigilius papa
m *non facile posse comprehendi*. Quare sanctus cum universa Ecclesia catholica approbavit, uti te-
as part. I, q. 70, art. 3, ubi quærit utrum lu- statur insignis tum temporis Carthaginensis diaco-
ria cœli sunt animata, ait : « Similiter etiam nus Liberatus, cap. 23 Breviarii ; qua de re pluribus
doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. egimus in dissertat. de Synodo v. Hunc autem ca-
nes enim posuit corpora cœlestia animata ; nonem in eadem synodo v œcumenica, anno 553 ce-
ymus etiam idem sentire videtur, etc. ; Basi- lebrata, approbatum fuisse scribit Nicephorus
ro, et Damascenus asserunt corpora cœlestia lib. XVII, cap. 27. Unde P. Lupus eumdem uti ab
e animata ; Augustinus vero sub dubio dere- eadem synodo statutum more solito, nempe erudite,
in neutram partem declinans. » Idem Angeli- notis ac scholiis illustrat. An vero modo defendi
ctor, Contra Gentes, II cap. 70, ingenue testa- possit anima cœlorum post damnatam illam Orige-
hil ab Ecclesia de anima cœli definitum esse : nis opinionem, nolo disputare ; posset enim quis
autem, inquit, quod dictum est de animatione reponere damnatam solummodo illam sententiam
non diximus quasi asserendo secundum fidei B juxta mentem Origenis intellectam, de quo hæc scri-
am, ad quam nihil pertinet sive sic sive ali- bit sanctus Hieronymus epist. 61 contra Joannem
atur. » Scotus vero, 2, dist. 14, q. 1, in fine, Hierosolymitanum : « Origenes docet solem ipsum,
: « Si cœli non sunt animati, hoc est magis et lunam, et omnium astrorum chorum esse animas
m quam ratione probatum. » Quod si neque rationalium quondam et incorporalium creaturarum, quæ nunc vanitati subjectæ, ignitis videlicet
itate Ecclesiæ, ut ait Angelicus, neque efficaci corporibus, quæ nos imperiti et rudes luminaria
s, ut subdit Subtilis, quidquam de cœlorum mundi apellamus, liberabuntur a servitute corru-
certi stabilitum est, nonne jure magnus nos- ptionis in libertatem filiorum Dei. » De qua Origenis opinione hæc tradit sanctus Augustinus tomo VI,
tor ea de re poterat dubitare? Cum lib. XIII in lib. contra errores Priscillianistarum, cap. 8 :
itate Dei, cap. 16, retulisset sententiam Plato- « De sole et luna, cæterisque sideribus, quod cœ-
t : « Et hoc quidem utrum Plato verum de si- lestia sint corpora videmus, quod animata sint, non
s dicat, alia quæstio est. Neque enim continuo videmus. De divinis hoc libris legatur, et credimus. »
endum est globos istos luminum, sive orbicu- C Hæc ibi. Et quidem Fromondus, lib. I de Anima,
e corporea super terras seu die, seu nocte cap. 1, art. 8, fatetur eum qui animam vegetativam
es, suis quibusdam propriis animis vivere, aut etiam sensitivam astris concederet, in syno-
intellectualibus et beatis, etc. » Ex quibus dum V non peccare, quæ animas tantum intellecti-
ugustino illam de cœlorum animabus senten- vas a cœlestibus corporibus exclusit. Petrus Aureo-
on multum placuisse, eam tamen ob Platoni- lus, Parisiensis scholæ præclarissimum decus, et
ac Patrum præsertim auctoritatem in medio ordinis Minorum singulare ornamentum, quem nun-
sse. quam sine admiratione se legisse testatur Basilius
rum cœlos sine anima melius statuendos ex Poncius in quodlibetis quæst. 8, c. 3 (est enim ob
a sententia non semel docuit. In libro poste- ingenii acumen, et argumentorum sive copiam sive
Retract., cap. 7, ubi corrigit libros contra vim spectes, queis nova plerumque abs se inventa
m, ait : « In decimo quarto de sole et luna asserta communit, nemini scholasticorum secun-
icta sunt, tanquam sentiant, et ideo tolerent dus), hic, inquam, cum in 2 Sententiarum, dist. 14,
adoratores suos. Quamvis verba ibi accipi q. 2, art. 2, pluribus investigasset num intelligentia
t ab animali ad inanimale translata, modo lo- movens cœlum uniretur tanquam motor, an vero ut
is qui vocatur Græce metaphora. » Vides san- D forma, et probabiles rationes ad animam cœlorum
atrem retractare sententiam qua visus fuerat persuadendam adduxisset, solutis etiam argumentis
animas dare, idque metaphorice tantum intel- quæ a theologis contra eamdem opinionem fieri
um esse aperte protestari? In his vero libris communiter solent, ita concludit : « Sed, dimissis
ivam veluti sententiam tulit, qua quid de as- philosophis et aliis, intelligendum est in hac mate-
animabus ipse sentiret intimavit, ita ut, ria quæ via prædictarum duarum est probabilior,
i alibi oppositum dixisset, ex posteriori as- cum utraque satis probabilis videatur. Respondeo :
orrigeretur. Idem habet tract. 1 in Joannem, Augustinus dicit (recitato uno et altero testimonio) : *Sed nec illud certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol, et luna, et cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida esse corpora, non cum sensu, aut intelligentia videantur.* Hæc Augustinus. Si ergo TANTUS DOCTOR in hac materia dubitavit, ego nihil
verba : *Quod factum est in illo vita erat.* Lega-
ditus P. Alipius Reylof, Augustinianus, lib. I
ma, cap. 4, ubi de sancti Augustini sententia
ime disputat. Opinio vero illa de cœlorum
damnata demum legitur in litteris a Justi-
imperatore scriptis ad Mennam patriarcham
ntinopolitanum, ubi inter reliquos anathema-
hic habetur : « Si quis dicit cœlum, et solem,
m, et stellas, et aquas quæ super cœlos sunt, definio in hac parte. » Ridendus igitur Morainius, qui Augustini dubitationem inter errores rejecit,

qua cæteri homines excidere ab ultimo fine permissi A sunt, causa fuit peccatum originale. » Hæc ibi. Jamne vides, jamne sentis, Adame, quæ sit sapientissimorum veterum tuorum theologorum reverentia erga Augustini sententiam de reprobatione ex solo originali peccato primitus derivata, quam tamen, præ tua singulari pietate, eruditione ac zelo *horrere* te dicis, ut *Calviniani* erroris *matrem* ? Plurimi quidem theologi varios modos excogitarunt quibus eam sancti Patres doctrinam explicarent atque defenderent. Dominicus Bannez, part. 1, q. 23, art. 5, quinque explicationes refert, quarum nullam probat. Quinque etiam modos recenset Gonettus, cit. § 6, quos singulos in ipsorum probabilitate relinquit. Ego juxta doctrinam sancti Augustini ita difficillimi mysterii solutionem propono, neque enim B facile est divinæ voluntatis arcana rimari : quis enim consiliarius ejus fuit ?

Certum dogma est hominem ex peccato primi parentis evasisse massam perditionis, ita ut seclusa gratia Redemptoris nunquam inde suis viribus potuisset resurgere, quod olim ab Innocentio I et Africanis conciliis contra Pelagionas statutum fuit. Evaserant igitur omnes homines in Adamo natura filii iræ, subjecti potestati dæmonis, inimici Dei et indigni qualibet gratia, facti objectum divini odii atque vindictæ. Potuisset summa Numinis justitia, qualibet vel minima gratia negata, in æternum genus humanum originali peccato infectum perpetua damnatione punire. Docuit hoc Augustinus sæpissime. In Enchiridio, cap. 99 : « Universum, ait genus humanum tam C juste judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam, et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione justissima derelictis ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret. » Similia habet lib. de Correptione et grat , cap. 10; lib. de Dono persev., cap. 8, initio; lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8. Hæc exemplo angelorum malorum confirmat cap. 27 Enchiridii : « Et siquidem, inquit, in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum, non immerito fieret. » Itaque in illa massa perditionis homo evasit indignus D tota serie gratiarum, quas inter primæ sunt gratia justificans, per quam homo accedit ad Deum, et gratia perseverantiæ finalis, per quam homo non amplius potest recedere a Deo. Homo igitur ex peccato originali incidit in privationem gratiæ justificantis et in privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum in semel accepta gratia justificante, quæ privationes cum respiciant diversas formas, diversæ etiam sunt inter se, et una sine altera donari a Deo potest, ut certum est ex fidelibus qui damnantur, quibus dedit Deus gratiam justificantem, illis tamen negavit gratiam perseverantiæ finalis. Hinc perseverantiam esse *ex speciali auxilio Dei* docuit Tridentina synodus sess. 6, can. 22, et olim Arausicana II, can. 10, duce sancto Augustino, qui catholicam veritatem integro volumine de Dono perseverantiæ inscripto, solidissime contra Semi-Pelagianos propugnavit. Porro hæc est differentia inter utramque privationem, quod privatio gratiæ sanctificantis vel est ipsamet formalis ratio peccati, vel est necessario connexa cum peccato; altera vero privatio, nempe potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum stat cum gratia sanctificante : sancti enim orant ut Deus donet illis perseverantiam, non igitur illam habent, ut probat Augustinus cap. 25, per totum ; alias enim non esset speciale Dei beneficium a gratia justificationis distinctum; unde per gratiam sanctificantem non tollitur ipsa privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum. Hæc vero privatio est in pœnam primi peccati, sicuti etiam privatio subjectionis concupiscentiæ respecturationis, et licet in baptismo *nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*, ut ait Tridentinum in decreto de Peccato originali, quod dixerat antea Augustinus lib. 1 ad Bonifac., cap. 10 : *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui suntin Christo Jesu*, non id intelligitur de pœnalitatibus, ita enim loquuntur theologi, sed de culpa, cujus nihil remanet post baptismum : illæ enim etiam post baptismum remansere.

Hanc privationem relictam esse in pœnam primi peccati adeo notum est in sancti Augustini sententia, ut vel ipsi Semi-Pelagiani hoc ex Augustino supponere solerent contra ipsum arguentes. Etenim, cum probare vellent Adamum, eo quod perseverantiæ donum non acceperit, sine culpa cecidisse, solitam ac familiarem Augustino responsionem præcludentes, ita instabant, teste Hilario in epistola ad Augustinum : « Neque enim dici potest ideo non accepisse quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate; nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. » Ergo supponunt, juxta mentem sancti doctoris, privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum esse pœnam massæ peccato originali infectæ ; cui argumento solvendo sanctus doctor aurea illa tria capita de Correptione et gratia, nempe 10, 11 et 12, exaravit. In illo cap. 11 palam concedit auxilium ad perseverandum in pœnam peccati deesse, quod tamen non potuit deesse angelis vel Adamo : « Si autem, inquit,hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent ; adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur. » Non potest autem intelligere Augustinus nisi in pœnam peccati originis donum perseverantiæ negari; nam baptizatus, cum primum lethaliter peccavit, caruit dono perseverantiæ in bono semel accepto ; ergo in pœnam peccati originalis fuit a Deo denegatum. Idem tradit late cap. 8 de Dono perseverantiæ, ubi quærenti *cur quibusdam*,

qui cum coluerunt bona fide, perseverare usque ad finem non dedit, respondet perseverantiam non esse debitam naturæ, sed esse gratiam quæ potest negari; cur autem negetur, tradit initio capitis : « Ex uno quippe, inquit, omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat. » Hanc perseverantiam *tam magnum beneficium* vocat lib. de Correptione et grat., cap. 8, in fine, et hac sola discerni electos a massa perditionis probat ex professo cap. 8 et 9 illius libri, et rursus libro de Dono perseverantiæ, cap. itidem 8 et 9. Hinc cap. 7 de Correptione et grat. ait : « At per hoc et qui Evangelium non audierunt, et qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, etc., non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. » Et postea statim : « Ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. » Igitur ex Augustino ex Adæ peccato incidimus in privationem doni perseverantiæ, quod gratuito tantum a Salvatore prædestinatis donatur. Privatio vero hujus tam magni beneficii est causa damnationis illativa; quicunque enim caret dono perseverantiæ damnabitur; unde aperte deducitur peccatum originale esse causam reprobationis. Uno verbo concludo: Carentia doni perseverantiæ est causa damnationis, sed peccatum originale est causa carentiæ doni perseverantiæ, ergo peccatum originale est causa damnationis. Minor est Augustini, et superius etiam probata est quia per peccatum originale homo est indignus tota serie gratiarum, et licet sit baptizatus, adhuc habet privationem doni perseverantiæ, quæ est speciale Dei beneficium. Major non ita intelligenda est quasi illa carentia sit causa per se damnationis, sed tantum tanquam non removens prohibens, homo enim justificatus, si tentatione gravi pulsetur, et stet sub privatione potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum infallibiliter succumbet, ni Deus speciali auxilio donet vim perseverandi, quod auxilium, cum ex primo peccato non debeatur homini, juste a Deo negari potest. Vide quæ dixi superius, cap. 3, § 6.

Hæc sententia de reprobatione ex peccato originali orta deducitur etiam ex epistola synodica Patrum Africanorum in Sardinia exsulum, ubi cap. 6 inquiunt : « Dixistis itaque quod, Esau et Jacob necdum natis, Jacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esau autem originali peccato detentus justo judicio Dei est odio habitus. Illi e contrario dicunt in Esau figuram esse populi Judæorum ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob vero figuram esse populi gentium ex futuris operibus bonis salvandi. Hæc duo, quæ singula proponitis, bonum est, ut catholica consensione jungatis. » Itaque per ipsos catholicum est dicere Esau originali peccato detentum justo judicio Dei esse odio habitum. At cap. 7 scribunt : « In Esau vero judicium justæ severitatis ostendit, qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat justeque damnat. » At Esau non est detentus originali peccato secundum reatum, ergo secundum aliquid ab ipso originali causatum, est enim *derelictus judicio Dei*, quod est carere dono perseverantiæ; nam, ut supra inferebam, permissio primi peccati actualis fit justo judicio Dei negantis donum perseverantiæ in bono justitiæ per baptismum acceptæ; at ex Augustino illud donum negatur in pœnam peccati non actualis, nam de primo peccato actuali loquor; ergo in pœnam originalis. In eadem explicatione est sanctus Gregorius papa, in psal. ci, ad versiculum : *Quia cinerem tanquam panem manducabam*; sic enim ait : « Et cum juxta Apostoli sententiam, *Neque volentis neque currentis, sed miserentis sit Dei*, alios qui corruerant misericorditer erigit, alios qui stare videbantur, cadere juste permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus ut ne in ipsa justitia stabiles esse possimus. » Quod idem est quod dicebam, subiisse nos privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, quæ non aufertur nisi ex *speciali auxilio* Dei. Lege sanctum Prosperum in Resp. ad 7 Gallorum.

Igitur præcipuæ pœnæ relictæ ex peccato originali sunt concupiscentia et privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum. Concupiscentiam relictam esse ad agonem dogma fidei est, ex Tridentino in decreto de Peccato originali, qua de re eleganter Augustinus lib. II contra Jul., cap. 4 : « Contra quam regeneratus, si jam ratione utitur, illo spectante atque adjuvante velut in agone confligit, quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum, quod a justitia deficit, illo nostro, quod ad justitiam proficit, dimicatur ut vincente profectu totum surgat in melius, non vincente defectu totum vergat in pejus. » Ideo vero hæc pugna pœnalis nobis Dei judicio relicta est, ut homo, propriam infirmitatem cognoscens, elationem illam qua olim in paradiso contra Dominum superbivit, deprimeret, atque divinum auxilium supplex imploraret. Audi Augustinum lib. IV contra Jul., cap. 2 : « Sed quia in ista humana miseria pejor hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus exstinguitur in carne continentium sanctorum illa concupiscentia, ut cum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus infletur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ubi nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur. » Idem pariter dicendum est de privatione hujus potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, nempe relictam illam ad agonem et ad humanam superbiam contundendam, unde concupiscentia et privatio ista veluti fœderatæ homini insidiantur, ac mutuo se juvant : ex concupiscentia enim inclinante ad peccatum impotentia et infirmitas

standi in bono proposito justitiæ fovetur. Docet hoc eleganter auctor libri II de Vocatione gent., cap. 28: « In cæteris vero, inquit, hominibus donec caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non hujus, sed alterius vitæ est vere perfecta et secura felicitas. In præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, et ab insidianti superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, a nullis tamen aufert. quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se nolle et velle decertent. » Hoc ipsum docuerat sanctus Pater lib. de Dono perseverantiæ, cap. 8, ubi, respondens quærenti cur fideli Deus deneget donum perseverantiæ, ait: « Deus autem melius esse judicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi, multos enim a perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus: *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat* (I *Cor.* x, 12). Voluntate enim sua cadit qui cadit, et voluntate Dei stat qui stat, » etc. Hinc quæcumque contra hanc privationem objici solent, eodem prorsus modo solvenda sunt ac illa quæ contra pœnalitatem concupiscentiæ Pelagiani Augustino olim opponebant.

Expedienda hic est difficultas, unde tradita Augustinianæ sententiæ explicatio maxime illustrabitur. Carentia, inquiunt, doni perseverantiæ fuit in Adamo, nam perseverantiæ donum, ait Augustinus in lib. de Correptione et grat., cap. 11, *si habuisset, perseveraret*; ergo privatio doni perseverantiæ non est pœna peccati, quippe quæ fuit etiam in homine ante peccatum. Hoc argumentum olim Semi-Pelagiani Augustino objiciebant in laudato lib., cap. 10, ubi de Adamo inquiunt: « Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, et si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim et accepisset perseverantiam, et non perseveraret? Porro, si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest ideo non accepisse quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate: nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. » Nullum argumentum neque subtilius neque operosius isto solutum unquam fuit ab Augustino, ut summi ingenii vires omnes eidem diluendo impendisse videatur: tria enim capita in libro de Correptione et gratia integræ responsioni insumpsit, quorum summa est: Adamum habuisse auxilium Dei, quo proxime et expedite poterat perseverare, sed ita ut perseverantia actualis reposita esset in usu libero ejusdem ponendo ab ipsamet voluntate Adami, quam per modum habitus adjuvabat. Ad hoc explicandum ibidem duo illa capita 11 et 12 scripsit; unam et alteram sententiam dabo, ne universa huc transferam: « Ut ergo, inquit, non acciperet hoc donum Dei, id est in bono perseveratiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium; » cap. 12. Et cap. 11 scribit: « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. » Itaque Adam non indigebat dono actualis perseverantiæ, quia habebat adjutorium, quo per modum habitus inerat illi potentia proxime expedita ad perseverandum: unde Augustinus in fine cap. 12 ait: « Cum et voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare si vellet: non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet. » Quare Adamo nil defuit ex parte Dei ad hoc ut posset perseverare, sed sibi nolens defuit; nam si voluisset, facillime perseverasset. Addit Augustinus, si Deus hoc adjutorium denegasset, Adamum itemque angelos non sua culpa casuros fuisse, rationem assignans: « Adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. » Ergo donum præbens potentiam proxime expeditam ad perseverandum traditum fuit Adamo, ita ut carentia perseverantiæ actualis non potuisset illi imputari culpæ, si eo adjutorio caruisset. Cæterum ex peccato perdidit sibi et nobis hoc auxilium constituens potentiam proxime expeditam ad perseverandum. Quare privatio hujus potentiæ in nobis est pœna primi peccati, nam *secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Tanta vero per peccatum Adæ contracta est impotentia ad proxime expedite perseverandum, ut si idem omnino adjutorium quod datum fuit Adæ ad perseverandum, nobis in statu naturæ lapsæ donaretur, non esset sufficiens ad amovendam illam impotentiam perseverandi, ut docet sanctus doctor prope finem cap. 12, hæc tradens: « Si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. » Ex his patet solutio propositi argumenti, negandum est enim antecedens, ut intelligatur de carentia po-

tentiæ proxime expeditæ ad perseverandum ; hæc enim privatio in Adamo non fuit, qui habebat adjutorium sufficientissimum ad perseverandum ; solumque illi velle suum defuit. At ipse et sibi et toti generi humano subsecuto talis potentiæ privationem intulit, cujus occasione tanta crimina committuntur. Hanc doctrinam fusius explicavi superius cap. 3, Gregorius Ariminensis, in 2, dist. 26, q. 1 et 2, idem ex Augustino docet.

Objiciunt plures, qui licet peccatum originale in iis quibus non est remissum concedant esse sufficiens motivum reprobationis, in baptizatis tamen id nullo pacto dici posse existimant : nam peccatum remissum non potest esse causa cur homo damnetur, non esset enim remissum si propter illud morte perpetua plecteretur : baptizato vero est remissum originale peccatum, et propter illud nulli pœnæ est subjectus ; nec potest componi voluntas remittendi peccatum cum voluntate damnandi, et illud æternum puniendi. Sane Tridentinum, in decreto de Peccato originali, statuit *nihil damnationis* esse in baptizatis ; esset autem multum damnationis, si inesset aliquid dignum puniri pœna æterna, Hoc argumentum pariter Semi-Pelagiani contra sanctum Augustinum adducebant ; nam cum ille assereret peccatum originale esse causam cur homines universim fuerint reprobati, quos divina prædestinatio suos non fecerat, inferebant hoc absurdum ex Augustini sententia, quod *ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Hæc est enim secunda objeetio Gallorum, qua doctrinam sancti Patris, teste Prospero, suggillabant. Respondeo peccatum originale intulisse pœnas proprias ipsius naturæ, et has per baptismum non remitti, quarum præcipuæ sunt concupiscentia et privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum in accepta justitia, et sic nihil damnationis remanet in baptizato, prout damnatio culpam significat, non vero prout dicit pœnam. Nam ibidem docet sancta synodus remanere concupiscentiam, quæ *ex peccato est et ad peccatum inclinat.* Nullo vero pacto conceditur hominem baptizatum damnari propter peccatum originale formaliter, et esse ratione illius ut causæ proximæ reprobatum, sed dicimus radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium qui damnantur, quatenus ex illo ortum habuit privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, sub qua præciso auxilio speciali Dei homo salutem non consequitur, sed labitur in peccata ob quæ proxime et formaliter a Deo damnatur. Neque enim negamus Deum reprobare aliquem ob peccata actualia, neque dicimus Deum prium reprobare propter originale, deinde etiam ob actualia, ut opponit Joannes a Sancto Thoma, disp. 10 de Reprob., art. 2, num. 30 ; sed asserimus Deum immediate damnare pœna æterna hominem ob peccata actualia, in quæ incidit ob impotentiam perseverandi, seu ob privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, quæ est pœna humanæ naturæ relicta ad agonem ex peccato Adæ. In baptismo vero remittitur culpa et pœna debita personæ quæ peccavit, non pœnalitas inflicta ex primo peccato ipsi naturæ, quod exemplo concupiscentiæ diximus fieri manifestum. Quare ob peccata actualia homines damnari concedit sanctus Pater cap. 13 de Corrept. et grat., in fine, ubi de reprobis loquens : « Aut enim, inquit, jacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, et cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, etc., alii magis, alii minus, sed omnes mali, et pro ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi ; aut Dei gratiam suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant ; deserunt, et deseruntur, Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo et occulto. » Lege cap. 93 Enchiridii. Ex quibus colligo taxationem pœnæ dependere a peccatis actualibus in quæ homo labitur quia deserit Deum ; deserit vero quia est dimissus libero arbitrio, non accepto dono perseverantiæ, judicio Dei justo, nempe in pœnam peccati originalis. Cæterum homo baptizatus, licet habeat illam privationem doni perseverantiæ, et non sit dignus hanc habere, quia non datur secundum debitum, non est tamen dicendus illa indignus, seu habere debitum non habendi, quomodo sunt peccatores, sed tantum non habet debitum habendi, quod debitum habebat Adam, unde non esse hujus potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum non potest dici sola negatio, sed vera privatio, quia est carentia doni alias debiti naturæ prout elevatæ ad finem supernaturalem.

Hactenus hæc pro explicanda sententia sancti Augustini insinuata sint, pluribus enim eamdem sententiam et exponunt et defendunt eruditissimi theologi Ruizius et Gonettus laudati. Unde nescio quo panico timore perculsus illam Adamus horruerit, accusans eamdem tanquam matrem Calvinianæ hæreseos ; quod quidem attentius considerans, arbitror illum intellexisse errorem satis notum, nempe in baptizatis vere remanere peccatum originis ; etenim si post baptismum adhuc fidelis potest reprobari ob peccatum originis, non igitur est deletum et remissum, cum aliquid remaneat in renatis ob quod æternum damnentur. At hæc erat vetus calumnia, quam Semi-Pelagiani, ut ex Prospero diximus, Augustinianæ sententiæ inferebant, a qua eamdem procul esse ostendimus. Longe vero abest sanctus doctor a Calvinistarum sententia : isti enim putant ipsam concupiscentiam esse formaliter peccatum originis, quæ cum remaneat post baptismum, dicunt non fuisse deletum peccatum, sed tectum et non imputatum. At sanctus doctor non constituit in ipsa concupiscentia essentiam peccati originalis, sed in reatu et macula, quæ tota deletur in baptismo. Unde lib. II de peccatorum Meritis, cap. 28, loquens de concupiscentia, ait : « Non si manet in membris eorum qui ex aqua et Spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena et perfecta fit re-

missio peccatorum omnibus inimicitiis interfectis quibus separabamur a Deo. » Lege Bellarminum tom. IV. lib. v, de Amissione gratiæ, cap. 8, id ex Augustino erudite probantem. Hoc ipsum tamen melius ac fusius explicat P. Macedo lib. IV de Clavibus Petri, cap. 5 et 7. Non est igitur cur Adamus celeberrimam sancti Patris sententiam Calvinismi insimulet, cum Calvinus hac in re longius ab Augustino, si quis alius abierit. Sed transeamus ad alia, suique consilii causa adversario dimittamus.

§ XI. *An erraverit Augustinus docens occisionem grassatoris mortis intentantis non esse licitam.*

Ultimum quem sancto Patri errorem objiciunt in examen vocamus; inquiunt enim eumdem dixisse *haud licitum esse occidere grassatorem qui nobis velit vitam eripere.* Est Adami contra Augustinum accusatio cap. 3, pag. 585. Disputat Augustinus, lib. I de Libero Arbitrio, cap, v, possintne citra culpam interfici *hostis irruens vel insidiator sicarius, sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia*? Postquam dixit lege Romana grassatores posse impune occidi, dum vitam alteri stricto mucrone auferre tentant, ait: « Legem quidem non reprehendo quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio. » Ex his Augustini verbis in varias sententias gravissimi scriptores abiere. Multi putarunt Augustinum negâsse esse licitum occidere invasorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quorum nonnulli, tanti doctoris auctoritate moti, eamdem sententiam subscripsere, vel saltem probabilem existimarunt. Augustinus Triumphus Anconitanus, insignis theologus Augustinianus, in libro de Potestate ecclesiastica, quæst. 52, art 3, ponit et probat hanc conclusionem: « Puto quod culpa sit hominem occidere ne ipse occidatur, quacunque inevitabili necessitate hoc fiat. Ad hoc est (addit) auctoritas Augustini in pluribus locis; primo de Libero Arbitrio dicentis, » etc. Tostatus, illud ingeniorum monstrum, in cap. v Matthæi, v. 9, p. 109, recitata sententia Triumphi, et opposita quæ est communior, ait: « Utraque istarum positionum videtur aliqualiter rationabilis, maxime cum ista secunda aliqualiter videatur esse de intentione Augustini. » Vaspuez, cap. 2 de Restit., dub. 6, num. 18, Augustinum eam sententiam secutum fuisse affirmat, *quam*, inquit, *quidam ex canonistis amplectuntur.* Molina, disput. 3 cit., num. 3, ait: *Vehemens suspicio est, Augustinum ejus fuisse sententiæ.* Gerson pro eadem sententia refertur in tract. de Eucharistia; certe part, II Compend. theolog., in expositione quinti præcepti, ait: « Dicunt quidam quod nullo modo licet occidere etiam defendendo, maxime autem viro perfecto, et hæc videtur esse opinio Anselmi. » Ubi etiam recitat contrariam opinionem, neutram vero rejicit. Sequuntur Accursius et Glossa super l. *Vim vi*, ff de Just. et jure. Richardus insuper a Sancto Victore et Almaynus citantur a nostro Salonio. Quare non solus fuit in ea sententia Augustinus, sed habuit sectatores et theologos et jurisconsultos, apud quos plus ponderis unius Augustini auctoritas valuit, quam vulgaris aliorum opinio. Antequam tamen sancti doctoris sententiam explicem, moneo haud opus fuisse nonnullos tanta diligentia utriusque juris testimonia conquirere, queis invasoris occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ conceditur, uno enim verbo jam olim responderat sanctus doctor cap. 5 laudato: « Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam; multo enim mitius est eum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. » Ubi quærit an homines quibus civiles leges invasoris occisionem permittunt, *aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur* tales non occidere,

Sanctus Thomas, 2-2, q. 64, art. 7, nolens discedere a sancti Augustini sententia, neque item a communi opinione, distinguit unum et alterum modum quo quis se defendens potest invasorem occidere. Potest enim quis habere tantum intentionem se defendendi, licet inde ex accidenti sequatur mors invasoris; vel potest intendere occisionem aggressoris, vel tanquam medium vel tanquam fidem, ut exponit ibi Cajetanus. Potest hoc explicari exemplo satis apto. Præcipit medicus scindi venam infirmi, ut emissione sanguinis curetur, licet sciat infirmum ex tali emissione passurum deliquium, quod revera ipse nollet si aliter infirmus curari posset. In hoc casu medicus vult salutem infirmi ut finem, emissionem sanguinis ut medium, deliquium nullo pacto intendit, nisi ut quid consecutum ex accidenti præter suam intentionem, in quod tantum materialiter consentit. Ita hoc secundo modo potest agressus occidere invasorem, nullo vero pacto potest intendere mortem grassatoris irruentis neque ut medium, neque uti finem. Et hanc esse mentem sancti doctoris recte ostendit Salonius in fine art. 7, eamdemque explicat Tostatus citatus. Quare sanctus Thomas, in resp. ad 1, scribit Augustinum intelligendum esse de intentione occidendi aggressorem, non vero si intendat directe conservare propriam vitam, nam talis actus *non habet*, inquit, *rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest.* Omitto hanc sententiam vix posse in praxim reduci; quis enim surgente ira, animoque in sui defensionem subito erecto, illam intentionem habere potest? quod Salon, Molina aliique adnotarunt. Certe illa explicatio non est ad mentem Augustini, cum tamen, inquit Molina tom. IV, disp. 3, num. 3, *Fortasse Augustini testimonia D. Thomam impulerint ad asserendum aggressum non posse intendere mortem aggressoris* : nam Augustinus occisionem aggressoris inde esse malam probat, quia oritur ex cupiditate servandi vitam, quæ non debet amari, sed contemni: « Quomodo enim, inquit, apud eam (divinam providentiam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet humana cæde polluti sunt? » Et antea: « Non enim

ex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate; liberum eis itaque est neminem necare pro iis rebus quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent. » At sanctus Thomas vult ex instinctu naturæ amare unumquemque suam vitam quantum potest, ex quo amore sequitur defensio ad illam conservandam etiam cum morte insidiantis. Porro inter illa quæ contemni debent, ibidem vitam reponit Augustinus, eo utens dilemmate de vita animæ, dum corpus interimitur: *Si auferri potest, contemnenda est*; *si non potest, nihil metuendum*. Et Angelicus doctor illam intentionem ex ira contra hostem infici malitia opinatur, at Augustinus nimia concupiscentia et immoderato amore erga se occisionem illam vitiari existimavit.

Sed jam videndum est undenam Augustinus in eam sententiam descenderit. Ille quidem, cum originem mali, quam contra Manichæos disputans indagabat, a libidine seu prava cupiditate derivari statuisset, *omnia malefacta*, inquiens, *non ob aliud mala esse nisi quod libidine, id est improbanda cupiditate fiunt*, cap. 4, postea quærit cap. 5: *Utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia sine ulla interficiatur libidine?* Respondet occisores invasorum non esse ab hac prava cupiditate immunes: *Quomodo possum*, ait, *arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti?* etc. At statim objicit sibi Romanas leges permittere aggressorem impune occidi, quod autem lege licitum est peccatum nullo modo esse potest. Respondet tales quidem non teneri reos lege principum temporali, sed *aliqua vehementiori ac secretissima lege. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* His ita constitutis, tota rei difficultas in eo erat ut Augustinus rationem daret cur apud leges civiles occisor invasoris non esset homicidii reus, sed bene apud legem æternam et immutabilem. Ad hoc vero probandum sanctus doctor reliquum illius libri impendit, cujus summa est: Lex æterna vult *omnia esse ordinatissima*, cap. 6; unde fit consequens ut homo *in se ipso ordinatissimus sit*, cap. 7. Cum vero habeat homo plures motus cum belluis communes, nam *appetere voluptates corporis, et vitare molestias ferinæ vitæ omnis* actio est, cap. 8, « Hisce motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Ratio ista ergo, vel mens, vel spiritus cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea quam æternam esse comperimus. Cum ergo ita homo constitutus atque ordinatus est, nonne tibi sapiens videtur? » cap. 8. « Eos enim sapientes voco quos veritas vocari jubet, id est regno mentis omnis libidinis subjugatione peccati, » cap. 9. « Putasne ista mente cui regnum in libidines æterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? Ego enim nullo pacto puto; neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse ut plus possit mens quam cupiditas, eo ipso quo cupiditati recte justeque dominatur, » cap. 10. Ex his Augustinus intentum deducit: Nam cum quis aggressorem occidit, non ratio, sed cupiditas illi dominatur: « Quomodo possum arbitrari, inquit, carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti, aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi? » Neque enim actum occidendi ratio, sed cupiditas regit, cum ratio dictet vitam non esse verum bonum hominum, quia illam *possunt amittere inviti*. Quod enim inquiunt, a natura insitam esse sui conservationem, ac proprii boni defensionem, nihil juvat; nam vita corporis non est proprium bonum hominis, sed *hominis pars vilissima*, cap. 16. Bene quidem feræ naturali instinctu etiam cum aggressoris occisione vitam tuentur, quia hæc unicum summum bonum illis est, idque cupiditate sui conservandi faciunt, ne amittant esse. At si homo, ut se defendat, invadentem perimit, cupiditate movetur qua et belluæ in eos motus impelluntur, existimans tantum bonum vitam corporis, ut pro illa necesse putet *usque ad hominis necem progredi*, cap. 5. Belluarum enim proprium est *appetere voluptates corporis, et vitare molestias*, cap. 8. Ergo tunc movet homines ad occidendum cupiditas, qua *bestiis meliores* non sunt, neque tunc *ratio irrationales animi motus regit*, ibidem. Ergo homo non ordinate agit, et per consequens contra legem æternam agit, quæ vult *omnia esse ordinatissima*, ut ibidem præmiserat.

Dices: Non igitur citra vitium poterimus amare vitam corporis. Respondet sanctus doctor, cap. 15, nos posse amare vitam ac reliqua bona corporis, utendo illis, non fruendo, quod egregie sic explicat: « Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur, et is quidem qui male amore inhæreat atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas sibi subditas esse oportebat, et ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum. Ille autem qui recte his utitur ostendat quidem bona esse, sed non sibi; non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur, et habere illa ac regere, cum opus est paratus et amittere, aut non habere paratior. » Unde qui occidit aggressorem non superfertur totus, neque regit bonum vitæ corporis, sed ei amore conglutinatur, ac membrum sui animi facit, dolens cum cruciatu eam sibi resecari, neque paratior est illam non habere, sed totis viribus colluctatur ut habeat, putans eam suum bonum esse, pro quo conservando digladiatur, quæ tamen vita ad beatam vitam nihil facit, nam *beate vivere est veris certisque bonis gaudere*, cap. 13; inter quæ vita corporis non

reponitur, tot variis subinde affectionibus perturbata, quas erudite congerit sanctus doctor cap. 11.

Tandem Augustinus, cap. 15, post longam disputationem disparitatem assignat cur lex civilis principum permittat occidi invasorem vitæ, honoris vel divitiarum, et id alia ex parte lex æterna vetet. Et enim lex civilis reipublicæ temporalis « nihil aliud jubet nisi ut hæc quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo jure possideant, quod pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest. » Postea: « Ergo et ad id quod vult torquet ac retorquet miserorum animos, quibus regendis accommodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis quemdam modum aptum vinculo civitatis, qualis ex hujuscemodi hominibus constitui potest, non autem ulciscitur peccatum cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. » At ut consequamur ultimum finem, lex æterna vetat amari illa quæ non sunt media ad illum obtinendum, ut quæ homines « possunt et velentes non adipisci, et amittere inviti, » cap. 15. « Jubet igitur æterna lex avertere amorem a temporalibus, et eum mandatum convertere ad æterna, » ibidem. O dignam Augustino doctrinam! Lex civilis principum non ulciscitur peccatum cum amatur vita corporis, sed cum aliis per improbitatem aufertur, et parum curat de illa noxia cupiditate, cum de internis nihil statuat. At lex æterna hanc cupiditatem damnat, cum in homine dominatur, ac rationem regit, dum quis arbitratur tantum bonum esse sibi vitam corporis, ut usque ad necem hominis pro illa defendenda progrediatur, cum tamen illius bonum verum minime sit, neque enim facit illum meliorem, quod proprium solum est bonorum animi, quæ nullus potest amittere invitus, et si vult, habet. De qua re late agit a cap. 12. Quis vero non videat quo jure Augustinus datum inter utramque legem discrimen nuncuparit *sublimia quædam petentem distinctionem*? cap. 5, in fine.

Hoc quidem argumento motus in eam sententiam ivit sanctus Pater, in qua tradenda et confirmanda nec unum e sacris litteris testimonium adhibuit, sed quod cum Manichæis res erat, rationi tantum innixus philosophatus est. Quæ tamen nova nemini videri debent, eo enim in argumento Stoici ac veteres plerique alii philosophi summa cum laude versati sunt: siquidem quo celebre illud apathiæ dogma persuaderent, ac omne bonum hominis in mentis arce collocarent, nihil extra virtutem in bonis habendum esse pluribus argumentis contendebant. Hoc Seneca probavit luculento opere, quod hoc titulo exaravit: *Quod in sapientem virum non cadit injuria.* Hoc Philo intendit suo illo opusculo inscripto: *Quod omnis probus liber.* Idem astruxit Lactantius in tertio Institutionum, sed cæteris Patribus subtilius atque ornatius Joannes Chrysostomus in oratione cui hunc titulum dedit: *Nemo læditur nisi a seipso.* Quam sententiam alii diffusis commentariis postea illustrarunt. Itaque noster Augustinus in eo primo libro de Libero Arbitrio et ipse philosophum agens, supra omnia corporea animum hominis ad veri sui boni cognitionem evexit, suumque rationi imperium pravæ cupiditatis motibus subactis asseruit. Sane docuit nihili habenda esse qualiacumque hæc bona temporalia, quæ miseri mortales ad insaniam usque mille votis expetunt, neque enim illa ad summi boni assecutionem viam muniunt, sed impediunt. Quæ si vera sunt, culpandam dixit illius cupiditatem, qui pro bulla (ita enim sapientes hominis vitam corpoream dixere) defendenda mucronem stringit, atque humana cæde polluitur. Augustinus Anconitanus, qui hanc sancti doctoris sententiam ex professo defendit, alio ac plane diverso argumento illam confirmavit, nempe quia: Animam proximi plus teneor diligere quam corpus proprium, quod me invito possum perdere. Planum est autem quod anima proximi perditur, ex quo idem in actu injustæ invasionis per me occiditur; cui argumento cedit cardinalis Lugo, tomo I de Just. et jure, disq. 10, sect. 6, num. 143, si restringatur ad hominem ebrium invadentem, et se defendens putet probabiliter se esse in gratia, de qua re pluribus agit Tostatus. Sed nostrum est Augustinianam tantum sententiam explicare, quæ philosophicæ rationi innititur.

Cæterum, licet Augustinus, juxta subtilioris philosophiæ principia, negaverit licitam esse invasoris occisionem, nunquid contra legem etiam Dei illam esse existimavit? ut plane homo a grassatore invasus, cum nulla sit alia via qua evadat, si invasorem occidat, homicidii reus censendus sit, quod contra communem theologorum sententiam esse [ita certum est, ut Salon, cit. conclus. 2, dicat: « Opposita sententia est forsan temeraria, tot textibus et communi omnium fere doctorum placitis repugnans. » Ego quidem judico sanctum Augustinum ex sacris litteris, quas cum scriberet librum primum de Libero Arbitrio, parum se calluisse testatur, postea oppositam sententiam tradidisse. Hanc legem Hebræis Deus Exodi XXII dedit: *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Ex quibus aperte deducitur non esse contra legem Dei occidere invasorem, cum hoc Deus ipse permiserit, ac hominem occidentem negaverit reum esse homicidii. At sanctus doctor, tom. IV, q. 84 in Exodum, disparitatem assignat cur nocturnus fur citra homicidium interfici possit, non vero diurnus, ita inquiens (*Vid.* Epist ad Macedon.): « Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinere, etc. Poterat quippe discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi. Hoc et in legibus antiquis sæcularibus (ff. ad leg. Aquil., leg. 4), quibus tamen ista est antiquior, invenitur, nempe occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se cum telo defenderit, jam enim plus est quam fur. » Igitur si in dubio an fur me velit occidere, possum juxta le-

gem divinam ex Augustino citra peccatum homicidii illum occidere, potiori jure eumdem licite potero interficere si certam mihi mortem stricto mucrone intentet. Neque enim fas est dicere Deum permisisse peccatum, ut veluti lata lege non improbasse: etenim licet lex illa data esset ad firmandam civilem rempublicam Hebræorum, patuit tamen divinam voluntatem permisisse homicidium, uti permisere mundani legislatores, et sicuti occidens invasorem non agit contra voluntatem legislatoris civilis, ita neque contra legislatoris Dei voluntatem agere dicendus est. Non est tamen necesse ut dicamus sanctum doctorem priorem sententiam retractasse, cum præcipue ab scripto libro primo de Libero Arbitrio post triginta et amplius annos libros Retractationum scribens illam priorem sententiam non expungens, iterum approbasse censendus sit. Itaque utrumque dictum est componendum ex ejusdem sancti Patris effato lib. 1 de Lib. Arb., c. 5, ubi ait: « Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli jubet sine libidine obtemperari. » Augustinus, ut hostis occisio sit licita, hoc tantum vult ut actio occidendi ab illa noxia cupiditate sequeretur; quare, si quis se defendens id agat non motus illa cupiditate qua ad sui defensionem bruta etiam impelluntur, sed pacato rationis imperio, nempe ob bonum reipublicæ, vel familiæ, vel ut moriatur, cum majori probabilitate salutis, quæ maxime Christianum consideratio decet, vel quocunque alio digniori fine procul ab illo cupiditatis irrationalis impulsu, aggressus citra culpam potest licite invasorem occidere. Quæ quidem consideratio, licet illis in angustiis non ita in promptu esse videatur, eadem probabilitate defenditur qua sanctus Thomas intentionem occidendi hostis vel ut finem vel ut medium distinxit ad hoc ut quis posset licite invasorem interimere, ut per se consideranti patebit.

Est alius etiam facilior modus Augustinianæ sententiæ exponendæ, si dicamus Augustinum, quando occisionem aggressoris peccatum appellavit, intellexisse moralem defectum actionis in quem incidit qui, relicto actu longe perfectiori, imperfectiorem eligit, unde ex insipientia operari dicitur. At qui se permittit occidi, nec curat, cum possit, nece hostis vitam redimere, excellentiorem quovis infortunio animum habere se monstrat, haud in bonis reputans vitam, quam amittere paratus est, et non habere paratior; unde summa laude commendandus venit, quo pacto Anaxarchus, Stilpo, aliique veterum præconia demeruere. Secus vero agens exilis animi se esse ostendit, ut quem vilissimi boni possessio impleat, ac tanti vitam faciat ut omnibus viribus pro illius conservatione sibi dimicandum putet. Quare apud veram sapientiam stulte hic posterior agere judicabitur, vilisque animi pœnas luet, ingenti illo laudum cumulo privatus, quæ vitæ corporis contemptori debentur. Accedit fortitudinem majorem exeri ab eo qui generose mala patitur, quam ab eo qui infert, ut post Aristotelem in Ethic. cap. 9, probat sanctus Thomas, 2-2, q. 123, art. 6, unde ait sanctus Pater cit. cap. 13: « Quid fortitudo? Nonne est illa animæ affectio qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus? » Insuper certum est excellentis charitatis actum illum futurum quo quis mortem libens oppeteret potius quam irruentem hostem interimens ejusdem perpetuæ damnationis causam esse, ut docent Aragon, Salon, Cajetanus, aliique ad q. 64 cit. sancti Thomæ. Potest hæc explicatio colligi ex iis quæ idem in eo libro primo de Libero Arbitrio scribit. Nam cum dixisset occisionem invasoris nulla lege civili plecti, ait cap. 5: « Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. » At non agit juxta regulas sapientiæ qui ob vilissimæ rei quæ sit in homine conservationem ingenti se laude privat, unde secundum easdem sapientiæ regulas defectuose agit, quod est peccare. Sed plus aliquid velle fateor sanctum doctorem, nam cap. illo 5 ait: « Quomodo enim apud eam (providentiam divinam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet humana cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi et legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, et per divinam providentiam vindicari. » Quæ sane verba invasoris occisorem plus quam dicti defectus moralis citra peccatum in operando reum constituunt. Igitur sententia sancti doctoris ex subtilioris philosophiæ principiis deducta generosiori suique æstimatore animo digna non nisi injuste reprehendi potest, cum illam Hebræorum, Græcorum ac Latinorum sapientissimi ante Augustinum defenderint, qui vitam inter contemptibilia bona rejecere, unde nostri Patris assertum derivat ut ex ipso luculenter ostendimus.

Hæc quidem scripseram, quæ ubi typis edita Romæ vir doctissimus legisset, illico me convenit, fere indignatus quod sententiam antiquioris Ecclesiæ Patribus familiarem tam meticulose defenderim. Simul pleraque Patrum testimonia indicavit quo me inani metu liberaret. In primis Augustinus etiam episcopus in eadem sententia constanter stetit, quam etiam militaribus præfectis persuasit: Publicola, vir illustris, qui in Arzugitana regione limitis curam gerebat, plures sancto doctori quæstiones solvendas per literas misit, quarum duodecima in hæc plane verba concipiebatur: Si Christianus videat se a barbaro vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur. Cui difficultati sic respondet sanctus doctor epistola ad eumdem 154: « De occidendis hominibus ne ab iis quisque occidatur, non mihi placat consilium, nisi forte sit miles aut publica functione teneatur, ut nec pro se hoc faciat, sed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ. » Hanc plane doctrinam ab Africanis Patribus Augustinus acceperat. Tertullianus in Apologetico dixerat: « Apud istam, nempe Christianam disciplinam magis occidi licet quam occidere. » Certe Christus exarmato Petro omnem Christianum docuit

ne vim vi repelleret. Cum Tertulliano concinit Cyprianus epist. 56, ubi clamat : « Occidere non licet, sed occidi necesse est ; » et in sequenti epist. 57, ad Cornelian. : « Occidere innocentibus nec nocentem liceat. » Accedit Lactantius lib. VI divin. Instit., cap. 20, ubi cum dixisset : « Ea quoque ne fiant. monet quæ apud homines pro licitis habentur ; » hæc addit: « Itaque in hoc Dei præcepto nullum prorsus expertem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas » Imo hanc ipsam doctrinam didicerat Augustinus a magistro Ambrosio Medionalensi, lib. III de Officiis, cap. 4, hæc scribente : « Tamen non videtur quod vir Christianus, et justus, et sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat : utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat ferientem referire NON POSSIT, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet. » Quis autem non videat quantum huic sententiæ auctoritatis pondus adjiciant Ambrosius, Cyprianus et Augustinus ? Nonne illa sanctissimorum ac doctissimorum Patrum trias præponderat integræ centuriæ casuistarum, quos Guimenius, Pirotus, aliique Probabilistarum primipili longo ordine recitant, quo testium, si non auctoritate, saltem numero eas opiniones suffulciant, quas uti sanguinarias antiquiores Ecclesiæ magistri præscripsere ? Profecto novæ theologiæ magistri, qui non sine proborum scandalo docuere licitum esse occidere detractorem nostræ famæ, immane ac crudele assertum inde deducunt, quod honor pluris faciendus est quam vita, et cum pro hujus defensione licitum sit insidiantem atque vim inferentem occidere, potiori ratione non erit reus criminis qui pro honore defensando, si nullus sit alius evadendi modus, calumniantem obtruncat. Hæc aliave longe plura vir ille eruditus protulit, quæ quidem alteri etiam se insinuasse testatus est, qui ea postea quoque typis excusa vulgavit. Facessit igitur novorum casuistarum timor, suos illis relinquamus Tamburinos et Bannios, nos Ambrosium et Augustinum audiemus, cum quibus gloriæ vertetur non modo sapere, verum etiam judicibus casuistis errare.

§ XII. *Sanctus Augustinus in libris Retractationum nihil abs se de divina gratia assertum in libris contra Pelagianos scriptis expunxit.*

Hos Augustino errores Adamus ac Moraines objiciunt, sed vano prorsus eventu ; nam eo improbo labore non Hipponensis præsulis famam vel auctoritatem decurtarunt, sed quam maxime promoverunt. Quis autem initio causæ non fuisset veritus ne Augustinus, in ducentis et amplius libris quos edidit in tot epistolis quos publicavit, in innumeris concionibus quas ad populum habuit, in tot commentariis ac quæstionibus quibus sacras litteras explicuit, a rigidioribus hisce censoribus alicujus errati reus teneretur, cum vel bonum ipsum Homerum quandoque dormitare in adagiis sit ? Neque enim omnia dicta illa licuit perpendere ; aliquoties etiam scripsit animo distracto, ac calamo ad alia properante. Adjice immensam illam hæresum silvam cui exscindendæ ac comburendæ unus et securim et facem Augustinus admovit. Nunc enim Manichæi, modo Ariani confutandi erant ; nunc in Donatistas scribendum, statim contra Pelagianos eundum ; sæpe simul omnes improbandi : neque hoc quidem commode fieri poterat ob innumeras tum voce tum per litteras petitas et subinde datas consultationes. Haud in nonum annum volumina premere illi licuit, sed impolita atque imperfecta emittere cogebatur, tantisque temporis angustiis premebatur, ut nec dictatos libros semel relegere posset, ut ipsemet testatur in epistola ad Marcellinum. Quamobrem si quid veritati minus conforme eidem excidisset, jure merito excusandus esset. Illud vero maxime notandum venit, quod Augustinus, cum universos a se elucubratos libros censoria gravitate recenseret, ac sæpe spongiam adhiberet exarata adversus Pelagianos volumina recognoscens, duo hæc tantum corrigenda dixit, nempe quod lib. V contra Julianum medici cujusdam veluti certum nomen posuisset, quod tamen penitus ignotum postea animadverterat, quodve in libro de Natura et gratia librum quemdam Sixto pontifici ascripserit, Pelagii fidem secutus, qui tamen a Sexto philosopho editus fuerat. Cæterum nullum illis in libris contra Pelagianos assertum dogma recantavit, nullam non dicam sententiam correxit, sed neque unum verbum veluti minus aptum erasit, sed universa ac singula senili auctoritate approbavit, ut vel hinc divina gratia, quam triginta et amplius libris contra Pelagianorum insultus acerrime propugnavit, dignam veluti tanto labore vicem rependens, scribenti adfuisse credita sit, quo procul a quolibet vel levissimo errore volumina illa cedro digna perscriberet. Et tamen hisce in libris recentes Aristarchi tot excessus, tot antilogias, tot errores se deprehendisse jactant ! Augustinus modestissimi vir ingenii suos hosce censores ita monitos vult in fine libri de Dono perseverantiæ : « Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cum per eos qui meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco, et hoc per Ecclesiæ doctores maxime exspecto, si et in ipsorum manus venit, dignenturque nosse quod scribo. » Quæ verba cum legisset summus Ecclesiasticorum Annalium scriptor, ac Vaticani senatus immortale decus, Cæsar Baronius, in hæc Augustiniani ingenii præconia erupit : « Hæc ipsa digna quidem sancti Augustini modestia, animique ejus admirabili cum submissione verecundia, ut plane nisi aliunde ex his saltem intelligere valeas, afflatum illo divino Spiritu illa scripsisse, cum non super quempiam alium quam super humilem, quietum et trementem sermonem Dei divinum affore numen, Deus per prophetam fuerit contestatus. » At Ecclesiæ doctores tantum abest ut vel una litura sancti Augustini de divina gratia doctrinam emendarint, ut veluti e sacratiori cortina datam eamdem venerantes, contra Semi-Pelagianos defenderit, ac Romana ipsa Ecclesia fidelibus sequen-

dam proposuerit. Quod si recentiores, tot retro sæculorum approbatione repudiata, eos se *Ecclesiæ doctores* dicant, quibus sua scripta examinanda permisit Augustinus, sæculi hujusce nostri tantorum hominum nutritoris felicitati adgratulandum erit, si Augustini tamen errores melius persuadere poterunt, quam hucusque fecere. At meliorem ipsis mentem, meliorem in Augustinum meum animum a superis precor, *ut prædicatio* SUMMI IN ECCLESIA VIRI (Prosperi verba sunt de antiquis Augustini calumniatoribus ad Rufinum scribentis), *etiam ab his, a quibus ad præsens revellitur, adjuvetur.*

CAPUT V.

Recentiores triginta quinque doctorum testimonia, nempe pontificum, cardinalium, episcoporum, aliorumque contra sanctum Augustinum producunt; quorum fides expenditur.

Recentiores nonnulli, ne sancti Augustini auctoritatem alicubi deserentes, bonorum omnium indignationem subirent, in id consilii descenderunt, scriptorum omnium schedas sibi excutiendas esse, et si quid in illis minus honorifice de Augustino assertum sit, in publicum proferendum. Nam ubi eo stadio aliorum vestigiis se inhæsisse monstraverint, omnem facti invidiam se declinaturos existimarunt, Joannes Adamus ac Franciscus Annatus id magno studio ac ingenti labore exsecuti sunt: ille part. III Calvini destructi, cap. 7, p. 631; hic autem eo loci ubi erga Augustinum debuerat esse reverentior. Etenim Annatus, ut Jansenistarum jactantiam, qui totum sibi Augustinum vindicabant, compesceret, satis justum volumen procudit, quo Augustinum contra Jansenium stare demonstrare conatus, unius Augustini verbis contra adversarium loquitur, et sicuti venæ toti corpori inspersæ sunt, ita et illa toto eo opere oberrant resonantque. Quo vero Augustini se vindicem ac propugnatorem ostenderet, hunc titulum libro dedit: AUGUSTINUS A BAIANIS VINDICATUS, Jansenistas Baianos ignominiæ causa vocans, quod Michaelis Baii proscriptas a sede apostolica theses defendere dicebantur. Qua fide id septem prioribus libris præstiterit, viderint illi contra quos ibi decertat, a quorum causa procul sum. Octavus ejusdem voluminis liber totus contra Augustinum est ut alterum sane atque omnino oppositum priori titulum poscere videatur, siquidem postremo illo libro universa in sanctum Augustinum dicteria hinc inde magna industria ac labore collecta producit. Augustinum judicem, Annate, appellas, ad ejus tribunal cum Jansenianis litigas, illius sententiæ stare te dicis, cum nil nobis de tua fide metuentibus, Augustinum non suspectæ quidem fidei judicem pronuntias (hoc enim utcunque tolerari posset), sed ex judice reum facis, ac contra eumdem triginta et amplius testes producis, vociferans te nominare *præcipuos Ecclesiæ principes pastoresque celeberrimos, et doctores scientissimos sensuum ecclesiasticorum, minimeque suspectos*, lib. VIII, initio. Et ne paucorum contra Augustinum ea conspiratio censeatur, protestaris cap. 3 te advocasse testes *ex Gallia, ex Italia, ex Hispania, ex Germania*; miror cur non etiam ex Japonia! Cum Augustinum a Baianis vindicatum nobis ostensurum promittis, eumdem misere laceratum exhibes. Sane magnum illum ducem Hipponensem ab hostibus tua virtute defensum in Capitolio triumphantem cernere sperabamus, illi quidem lauream, tibi vero civicam coronam intexturi, cum repente ex defensore hostis acerrimus, a Jansenio in Augustinum aciem deflectis, ac innumeros tecum trahens eumdem oppugnas. Scire vellem quæ te ratio, Annate (si quæ in hisce ulla esse postest), ad longiorem hanc et acerbiorem censuram scribendam impulerit? Respondes cap. 4, pag. 877: « Hæc duxi proponenda, ut intelligamus non nimis inverecundos fore si qui forte non ita se faciles exhibeant in iis omnibus admittendis quæ videri cuipiam possint proposita fuisse ab Augustino. » Addis pag. 874: « Quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant, indicantis aliquid lucis defuisse, Augustino in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia. » Ergone ut Molinæ *audaciam*, quam *exaggerant*, excusares, Augustinus, eximius ille Ecclesiæ doctor, tot errorum publice coram orbe catholico ingenti testium turba conducta accusandus fuerat? Et quidem Annatus nonnulla contra Augustinum testimonia producit quibus nec ipse integram fidem præstare dicit. Hinc sunt piæ illæ ejusdem voces initio cap. 3, pag. 864. *Refero tantum, non probo*; quæ repetit cap. 4, pag. 876: *Quæ quidem ego refero, sed non probo*; imo alicubi, dum pessime Augustino obloquentes producit, quasi sancti doctoris vices dolens, hæc publice initio cap. 3 contestatur: *Vellem et hoc, et alia quædam, quæ subjungam, mitius concepta!* et pag. 876, cap. 4, dicteria Pighii in Augustinum recitans, ait: *Omitto honoris causa, quod de Augustino subjungit*, et pag. insequenti: *Non referam quæ dixit lib.* VI, etc., *quod mihi videantur in sanctum doctorem acerbius quam vellem esse dicta.* Mirum hæc Annato in religionem venisse! Ego quidem hujus scriptoris voces surda aure pertransire decreveram; quis enim adeo erga superos irreligiosus esse potest, ut dicenti velle se contra Augustinum testimonium dicere, aures præbeat, ac non potius audax hominis consilium exsecratus, procul abire eum jubeat? Ne tamen Augustinus qualiumcunque hominum testimoniis succumbere videatur, libeat eadem repetere; etenim adversarii testimonia, infirmare vel rejicere, boni advocati et bonæ causæ, præsertim cum plurimos contra Augustinum testes producit, qui Augustiniani nominis studiosissimi semper fuere. Initio autem eos testes nominat quibus judices ipsi assurgant. Cœlestinum papam, qui in epistola ad episcopos Galliæ, non universam, ut putat, Augustini doctrinam approbavit, sed certas tantum quasdam sententias de quibus nulla modo controversia est. Verum pluribus hæc suo inferius loco cap. 8 nobis examinanda sunt. Idem postea subnectit purpuratos Vaticani senatus Patres, nempe Baronium, Sadoletum, Bonaventuram, Caje-

tanum, Perronium et Valerium; de quibus sigillatim A judicandum est.

§ I. *Baronii ac Sadoleti testimonia expensa. Ludovici Denii pro Sadoleto contra sanctum Augustinum dicta refelluntur.*

Igitur Annatus, lib. VIII, cap. 2, ait Baronium, postquam tomo V, ad annum 431, retulit illa verba Cœlestini in fine epistolæ ad Galliæ episcopos : *Profundiores autem*, etc., dicere : « His, inquam, profitetur profundiores quæstiones illas de prædestinatione sanctorum nequaquam ab apostolica sede definitas, illasque tantum esse stabilitas, quæ ad condemnationem errorum satis posse sufficere viderentur. » Quibus recitatis addit Annatus : « Hic ergo quæro quæ sint illæ auctorum quæstiones de prædestinatione, quarum liberam affirmandi aut negandi facultatem B Cœlestinus facit, interprete Baronio. » Allucinatum puto hunc recentiorem, qui ea de Baronio publicat quæ ille nusquam asseruit. Etenim eruditissimus scriptor capita illa Cœlestini epistolæ annexa nequaquam Cœlestino ipsi ascripsit, sed Prosperi esse dixit, ita enim ibi ait : « Putantur illa capita esse Prosperi, qui ut profiteri videtur, ea collegit ex decretis Romanorum pontificum, simulque conciliis Africanis, ubi idem auctor hæc habet in fine : *Profundiores vero difficilioresque partes*, etc. » Et tamen Annatus audet affirmare Baronium ita Cœlestini verba interpretatum, cum eadem Prospero attribuerit, imo nec citra dubium illius capitis hunc esse auctorem asserere ausus sit, *putari* tantum dixit. An vero C Prosper et Baronius quæstionem illam de prædestinatione ad gloriam sine meritorum prævisione contra sanctum Augustinum resolvi possit citra reprehensionem affirmarint, iidem nos doceant. Sanctus Prosper, ad dub. 10 Genuensium, ait : Augustinus « pia tamen constantique doctrina abundanter probavit prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, et gratiam in qua est prædestinationis effectus, et præscientia Dei qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit, cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor. » Baronius vero, tom. VI, ad annum 490, postquam dixit omnes Patres adversus Fausti scripta conspirasse, hæc addit : « Cum igitur Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores insurgunt ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. » Et tamen de sententia sancti doctoris de prædestinatione ad gloriam hæc Annatus tradit : « Quamvis Augustinus in contrarium propendeat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni, quod censuit etiam cardinalis Baronius, » cap. 1, pag. 857. Si nobis nullus esset oculorum usus, ac ea tantum de Baronio crederemus quæ de eodem recentior ille publicat, Augustinus forte causa caderet, sed cum oppositum diserte, clarissime, citra ambages cardinalis pr tiet, appellanda est hic Annati fides, qui vel in teste producendo apertissime errat. Augustini res est, adversario initio causæ falsitatis co In limine impegit Annatus; infaustum omen.

Alter testis purpuratus producitur Jacobus letus, qui lib. II in Epist. ad Rom., interpreta Pauli : *Quos præscivit*, etc., hæc ait referent nato pag. 860 : « Ex altera quoque parte, et si stat doctor maximus, idemque gravissimus e ctissimus vir (Augustinus), tamen durum adm mihi videtur, quodque illabi non facile queat a sus nostros, si omnino a nobis nihil sit quod ad obtinendam gratiam in pari conditione c rum, ita quosdam eligi ut cæteri in calamit damno destituantur, » etc. Verum ubi in Baron timonio recitando falsum Annatum vidimus, non invidum, saltem negligentem liceat app qui delatas a Sadoleto Augustino laudes de testis ipsius verbis haud fideliter repetitis. Hæ bit Sadoletus : *Sed ex altera quoque parte, et si stat* DOCTOR OMNIUM MAXIMUS, *idemque gravissi sanctissimus vir*, etc. Vides verbi illius OMNIUM giam, qua Sadoletus cæteris Ecclesiæ doctoribu gustinum anteponit ? At illud Annati calamo quod sane casu, non consilio accidisse concec nisi adversarii in Augustinum animus in alia sententiam traheret. Enimvero, si diceres Su doctorem maximum, eumdemque gravissimu benter id audiretur. At si adderes esse illu NIUM maximum ac gravissimum, ingentem illi diam conflares, quasi Aquinate, Scoto, Albert terisque principibus scholasticis superiorem fi Sed ad Sadoletum veniamus.

Hic scriptor non solum contra Augustinum et contra Annatum ipsum sententiam dicit. An cap. 1 et 2, tradit homines prædestinari sine r ad gratiam, *dicamusque*, inquit pag. 860, *ant visa merita homines ad gratiam prædestinari prævisum autem bonum usum gratiæ prædestin gloriam*, etc. At Sadoletus aliquid meriti ad ob dam gratiam exigit; fatetur enim durum sibi *si omnino a nobis nihil sit quod valeat ad obtin* GRATIAM. Audin, *gratiam* dixit, non *gloriam* D sane fuerat damnata Semi-Pelagianorum opi quam Sadoletus minus caute impegit. At qu Sadoletus post editum Annati librum elegant vocatum invenit, Ludovicum Donium tom. III de Cardinalibus, pag. 206, qui non modo Sad defendit, verum etiam num. 110 sanctum Au num arguit quod hic « dum toto spiritus ac ver ardore pro defensione divinæ gratiæ pugnat sus Pelagianos liberum arbitrium cum inju vinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi l delabi videtur, minusque interdum tribuere, par sit, liberæ hominis voluntati. » Quam cen ad verbum Denius exscripsit ex Sixto Sene præfat. lib. V Bibl. sanctæ : imo ex Juliano in simo illo Augustini hoste apud sanctum do

le Nupt. et concup., cap. 3. Quare, ut hujus
b Annato conducti et a Denio defensi error
ur, ejusdem sententia de initiis fidei ac reli-
i virtutum nobis monstranda est : nam si ea
ione eumdem ad Semi-Pelagianos accessisse
abimus, quis statim non intelliget nullius fidei
n testimonium haberi, quippe qui cum Au-
hostibus conspiravit? Scripsit Jacobus Sado-
ommentarios in Epistola Pauli ad Romanos,
n ab Augustini sententia de prædestinatione
e vellet, ad Semi-Pelagianos misere declina-
illud Apostoli cap. VIII, vers. 20: *Quoniam*
novit et prædefinivit, etc., hæc scribit: « Sic
ldo, ne in eodem quidem facto intelligi a no-
i sapientiam, si nulla causa ac ratione discri-
ciente, alios improbet rejiciatque ad interi-
ios ad salutem et gratiam suam recipiat, cum
ere modo atque operari casus potius quam
esse videatur. « Ita vult ex parte liberi arbi-
quid boni præcedere, ut gratia huic potius
lteri donetur. Hæc plane Cassianus sentiebat,
de Deo verba sunt collat. 13, cap. 12: « Ne
dormienti aut inerti otio dissoluto sua dona
e videatur, occasiones quodammodo quærens
humanæ segnitiei corpore discusso non irra-
i munificentiæ suæ largitas videatur, dum
b colore cujusdam desiderii ac laboris imper-
ffirmat tamen ibidem Sadoletus hæc initia
oluntatis, quæ nos per nos ipsos ponimus,
na quædam imperfecta, nam concedit virtu-
:undum sui perfectionem sine gratia haberi
sse. « Nihil enim, inquit, perfectum esse a no-
est. Sed NOSTRA sunt INITIA et cogitandi et vo-
Atque ita nostra, ut magnam quoque partem
obtineat Deus. Ipsum enim necessario propo-
nobis habemus, cum ipsum volumus et cogi-
ut sit ipse prius nostrarum cogitationum vo-
mque invitamentum, ad quem cum inclinave-
quod bonum propositum vocat Paulus, velle
et operari ex illo bono proposito PERFECTIUS
nobis est, cum ipsius ope et subsidio ad recte
um constanterque volendum et fulciamur et
veamur. » Hoc ipsum docebant Semi-Pela-
qui initia et boni tantum imperfecti inchoa-
i viribus liberi arbitrii deputabant. Audiatur
'assianus lib. XII de Instit. monach., cap. 14 :
plane constantissime non mea, sed seniorum
tia definio, PERFECTIONEM quidem sine his om-
spi non posse, his autem solius sine gratia Dei
eam a nemine consummari. Ut enim dicimus
s nostros apprehendere eam per se ipsos sine
jutorio non posse, ita pronuntiamus laboranti-
ntum ac desudantibus misericordiam Dei gra-
se conferri. » Quæ cap. 23 de Dono perseve-
i sanctus Pater explodit. Idem Sadoletus in illa
x, vers. 22: *Si autem volens Deus ostendere*
etc., scribit: « A nobis aliqua initia bonæ vo-
is, ut præparari ad misericordiam apti simus,
scuntur. » Non dissentit a Cassiano lib. VI de
Instit. monach., cap. 18, ubi ait: « Non omnibus
una gratia Spiritus sancti tribuitur, sed ad quam se
unusquisque studio vel industria sua dignum aptum-
que præbuerit. » Præterea Sadoletus in caput IX me-
moratum hæc habet: « Nam cum sub servitute pec-
cati nati nos simus, neque nostra ope ex illo nostris-
que viribus emergere atque ejicere nosmetipsos
queamus, volumus quidem EX NOBIS etiam, et adni-
timur, verumtamen ad consurgendum Dei ope indi-
gemus, qui TENDENTES BRACHIA ad esse corpusque
agitantes, ut evolvantur, misericordia sua adjuvat,
ignavos vero et desides, neque quidquam agentes,
quamobrem debeant sublevari, in ipsos luto infixos,
perditosque relinquit. » In quibus egregie concinit
Fausto Semi-Pelagianorum coryphæo, lib. I de Gra-
tia et libero arb., cap. 17 : « Et ita se, inquit, duo
ista conjungunt, attrahentis virtus et obedientis af-
fectus, quomodo si æger aliquis assurgere conetur,
et facultas animum non sequatur, et propterea sibi
porrigi dexteram deprecetur. « Addit: « Assistenti et
vocanti Domino famulus MANUM fidei, qua attrahatur,
EXTENDIT, etc. » At Sadoletus, ne positis initiis bonæ
voluntatis ex viribus naturæ præter Dei auxilium,
statuere videtur, gratiam perfectioris virtutis dari
ex meritis, addit: « Sic nostrum credere simplex
illud et inchoatum, quo ad obediendum Deo incipi-
mus inclinari, non continuo mereri est, sed tunc me-
remur cum firmati in bona voluntate ab ipso Deo, etc. »
Hoc pariter Semi-Pelagiani tradebant, quorum prin-
ceps, collat. 13, cap. 13, ait: « Dum eam (gratiam) sub
colore cujusdam desiderii et laboris impertit, et nihi-
lominus gratia Dei GRATUITA perseveret, dum exi-
guis quibusdam parvisque conatibus tantam immor-
talitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona
inæstimabili tribuit largitate. « Irrisit hoc subterfu-
gium Augustinus lib. de Prædestinatione sanctorum,
cap. 2 : « Quis autem, inquit, dicat eum qui jam cœ-
pit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?
Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retri-
butione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum
merita nostra dari. » Vide eumdem lib. IV ad Boni-
facium, cap. 6. Ex his patet Sadoletum, dum impru-
denter ab Augustini sententia deflectit, Semi-Pela-
gianis adhæsisse, qui initia quædam fidei ac bonæ
voluntatis in nobis ex nobis asserebant, quos Arau-
sicana synodus II hoc canone 5 damnavit: « Si quis
sicut augmentum, ita etiam INITIUM fidei, ipsumque
CREDULITATIS AFFECTUM, quo in eum credimus, qui
justificat impium, et ad regenerationem baptismatis
pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspi-
rationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem
nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad
pietatem, sed NATURALITER nobis inesse dicit, aposto-
licis dogmatibus adversarius approbatur, » etc.

Hic vero nobis res erit cum Denio, qui num. 106
scribit: « Verum quis tantum virum tamque ortho-
doxum Semi-Pelagianismi laqueis irretitum credat,
aut volentem aut imprudentem ? » Miror hunc scri-
ptorem adeo perfunctorie epistolas ipsas Sadoleti le-

gisse, ut non inde intellexerit Sadoletum ob eam sententiam de initiis virtutum, quam suis in Paulum Commentariis inseruerat, a doctissimo ac sapientissimo cardinale Gaspare Contareno per litteras reprehensum fuisse. Hæc enim rescribit Sadoletus lib. IX, epist. 9 : « Quo autem parcior fuit in præveniente Dei gratia explicanda, quam par esset, agnosco eum errorem, cum tibi ita videatur. » Rursus tamen ibidem repetit : « Pelaginum esse non puto si in initiis aliquid retineamus, quod sit nostrum. » Conquestus amice fuerat Contarenus quod non satis pro dignitate de Augustini sententia in eisdem interpretationibus locutus fuerat : videbat enim Contarenus eam opinionem de initiis virtutum ex solis viribus arbitrii in Pelagii reliquiis ab Augustino solidissime expugnatam fuisse. Illi vero in epistola 10, anno insequenti data, hæc Sadoletus reposuit : « Cum scripsissem ad Paulum me quadam in re leviter a te dissidere, isque mihi dixerit cupere te scire ubi et qua de re sit dissensio, primum tibi prædico me in illa de libero arbitrio sententia non omnino assentiri Augustino, qui libertatem nostræ voluntatis PERSPICUE aufert ; dumque Dei gloriam maxime complecti vult, videtur mihi illi derogare aliquid potius quam quod videatur tribuere. Hæc, si essemus una, librosque in manibus haberemus, facile me tibi probaturum confiderem. » Hæc si Annatus legisset, dubio procul inter nobiliora contra sanctum doctorem testimonia recensuisset. Sed nec Denius commentarios Sadoleti legit ; nam si eosdem vel leviter inspexisset, profecto intellexisset semet operam perdere dum Sadoletum ab errore conatur vindicare, quasi ille hoc tantum voluerit, « ut in initiis ex spiritu gratiæ operantis factis aliquid nostrum reperiatur, quia anima vel ejus potentiæ influunt physice in actus vitales supernaturales. » At Sadoletus durius loquitur quam ut eo pacto emolliri possit : etenim loco superius laudato Pauli Rom. VIII, ut universam quæstionem tolleret, seque ob initia virtutum naturaliter posita a quacunque erroris suspicione liberaret, scribit quod « cum Deus dupliciter causa bonarum rerum sit, vel ut effector et ipse agens, vel ut finis resque desiderata, » priori modo ait Deum movere ad actus nobiliores et perfectos virtutum fidei, amoris Dei, religionis, etc. ; postea vero addit : « Verum qua Deus finalis rerum causa est, et ad eum ut ad summum bonum mentes nostræ moventur, nostra hactenus voluntas, et cogitatio, et prima illa atque inchoata actionum nostrarum consilia ex Deo quoque sunt. » Rationem assignat : « Non enim tunc ut movens et impellens auctor ipse est et principium universum nostræ voluntatis, sed ut appetitus et desideratus : magnum quidem tum quoque momentum afferens ad inclinandum nos atque alliciendum. » Non ergo primi illi boni motus in Deum ex Sadoleto fiunt *ex spiritu gratiæ operantis*, ut Denius dicebat, neque enim Deus tunc movet *ut effector et ipse agens*, qua ratione semper movet per spiritum gratiæ operantis : unde sunt illa Arausicanæ synodi can. 9 : *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*. Neque Semi-Pelagiani negabant ad initia illa bonorum operum Deum movere in ratione finis, Deus enim erat objectum apprehensum sub ratione veri et boni, cui inchoative credebant, quod desiderabant, quod petebant. Ideo vero damnati sunt quia non satis est Deum movere tantum ut objectum, sed movere debet tanquam agens ad hoc ut credamus et velimus per infusionem sancti Spiritus, ex eodem Arausicano can. 6, et can. 5, ubi statuitur *initium fidei, ipsumque credulitatis affectum* fieri in nobis *per gratiæ donum id est per inspirationem Spiritus sancti*. Aliunde etiam Denius Sadoleti errorem intelligere poterat, dum idem hæc de Augustino scribit : *Libertatem nostræ voluntatis perspicue aufert*. Sunt hæ putidæ Semi-Pelagianorum tum veterum tum recentiorum voces. De primis scribit sanctus Prosper ad Rufinum : « Scripta ejus (nempe Augustini) quibus error Pelagianorum impugnatur infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere. » Easdem tibias contra Augustimum inflarunt Arminiani, nova Semi-Pelagianorum progenies, quorum unus Hugo Grotius, lib. XVII Histor. Belgicæ, ait : « Primus omnium Augustinus, ex quo ipsi cum Pelagio et eum secutis certamen (nam ante aliter et ipse senserat) acer disputandi ita libertatis vocem relinquere, ut ei decreta quædam Dei præponeret, quæ vim ipsam destruere viderentur. » Quis igitur posthac Sadoletum eo in errore cum Semi-Pelagianis, incaute quidem et insciente, negabit conspirasse, dum illorum convicia in Augustiuum jactat? Denius num. 103, quod in calce litterarum, ut putat, Cœlestini legitur, *Profundiores vero*, etc., *magnopere animadvertendum* dicit. Verum et id quod cap. 3 asseritur *magnopere animadvertendum* illli fuerat, ubi de Semi-Pelagianis contra Augustinum scribentibus, hæc recitantur : « Cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris TANQUAM NECESSARIUM MODUM EXCESSERINT, OBLOQUUNTUR. » Quæ quidem si *magnopere animadvertisset*, haud equidem pronuntiasset quod Augustinus *in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum tribuere quam par sit liberæ hominis voluntati*, num. 110. Ex hucusque fusius probatis evidenter constat Jacobum Sadoletum cum Semi-Pelagianis contra Augustinum incaute sensisse, et reapse *in extremam et remotissimam sententiam contentione disputandi, magis quam considerata et quieta ratione adductum* se contulisse, quæ verba ita ille merito audire debet, uti injuste eadem epistola 10 ad laudatum Contarenum contra sanctum doctorem illemet usurpavit. Interim Annatus videat qualem contra Augustinum testem appellaverit, nempe scriptorem qui contra eumdem cum Semi-Pelagianis quod initia virtutum attinet, conspiraverit ; et tamen promiserat initio statim libri octavi se in judicium contra Augustinum conductorum testes *minime su-*

s. Hactenus de Sadoleto, cujus quidem erratum A nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita di-
ins siluissem, sed Annati et Denii ex Sadoleti visione quisquis mente catholica exhorret, illius
instituta contra sanctum Patrem accusatio invito quinquepartitæ latebras insidiasque devitet, atque
ac reluctanti hucusque dicta extorserunt. ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Ma-
ncti Bonaventuræ et Cajetani dicta examinantur. nichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita
tium testem opponit sanctum Bonaventuram se sejungat a Pelagianis, ne se conjungat Manichæis,
lententiarum, dist. 33, quæst. 2, art. 3, dicen- aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibus-
« Ad illud quod primo objicitur in contrarium libet alteris servet, ut in alteros irruat. » Quis igi-
bis Augustini, dicendum quod Augustinus in tur Cajetano in hoc credat, ac non potius Augustino
illis non intendit dicere quod parvuli sensibi- coram apostolica sede hoc protestanti? Sed dices
rucientur, sed intendit eorum pœnam manife- impetu disputationis Augustinum extra sibimet sta-
quantum ad carentiam visionis Dei, et quantum tutos a se limites excurrere, hoc est extra *lineam*
ad utilitatem loci, et hoc valde abundanter *necessariæ veritatis*, ut loquitur testium conductor.
mit, plus dicens, et minus volens intelligi. » Miror Annatum, qui capita epistolæ Cœlestini ad Gal-
n negotium nobis non facessit Bonaventuræ los annexa, ipsius Cœlestini esse putat, imo, quæ est
Augustinum testimonium, nam eo loci loqui- B hominis diligentia atque eruditio, ne dubitavit qui-
libro de Fide ad Petrum diaconum, cap. 27, dem hanc crambem iterum recoxisse. Vetus illa fuit
gimus pueros decedentes sine baptismo *ignis* calumnia a Semi-Pelagianis Augustino opposita, unde
sempiterno supplicio puniendos; qui liber est eosdem falsarios oblocutores pontifex rejecit, ut
tii, non Augustini. Quare, si communi illius § superiori diximus, cujus sane verba, cum illi ac-
opinione ductus Seraphicus doctor Augustini cusationem repetant, pro defensione nobis etiam
rba esse putavit, cum alterius sint, ejus testi- repetenda sunt; hæc enim scribit : « Quia nonnulli,
non perstamus, non enim illius dictum apud qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem
quidquam ponderis habet, quo per deceptio- hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia
de quopiam aliquid affirmatur quod non ab demorantur, piissimis disputatoribus obviare præsu-
od ab altero assertum constat. Hinc sancti Do- munt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathema-
modestia elucet, qui Augustini sententiam, ut tizare non dubitent, magistris tamen nostris, tan-
at, haud severiori censura perstrinxit, sed quam necessarium modum excesserint, obloquun-
terpretatione mitigavit. At Annatus gravi su- tur. » Sed Annatus, qui solam appendicem epistolæ,
io eamdem in sententiam tonat lib. VIII, cap. 1 : C *Profundiores vero*, etc., ante oculos habuit, hæc in
us *crudelem consequentiam.* Rursus eo dicto anteriori pagina legere non valuit, vel legere ac ne-
tinus *plus dixit minus volens intelligi*, semel gligere idem fuit. Igitur Augustinus, Cœlestino judice,
entura usus est, et ea in sententia, quæ a la- vel si negatis, saltem teste, lineam necessariæ veri-
ontra Pelagianam hæresim tradita est. Verum tatis non excessit. Quis autem unius Cajetani testi-
us, pag. 893, laudata sancti Bonaventuræ mo- monium sancti Cœlestini papæ contestationi præpo-
one abutitur ad mitigandas Augustini senten- nendum ducat?
i quæstione de efficacia divinæ gratiæ; hæc
scribit : « Et si quis instet Augustinum aliis lo- § III. *Cardinales Perronius, Valerius ac sanctus Ca-*
exprimere, quis non videt, si hoc esset, nihil *rolus Borromæus minus recte contra sanctum Au-*
secuturum quam ut dicit sanctus Bonaven- *gustinum adducti.*
illis locis Augustinum plus dicere, iis autem
unt a nobis allata, minus velle? » An vero illa Sequitur quintus accersitus ex Gallia Perronius et
tentia de pœnis parvulorum fuerit Augustinus, purpura, et erectis ex continuo cum hæreticis
ad rem præsentem facit? nam de libro de Fide bello trophæis clarissimus, cujus sunt hæc verba,
trum locutus est Bonaventura, cujus verba, D inquit Annatus : « Sat monui in quarta mearum ob-
parum adversario juvent, abunde superius servationum nos admodum distinguere proprias san-
us cap. 3, § 1. cti Augustini opiniones, dum loquitur ut privatus
liamus quartum cardinalem Cajetanum, qui sic doctor, et ejusdem narrationes, quibus loquitur, ut
ur part. I, quæst. 70, art. 3 : « Sustinent au- testis usus communis Ecclesiæ, vel ea dicit quæ
erba hanc glossam, quia quando contra Aver- doctorum ætatis suæ communi consensui conformia
erat sermo, fas erat declinare in oppositum, ut sunt; ab unis siquidem argumentari nos tantum pro-
stinus contra Pelagianos facit. » — « Hoc est, babiliter, ab aliis demonstrative. » Bene ille quidem
natus pag. 862, excedere lineam necessariæ ac digne de Augustino sensit; quis enim privatas
tis : ut sit nimia quædam severitas et iniqua Augustini sententias in sacræ, v. g., paginæ expli-
io, quæ medium illud, in quo veritas sedet, catione intra fidei canones refert? At hic contro-
gredi jubet, si præcat Augustinus. » At medium vertitur quid de Augustini auctoritate Perronius sentiat
ere clamat Augustinus, atque hoc primus mor- in quæstione de prædestinatione et gratia. Nam de
n docuit lib. IV contra duas epistolas Pelag., Augustini auctoritate in iis quæ ad divinam circa
3, ad Bonifacium papam, hæc scribens : « Ista homines providentiam spectant, testimonia te pro-
ducturum in ipso titulo libri octavi spoponderas.
Liceat mihi Augustini huc verba inflectere : *Ingre-*

dere, Perroni, *ingredere et conside cum fratribus tuis, a quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit, opus est tua, et maxime tua sententia*, lib. I contra Jul., cap. 6. Arrige, Annate, aures, Perronius suum de Augustino testimonium profert : *Augustinus, maximus post apostolos prædestinationis doctor, imo* os *et* LINGUA VETERIS ECCLESIÆ, *quantum ad illam de gratia doctrinam*, lib. I Resp. ad regem Angliæ, cap. 12. *Quid te igitur*, addit Augustinus, *adjuvit quod* Perronii, *tanquam tibi suffragaretur, testimonium, posuisti* ? Vis scire an suam de prædestinatione sententiam docuerit Augustinus, *ut privatus doctor*, an *ut testis usus communis Ecclesiæ* ? Audi ipsummet hæc dicentem lib. de Dono persev., cap. 23, in fine : « Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. » Non igitur ea in re locutus est Augustinus ut privatus doctor, sed, ut tradit Perronius, ut *os et lingua veteris Ecclesiæ*. Quare quis non indignetur Annato, qui [eos contra Augustinum testes nominat qui sancti doctoris sententias ad cœlum usque laudibus efferunt ?

Itane sextum contra Augustinum testem dabit Verona nostra Augustinum, ut ais, *recentiorem* Valerium Venetum cardinalem ? Hic lib. III Rhetor. Eccles., cap. 42, horum clericos monet : « Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant. Ita enim acumine ingenii præstitit, et de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio prædíti viri ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. » Hoc egregium scholion affingit Annatus pag. 863 : « Et hoc quid aliud est quam id ipsum quod monentem audivimus Bonaventuram, Augustinum plus dicere aliquando, et minus velle intelligi. » O præclarum nostri commentatoris commentum ! Cardinalis Valerius nonnullos Augustinensium librorum lectores lapsos in errores scribit, quod subtilissimum Augustini sensum minime assecuti sunt. Annatus ex Valerio inde lapsos dicit, quod Augustinus disputans plus quandoque verbis excurrit, quod non est de difficilibus *tam subtiliter*, ut ait Valerius, sed *tam incaute*, ut interpres contendit disputasse. O superi mites animos ! Magnus ille patriæ meæ antistes Augustiniani ingenii acumen atque in disputando subtilitatem, quam plerique, licet nobili ingenio prædíti, assequi nequivere, commendat ; Annatus inde contra Augustinum excessuum accusationem struit, ac testem contra sanctum doctorem illum se dare fingit, qui est ejudem Augustini eximius laudator. Eos sane de quibus Valerius loquitur in errores lapsos fuisse, Augustinine an ipsorum qui Augustinum non intellexerunt, culpa est ? Quis autem nesciat plurimos profundos quorumdam sacræ paginæ verborum sensus non assequentes in hæreses ruisse ? Itane in sacri eloquii auctorem Spiritum sanctum culpam devolvemus, an non in ipsorum potius petulantiam, qui ultra ingenii vires sese evehere conati sunt ? Hinc erudite Facundus, Hermanensis episcopus, qui pro tribus Capitulis sub Justiniano scripsit, in libro contra Mocianum ait : « Qui autem, inquit, in hoc miremur, neque enim melius loqui potuit Augustinus quam prophetæ, quam apostoli et evangelistæ, quorum mentibus similiter male intellectis et incongrue adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores. »

Notat ibidem Annatus sanctum Carolum Borromæum Valerium ad illud opus scribendum excitasse, idemque absolutum approbasse, unde uti Valerius, ita et sanctus Carolus contra Augustinum stare Annato visus est : « Ut ideo, inquit, videri possit ac debeat unum hoc testimonium esse duorum virtute ac sanctitate eminentissimorum cardinalium. » Ita contrarium sancto doctori sanctum Carolum facit, qui id ne somniavit quidem. At cum Valerius pro Augustino loquatur, suppar illi Borromæus addendus est. Sed age, ipsius sancti Caroli de Augustino testimonium proferamus. Ille in epistola ad civitatem Mediolanensem ait : « Nemo est qui ignoret quantum utilitatis et fructus attulerit Ecclesiæ Dei magnus illius doctor Augustinus. Exstinxit in Africa Manichæos, expulit Donatistas, in nihilum Pelagianos hæreticos redegit, Fortunatum hæresiarcham confutavit, et, ut universa paucis complectar, omnia venena adversus orthodoxæ religionis puritatem a dæmone eructata sustulit. Hinc factum est ut ex illius doctrina, et a Patribus eumdem subsecutis, et a synodis, a theologis ac catholicis academiis tot Ecclesiæ dogmata fulcimentum et robur acceperint. » Et hæc quidem fuit sanctissimi Mediolanensis antistitis de sancto Augustino sententia.

§ IV. *Falli eos qui sanctum Augustinum interdum iniquiorem libero arbitrio fuisse calumniantur.*

Post purpuratos testes ingentem aliorum scriptorum catervam contra sanctum Augustinum trahunt, quos sigillatim repetere non vacat, eos vero ad certas veluti classes redigam, si qui plures in eamdem de Augustino opinionem coierint. Et primo loco opponunt Annatus libro VIII, Adamus part. III Cal. destr., cap. 7, et Decampsius libro III Hæres. Jansen., disput. 1, cap. 3, Genebrardum Aquensem antistitem, in epistola præfixa operibus Origenis, Albertum Pighium lib. III de Libero Arbit., et Sixtum Senensem in præfat. lib. V Bihliothecæ, dicentes Augustinum interdum libero arbitrio fuisse iniquiorem. Vetus ea quidem ac rancida Pelagianorum et Semi-Pelagianorum calumnia est. Julianus. lib. I Operis imperf., cap. 54, scribit contra Augustinum : « Liberum arbitrium in natura hominis perseverat, quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos apostolis et omnibus catholicis confitemur. » De Semi-Pelagianis patet ex epistola Prosperi ad Rufinum, cujus verba data sunt § 1. Quanta autem veritate hanc a se calumniam Augustinus propulsavit, illos solum nescire arbitror qui sancti doctoris libros nec a limite salutaverint. Totus liber de Gratia et libero arbitrio pro humana libertate decertat ; initio statim hæc scribit : « Quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt ut negent hominis liberum arbitrium

aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, et cæteri qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate, curavi. »

Genebrardus ait : *Augustinus fuit iniquior interdum libero arbitrio*, Sixtus Senensis, pag. 875, testatur sanctum doctorem *minus interdum tribuere quam par sit liberæ hominis voluntati*. Hi quidem INTERDUM libero arbitrio minus æquum sanctum doctorem fuisse affirmant. At Decampsius proxime nominatus de iisdem scribit : *Sanctum Augustinum* PERSÆPE *libero arbitrio minus æquum fuisse affirmant*. Neque hic fideliter testium dicta exhibent. Imo nec Sixto Senensi Augustinus indignaretur, qui aperte hæc habet lib. de Gratia Christi, cap. 47 : « Sed quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Cum vero Julianus objecisset Augustino dicere ipsum liberum arbitrium Dei gratiam commendando negari, respondet lib. IV contra eumdem, cap. 8 : *Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri*. Albertus Pighius ineptissimus sancti doctoris censor est, nam libro III de Libero Arbitrio hæc in sanctum Augustinum effutire non extimuit : « Libero arbitrio alicubi videtur iniquior, etiam parum illi, quam potest, tribuit : ejus facultatem vel extenuat, vel dissimulat, vel eludit ; certe omnibus viribus dejicit. » Quis autem impudentis hominis testimonio credat, cum sanctus Hormisdas papa in epistola ad Possessorem scribat : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, » etc. Itaque Augustini doctrina de libero arbitrio doctrina Ecclesiæ est. Non igitur iniquus est Augustinus libero- arbitrio, non illud elidit, non extenuat, non suffocat ; nam pessimum alioqui Ecclesia magistrum sequeretur. Quis etiam non spernat ineptum Pighii consilium, quo monet ad veram de libero arbitrio doctrinam percipiendam legendos esse potius libros sancti doctoris ad catholicos datos, quam reliquos contra Pelagianos scriptos? Stulte quasi diversa in alterutris via abierit. Irrisit hoc Massiliensium effugium, quo sancti doctoris libros universos recipere recusabant, sanctus Prosper in fine libri contra Collatorem : « Maneat, inquiens, plane maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur. »

Porro, si quæramus undenam iidem scriptores moti sint ad Augustinum tanta calumnia onerandum, respondet Decampsius citatus quod Augustinus dixit peccato Adæ *amissum ac perditum liberum arbitrium*; quod in Enchiridio, cap. 30, his expressit : *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum*. At eadem ferula vapulabunt synodi ac pontifices, qui iisdem verbis sanctissimi magistri sensum definiere. Sanctus Gelasius papa, in epistola ad episcopos per Picenum, ait : « Dicunt quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit ac PERDIDIT, bono suffragante naturæ beatus efficiatur. » Concilium etiam Arausicanum, can. 13, hæc definit : « Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari, quod AMISSUM, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. » Quis enim neget Adamum amisisse potestatem bene ac meritorie operandi ob peccatum commissum? Sane hæc est sancti Innocentii definitio in epistola ad Patres Carthaginenses : « Liberum enim arbitrium, inquit, ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde exsurgere posset invenit, suaque in æternum libertate deceptus hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus. » Audiatur interim sui interpres Augustinus, apud apostolicam sedem sua dicta exponens : « Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis cogitationis adjuta (*Lib.* II *ad Bonif.*, *cap.* 5, *et lib.* I, *cap.* 2).

§ V. *Falli item eos qui dicunt sanctum Augustinum contra Arium ad Sabellium, et contra Sabellium ad Arium declinasse.*

Duos alios testes contra Augustinum vel nolentes trahit Annatus, Cornelium Mussum episcopum Bitunţinum, pag. 865, et magnum theologum Joannem Scotum, pag. 872. Ille quidem in cap. 5 epistolæ ad Romanos ait : « Non ergo vos moveat Augustinus vel tantillum. Huc est enim illi peculiare ut cum aliquem expugnat errorem, tantum vehementia illum exaggeret, ut alteri opposito causam præbere videatur. Ita, cum Arium insectatur, videtur favere Sabellio, cum Sabellium Ario, cum Pelagium Manichæis, cum Manichæos Pelagio. » Iste vero in 2, dist. 33, quæst. 2, ad 1, scribit : « Et ita multum ponderandum est, contra quos hæreticos sancti sunt locuti, sicut Augustinus contra Arium videtur quasi declinare ad Sabellium, et e converso; similiter videtur contra Pelagium declinare ad Arium. » Recte corrigit Annatus dicendum forte *Manichæum*. Hæc quidem ille.

At enim modeste loquitur Mussus ; ait enim Augustinum contra Arium disputantem *videri* Sabellio favere; mitius Subtilis hoc ipsum expressit, addidit enim *quasi videtur*. Quod non ob ineptam Augustini methodum, sed ob mysterii difficultatem, ac lectorum quorumdam minus perspicax ingenium dixere, quæ libenter, uti notavimus, concedit Augustinus, et tamen Annatus ait eadem pagina 872 : « Quo factum sit quemadmodum antea ex aliis referebamus,

ut Augustinus declinarit in oppositum; » cum tamen illi visum fuisse, vel quasi visum fuisse declinare scribant. At quod recentiores inde velint convincere sanctum Augustinum contra Arium disputantem ad Sabellium declinasse, patens calumnia est; nunquam enim contra Arium disputans, atque unitatem essentiæ astruens, visus est personas in unum confundere, ut favere Sabellio dicendus sit. Augustini dictum vel unum producant, et causam integram illis cedimus. Imo nullus mortalium adeo exacte mediam inter Arium et Sabellium viam tenuit ut Augustinus, qui media ipsius viæ linea incessit. Unum et alterum testimonium proferam, quo adversarii falsitatis penitus convincantur.

Sanctus doctor, tract. 37 in Joannem, ita Hipponenses suos alloquebatur : « In errore Sabellianorum unus est solus ipse Pater qui Filius. In errore Arianorum, alius est quidem Pater, alius Filius, sed ipse Filius non solum alius, sed etiam aliud. Tu IN MEDIO quid? Exclusisti Sabellianum, exclude et Arianum. Pater Pater est, Filius Filius est, alius, non aliud, quia *Ego et Pater*, inquit, *unum sumus*, sicut etiam hesterno die, quantum potui commendavi. Cum audit *sumus*, abscedat confusus Sabellianus, cum audit *unum*, abscedat confusus Arianus. Gubernet catholicus INTER UTRUMQUE fidei suæ navigium, quoniam cavendum est in utroque naufragium. » Quid eruditius, quid subtilius, quid verius dici potuit? Passim hoc populo inculcabat, quo regia inter Sabellium et Arium via procederet. Omnino audiendus est iterum Augustinus tractatu 71 in Joannem, ubi elegantissime ita hæreticos confutat : « Contraria dicitis, sed non eodem modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diversa itis, IN MEDIO est via quam relinquitis. Inter vos ipsos longiore intervallo separati estis quam ab ipsa via, cujus desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc huc venite, alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atque illinc ad nos veniendo, invicem vos invenite. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis; Ariani, æquate quem subditis, et in via vera nobiscum ambulabitis : est enim quod invicem ex vobis alteri ex alteris admoneri utique debeatis. Audi, Sabelliane : Usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi, Ariane : Usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat et Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, et nobiscum ambo consistitis, quia nec tu tollis, nec tu minuis eum qui et alter est a Patre, ut convincas Sabellianum, et æqualis est Patri, ut convincas Arianum. Utrisque enim clamat : *Ego et Pater unum sumus*. Quod ait *unum*, audiant Ariani; quod ait *sumus*, audiant Sabelliani, et nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. » Itane, si superis placet, qui non modo regia via semper incessit, sed qui eamdem posteris non dicam digito monstravit, sed pedibus fecit extra orbitas excurrisse, et ad extrema declinasse dicetur? Ego quidem prius credam reapse solis currum ductante Phaetonte extra eclipticam præcipitem actum, quam illis Augustini excessibus præstem fidem.

§ VI. — *Expenduntur illorum testimonia, qui sanctum Augustinum novitatis accusant.*

Isti quidem tres præsules sunt quorum auctoritatem ac doctrinam Annatus satis exaggerat : nempe Claudius Xaintes in lib. Atheismi Cal., tit. de Prædestinatione; Ambrosius Catharinus, in libello itidem de Prædestinatione; Hieronymus Osorius, lib. IX de Justitia, qui sancti Augustini doctrinam de prædestinatione et reprobatione novitatis accusant, quasi senserit contra sententiam omnium Patrum qui eumdem præcesserunt. Vetus sane contra sanctum Augustinum Semi-Pelagianorum cantilena est, ut ex litteris Prosperi patet, cui sanctus doctor hæc reponit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 14 : « Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. » Sed hac de re pluribus alibi dictum est. Sane Clemens VIII, in disputationibus de Auxiliis Molinæ, sententiam ad Augustiniani dogmatis de prædestinatione amussim exegit, et Faustus Reiorum episcopus inde præcipue rejectus est, quod sancti doctoris de prædestinatione sententiam impugnavit, quam Patres Augustinum subsecuti, Prosper, Fulgentius, Cæsarius atque Africani episcopi in Sardinia exsules, itemque monachi Scythæ, Rhemigius, Prudentius aliique propugnarunt, quibus sanctus Thomas cum meliori scholasticorum parte consensit.

Illud tamen notandum venit, horum trium episcoporum contra Augustinum testimonia recentioribus ipsis non exacte probari. Moraines, disput. 9, num. 57. cum hæc parum honorifica de sancto doctore Claudii Xaintes verba recitasset : « Pro resolutione fidei meæ, quam Ecclesiæ catholicæ judicio submitto, censeo D. Augustinum nimio contra Pelagianos ardore incensum nimis præcipitanter sententiam et consensum prædecessorum suorum contempsisse, » hanc ipsam censuram improbans ait : « Hucusque episcopus Ebroicensis, qui, ut opinor, et pace illius dictum volo, consultius fecisset, tantique doctoris auctoritati convenientius, si semper et constanter quæcunque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, et non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset. » Dixerat enim Sanctesius Augustinum varium ea in sententia fuisse. Ambrosius Catharinus, in libro de Præscientia et prædestinatione, adeo adversus sanctum Augustinum procax est, ut bilem moverit vel ipsi Vasquio, unde his Catharinum increpat part. 1, disp. 90, num. 11 : « Contra Augustinum parum modeste loquitur Catharinus, et in illius sententiam suo modo explicatam maledictis procaciter fertur, etc. At in hoc turpissime certe Catharinus lapsus est, tum quod non intelligens mentem Augustini ipsum impudenter impugnat et reprobat, tum quod ipse Augustinus contra

Massilienses et alios a Cœlestino I in epistola prima ad episcopos Galliæ honorifice defenditur. » Et ibi recitato Cœlestini elogio addit, « hoc Cœlestini testimonium sufficere ut os ipsi Catharino obstrueretur. » Accedant ex Hispania duo Dominicanæ familiæ nobilissimi doctores, qui hominis in Augustino impugnando licentiam castigant. Dominicus Soto, in cap. IX Epist. ad Romanos : « Non potuit (inquit de Catharino) hic reverendus Pater citra temeritatis notam non solum Augustinum, verum sanctos omnes nova inauditaque sua commentatione contemnere. » Et Bannez, part. I, quæst 23, art. 7, prope initium, de Catharino ita loquitur : « Edidit tres libellos de Prædestinatione, in quibus nihil est eruditionis, sed plurimum erroris. » Quis vero quantusve fuerit iste sancti Augustini reprehensor, et unde emerserit, tradit Soto in Apologia de certitudine gratiæ, initio his ipsum Catharinum alloquens : « Jam ætate provectus ex jurisconsulto (trigesimum ætatis annum natus Florentiæ Dominicanæ familiæ nomen dedit) theologus derepente prodiisti, simul et audire cœpisti in scholis, et contra egregios scholarum doctores scribere. » Tantæ auctoritatis apud suos habet Catharinus! Cæterum non possum non indignari Annato, hanc glossam pag. 866 Catharini testimonio appendenti : « Ambrosii Catharini judicium esset merito suspectum, si quam profitetur interdum in Augustino deserendo libertatem, usurparet solus. Sed tanta cæterorum doctorum conspiratio satis ostendit Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui suo sæpe ingenio nimium indulsit, sed ut Ecclesiæ catholicæ archiepiscopum et doctorem id sensisse, » etc. Erras, Annate, erras. Catharinus libros illos de Prædestinatione scripsit antequam esset antistes, nam editi sunt Parisiis anno 1541 ; ille vero Minorensis episcopus in Picentinis dictus est anno 1546, die 27 Augusti, ex tomo VII Italiæ sacræ Ughelli ; archiepiscopus vero Compsæ anno 1552, die 3 Junii. Non itaque locutus est ut archiepiscopus Ecclesiæ catholicæ, sed, teste Soto, uti nuperus *ex jurisconsulto theologus* in iis libris in quibus, assertore Bannesio, *nihil est eruditionis*, sed *plurimum erroris*. Hinc factum est ut Catharinus jurisperitus in illis libris sæpe laudarit codices et digesta, ut suas de prædestinatione opiniones theologis persuaderet.

Restat Osorius, de quo hæc habet Gabriel Vasquez part. I, disput. 89, cap. 8, num. 62 : « Alterum, in quo hi auctores (nempe Catharinus, Camerarius, Osorius) fuerunt decepti, est quod putarunt Græcos Patres Augustino contraria docuisse, quasi assereret Augustinus homines ad gloriam sine meritis electos fuisse, » etc. Itaque, Vasquio teste, Osorius deceptus est. Annatus libro primo sui Augustini, a cap. 2 usque ad nonum, fusius conatur probare Augustinum non sensisse contra antiquos Patres, et præcipue cap. 6, ubi Faustum contra Augustinum loquentem inducit. Qua ergo ratione Augustinum illis testimoniis oppugnat ? Quod si dicat recitare se quid illi senserint, non quid illis sentiendum fuerat de Augustino, hoc nobis sat est haud plene eos testes recentioribus probatos esse, quorum ipsis fatentibus, primus *minus consulte locutus*, alter *impudens, parum modestus et procax, imo nec mentem Augustini intelligens*. Postremus denique *deceptus* dicitur. Annate, hos contra Augustinum testes ? Sed alios modo audiamus.

§ VII. *Testimoniis Driedonis, Taperi, Medinæ et Vallosilli contra sanctum Augustinum producta falsata esse, nec fideliter recensita.*

Annatus quasi lippis, imo cæcis scriberet, ausus est eos contra sanctum Augustinum testes advocare, qui vel maxime sancti doctoris auctoritatem tuentur, quod sane nisi variis technis usus præstare potuit. Etenim eos citat qui apertis verbis citra ullam contrariam interpretationem non modo Augustinianos se probant, sed Augustinianissimos ; novis enim verbis insolitæ recentiorum assertiones castigandæ sunt. Quo vero fidem testibus paret, aliqua eorum verba dissimulat, alia detruncat, alia mutat, gravi contra tot doctores injuria.

In primis appellat Driedonem, testatus pag. 878 hæc scripsisse : « Neque sentire contra divinam gratiam, neque si fallatur, perniciose falli eum qui, quamvis Augustinus aliter sentiat, generalem agnoscit erga omnes homines, cum primum ad usum rationis perveniunt, bonitatem, ut eos juvet peculiaribus auxiliis. » Driedo eo loci, nempe in lib. de Captivitate et redemptione generis hum., cap. 2, tract. 4, memb. 2, part. 8 immediate ante illa verba ab adversario adducta, hæc tradit : « Quamvis TUTIOR vivat quisquis cum venerabili Patre Augustino non per auxilia sufficientia ex æquo omnibus adultis proposita, sed per divinam misericordiam et justitiam a curiosis hominum quæstionibus se absolvit, humiliatus sub potenti manu Dei. » Deinde quam ibi insinuat de auxiliis communibus sententiam, locum in parvulis non habere ostendit, quo insolubili argumento sanctus Augustinus illam semper impugnaverat. At qui secus sentiat, *non falli*, inquit, *perniciose, si fallitur, nec contra divinam gratiam sentire*. Nam contra justitiam potius sentit quam contra gratiam, nec perniciose, sed tolerabiliter fallitur. Tu vero, Annate, ut Augustini in fine lib. VI contra Julianum verba, velis nolis, tibi ingeram, *miserabiliter falleris, vel etium detestabiliter falleris*, quando Driedonem contra Augustinum testimonium dicere tibi fingis, qui TUTIOREM sancti doctoris sententiam contestatur.

Rursus adducit eumdem Driedonem lib. I de Libero Arbitrio cap. 2, part. 5, ubi ait : « Ex Scripturis sacris ab Augustino adductis super hac re non expresse et efficaciter concludi potest infantes sine baptismo decedentes supplicio æterni ignis esse cruciandos. » Additque Annatus nobile scholion : « En ut inefficaces fatetur adductas ab Augustino ex Scriptura sacra probationes, utque optioni studiosorum permittit, ut illum aut sequantur aut deserant. » Intelligit

Driedo testimonia Scripturæ ab Augustino allata non efficaciter, hoc est haud demonstrative probare pœnam sensus puerorum in inferis: nam immediate hæc de utraque sententia præmiserat: *Cum neutra videatur efficaciter ex Scriptura sacra demonstrabilis.* Neque hanc sententiam demonstrative probatam nos contendimus: alias nullus posset oppositum tueri. Neque optionem facit ut Augustinum vel sequamur vel deseramus: nam Augustino etiam illa in opinione nobis inhærendum esse exemplo docuit, hæc astruens: « Ut ergo, quod nobis PROBABILIUS, Scripturisque sacris magis consonum videtur, afferamus, arbitramur hujuscemodi parvulos sensibili quadam molestia, seu afflictione ab igne et in igne torqueri. » Audis, Annate, eam sententiam, quam tu pag. 858 tanquam *crudelem* detestaris, a Driedone astrui probabiliorem, ac sacræ paginæ magis consonam? Augustino igitur militat doctissimus ille vir, neque ulla arte in recentiorum, castra abduci potest, sed inane tantum illius nomen fingis ad decipiendos incautos.

Driedoni magistro supparem submittunt Ruardum Taperum ex eadem Lovaniensium academia doctorem, quem hæc contra Augustinum scribere tradit Annatus, pag. 879: « Alia tamen opinio magis consentanea est Augustino, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium, » etc. Et deinde: « Harum tamen opinionum prior videtur magis commendare divinam bonitatem, » etc. At est quod de Annato conqueramur, quippe qui verba Taperi plurimum Augustinianæ sententiæ faventia omiserit: nam ita scribit Taperus ad art. 7, pag. 222: « Alia tamen opinio magis est consentanea Augustino, ET PATRUM CONCILIIS, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium. » Pupugere recentioris mentem duo illo verba: quis enim inde non videat quantum ponderis Augustinianæ sententiæ, teste Tapero, accedat? Illa igitur consulto omisit. Quare jure cum Augustino lib. IV contra Jul,, cap. 8, hic liceat exclamare: *Ut appareat de re tanta, quibus abs te fraudibus disputetur.* Addit Annatus significare Taperum eamdem sententiam esse Adriani VI, 4 Sententiarum, quæst. 1, de pœnitentia. Hinc insultat pag. 886: *Adrianus quoque Sextus juxta id quod retulimus antea ex Ruardo Tapero jungendus erit.* Sed profecto nullas nobis præstigias facies. Quid scripsit Adrianus citatus in fol. 3 dubii §: *Ex his respondeo ad quæsitum*, modo proferimus: « Eam misericordiam, ait, ut probabiliter teneo, viatoribus exhibet Deus, qua sufficienter eis assistit, et suam gratiam affert, qua pro extremo saltem virium laborando, possent peccati indulgentiam promereri, ut in hoc differentia sit viatorum ab iis qui transierunt terminum. Si tamen contrarium faciat, id est si non dat eis indulgentiam peccatorum laborando pro viribus, quod apud doctores dubium et incertum est, nequaquam injustitiæ argui posset. » Vides primo dicere se probabiliter hoc tenere. Vides secundo Adriano teste dubium et incertum esse illud principium: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, quod recentiores putant esse certissimum. Vides tertio Deum haud reprehendi posse si laborantibus pro viribus adhuc deneget gratiam: quæ Adriani dicta cum illorum theologia non conveniunt. Ibidem vero ait: « In omnibus his exclamandum est cum Augustino: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* » Cum tamen recentiores hanc sancti Augustini exclamationem non modo non imitentur, sed irrideant, quod ex Joanne Adamo superius fuit manifestum.

Accedit tertio loco Bartholomæus Medina, magnus Dominicani instituti theologus; ejus verba sic recitat Annatus pag. 875: « Sine dubio sententia est Augustini quod homo in pura natura habet naturalem virtutem operandi, quam non habet in lapsa. Non placet tamen doctoribus. » O integræ fidei exscriptorem! Medina eo loci, adducta sententia nonnullorum asserentium diversam esse virtutem operandi hominis stantis et lapsi, ait: *Quæ sine dubio videtur D. Augustini sententia.* Quæ ita recitat Annatus: *Sine dubio sententia est Augustini.* Falleris, o bone vir! non ita scribit Medina: *Videri*, ait, non vero *esse* reapse illam Augustini sententiam; tu vero illud verbum *videri* abradis, quo ex Medinæ vocibus Augustino acrius insultes. Sed nec ait: *Non placet tamen doctoribus*; relege, et videbis ita scribi: *Non placet tamen viris* DOCTORIBUS, quibus eam aliquibus, sed forte minus, ut ille quidem putabat, doctis sententiam placere significat, eos autem tacito nomine paulo ante indicaverat. Sed alia rursus audienda est objectio: etenim, recensita Medinæ sententia, exclamat recentior ille pag. 876: « Atque hac ratione hic auctor indubitatam Augustini doctrinam hoc in puncto et doctoribus contrariam esse fatetur, et SIBI sine ullo fidei violatæ, vel spretæ antiquitatis scrupulo. » Belle hæc sibi Annatus fingit. Medina, sua ipsius sententia recitata, aperte protestatur se non habere adversarium Augustinum. Hæc sunt ejus verba: « Neque D. Augustinus huic nostræ sententiæ ullo modo adversatur. » Et audes coram judicibus affirmare Medinam fateri *sibi esse contrariam Augustini doctrinam*? Egregie Augustinus contra Julianum lib. IV, cap. 8: « Quis non exspectet, inquit, sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis? »

Eadem fide animoque Annatus pag. 870 ad tribunal contra Augustinum Ferdinandum Vallosillum vel nolentem trahit, qui *multis locis*, inquit, *satis indicat liberam esse ab Augustino interdum discedendi copiam.* Dein plura Vallosilli testimonia producit, in quibus tamen hic adeo constanter cum Augustino stare se profitetur, ut mecum sane illa reputans, in eam opinionem abeam, alienis illa oculis Annatum lectitasse: pudet enim ac piget de viro tanti inter recentiores nominis adeo palmares allucinationes (non enim imposturas dicam) suspicari. Verum eadem objecta excutiamus: « Multis locis, ait, satis indicat liberam esse ab Augustino interdum discedendi copiam, ut quæsito 13 in tomum II Chrysostomi, dum quærit causam prædestinationis et reprobationis. » At cur

Vallosilli verba contra Augustinum non producis, quod cæterorum testimonia referens præstitisti? Sane quia nulla sunt; debui dicere, contraria sunt : etenim adeo mordicus Augustinianæ sententiæ de gratuita prædestinatione adhæret, ut ibidem dicat : « Opinio contraria non est probabilis, licet non hæretica, et nullus eam deberet asserere in scholis neque alibi. » Et hunc dicis in disputatione de prædestinatione facere *liberam ab Augustino discedendi copiam*? Rursus ibidem, nempe quæstione 13, Chrysostomi testimoniis explicatis, addit : Augustinus patrono non indiget; nam cum prius huic dogmati constanter adhæsisset, re tamen diligentius perspecta, opinionem locis innumeris retractavit, » nempe Deum homines prædestinare ex prævisis meritis fidei naturalis. Addit adversarius : « Et quæsito 18 in tom. III sancti Augustini, ubi disputat an possint aliæ virtutes esse sine fide, et sic loquitur, etc. Non enim sanctus Thomas consentit cum Gregorio Ariminensi, neque cum B. Augustino, quod omnes actus infidelium sint peccata. » Respondemus Vallosillum hæc dixisse ex aliorum sententia calamo ad alia properante; nam quæsito 22 in D. Ambrosium, ubi ex professo quæstionem illam agitat, et ad quam se refert tom. VII Augustini quæsitis 18 et 19, et tom. VIII, quæsito 3, et alibi, aperte § *Ad argumenta Gregorii*, in responsione ad 4, tradit sanctum Augustinum non idem sensisse cum Gregorio Ariminensi de operibus infidelium, Et in tom. III, quæsito 18, scribit de virtutibus infidelium sanctum Augustinum *sensisse cum sancto Thoma*. Et tom. VIII, quæsito 3, ait de eodem sancto, doctore, quærens an omnia infidelium opera sint peccata : « Et ita in re convenit cum communi sensu Ecclesiæ, et cum doctrina doctorum scholasticorum. » Et hæc est Vallosilli de Augustino sententia.

Pergit Annatus : « Et quæsito 25, in tom. III Augustini, ubi concludit timorem servilem tum bonum, tum meritorium esse, quamvis Augustinus videatur illi aliud sensisse, in quo forte Vallosillus deceptus est. » Sed appello oculos lectorum, nihil enim ibi ait de Augustino, ut fingit Annatus; in fine tamen quæsiti ejusdem sancti doctoris dictum interpretatur, nec uspiam scribit sibi videri Augustinum asseruisse timorem servilem non esse bonum; unde ille recentior non solum in sanctum Augustinum injuriosus est, verum etiam in ipsum Vallosillum, quem *deceptum* dicit, ea de Augustino pronuntiando, quæ ne somniavit quidem. Addit quarto : « Et quæsito 10, in tom. X, ubi dicit Augustini sententiam de causa reprobationis displicuisse plerisque veterum Patrum. » Bene; at statim quinam fuerint illi Patres significat, nempe *Massilienses et Faustus Rejensis*. Hæc tamen siluit Annatus, videbat enim illos Patres esse Semi-Pelagianorum magistros, hoc est nullius prorsus auctoritatis. Porro ibidem Vallosillus confutat Catharinum sancti Augustini sententiam reprehendentem, et concludit : « Non ergo est cur Catharinus in proloquio sui libelli diceret se punctum prædestinationis vera ratione attigisse, quæ Augustinum ac cæteros antea Patres celata semper fuisset. » Tandem sic concludit : « Et quæsito 30, in tom. IV, ubi responsionem ad oppositam sibi auctoritatem Augustini in ea quætione num liceat uxori de consensu mariti fornicari, sic exorditur : *Pro B. Augustino respondemus quod quid secundum veritatem tenendum sit, definivimus*. Ita truncatum testimonium Vallosilli refert Annatus, ut putetur parvi habita Augustini auctoritas; nam ille scriptor statim addit : « Et ipse tantum proposuit quæstionem an in casu uxor possit licite fornicari, accedente consensu viri, in quo sensu doctores scholastici quæstionem non disputant. » Postea aliam explicationem annectit : » Secundo dicimus B. Augustinum casum non definisse, quod ex verbis ejus constat : postquam enim casum proposuit, conclusit sic asserens : *Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique existimare quod velit*, etc. Ex qua littera constat quod cum dicat, *Liceat cuique existimare quod velit*, quod definite nihil asseruit, sed opinioni et judicio aliorum existimandum reliquit. » Hæc doctissimus ille episcopus, qui summa diligentia atque ingenti labore quæcunque dubia in universis sancti Augustini voluminibus occurrere poterant, explicuit, unumque præsertim ostendendum sibi proposuit, nil falsi alicubi ab Augustino assertum fuisse. Quare quis non ægre ferat et acerbe, hunc strenuissimum sancti doctoris defensorem contra eumdem ad tribunal obtorto collo a recentioribus trahi, fieri illum ipsorummet ore ea loquentem quæ non modo non dixit, sed quæ ab Augustini sensibus procul abesse solidissime demonstravit?

§ VIII. *Viguerii, Soti, Fabri, Horantii testimonia discussa.*

Recentiores, licet in superiori testium repetitione convicti sint, ora tamen judicum aspicere, nedum sua iterum contra Augustinum aperire non erubescunt, imo novos contra sanctum doctorem testes adducunt, ita ut si testium numero certandum foret, verendum esse ne illorum multitudine Augustinus obrueretur; sed re nobis hucusque feliciter succedente animosiores facti, ad reliquorum testium examen accedimus.

Joannes Viguerius pag. 872 nominatur, quod § 6 de Peccato originali hæc scripsit : « Præterea in hoc non tenetur D. Augustinus. Unde Gennadius de Viris illustribus de eodem Augustino loquens ait : *Licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit, error tamen illius, ut superius dixi, multo sermone contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit*. Per quæ verba dat intelligere D. Augustinum in hac opinione errasse, sed ipsum hæreticum non fuisse, eo quod non fuit pertinax, imo retractavit in epistola ad Julianum... Præterea decretalis *Majores, de baptismo*, in qua est determinatum eos non pati pœnam sensus, tempore D. Augustini nondum edita erat. Quia idem Augustinus, qui supra modum Ecclesiam reverebatur, si edita fuisset, oppositum non dixisset. » Verum hic testis

nullam apud judices fidem meretur, quod eorum quæ dicit prorsus inscium se propalat. In primis Gennadius, cap. 38 de sententia sancti Augustini de pœnis parvulorum sine baptismo morientium non loquitur, sed de resurrectione puerorum in uteris matrum decedentium. Nam Gennadius, cum dixisset Augustinum ex multiloquio errasse, ait : « De resurrectione etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate, licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Catholicus permansit tamen, et error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit. » Etenim sanctus doctor, lib. XXII de Civitate Dei, cap. 13, dubium proponit *an abortivi partus in die judicii resurrecturi sint*. Quære Viguerius verba Gennadii nec percepit, nec fideliter retulit, nam hæc omisit : *Catholicus permansit tamen*, quibus periodi sensus variatur; errorem enim non de abortivis Gennadius objicit, sed de prædestinatione ex absoluto Dei decreto, ut alibi dictum est. Neque enim sententia Augustini de pœnis parvulorum fuit lucta hostium exaggerata, nam de illis Augustinum tantummodo dubitasse Semi-Pelagiani dicebant, ut patet ex litteris Hilarii ad Augustinum. Præterea falsum est sanctum Doctorem sententiam illam retractasse in epistola ad Julianum; etenim nullam ad Julianum epistolam Augustinus scripsit. Sane in Opere imperfecto contra Jul., lib. III, cap. 200, quod ultima ætate conscripsit, constans in eadem fuit sententia : « Si autem, inquit, non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid mireris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? » Neque hoc sancti doctoris assertum damnatum est ab Innocentio III in illa decretali, ut optime notat Gregorius in 2 Sententiarum, dist. 33, q. 3, et superius ex professo ostendimus.

Augetur testium numerus Dominici Soti censura, qua sententiam sancti Augustini de pœnis parvulorum perstringit, inquiens lib. I de Natura et grat., cap. 14, apud Annatum pag. 874 : « Augustinus plus justo videtur torquere parvulos, unde qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt. et tortores parvulorum nuncupantur. » Idem vero Aunatus pag. 871 Joannem Fabrum episcopum Viennensem hom. 9 de peccato orig. in eamdem Soti sententiam adduxerat, quippe qui dixit Augustinum sic opinantem *excessive locutum*. At quæstio de pœnis parvulorum nusquam ex professo ab Augustino agitata fuit, sed occasione a Pelagianis data suam sententiam pronuntiavit; in sermone 14 de Verbis Apostoli fusius quidem quam alibi ea de re locutus est. Nec perpauci sunt qui eidem adhærent, nam Gelasius ac Gregorius pontifices, Avitus, Fulgentius, Isidorus, synodus Sardiniensis Patrum Africanorum, Prudentius, Beda, Aelredus aliique sancti Patres Augustinianam de parvulorum pœnis sententiam secuti sunt. Itemque ex theologis Gregorius, Driedo, Musæus, Moreau, Macedo, Polmanus, Paludanus, Poncius Conrius ac doctores Lovanienses communiter, quorum omnium testimonia indicavimus cap. 3, § 5. Quantum vero Sotus Augustino in disputationibus de gratia detulerit, ex cap. 2 ejusdem libri colligitur, ubi ait : « Hoc ipsum Augustinus agnovit, ut pleraque alia quæ in argumentum hujus operis excogitari possunt; quem propterea nihil mirum si ferme UNICUM CORYPHÆUM identidem huc simus PRÆ CÆTERIS PATRIBUS accersituri. » Hæc ille.

Franciscus etiam Horantius contra Augustinum citatur, vir sane eruditus, et qui synodo Tridentinæ interfuit, quo cum Cyprianum itemque Hieronymum in quibusdam errasse dixisset, hæc de Augustino subjungit lib. IV, cap. 3, de Locis Theologicis : « Idem Augustino longe doctissimo contigit. Sed quo feror? cuinon? » Qui nusquam Augustinum errasse diceret, eximia Augustinum laude fraudaret, duos Retractationum libros expungendo. Verum Annato probandum erat Augustinum in libris contra Pelagianos ab Horantio reprehensum fuisse, hoc enim se scriptorum testimoniis evicturum spoponderat. Audite interim quæ sit illius scriptoris de Augustino judicium. Ille lib. I, cap. 51, ubi de gratia et libero arbitrio disputat, hocce nobile Augustino Elogium appendit : « Hæc longe omnium in perlustrandis fidei nostræ sacramentis princeps Augustinus. Quam quidem doctrinam tanquam e cœlo lapsam suscipimus, ut sanctam veneramur, ut fidei nostræ regulæ conformem amplexamur, et ut antiquæ Patrum traditioni satis constantem, modisque omnibus veritati consentaneam et convenientem retinemus. » Cap. 46 vocat sanctum Augustinum *unum omnium doctissimum et sanctissimum* ; cap. 48 ait : *Magni Augustini mens expendatur*. Hæc de sancto doctore Horantii sententia est, ut haud jure contra eumdem a recentioribus nominari possit.

§ IX. *Joannis a Bononia, Arborei, Aragonii, Pennoti, Estii, Vegæ et Tostati testimonia examinata.*

Omnium bibliothecarum schedulas recentiores excusserunt, rimantes si quæ doctorum licet haud ita celebrium dicta invenirent, quibus Augustini auctoritas decurtaretur. Enim vero in librum exiguum nescio cujus Joannis a Bononia inciderunt, qui, ut refert Annatus pag. 878, expositiones Augustini in illa Apostoli : *Deus omnes homines salvos fieri* (I *Tim.* II, 4), non recipiens ait : « Non videtur hic modus dicendi sufficiens. » Item : « Non est verisimile Apostolum hoc sensisse. » In primis hic scriptor in tacita solutione objectionum, pag. 365 edit. Lovaniensis anni 1555, quo modestius Augustini interpretationem alteram secutus omitteret, sanctum Doctorem noluit nominare, religioni sibi ducens a tam sacro nomine palam discedere, sed ait : « Denique haud me latet eximium quemdam sacrarum litterarum interpretem hunc locum ad hunc modum explicare. » Postea : « Alium sensum ponit idem doctor eximius. » At recentiores non modo Augustino nominato easdem interpretationes rejiciunt, sed dicteriis etiam onerant, vocantes easdem cum Molina vel *primo aspectu peregrinas et extortas*.

in Concord., quæst. 19, art. 6, disp. 1, velle cum Petavio ad *eludendum magis, quam rectas et solidas videri*, tom. I Dogm. theol., lib. x, cap. 3. At idem scriptor in præcipua quæstione de prædestinatione hæc tradit : « Nostram mox subjiciemus sententiam, eamque dictis B. Fulgentii sumptis ex B. Augustino stabiliemus. » Passimque eo in opere sancti Augustini testimonia inculcat.

Opponit pag. 880, Joannem Arboreum in illa verba Epist. ad Rom., cap. III : *Ubi est gloriatio tua? exclusa est; per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei*; ubi sancti Augustini interpretationem *jejunam* vocat et *explodendam*. Miror alterum summa Annati diligentiam subterfugisse : etenim ait : *Expositio est ridicula et explodenda*; verum ridiculus potius testis sit Arboreus, qui Augustinum Latinum sermonem docere præsumit. Sanctus doctor, lib. de Spiritu et litt., cap. 10, ut probet homines non justificari ex lege, sed ex fide auxilium gratiæ impetrante, illa verba Apostoli adducit, hæc subjungens : « Sive gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino est, eamque exclusam, id est, non ut abscederet, pulsam, sed ut emineret, expressam, unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii, etc. ; sive gloriationem vitiosam de superbia venientem commemorare voluerit, eorum scilicet qui cum sibi juste videntur vivere, ita gloriantur quasi non acceperint eam quam non per legem factorum, sed per legem fidei dicit exclusam, id est ejectam et abjectam, quia per legem fidei quisque cognoscit, si quid bene vivit, Dei gratia se habere. » Itaque sanctus doctor, subindicata prima explicatione, quæ alicui forte venire posset in mentem, ad alteram descendit, cui semper inhæret in libris contra Pelagianos. At Arboreus ridiculum grammaticum agit, dum Augustinum barbarismi accusans ait : « Nec pictores eximii, elegantissimæque picturæ fictores aut expressores dici solent exclusores, sed exsculptores aut effigiatores. » Quasi Augustinus vulgare illius ætatis quorumdam argentariæ artis opificum nomen potuerit ignorare. Scribit idem sanctus Pater in illa psal. LXVII : *Ut excludant hi*, etc. : « In arte argentaria exclusores vocantur qui de confusione massæ noverunt formam vasis exprimere. » Unde patet eos argentarios artifices quos Latino vocabulo fusores dicimus, tempore Augustini a vulgo appellatos fuisse *exclusores*. Certe uti IV Reg. XXIV *clusores* argentarii nominantur qui gemmas auro vel argento claudebant, ita exclusores dicebantur qui ex auro vel argento vasa fundebant ; cujus quidem vocis etymologiam non vacat curiosius inquirere, cum et nomina ad placitum imponantur, et vox illa vulgo usurparetur. Arboreus autem de pictoribus et pictura nomen illud perperam accipit, quod ab Augustino de excusoribus argentariis, seu de iis qui statuas, seu quodlibet aliud excudunt, intelligitur. Igitur inepte in hoc Arboreus calculum posuit ; verum Annatus hoc nobile scholion addit pag. 881 : « Et tamen liber ille ab Augustino contra Pelagianos scriptus est, et locus Pauli contra eosdem illic urgetur. » Quid tum? Scribit sanctus doctor duas expositiones excogitari posse laudatæ Pauli sententiæ, quarum utraque Pelagiana hæresis suffocatur : siquidem una displiceat altera recipiatur, hoc satis Augustino fuit, neque qui primam non admittit, Augustini hostis statim censendus est ; non enim hoc exigit Augustinus, dum ait, *sive gloriationem dixerit laudabilem*, etc., *sive gloriationem vitiosam*, quibus significat nolle se in iis explicandis immorari, utraque tamen interpretatione Pelagianos convinci, sequente quolibet quam velit.

Cæterum exciderint illa Arboreo, modo in quæstionibus de prædestinatione et gratia Augustianum se profiteatur. Lib. x Theosoph., cap. 9 : *Augustinus*, ait, *liberi arbitrii assertor studiosissimus* ; lib. XIV cap. 7 : *Si nonnihil*, inquit, *tibi sit judicii, facile cognosces ex sana et luculenta Augustini doctrina, Deum non ex eo dilexisse Jacob, quod futura ejus merita præviderit*. Toto eo volumine in quæstionibus de gratia : *Hæc Augustiniana est assertio*, et initio libri vel a limine se sancti doctoris studiosissimum ostensurus scribit : *Hujusce assertionis partes, quæ Augustinianum sapiunt doctrinam, seorsim stabiliemus*. Igitur recentiores suum ipsorum de Augustino judicium, quod dogmata de prædestinatione et gratia attinet, hujus Arboris nec foliis nec umbra obtegere valent.

Quo tamen Augustini auctoritatem propius arietent, Petrum Aragonium et Gabrielem Pennotum Augustinianos in subsidium vocant. Aragonius, 2-2, q. 10, art. 6, cum probasset hominem sine gratia Dei posse bene moraliter operari, addit : « Ex dictis ergo infertur sententiam D. Augustini fuisse quod homines nullum bonum opus moraliter efficere possunt sine gratia Dei, quod idem affirmabat Gregorius. » Unde ait Annatus, pag. 882 : « Atque ita palam profitetur Petrus Aragonius se ab Augustino discedere. » Pennotus vero lib. v Propugnac., cap. 6, tradit minime credendum esse « omnem Augustini rationem esse exactam demonstrationem, omnem responsionem esse dogma fidei, omnem expositionem locorum sacræ Scripturæ esse certam regulam et infallibilem ipsas divinas Scripturas interpretandi, » etc. ; quibus recitatis his Annatus insultat : « Vide, lector, quo moderamine in commendanda sancti Augustini doctrina utantur etiam illi qui ex instituto ejus cultores, imitatores et alumni sunt in utroque ordine canonicorum et eremitarum. Ut perspicere liceat quam sit superstitiosa hodiernorum Baianorum religio, qui specioso errorum prætextu solum Augustinum in ore, in oculis, in corde habere se fingunt. » Non possum negare Aragonium in ea sententia fuisse, attamen ibidem concl. 2 fatetur hominem sine gratia *raro, et infrequenter, et cum magna difficultate* posse efficere bonum opus, ut parum ab Augustiniano dogmate recedere videatur. At § *Cæterum hoc non obstante* probat sententiam sancti Augustini nullum continere errorem, ac proinde posse sustineri. Huic tamen domestico testi ne tantillum

judices moveat, opponimus tres ex hac nostra eremitana familia celeberrimos doctores, qui mordicus sancti Augustini sententiæ adhærent, Gregorium Ariminensem, 2, dist. 20, quæst. 1, art. 2, Basilium Pontium, magnum theologum Salmanticensem, in Relectionibus de auxiliis divinæ gratiæ, et Gasparem Casalium, Lusitanum episcopum, lib. 1 de Quadripartita Justitia, qui Augustini dogma explicant, solidissimis argumentis muniunt, atque ab adversariorum jaculis vindicant. Imo recentiorum subtilissimus Vasquez idem fusissime propugnat 1-2, disput. 190, quem sequuntur ex eadem familia Turrianus, tract. de Gratia, disput. 4; Mæratius, tom. II, tract. eodem, sect. 8; Ripalda, tom. I de Ente supernat., disput. 20, sect. 6, aliique.

At Pennotus non adversatur; etenim Augustinus usus est in suarum sententiarum confirmationem argumentis etiam probabilibus, quæ si essent demonstrativa argumenta, stultos diceremus recentiores qui eisdem responsionem procudunt. Unum contendimus, capitales sancti Augustini sententias adversus Pelagianos et Semi-Pelagianos non posse citra temeritatis notam impugnari. Quam vero Pennotus parum recentiorum causæ faveat, in his ejusdem verbis nemo non videt: « Si Cœlestinus, inquit, Romanæ Ecclesiæ pontifex calumniatores doctrinæ D. Augustini de prædestinatione vocat plantas male crescentes, et improbos, quibus perpetuum silentium imponendum sit, et sectatores dogmatum perversorum et damnatorum, a contrario doctrinam Augustini de prædestinatione probat ut doctrinam sanam, piam, catholicam et de fide, cui a catholicis non possit contradici, » lib. v Propug., cap. 16, num. 2. Annatus tamen, lib. VIII, cap. 2, pag. 860, ait: « Constituamus illam partem quæ plus favet libero arbitrio, dicamusque ante prævisa merita homines ad gratiam prædestinari, post prævisum autem bonum usum gratiæ prædestinari ad gloriam, quid inde sequitur contra regulas a Cœlestino positas? prorsus nihil. Hæc igitur una est ex quæstionibus quas astruere non vult Cœlestinus, si credimus Baronio. » Jam sentis, jam vides, quam belle tibi Pennotus concinat. Quod de Baronio addis, falsum esse § 1 ex eodem Baronio demonstravimus.

Guillelmus etiam Estius intromittitur, qui 1 Sententiarum, dist. 44, § 14, ait: « Quod si nihilominus contendat aliquis Augustini verba quæ objecta sunt huc inflecti non posse, putetque eum revera alterius esse sententiæ, tum respondebimus ea quæ de adjutorio primi hominis et angelorum obscurius, et, ut videtur, extra Scripturæ auctoritatem ab eo disputata sunt, ad hoc ut ex comparatione gratiæ nostræ per Christum reparationis magis emineret, non debere præjudicare doctrinæ quæ apud alios Patres ipsumque sanctum Thomam in hujusmodi rebus exactissimum doctorem expressior reperitur. » Estius quo suam erga sanctum doctorem observantiam ostenderet, eadem dist, 44, § 13 et 14, multum laboris impendit ut eumdem in suam sententiam traheret: quod vero videbat id satis ægre posse persuaderi ea quæ recitata sunt, apposuit, non ut parvi fieri ab ipso Augustinum judicaremus, sed ut molesti forsitan adversarii objectionem effugeret. At quod Estio displicuit, olim pariter Semi-Pelagianis displicuisse scribit Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum, § *Deinde moleste ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data, vel nunc omnibus datur*, etc. Ille tamen scriptor, 2, dist. 24, § 10, ait: « Atque horum primus sit Augustinus, ut quem constat causam fidei catholicæ contra Pelagianos præ cæteris ecclesiasticis scriptoribus acrius uberiusque defendisse. » Et in 1, dist. 41, § 6: « B. Augustini de gratia Christi doctrinam, quæ magna ex parte consistit in astruenda prædestinatione gratuita, approbavit Cœlestinus pontifex in epistola ad episcopos Galliæ. » Omitto plura quæ passim in commendationem sancti doctoris Estius recitat; Lovanienses enim ac Duacenses consuevere Augustino semper esse addictissimi.

Alphonsus Tostatus in nonnullis ab Augustino dissentit, quæ ad sacræ paginæ explicationem pertinent. At Annatus pag. 867 ait: « Vide, lector... an putet dandam esse nemini facultatem in aliquo repugnandi ex omnibus quæ ille contra Pelagianos et Semi-Pelagianos scripsit. » Contendimus sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos ex tanta Ecclesiæ approbatione in excellentiori gradu auctoritatis locandam esse, quam illorum, qui, ut ait Tostatus apud Annatum, *humano ingenio solo scripserunt*. Cæterum insigne elogium Tostati de Augustino lege apud Macedo in Concentu euchologico, pag. 431, ubi de Tostato ait: « Quanquam minutis quibusdam in quæstionibus ab Augustino interdum dissentiat, in materia de prædestinatione et gratia Augustino penitus consentit. »

His additur ab Adamo, part. III Calvini destructi, cap. 6, Andreas Vega, qui dolere se dixit Augustinum adversariorum gratiæ objectionibus clare non satisfecisse, lib. XII in Trident., cap. 22, de Justificat. Cæterum Vega ibidem cum dixisset Pelagianos contra divinam gratiam decem et sex argumentis stetisse, ait: « Et ad ea omnia copiose et erudite pro sua eximia doctrina respondit Augustinus. » Addit tamen ibidem nonnulla quæ nec adversariis ipsis placere possunt: nam hanc regulam prædicandi mysterium prædestinationis et necessariæ gratiæ ad credendum, diligendum Deum, pœnitendum, etc., concionatoribus tradit. « Cuperem hoc clare et distincte tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus necessariam esse specialem Dei gratiam, ac si solus generalis Dei concursus sufficeret, imo ac si non esset nisi nostra sola voluntas ad ea omnia requisita. » Et post nonnulla similia addit: « Et hæc sæpe desideravi, ut Augustinus palam et aperte respondisset objicientibus ipsi quod a prædicatione prædestinationis et gratiæ cessandum esset coram populo. » Quis vero non

Videat ex illa Vegæ regula orationem nunquam auditoribus inculcandam esse? Etenim oratio est divinæ gratiæ testificatio, cum nullus petat ab altero auxilium ad aliquod faciendum, quod per semet æque facile præstare potest, quo argumento Pelagiani a Patribus convicti sunt. Si fideles ad divinam opem implorandam adhortandi sunt, ut in sacris mysteriis facit Ecclesia, non ita commendanda est voluntas ac si sola ipsa ad virtutes capessendas et fugiendas tentationes sibi sufficiat. Miror autem, cum Vegam hanc sententiam ibidem interserentem audio, debere nos, *ipsius opem assiduis et importunis gemitibus flagitare*. Porro si hoc populi docendi sunt, qua ratione sola voluntatis humanæ potentia asserenda est? imo summa ejusdem infirmitas ostenditur, dum ad illam adjuvandam Dei gratia, non dicam exspectatur, sed *assiduis et importunis gemitibus imploratur*. De his autem adeo solide agit Augustinus in lib. de Dono persev., a cap. 14 et seq., ut nihil vel clarius vel efficacius a quoquam desiderari possit. Quare Vegæ testimonium nec adversarii ipsi probent, dum ea astruit quæ ipsimet improbent, si sane sapiant.

§ X. *Dominici Bannez testimonium altius contra Augustinum exaggeratum discutitur.*

Hispani hujus theologi, quem semper infensum recentiores experti sunt, testimonium contra sanctum doctorem grandi fiducia exaggerant, in qua quidem re cum mala fide procedant, illud nobis diligentius examinandum venit. Adamus, part. III sui Calvini destructi, cap. 9, pag. 667, cum sibi licitum esse scribat sancti Augustini sententiam de reprobatione ex solo peccato originali ortam *horrere, quod mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie contra Ecclesiam inculcat*, Bannesii patrocinio vel testimonio utitur, ita de eadem sententia Augustini scribentis, part. I, quæst. 23, art. 5 : « Hæc sententia non est probabilis. Non modicam habet difficultatem, Impossibile videtur et omnino incredibile quod Deus propter culpam originalem hominem reprobaverit. Hoc nullus fidelium dicere audebit. Si D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, nunquam posuisset quod originale peccatum solum est causa reprobationis omnium reprobatorum hominum. » Annatus, lib. VIII cit., cap. 4, pag. 874, prioribus omissis, illa, *Si D. Augustinus*, etc., longe grandioribus characteribus, quo lectoris oculos statim et vocent et impleant, exaravit, quibus recensitis exclamat : « Hæc Bannez, quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant indicantis aliquid lucis Augustino defuisse in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia. » Ita insignis theologi suffragium contra Augustinum jactant.

Adamus illa contra Augustinum a Bannesio dicta commentatur, quorum oppositum ille scriptor asseruit : etenim hic, recitata sententia sancti Augustini de prædestinatione, fatetur non modicam illi inesse difficultatem, et statim, ut id ostendat, sex argumenta contra eamdem proponit, ubi in fine tertii habet : *Ergo non est probabilis sententia Augustini*. In fine secundi : *Impossibile videtur et omnino incredibile*, etc.; quæ non ex propria sententia, sed adversus Augustinum arguentis persona inducta posuit, ut patet ex iis quæ postea tradit. Ille autem tres ibidem sententias refert : primam sancti Augustini, alteram quorumdam Thomistarum, postremam sancti Thomæ. De secunda, § *Præterea manifestum est*, ita judicat : « Atque ita secunda opinio facile potest sustentari, neque existimo differre a sententia D. Thomæ, nisi solo nomine. » Porro § *Tertia sententia est D. Thomæ*, collata Augustini sententia cum illa secunda ait : « Quapropter, postea dicemus, non est minus probabilis, imo forte probabilior secunda illa sententia, quam prima D. Augustini. » Ergo, teste Bannesio, sententia sancti Augustini est probabilis; imo dubitat an secunda sit probabilior (ait enim *forte*) illa sancti Augustini est, illa, inquam, secunda, quam differre putat a sententia sancti Thomæ *nisi solo nomine*. Ergo falsus convincitur Adamus, dum verba illa : *Ergo non est probabilis sententia Augustini*, quæ arguendi gratia ille theologus dixit, ejusdem sententiam esse pronuntiavit. Rursus idem de altero Bannesii dicto dicendum est, dum in argumento secundo ait : « Impossibile videtur et ommino incredibile quod Deus ab æterno statuerit originalem culpam misericorditer et vere remittere; et nihilominus propter illam culpam hominem reprobaverit; » et in tertio argumento infert : « Ergo originale peccatum jam remissum est causa et ratio condemnationis æternæ, quod nullus fidelium dicere audebit. » Adamus vero abrasis illis verbis, *peccatum jam remissum*, etc., raptim alia in unam sententiam congessit, quo acerbiorem censuram faceret. Sed ex persona adversariorum illa se dixisse Bannesius ostendit, dum paulo inferius hæc scribit : « Sed operæ pretium erit prius quædam advertere circa sententiam Augustini, quæ omnino cavenda sunt ab eis qui illam volunt defendere. » Et statim : « Ante omnia cavendum est ne concedatur quod aliquis propter originale peccatum jam remissum tanquam propter causam demeritoriam damnetur pœna damni, » etc. Ex quibus patet illam propositionem, quam infert in argumentis : *Originale peccatum jam remissum est causa et ratio condemnationis æternæ*, esse omnino negandam ab iis qui volunt defendere sententiam sancti doctoris. Quare, si illam propositionem veluti absurdam procul ab asserto Augustini removendam putat, qui fieri potest ut eamdem ipsemet Augustino imponat? Et quidem nusquam Augustinus dixit peccatum originale remissum esse solam causam et rationem cur plurimi reprobentur, ita ut formaliter id intelligatur, de quo plura diximus cap. 4, § 10.

Hæc contra testis conductorem dicta sunto : jam cum ipsomet Bannesio res sit : cujus verba quo pacto ab Annato citantur ita se habent : « Est denique de hac re nostrum judicium, si quid valet. Crediderim enim quod Augustinus tantum fuit sollicitus destruere errorem Pelagianorum asserentium merita præscita

causam esse divinæ prædestinationis et electionis, et quia si consideretur quod præscientia malorum operum Esau fuit causa reprobationis ipsius, videbatur D. Augustino statim fieri consequens, quod etiam futura bona opera Jacob fuerint causa prædestinationis ipsius; propterea semper negavit præscientiam malorum operum Esau causam fuisse reprobationis ipsius. » Rationem vero ponit cur illatio illa non sit legitima, eo quod ipsa merita bona sunt effectus prædestinationis, peccata vero non sunt effectus reprobationis; unde bene possunt esse ratio et causa reprobationis. Tandem addit censuram, quam grandioribus characteribus Annatus expressit: « Propterea manifestum est quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur, etiam prædestinationis. Si itaque D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, nunquam posuisset quod universaliter originale peccatum solum est causa reprobationis, » etc. Produxi illius scriptoris totam fere sententiam, quam contra Augustinum tulit; nam ubi eamdem confutavero, nihil ex Bannesii censura præjudicii Augustino fieri constabit. In primis non recte credidit in libro I ad Simplicianam quæst. 2, ubi ea de re sanctus doctor fusius agit, sollicitum illum fuisse erroris Pelagianorum confutandi; nam liber ille exaratus est initio episcopatus Augustini, ex lib. II Retract., cap. 1, et lib. de Prædest. sanctorum, cap. 4. Incidit vero initium episcopatus sancti Patris in annum 305, cum Pelagiani anno tantum 411 apparere in orbe cœperint. Igitur eo in opere ad Simplicianum nequaquam Pelagianorum errorem confutabat, sed rogatus ab eodem antistite Mediolanensi caput septimum epistolæ Pauli ad Romanos, a vers. 10 usque ad 30, ita enim ille petierat, fuse explicuit, ut patet ex initio quæstionis secundæ. Porro prolixius disputat de illis Pauli verbis a versione 11 : *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* (*ut secundum electionem propositum Dei maneret*), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ubi cum demonstrasset Jacob non fuisse electum ob opera bona prævisa, idem a pari dicendum esse intulit de Esau, nempe neque ipsum fuisse odio habitum ob prævisa mala opera. Audiatur sanctus doctor : « An forte, inquit, quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori, propterea prædestinavit et Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait : *Non ex operibus.* Si autem verum est, quod *non ex operibus*, et inde hoc probat quia de nondum natis nondumque aliquid operatis hoc dictum est, unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat, quo merito Esau odio haberetur antequam nasceretur? » Ex illa particula *forte* colligo sanctum Patrem per modum disputantis loqui : quod etiam constat ex iis quæ paulo inferius ponit : « Ut autem, inquit, odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est. Quod si concedimus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quod non ex operibus. » Videatur § *Cur enim est improbatus Esau.* Disputans igitur illam consequentiam intulit, non quod veram illam arbitraretur, ut dicemus. Tota igitur vis illius illationis est in verbis Apostoli, qui aperte excludit bona opera cur fuerit dilectus Jacob, et mala item opera ob quæ odio habitus fuerit Esau : inquit enim antequam *aliquid boni egissent aut mali* quod idem est ac antequam aliqua opera mala, aut bona egissent, *non ex operibus,* nempe bonis vel malis, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Unde patet falsum esse quod ait Bannez § *Propterea manifestum est,* Paulum dum ait, *non ex operibus*, loqui tantum de operibus bonis Jacob ; nam, ut ait Augustinus, *Non ex operibus, et inde hoc probat, quia de nondum natis, nondumque aliquid operatis hoc dictum est* ; nam si opera tantum bona Jacob excludere voluisset, dixisset, *Cum nondum natus fuisset, aut aliquid boni egisset*, etc. , *non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.* Itaque certum est ibi Apostolum loqui de operibus utriusque. Quod etiam confirmatur ex iis quæ ibidem addit : *Jacob dilexi, Esau autem odio hahui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum*? Cum neuter egerit aliquid boni aut mali, unum tamen Deus diligit, alterum odio habet ; qua ergo justitia id facit Deus? At si Deus futura mala opera Esau prævidisset, nullus datur calumniæ locus. Ex his apparet vis illius paritatis quam per modum disputantis affert sanctus doctor : nam ita discurrit : *Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori*, ergo *prædestinavit et Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat.* Hæc illatio probatur, quia æqualiter excluduntur ab Apostolo opera bona cur fuerit Jacob electus, ac opera mala ob quæ Esau fuerit reprobatus ; ergo currit par ratio de operibus utriusque in ordine ad amorem, vel odium. Et ita disputat Augustinus, judicium interim suspendens.

Cæterum scribit Bannez : « Propterea manifestum est quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur etiam prædestinationis. Si itaque D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, » etc. Plane hæc in Augustini libris legendis viri diligentiam desiderari ostendunt ; nam *malitiam consequentiæ* non solum attendit Augustinus, verum etiam solide confutavit, et, quod mirum est, eo ipso loco ubi minus diligentem Bannesius illum credidit ; etenim hanc paritatem semper Augustinus negavit : Deus reprobat ex prævisione demeriti seu peccati, ergo e contra etiam prædestinat ex prævisione boni operis. En totum hoc argumentum ab illa paritate deductum a Pelagianis in epist. 106 ab Paulinum : « Quomodo, inquiunt, Esau non

damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori? Sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret, sic nec hujus mala, ut ad pœnam pertinere deberet. » Respondet sanctus doctor : » Nulla plane in utroque opera vel bona vel mala, sed propria : uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, etc. Sed ambo, qui nondum propria vel bona, vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur. Laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur. » Vides negari paritatem ab Augustino ; nam Esau est reprobatus ratione maculæ ex Adamo contractæ, Jacob vero per solam misericordiam liberatus. Hinc celebre veluti axioma Augustini est : « Bonus est Deus, justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est. » Lib. III contra Jul., cap. 18. Audi rationem disparitatis, et fatere Augustinum optime vidisse *quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur etiam prædestinationis ;* nam actus reprobationis est actus justitiæ punitivæ hominem damnantis. At clamat Augustinus : *Non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est.* Prædestinatio autem est actus puræ misericordiæ et bonitatis divinæ, quæ nulla opera nostra bona supponit, sed facit ; hinc ait : *Potest aliquos sine bonis meritis liberare, qaia bonus est.* Ergo *laudet misericordiam, qui liberatur, non culpet judicium, qui punitur.* Eat nunc Bannez, et addat, Augustinum *malitiam consequentiæ attendere* noluisse, et hæc ipsa palmaribus characteribus Annatus exscribat.

Verum in eadem quæstione secunda ad Simplicianum, ubi disputans eam paritatem, urgebat : *Ut odisset Esau nisi injustitiæ merito injustum est : quod si concedamus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi,* respondens, ac quæstionem pluribus abs se adductis in utramque partem argumentis implexam tandem dissolvens, paritatem negat ; ibi enim diffusius probat nulla opera bona, nec ipsam fidem præcessisse, cujus intuitu Jacob fuerit electus, et concludit : *Ergo ante omne meritum est gratia.* Postea vero erudite pluribus evincit Deum non potuisse odio habere Esau, antequam in illo peccatum cerneret, quia « Omnis creatura Dei bona est, et omnis homo, in quantum homo est, creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus et corporis et animi humani. Neutrum horum malum et neutrum odit Deus, etc., nec odit in homine nisi peccatum. « Ex his concludit : « Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. » Unde, confirmata illa propositione : « Ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est, « consequentiam illatam negat : ergo « incipit et Jacob justitiæ merito diligi ; » nam priori illo dicto concesso probat falsum esse quod posterius deducunt, nempe Jacob etiam dilectum ob bona merita : « Cur ego, addit, Jacob dilexit, nunquid peccator erat? Sed dilexit in eo non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. » Ergo per Augustinum grandis est disparitas inter reprobationem et prædestinationem, quia reprobatio supponit meritum malum, quod odit ; prædestinatio vero nullum supponit meritum bonum, sed causat. At Bannez in eo deceptus est quod non legens Augustinum quæstionem resolventem, ea putavit a sancto doctore affirmata, quæ ante suæ sententiæ expositionem proposuit, ad difficultatem quæstionis totis viribus augendam. Non igitur *D Augustinus noluit attendere malitiam consequentiæ,* sed Bannez noluit attendere D. Augustinum *malitiam consequentiæ* et attendentem et solidissime confutantem.

Rursus notanda sunt quæ ibidem Bannesius scripsit, ut ostenderet malitiam illius Augustinianæ consequentiæ : nam « facile, inquit, negari poterat a contrariam sententiam sequentibus, et assignari differentia in prædestinatione et reprobatione, quod prædestinatio est causa non solum consecutionis ultimi finis, sed etiam meritorum ad ultimum finem. Reprobatio vero quamvis sit causa ejus quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ, non tamen est causa ejus quod est in præsenti, scilicet peccati, propter quod totus reprobationis effectus potest cadere super reprobum tanquam propter demeritum. » At certe Augustinus hanc differentiam vidit, et ne Bannesium mittam ad alios sancti doctoris libros, eo ipso in loco ubi ab Augustino minime illam observatam dixit : etenim ibi fuse probans prædestinationem esse causam meritorum hæc ait : « Vocantis (secundum propositum) est ergo gratia, percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet ; nec ideo currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. » Lege cap. 10 de Prædest. sanctorum. Postea dat differentiam reprobationis a prædestinatione, quod illa non causat peccatum ob quod homo reprobatur, licet causet pœnam sceleri debitam, ita enim de reprobante Deo loquitur : « Odit enim in eis impietatem quam ipse non fecit. Sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum, illud enim fur, hoc judex facit : ita Deus, quod ex conspersione impiorum facit vasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationi suæ in pœna debita pereuntium. » Itaque Augustinus prædestinationis et reprobationis latum discrimen novit, nempe quod prædestinatio Dei vocantis est causa bonorum operum, non vero reprobatio est causa malorum. Imo sanctus Pater adeo constanter illam disparitatem asseruit, ut ex illa una originale peccatum deduxerit, et ante tria lustra quam erumperent, Pelagianos profligaverit. Cum enim probasset divinam electionem nulla merita in homine supponere, et ex alia parte ad reprobationem justam demerita requiri intelligeret, quærens de reprobatione Esau, *qui si nullo merito improbatus est,* petit

rationem *quomodo ejus improbatio justa dici potest*? Cum vero ex Apostolo pateat ipsum ex suis operibus non esse reprobatum, et ex alia parte certissimum esset quod ut Deus *odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est*, concludit quod *facta est una massa omnium veniens de traduce peccati*, nempe quia « concupiscentia carnalis de peccati pœna jam regnans universum genus humanum tanquam totam et unam conspersionem originali reatu in omnia permanente confuderat. » Et antea : « Una est enim ex Adam massa peccatorum, in qua et Judæi et gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conspersionem. » Quomodo vero ex hac massa eligantur vasa alia in honorem per electionem, alia per reprobationem in contumeliam, fusius ibidem tradit. Quare recte ab eodem dictum est : *Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam.* Quis vero non miretur vastum Augustini ingenium de efficacia gratiæ, de prædestinatione sanctorum, de reprobatione, de peccato originali adeo diffuse eo in opere disputasse ac si jam cum Pelagianis collato veluti pede certaret, qui tamen post tria lustra erupere? Hinc videas Pelagianos unum Augustinum hostem habuisse implacabilem, a quo pessimam hæresim, antequam nasceretur, suffocatam videbant. Omnes quidem in controversiis contra Pelagium de divina gratia primas illi debent, cum Augustino nullus scripserit vel melius vel diffusius, Sane cæteros Patres eo in argumento tanto post se intervallo reliquit, ut si omnia de gratia ac peccato originali a prioribus Patribus asserta colligantur, huic uni secundæ quæstioni ad Simplicianum, sive argumentorum pondus sive doctrinæ acumen, sive rerum difficillimarum explicationem spectes, sine dubio cedere videantur : quæ tamen quæstio, antequam audirentur Pelagiani, uti diximus, scripta est ; ut vel hinc importunæ recentiorum voces alios Patres inclamantium satis solide comprimantur : etenim ex iis quæ sanctus Pater ad Simplicianum scribit, evidenter ostenditur in quæstionibus de divina gratia reliquos Patres esse utiles, Augustinum vero necessarium : quod tam certum est ut recentiorum, quorum objectis satisfacimus, acutissimus Vasquez hanc Augustinianæ auctoritati laudem dederit : « Augustinus in materia de gratia et prædestinatione inter cæteros Ecclesiæ Patres non aliter quam sol inter minora sidera præfulget, » prrt. 1, disput. 89, cap. 1, num. 8.

Volo hic unum advertere, quo Bannesii de Augustino censura ita rejiciatur, ut eadem ipse Bannesius percellendus sit. Dico igitur differentiam illam prædestinationis a reprobatione, quod hæc supponit mala merita quæ puniat, illa vero non supponat merita bona quæ præmio compenset longe constantius ac rigidius fuisse ab Augustino assertam ac defensam quam ab ipsomet Bannez : nam si huic scriptori objiciatur hoc argumentum : Divina providentia sine meritorum prævisione assumit ad gloriam æternam, ergo eadem providentia sine demeritorum prævisione potest excludere a gloria, nullam hic *malitiam consequentiæ* notat, non hic repetit disparitatem, quam Augustino veluti suggerit, prædestinationem causare merita, reprobationem vero non causare demerita, sed supponere ; sed totum concedit ; etenim in responsione ad argum. 2 ait : « Ante præscitum peccatum potest intelligi Deus odio habere quosdam, id est non diligere in vitam æternam. » Ibi enim cum aliis passim concedit reprobationem, ut vocant, negativam, qua Deus negat gloriam non in pœnam peccati, sed ut pure donum indebitum, non supponere prævisionem demeritorum. At sanctus Augustinus adeo mordicus sustinet disparitatem datam inter reprobationem et prædestinationem, ut ubique reprobationem illam sine prævisione demeritorum, licet negativam, excluserit atque in Pelagianis semper damnaverit. Pelagiani enim contendebant pueros nasci sine ullo peccato originali, negabant tamen illos admitti ad vitam æternam regni cœlorum, nisi per baptismi gratiam adoptarentur ; etenim cum gloria libere a Deo donetur, dicebant Deum statuisse eamdem baptizatis tantum conferre. Illorum verba apud Augustinum lib. de Peccat. originali, cap. 5, hæc ipsa sunt : « Quia Dominus statuit regnum cœlorum non nisi baptizatis posse conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. » Unde erat illorum celebre axioma : *Habet gratia, quod adoptet, non habet unda quod abluat*, apud scriptorem libri II de Vocatione gent., cap. 21. Ita pueri sine baptismo morientes excludebantur a regno cœlorum non in pœnam peccati originalis, quod Pelagiani negabant, sed quod possessio regni cœlorum non erat debita, nam *vires* aiunt *naturæ non habent*, ut possint illud acquirere. Quare pueros sic excludi a regno cœlorum *nullam pœnam* esse asserebant apud Augustinum lib. III contra Jul., cap. 3, et lib. IV Operis imperf., cap. 99 ; et lib. V, cap. 11, asserit pueros sine baptismo defunctos ex Pelagianorum sententia *liberos ab omni damnatione esse.* Erant igitur exclusi reprobatione pure negativa, hoc est non admissi in regnum cœlorum, nulla interim pœna illis inflicta, ita ut ipsa exclusio seu non admissio in regnum cœlorum *nulla pœna* illis esset. At sanctus Augustinus ubique contra Pelagianos contendit pueros sine baptismo morientes, si nulla culpa originis infecti sint, injuste reprobatione negativa excludi a rego Dei. Sexcentis in locis id contra hæreticos urget. Lib. I de peccatorum Meritis, cap. 30 : « Nunquam explicant isti quia per justitiam nullum peccatum habens imago Dei separatur a regno Dei ; » et lib. V contra Jul., cap. 11 : « Verum vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis qua illos damnatione puniatis, alienando a vita Dei et a regno Dei tot imagines Dei, etc. Hæc autem injuste patiuntur, si nullum habent originale peccatum ; aut si juste, ergo habent originale peccatum. » Et lib. II Operis imperf., cap. 325 : « Nunquam dicturus es ut sit justum ut parvuli nulla sua, nulla plerumque etiam suorum culpa sine baptismate mortui a parentibus

ximis fidelibus separentur, et ad regnum Dei
lmittantur. » Lib. v contra Jul., cap. 9, scri-
Quapropter natos ex Adam transferri renatos
t ad Christum, ne a regno Dei pereant ima-
Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amo-
abet nec timorem Dei. » Et epist. 106, « Hoc
tia Dei penitus alienum » scribit. Lib. vi, cap.
i nihil meruissent mali, nunquam privarentur
mmuni causa privatione tanti boni. » Lege serm.
Verbis Apostoli, ubi clamat : « Quare enim
ionium regni cœlorum abripis innocenti ? A
gnum cœlorum non acquiritur, profecto magno
fraudatur. Quæ est ista justitia? » etc. Idem
sanctus Gelasius papa in epist. ad episcopos
Picenum, contra Pelagianos: « Cur igitur,
, infans hac sorte concluditur (nempe non
i in regnum cœlorum), si nullum habet omnino
um? magisque videtur, quod absit, injustus
si illic infligatur pœna, ubi nulla sit culpa. »
iit synodus Byzacenorum Patrum, in lib. de
iatione et gratia, cap. 14, ubi aiunt: « Et cum
t iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad
nem suam, quæ justitia est ut imago Dei, quæ
otuit per se ipsam delinquere, si non redimatur
ine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur
e? » Quæ duo testimonia consulto addidi,
onnulli memoratam sancti doctoris sententiam
i existimant. Itaque fixum, fuit certumque
io apud Augustinum, ac sanctos Patres ejus-
liscipulos, neminem posse sine culpa reprobari
negative a regno cœlorum tanquam beneficio
ito, uti certissimum fuit eidem neminem in
naturæ lapsæ prædestinari ex prævisione ali-
boni operis. Quare disparitatem inter prædes-
onem et reprobationem eam necessario esse
ut Deus citra injustitiam non posset ex-
re a regno cœlorum parvulos sine culpa,
id non faceret in pœnam. Non est igitur
stinus docendus illam disparitatem, vel mali-
consequentiæ a Bannesio, cum et ipso melius
am norit, et longe rigidius defenderit. Recen-
Alarcon, Herice aliique reprobationi illi nega-
nte prævisa demerita Calvinismi fuliginem ob-
it, unde magnæ contra ipsos querelæ Thomis-
i inaudiuntur, Joannes a Sancto Thoma, part.
). 10, de Reprob., num. 19 ; Gonetti, disput. 5,
IV, art. 2, § 3. Et certe Calvinus reprobatio-
positivam ante prævisionem peccatorum as-
, imo ab eadem dixit peccata causari, atque ad
erpetranda homines impelli, quæ a Thomistis
am reliquis catholicis negantur. At nos absit
lagianismum sapientissimis viris, et in Augus-
defendendo ex juramento Salmanticensi com-
onibus ac nostris fœderatis imponamus; illa
tantum diximus, queis Bannesii censuram
os confutaremus. Non est tamen cur adversarii
theologi testimonium contra Augustinum pro-
it, qui in eodem loco, nempe articulo illo quinto,

A in confutatione sententiæ Javelli ait: *Augustinus gratiæ Dei testis insignis et prædicator* ; et § *His ergo opinionibus*, addit: *Statuenda est vera sententia juxta mentem Augustini et D. Thomæ*. Quare, si quid deceptus dixit de Augustino, uti excusatione illum quidem dignum ducimus, ita non tantæ auctoritatis habendus est, ut ejus testimonium contra sanctum doctorem palmaribus characteribus expressum ab adversariis exaggerandum videatur.

§ XI. *Sanctus Bernardus perperam contra Augustinum ab Annato adductus.*

Recentiores, ut ingens testium agmen quo sanctum Augustinum non loco tantum movere, sed etiam penitus obruere tentarunt, nobilissimi Patris testimonio claudant, sanctum Bernardum contra Augustinum suf-
B fragium dare affirmant, clamantes cum Annato, pag. 884 : » Veniat ergo post ultimum sanctus Bernardus, qui nominari debuit ante primum. » Ille vero nunquam contra Augustinum descendet, nec si machinas omnes admoveatis. At inquiunt: « Igitur sanctus Bernardus, tam religiosus sancti Augustini cultor, tam studiosus lector, tam idoneus arbiter ecclesiasticæ ac necessariæ doctrinæ, peculiarem tamen ejus sententiam, qua negat sanctum Joannem Baptistam accepisse plenam in utero materno sanctificationis gratiam, rejicit in epistola ad canonicos Lugdunenses, et principio quo nitebatur Augustinus, quod scilicet nemo renatus dici possit prius quam natus, contrarium opponit, aitque posse aliquem prius sanctum esse quam natum. »
C Cum vero sciant Augustinum quandoque a Bernardo appellatum validissimum malleum hæreticorum, atque catholicæ religionis columnam, quasi per risum ita concludunt: « Constat ergo exemplo sancti Bernardi tales esse quas dixerat duas illas columnas, ut non sit necessario timendum, si quis ita divellatur ab Augustino, ut tamen innitatur Ambrosio, etiam in iis quæ contra Pelagianos Augustinus disputavit, neque nullum videri posse aliquando validissimi hæreticorum mallei incertum ictum. » Hæc illi.

Fatemur particularem fuisse sancti doctoris sententiam adversus Pelagianos de peccato originali disputantis, Jeremiam ac Joannem Baptistam non fuisse plene a peccato originali in uteris matrum per gratiam sanctificantem liberatos. Hoc docuit epist. 57 ad
D Dardanum, et lib. IV contra Jul., Operis imperf. cap. 133, ubi ait: « Quia et Jeremias et Joannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale pecatum : nam quo alio merito interirent eorum animæ de populo suo, nisi die octavo circumciderentur, nisi ad Christi gratiam pervenirent, etc. Erant ergo illi et natura filii iræ ab uteris matrum, et gratia filii misericordiæ ab uteris matrum, quia nec adhuc eis inerat sanctitas quæ vinculum solveret successionis obnoxiæ, quod suo tempore solvi oportebat, et inerat tamen quæ præconem Christi a maternis visceribus designabat. » Duo hic consideranda sunt, Joannem Baptistam repletum per Spiritus sancti gratiam prophetiæ dono, postea noxa originali liberatum fuisse in utero. Primum concedit

sanctus Augustinus, alterum negat, ut ejus verba clare ostendunt. Sanctus Bernardus primum et ipse sine hæsitatione concedit, de altero vero dicit se non audere quippiam definire. Audiantur dulcia Melliflui doctoris verba, ne Annati in Augustinum amarus sermo nobis fastidium ingerat: « Certissime autem, inquit, sanctus Spiritus, quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro istio, sive pro illo propheta, vel si quis alius simili prævenius gratia fuerit, NON TEMERE DIXERIM. » Deinde sententiam sancti Augustini considerans addit: « Attamen quis dicat Spiritu sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ, et, si mori in utero contigisset, cum hac plenitudine spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum est; MINIME tamen AUSIM hinc QUIPPIAM MEA SENTENTIA DEFINIRE. Sed quidquid de hoc sit, etc. » Vides, Annate, nihil ea in re Bernardum definire, unius, ut jure quidem arbitror, Augustini, quem habebat, ut dicis, *dum hæc scriberet, præsentem*, auctoritate remoratum? Dura illi Augustini sententia visa est, at durius fassus est ab Augustino discedere: *Minime tamen*, inquit, *ausim hinc quippiam mea sententia definire*. Hoccine est, Annate, ut jocaris, *divelli ab Augustino*? hoc putare *nullum aliquando validissimi hæreticorum mallei incertum ictum*? Imo hoc est lectoribus fucum facere, ac Bernardo nimium injuriosum esse, dum illum ea recitantem inducis de Augustino quæ ne cogitavit quidem. Illa itaque est Melliflui sententia epist. 174 ad canonicos Lugdunenses.

Sed aliud quid Annatus garrit, contenditque Bernardum diversa, imo adversa sapere vel eo ipso in loco ab Augustino recedendo, ubi se cum Augustino aut errare aut sapere profitetur, nempe epist. 77 ad Hugonem. Do Annati verba: « Ut omittam quod relata illa sententia qua sensit Augustinus internam cordis conversionem ad Deum externam baptismi susceptionem posse supplere, vir minime jactabundus negare audet fuisse uspiam ab eo retractatam, quamvis retractasset exemplum quod subjecerat sancti latronis, ea ratione quod incertum esset an fuisset baptizatus. » Nescio quo consilio Annatus hic paralepsi utatur. Eia age, edissere cur ex Bernardo Augustinum accusare tibi in religionem venit? Ita est, Bernardus vir minime jactabundus Augustini sententiam, qua asserit internam cordis conversionem ad Deum baptismum posse supplere, *negare audet fuisse uspiam ab eo retractatam*. Forte hanc sententiam retractandam Augustino fuisse putas? Illam sententiam ante sanctum Augustinum docuerat sanctus Cyprianus, quem laudat sanctus doctor lib. IV de Baptismo, cap. 22, ubi de baptismo ait, si ex necessitate desit, posse supplere *fidem*, *conversionemque cordis*, quia *tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit*. Sed et sanctus Ambrosius hoc ipsum docuerat de Valentiniano imperatore, ut patet ex ejusdem oratione in qua defuncti Valentiniani laudes recitat. Utrumque vero, Ambrosium nempe et Augustinum, sequitur sanctus Bernardus, illa in epistola 77, quorum testimonia laudat, scribens: « Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor; credens et ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviaverit. » Audis, Bernardum virum minime jactabundum cum Augustino sapere et credere, *sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum*? Cur vero eam sententiam Augustini diceret fuisse uspiam ab eo retractatam, in quam pedibus ivit? Sed et apostolica sedes eamdem sententiam ob Augustini auctoritatem approbavit. Innocentius III, in litteris ad Cremonensem episcopum, quæ apud Gregorium IX exstant lib. III, tit. 43, cap. 2, ita scribit: « Quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nomine perseveravit, ab originali peccato solutum et cœlestis patriæ gaudia esse adeptum asserimus incunctanter. Lege super octavo libro Augustini de Civitate Dei, ubi inter cætera legitur: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* » Error tamen irrepsit, nam verba illa leguntur non in libro VIII de Civitate Dei, sed lib. IV de Baptismo, ut recitavimus, quæ etiam laudatus Bernardus ex eodem libro IV adduxit. Hinc theologi baptimum flaminis, et Tridentina synodus, sess. 6, cap. 4, baptismum *in voto* justificare decernunt. Quid igitur tibi in mentem venit, Annate, dum sententiam illam sancti doctoris ab Ecclesia approbatam quasi retractatione dignam recensuisti, quam etiam constanter idem tenuit post exortos Pelagianos ad finem usque vitæ? Legatur lib. I de Origine animæ, cap. 9 et lib. II Retract., cap. 18. Qui plura ea de re scire cupit, consulat Christianum Lupum, auctorem satis notum, in lib. de Attritione et contritione, cap. 8.

An forte irrides quod de baptismo sancti latronis Augustinus insinuavit? Sanctus doctor rem sibi certam, nempe conversionem cordis supplere vicem baptismi, non posse satis efficaciter illo exemplo demonstrari fassus est in libro II Retract., cap. 18, affirmans a quibusdam *non incredibiliter* dici latronem *aqua illa, quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum*, lib. I laudato. Cæterum idem Pater non putavit illum fuisse ante crucifixionem baptizatum. Aperte ait ibidem: « Latro ille non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, etc. Tunc etiam fides ejus de ligno floruit, quando discipulorum marcuit. » Illa vero de baptismo latronis adducit, quibus confutaret errorem Vincentii Victoris, qui exemplo latronis contendebat pueros sine baptismo mortuos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, ut patet ex lib. III de Origine animæ ad Vincentium, ubi toto cap. 9 de baptismo latronis discurrit. Quæ tamen ita adduxit ut omnem errandi occasionem ex

latronis exemplo resecaret. Hinc lib. I, cap. a varios modos recensuisset quibus latro ille vel fur vel dici poterat baptizatus, conclusit : m hæc ut volet quisque accipiat, dum tamen tismo non præscribatur Salvatoris præcepto hu- ronis exemplo. » Et ipse Bernardus consentit m esse an latro fuerit baptizatus, dicens : quod sane incertum sit utrumnam fuerit bapti- » Hinc Pater Lupus, in sanctorum Patrum lec- summa cum laude versatus, in opusculo lau- e Contritione et attrit., cap. 9, ait « Latronis ma esse incertum. Variat non solum Augustinus, atres passim omnes. » Hæc quidem addidi, x illa sancti Bernardi epistola 77 ad Hugonem, Augustini dictum ab adversario per reticen- reprehensioni expositum jure notari possit, B s non video, sed nec eumdem Annatum vi- xistimo.

Sanctum Augustinum contra Augustinum producunt.

confecisse ac tota causa Augustinum dejecisse rsuadent, faventibus suffragiis, ut gloriantur, m summorum pontificum, sex cardinalium ex numero eruditissimorum et fere sanctissimo- ot deinde antistitum, tot doctorum omnium rum, ordinum et nationum. » Annati sibi vic- ac triumphum canentis voces sunt cap. 4, 87. Sed ut Augustino omnem prorsus evadendi præcludant, ad ipsiusmet confessionem pro- , quippe qui tantorum testium omni exceptione C m vocibus convictus integram ipsis litem sit surus. Audiatur Annatus cap. 5, pag, 888, qui ictoriæ securus in arenam descendit, ut nullo ubitet vel ipsomet Augustino judice postrema cie dimicare : « Quando, inquit, ea conditione mus ut stemus Augustini judicio, inquirendum quoque, censueritne Augustinus placita om- , etiam illa quæ, dum Pelagianos insectatur, it, amplectenda esse necessario. » In primis dunt statuisse Augustinum tria tantum dogmata s Pelagianos juxta catholicam fidem esse te- quod Sadoletus recentiores docens olim dixe- espistola ad Contarenum, uti § 1 narravimus. plura sancti Patris testimonia producunt, sserit nolle se eam lectoribus legem impo- D t omnibus abs se positis assertionibus acquies- ablata omni prorsus contradicendi libertate. dabo, nam idem reliquorum sensus est diver- um verbis expressus. In epistola ad Fortuna- scribit : « Neque enim quorumlibet disputa- quamvis catholicorum et laudatorum homi- elut Scripturas canonicas habere debemus, ut on liceat, salva honorificentia quæ illis debe- minibus, aliquid in eorum scriptis improbare espuere, si forte invenerimus quod aliter sen- quam veritas habet divino adjutorio, vel ab tellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis , tales volo esse intellectores meorum. » Ex aliisve eamdem in rem adductis exclamant:

A « Licet ergo ex Augustino Augustini doctrinam aliorum scriptorum judicio censendam exponere, licet et proprio, idque salva honorificentia. Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adjutorem Deum. » Loquitur Annatus pag. 897, Nil tamen novi hisce censores afferunt, sed Pelagianorum ac Lutheranorum voces contra Augustinum integras repetunt. Pelagiani, cum ab Augustino Patrum testimoniis oppugnarentur, ex Augustini libris nullam sibi Patribus adhærendi necessitatem esse insolenter respondebant. Audiatur Julianus lib. IV Operis imperf., cap. 111 : « Sed bene quod nos onere talium personarum levasti : nam in libro quem ad Timasium contra liberum arbitrium contexuisti, cum sanctus Pelagius venerabilium virorum tam Ambrosii quam Cypriani recordatus fuisset, qui liberum arbitrium in libris suis commendaverant, respondisti nulla te gravari auctoritate talium, ita ut diceres eos processu vitæ melioris, si quid male senserant, expiasse. Tua tibi ad hoc relata sint, ut excitare de solis nominibus erubescas invidiam. » At non veterum tantum hæreticorum, sed et recentium dogmatistarum tritum hoc effugium esse ad sanctorum Patrum, ac præcipue Augustini auctoritatem eludendam, testatur eruditissimus vir Stapletonus tomo I, contr. 3, lib. VII, cap. 15 : « Alii (inquit de Protestantibus non plus eis (nempe Patribus) tribuendum esse arguunt, quam ipsimet Patres sibi tribui postulant, et hoc in loco varias Augustini sententias producunt quibus ille suis scriptis non aliter fidem haberi postulat quam quatenus ex Scriptura sacra vel ex evidenti ratione sententiam suam confirmaverit. » Additque in verbis sancti Augustini ex lib. II contra Faustum cap. 5, in quo loco sibi plaudit Annatus pag. 897, eos *mirifice exsultare.*

Doctissimus idemque sanctissimus Pater cæteris virtutibus, quibus divino munere ad stuporem usque ornatus fuit, sociam modestiam adjunxit, neque tantum sibi unquam tribui voluit quantum Pythagoræ a discipulis delatum fuit, ut illud esset ineluctabile argumentum Αὐτὸς ἔφα. Hoc unum Augustinus rogat tota epistola septima ad Marcellinum. Cæterum disputans contra Pelagianos passim capitalia dogmata tanquam catholicas sententias defendere se profitetur. Ita lib. V contra Jul., cap. 12, quinque de concupiscentia quæstiones agitat, ubi ait : « In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita, vestra impia novitas suffocatur. » In epistola 107 ad Vitalem duodecim theses de gratia statuit, asserens easdem « ad fidem rectam et catholicam pertinere. » Idem de prædestinatione docet lib. de Dono persev., cap. 23, in fine. Illud vel maxime iterum recolendum est, sanctum doctorem, cum in libris Retractationum plures sententias correxerit, nullam contra Pelagianos statutam aut defensam thesim expunxisse, ut planum fiat Augustinum censuisse omnia et singula quæ illis in libris docuerat a vero non dissonare, sed novum laborem atque exactiorem diligentiam Augustinus forte recentioribus reliquit, qui ite-

rum severiori judicio eadem Hipponensis scripta, ut ait Annatus, pag. 897, *inspirante Deo examinata*, errores continere demonstrarent.

Cum olim Semi-Pelagiani Augustinum erroris arguerent in iis libris quos contra Pelagianos procuderat, modestissimi vir ingenii respondit in fine lib. de Dono perseverantiæ : « Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. » Ibidem vero cap. 21 ait : « Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, » etc. Quæ quidem attentiori mentis acie considerans magnus ille Annalium ecclesiasticorum scriptor cardinalis Baronius, tomo V ad annum 426, pag. 498, hæc in Augustini commendationem scripsit, quæ licet superius recitata sint, libeat hic quoque repetere : « Hæc ipse, ait, digna quidem sancti Augustini modestia, animique ejus admirabili cum submissione verecundia, ut plane nisi aliunde ex his saltem intelligere valeas afflatum ipsum divino Spiritu illa scripsisse, cum non supra quempiam alium quam super humilem, quietum et trementem sermonem Dei divinum affore Numen, Deus per prophetam fuerit contestatus; sicut et Jacobus docuit, ubi ait : *Quæ desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens.* » Hæc ille. Et tamen eo prorupit Annatus, ut affirmare non extimuerit cap. v, pag. 897, impugnatorem Augustini *habiturum adjutorem Deum!* Et hic inter sancti doctoris defensores numerari vult, Augustinum a Baianis vindicando ? Non est hoc, Annate, Augustini causam tueri, sed prodere.

Verum licet præ animi modestia adeo humiliter de se Augustinus sensit, catholicæ tamen Ecclesiæ judicio ejus de divina gratia doctrina ita approbata est, ut vel ipsi recentiores qui post Annatum contra Jansenium scripsere, rei evidentia coacti hanc Augustinianæ auctoritati, non dicam laudem, non testimonium, sed confessionem cum Decampsio dederint : « Conciliorum sanctiones et Romanorum pontificum edicta quibus Pelagiana hæresis jugalata occubuit, ex sancti Augustini libri petita sunt, sancti Augustini doctrinam continent, sancti Augustini verbis exprimuntur. Fuit Augustinus quodammodo Ecclesiæ præcentor, cum Romanis pontificibus et conciliis ore præivit quod de superbissima hæresi judicarunt. Fuit lingua Ecclesiæ, cum ejus verbis decreta concepta sunt, et quæ prius fuerant Augustini voces, Spiritus sancti oracula esse cœperunt. Fuit ille conciliorum dux atque ingenium, cum iis rationes et argumenta subministravit quibus Pelagium ejusque complices fregerunt, lib. III Hæres. Jans., disp. 1, cap. 6. Video Annatum spissum hic pulverem excitare, quo tantam Romanæ Ecclesiæ lucem Augustinum quaquaversum irradiantem obducat. Quas enim ille nebulas cogit toto capite sexto quibus delatas a Romanis præsulibus Augustino laudes offuscet? Illius tamen vanos conatus in sequenti capite reprimemus, ubi sancti doctoris auctoritatem apostolicæ sedis sententia toties munitam ab hujus sancti Patris vindicatoris, uti se jactat, objectionibus pravisque interpretamentis asseremus.

Attamen, etiamsi nullus pro Augustino veterum Patrum staret, ac Vaticana oracula silerent prorsus omnia, non adeo deplorata censenda esset Augustini causa, ut Annato eidem adversante, nullum faventem judicem sortiri in orbe posset, præsertim cum manifestum sit plura ipsum testimonia falsasse, alia prorsus finxisse, quosdam in testes adduxisse, vel Semi-Pelagiano errore infectos, vel grammaticos imperitos, vel novos ex jurisconsultis theologos, vel imprudentes minusque consulto locutos, atque Augustinensium librorum prorsus inscios. At cum sancti Augustini doctrina tot Romanorum præsulum laudibus, tot conciliorum decretis, tot omnium veteris Ecclesiæ Patrum encomiis ornata, munita ac defensa sit, quis nuper eamdem in judicium a recentioribus vocatam damnari vel minima ex parte posse suspicetur ? ab Augustino enim stat antiquitas, a recentioribus novitas ; illinc sanctitas, hinc audacia ; illinc antiqui Patres, hinc novi scriptores : illinc tot sæculorum consensus, hinc nostræ ætatis scholasticorum minima portio. Quæ sane cum attentius considero, illud subinde mecum reputo, nescire me an laudem vel odium potius apud probos hoc opere mihimet conciliarim contraxerimve. Profecto arbitror non defuturos qui me inanem operam posuisse dicent, Augustinum in judicio contra recentiorum accusationes defendendo, quasi horum temeritas vel initio causæ non statim intelligatur, qui contra summum Ecclesiæ magistrum conductis testibus coram orthodoxo orbe dimicare ausint. Sed veniam precor si quidquam a recentiorum testibus Augustino timere mali visus sum ; ejus enim causam defendendam suscepi, ne apud imperitos nimiunque credulos tantorum testium nomina, quæ adversarii longo ordine contra Augustinum producere gloriabantur, vel fidem invenirent, vel suspicionem saltem ingererent.

CAPUT VI.

Elogia a summis pontificibus Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos delata a sinistris recentiorum interpretationibus vindicantur.

Sane non levem invidiam redolet recentiorum factum, de quo hoc loco sermonem instituimus. Romani præsules sancti Augustini de divina gratia doctrinam miris præconiis consecrarunt. Unde tanta eidem ab omnibus per tot retro sæcula veneratio impensa est, ut post eorumdem pontificum voces orthodoxi unum Augustinum inaudiverint, imo Augustini dogmata in pontificum decreta ac synodorum canones transierint, quod in Historia Pelagiana demonstravimus. Hæc quidem recentiorum animum altius pupugere ; quare delata Augustinianæ doctrinæ a Romanis præsulibus elogia falsis interpretationibus

partim decurtare, partim eludere audacter quidem, sed non æque feliciter conati sunt.

Primus inter pontifices qui sanctum Augustinum commendarunt, Innocentius producitur, qui cum ab Augustino litteras accepisset a quatuor aliis collegis subscriptas, quibus Pelagii errores eidem significabantur, respondit epist. 96 inter Augustinianas : « Quod earum tenor omnisque contextio est in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, et in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum dato cuivis nostræ legis exemplo, quem sequi debeat dignum possit præbere doctorem. » Legantur quæ diximus lib. I Histor. Pelag., cap. 11. Recentiores haud universam sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos ab Innocentio approbatam fuisse contendunt, sed qua parte tantum decertat contra duos Pelagii errores, quos ibi pontifex damnat. Do verba Moraines, disp. 12 Anti-Jans., num. 49 : « Ex hac autem approbatione hujusmodi litterarum de uno aut altero tantum errore loquentium, inferre velle totam D. Augustini doctrinam de gratia fuisse specialiter ab Innocentio approbatam, est malitiose simplicibus illudere, et eruditorum patientia intolerabiliter abuti. » Quod vero sanctus Augustinus, quo melius Pelagianæ hæresis faciem Innocentio suis coloribus pictam ostenderet, ejusdem hæresiarchæ librum in laudem naturæ emissum atque adversarium abs se de Natura et gratia compositum volumen miserat, addit ibidem : « Respondens Innocentius sequenti epistola 96, nullam facit mentionem aliorum errorum Pelagii, neque libri de Natura et gratia D. Augustini, sed tantum laudat præcedentem epistolam ab illis ad se scriptam. » Duos vero errores ibidem tantum damnatos esse ait, nempe non dari peccatum originis, neque Dei gratiam esse necessariam ad recte pieque vivendum.

Quid de libro Pelagii sanctus Innocentius decernat audiamus : « Librum sane, inquit, qui ejus esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus, in quo MULTA blasphemia nihil quod placeret, NIHIL quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cui similia nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. » Itane *nihil* Pelagiani libri Innocentio placere, *nihil* in eo scribi quod non displicet, est unius tantum aut alterius erroris condemnari, an potius plenum erroribus judicari? Unam interim particulam disjunctivam corrigas, Morainie ; dixisti enim Innocentii litteras *de uno aut altero errore* loqui ; reponas conjunctionem, de uno ET altero illam periodum reddens, ne quis erga te malevolentior dubitasse te dicat, duone an unus tantum Pelagii error illis in litteris proscribatur. Sed ad Augustinum meum redeo. Hic Pelagii librum ad Innocentium mittens cum ejusdem confutatione asteriscis loca Pelagii signarat, ubi hic non recte de divina gratia sentiebat, quæ displicuisse Innocentio, cui NIHIL illius libelli placuit, quis dubitet? Librum vero Augustini approbatum ac laudatum fuisse, et quidem de lege reos sine gratia homines faciente disputantem, quæ falsa atque ob furorem contra hæreticos Augustino excidisse fingit Moraines disput. 24, num. 44, ex his Innocentii verbis colligitur : « Nam hoc loco latius de lege disputare velut coram posito repugnanteque Pelagio necessarium esse non duximus, cum vobiscum TOTUM SCIENTIBUS, PARIQUE NOBISCUM ASSENSIONE gaudentibus colloquamur. » Audin' Augustinum totum scientem, ac per omnia Innocentio in iis quæ de lege sine gratia proxime sufficienti reos faciente disputarat, plenissime consentientem?

Innocentio successit Zosimus, dein Bonifacius, qui sanctum Augustinum mirifice coluerunt, quibusque ejusdem doctrina probata fuit, Annatus, lib. VIII, cap. 6, pag. 908, hæc scribit : « Quare non possit ab ejusmodi doctore instructio peti ad concipiendam erroris contrarii damnationem, ut Zosimus, ut Bonifacius, ut Felix hujus nominis IV petiisse DICUNTUR ab Augustino. » Hæc quidem recte se habent, sed rectius foret id non vulgari fama assertum dicere, sed constanter astruere. Ea enim phrasi utimur, cum de re minus comperta loquimur ; quis enim mero meridie pronuntiet solem DICI splendescere? Novimus Annati erga Augustinum animum, hinc suspicioni locum damus. Zosimus non prius decretoriam in Cœlestii ac Pelagii causa sententiam tulit, quam ab Africanis synodis, quorum, teste Prospero, Augustinus *ingenium* erat, litteras acciperet, ut in Historia Pelagiana, lib. I, cap. 13, dictum est. Bonifacius etiam Julliani litteras ad Augustinum confutandas transmisit, ut ibidem pariter narravimus, cap. 21. De Felice papa diximus lib. II, cap. 23. Quæ, ne actum agamus, iterum non repetimus. Itaque et reapse pontifices illi contra Pelagianos instructionem ab Augustino petiere, idque ex ipsius Augustini libris, et ejusdem sæculi Patribus, et non vulgi tantum rumore manifestum est.

Bonifacio subrogatus Cœlestinus non modo sancti Augustini doctrinam laudavit, sed ejusdem calumniatores datis ad episcopos Galliæ litteris perculit. Elogium vero, veluti paulo ante de mortuo Augustino sepulchralem inscriptionem, hocce apposuit : *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem* TANTÆ SCIENTIÆ *olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos, etiam a meis semper decessoribus haberetur.* BENE *ergo* DE EO OMNES *in commune* SENSERUNT, *utpote qui* UBIQUE CUNCTIS ET AMORI FUERIT ET HONORI ; *unde* RESISTENDUM TALIBUS, *quos male crescere videmus.* Tradit Cœlestinus, imo jubet resistendum Augustinianæ famæ decurtatoribus. Sanctus Prosper cum eximiam hanc de Augustino laudem ex Cœlestino recitasset in fine libri contra Collatorem exclamavit : « Contra istam clarissimi laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quispiam MALIGNÆ INTERPRETATIONIS murmur emittere, et perspicuæ sincerissimæque

sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? » Ita plane, o Prosper, conantur audentque recentiores? Imo uti inter cætera ab apostolica sede Augustino data præconia illud jure merito primo loco reponitur, ita totis ingenii viribus desudant, quo tantarum laudum splendori *nubem obliquæ ambiguitatis obtendant*, ne tantum inde lucis in Augustinum derivet.

Annatus, lib. I sui Augustini, cap. 8, audito Cœlestini elogio, ait : « Non dicit esse Patrem Patrum, doctorem doctorum, primum angelum inter cæteros episcopos, inter omnes excellentissimum, vere irrefragabilem et ineffabiliter mirabilem. Habitum esse dicit a suis prædecessoribus Innocentio, Zosimo, Bonifacio inter magistros optimos ; atque ita putabantur quidem alii sancti Patres esse quoque optimi magistri, a quibus si dissensisset Augustinus, quid putamus Cœlestinum fuisse nobis præcepturum, ut optimos optimo postponeremus, et multos uni, quonam id jure vel qua ratione? » Cum vero Cœlestinus postea, ut putant, cap. 3, Semi-Pelagianos reprehendat *piissimis disputatoribus obviare* præsumentes, addit Annatus : « Hos ergo dicit Cœlestinus obviasse non Augustino soli, sed piissimis disputatoribus et magistris, quibus verbis non est dubium quin comprehenderetur etiam Hieronymus. » Hæc illi omni arte adnitentes Augustinum in ordinem fere redegere, ut in Pelagiano bello non supremus quidem imperator, sed tanquam e præfectorum numero æquali cum multis auctoritate habeatur. Hæc autem eo consilio moliuntur quoniam Augustini nomine se gravari sero jam tandem sentiunt, aliorum Patrum qui de gratia quid sentirent *breviter quibusdam*, ut cap. 14 de Prædestinatione sanctorum ait Augustinus, *scriptorum suorum locis et transeunter attigerunt*, suffragia jactare possint : etenim cum illi non tam aperte et perspicue de divinæ prædestinationis ac gratiæ mysteriis disseruerint, quædam eorum dicta, quando nondum Pelagianis, ut idem lib. I contra Jul., cap. 6, scribit, *litigantibus securius loquebantur*, veluti sibi faventia recentiores arripiunt, dimissis sancti Augustini [sententiis clarissimis, apertissimis, evidentissimis, eam cæteris Patribus postpositi Augustini causam, rationemque reddentes cum Adamo part. III Calv. destr., c. 16, pag. 760 : « Hæ (Augustini) tenebræ me cogunt ad lucem alibi quærendam, quam in synodis et aliorum doctorum libris invenio. » Mira docent. Profecto non dicam obscure, sed non tam clare locuti dicendi sunt alii Patres, qui de gratia *breviter et transeunter* quædam solummodo attigerunt, non vero Augustinus, qui copiosissime ac fusissime in triginta et amplius libris de eadem gratia disputavit, ex brevitate enim obscuritas, ex copia vero sermonis claritas derivat. Sed Augustinum cæteris præponendum esse, ubi de divinæ gratiæ auxiliis agitur, tanquam supremum catholici exercitus ducem vetustioris Ecclesiæ Pntres tradidere. Canit sanctus Prosper contra Ingratos, cap. 3 :

ISTIUS *inter cunctos, qui de grege sancto*
Insanas pepulere feras, INDUSTRIA MAJOR.
MAJUS OPUS, *totum* PRÆSTANTIUS *imbuit Orbem.*

Sanctus Fulgentius, episcopus Ruspensis, lib. II de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 17, ait : « Hæc itaque catholicorum Patrum apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesia sine dubitatione doctrina, quam Græci Latinique pontifices sancti Spiritus infusione firmati, uno atque indissolubili semper tenuere consensu. In qua beatus Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit : non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit, » etc. Audiatur iterum proxime laudatus magnus ille Prosper : in præfatione contra Collatorem ait : « Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies HUJUS VIRI ductu pugnat et vincit. » Forte Annatus respondebit cum suo Vasquezio part. 1, disp. 97, cap. 3, num. 20 : » Fateor sane suspecta mihi esse testimonia Prosperi et Fulgentii, quod diligentissimi et exactissimi Augustini discipuli sint. » Audiat igitur ipsius Vasquii confessionem, quando utriusque illius Patris *testimonia suspecta* sunt, Scribit hic in part. I, disp. 90, capite 6, numero 37 : « Quamvis nullus esset ex Patribus commemoratis, quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia scholastici doctores allegare possent, in UNO SOLO AUGUSTINO ejusque schola suæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quod UNICUS sit qui dum agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulgeat. » Verum nos non ex Vasquio ista discimus, sed ex Romanæ Ecclesiæ pontificibus. Cum Julianus adversus divinam gratiam scripsisset, sanctus Bonifacius papa ab uno Augustino responsum postulavit. Cum Oriens ob Fausti Rejensis libros in partes divisus esset, sanctus Hormisdas ab Augustino cognoscendum scripsit quid Romana sequeretur et servaret Ecclesia. Galliis etiam per centum fere annos iisdem dissensionibus contusis, Felix IV ex unius Augustini libris sententiis desumptis pacem dedit. Nostro hoc etiam sæculo universa Europa exortis de auxiliis divinæ gratiæ litigiis in partes dilaniata, Clemens VIII eas lites ad unius Augustini tribunal jussit agitari. Quibus sane Romani pontifices non obscure significarunt in controversiis de divina gratia unius Augustini vestigiis nobis inhærendum esse. Nusquam tamen solus est Augustinus, sed secum ingens subsecutorum Patrum agmen trahit, nempe Prosperum, Fulgentium, Cæsarium, Petrum Diaconum, Patres Byzacenos in Sardinia exsules, Rhemigium, Prudentium, Anselmum, Bernardum, aliosve qui sancti doctoris vestigia illis in controversiis sequuntur : qua quidem consideratione ruit ingens ille apparatus, quem Annatus libro primo per plura capita componit, quasi in aliqua sententia de gratia solitarius esse possit Augustinus. Sane Prosper et

Fulgentius, qui de Semi-Pelagianis triumpharunt, semper cum Augustino sunt, ita ut si ex una parte Augustinus duoque isti tantum sint, ex opposita vero longe plures Patres numerentur, quis non potius illi Patrum triadi inhæreat, quæ de Pelagiana hæresi triumphavit, neque citra temeritatem erroris accusari potest? Procul etiam hinc abeant illæ Morainii querelæ in præfatione ad orthodoxos : « Quid enim, si hæretici suis argutiis possent evincere se non esse aperte ab Augustino damnatos, Ecclesiæ causa deserenda esset, et insufficiens foret omnium aliorum Patrum pro veritate consensus, quia Augustinus est necessarius? Iniqua certe esset Ecclesiæ conditio, cui Deus non unicum doctorem, sed doctores promisit, ut non circumferamur omni vento doctrinæ. » Erras, o bone vir! et toto ostio erras, nunquam solus est Augustinus, et si quidpiam primus de prædestinatione dixit, jam non solus hoc dixit, tot subsecutis Patribus Augustini verba reddentibus, quæ adversarii non satis adnotarunt.

Quod vero addit Annatus, illis verbis Cœlestini contra Semi-Pelagianos : « Piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, » non unum Augustinum intelligi, sed etiam Hieronymum, imperite prorsus asseritur : etenim Semi-Pelagiani contra unum Augustinum loquebantur, quod solus illam de prædestinatione gratuita sententiam docuisset. Scribit enim Prosper ad Augustinum : « Ea quæ de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, A NULLO unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut NUNC sentiuntur, affirmant. » Non igitur una cum Augustino Hieronymus reprehendebatur a Semi-Pelagianis; imo ita Hieronymus de gratia contra Pelagianos scripsit, ut Semi-Pelagianorum sententiam tenuisse quibusdam visus fuerit; nam lib. III Dialog. contra Pelag. ait : « Justitia, labore et industria, ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere, quod rogatur, NOSTRUM INCIPERE illius perficere, NOSTRUM OFFERRE quod possumus, illius implere quod non possumus. » Quæ quidem a Semi-Pelagianis pro suo ipsorum dogmate accipi poterant, quorum sententia erat, ut verbis utar Prosperi contra Collat., cap. 8 : Ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adjuvet, possunt tamen, etiamsi non a Deo inspirentur, incipere. » Et sane Hieronymum cum Semi-Pelagianis sensisse eo loci scribit Jansenius, durius locutum Vossius, et ante utrumque de Hieronymo aliqui dubitarunt aput Vasquium part. 1, disput. 91, cap. 8. Hieronymum vero pluribus conatur defendere idem Annatus lib. VII Augustini vindicati, cap. 12, cui subscribo, nam aperte ait Dei clementia semel habitam gratiam custodiri; neque labor et industria solitarie, nempe sine gratia, intelligenda sunt, ut fusius discurrit idem recentior. Igitur Semi-Pelagiani Hieronymo non obloquebantur, quem in sua ipsorum sententia esse suspicari poterant. Præterea Cœlestinus ait Semi-Pelagianos adnixos *quiescentium fratrum memoriam dissipare*, et immediate laudat post illa verba Augustinum concludens, *resistendum* oblocutoribus. Unus igitur ibi defenditur Augustinus; nam si cum Augustino Hieronymus quoque eorumdem dictis lacerabatur, cur pontifex de uno Augustino laudes reddit, Hieronymo in angulum prorsus rejecto? Profecto Prosper, qui apud Cœlestinum sancti Augustini calumniatores detulerat, hujusce Cœlestini sanctionis, quam ipsemet impetrarat, mentionem faciens contra Collatorem cap. 42 ait : « Per hunc virum intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ AUGUSTINI scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas. » Augustinum tantum et a Massiliensibus reprehensum, et a Cœlestino laudatum scribit, nihil de Hieronymo locutus. At recentiores Augustino illatæ a Semi-Pelagianis calumniæ atque injuriæ socium Hieronymum faciunt, non solatii gratia, sed ut Cœlestiniani elogii pars tantum ad Augustinum devolvatur, altera Hieronymo reservetur. Porro Augustinum plurali numero magistrum ac doctorem ab apostolica sede appellatum paulo inferius constabit, ubi de Felice IV dicemus.

Sanctus Gelasius papa inter sancti Augustini cultores numeratur, eumque non immerito Vasquius part. 1, disput. 91, num. 75, vocat *per omnia Augustinianum*. Ille igitur in epistola ad episcopos per Picenum, uti lib. II Historiæ Pelag., cap. 17, observavimus, hæc scribit : « Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis lacerare contenderet. » Sua hic glossemata apponit Annatus, lib. 1, cap. 8 : « Ecce Hieronymus, quoque lumen est magistrorum, sicut Augustinus, testimonio Romani pontificis. » Quis hoc inficias ibit? At multum interest undenam adversus Pelagianorum tenebras magis Ecclesia illustretur, plusque luminis accipiat ab Hieronymone an ab Augustino? In conventu Hierosolymitano contra Pelagium producta fuit ab Orosio epistola sancti Augustini ad Hilarium, itemque paulo post etiam in synodo Diospolitana, de qua re ita scribit sanctus doctor lib. de Peccato orig., cap. 10, hæc synodi verba referens : « Quoniam sanctus episcopus Augustinus adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subjecta capitula scribens librum in quo ista continentur, » etc. Quo sane tempore Hieronymus jam ediderat epistolam datam ad Ctesiphontem contra Pelagium, et in Palæstina ipsa aderat, in qua synodus habebatur, majoremque ipsa præsentia ac sanctitatis fama auctoritatem sui nominis reddebat, et tamen Hieronymi epistola prætermissa, ad Augustinianæ epistolæ amussim Pelagius examinatus fuit. Objicient recentiores Joannem Hierosolymita-

num Hieronymi hostem acerrimum, sed in Diospolitana synodo non præsidebat antistes Hierosolymitanus, sed Eulogius Cæsareensis Palæstinæ metropolita : ut certe vel initio illarum disputationum satis apparuerit unum Augustinum supra cæteros in Pelagiano bello validissimum ac strenuissimum ducem cœlitus destinatum, ac talem Patrum synodis probatum. Sed quid nobilius ipso Hieronymi et testimonio et exemplo? Cum Orosius libros priores ab Augustino contra Pelagianos publicatos in Asiam ad Hieronymum detulisset, Bethleemeticus Pater doctrinæ copiam, eruditionis excellentiam, rationum momenta integrumque opus admiratus, silentium sibi indixit, idque scripto coram orbe universo publicavit in fine lib. III Dialogorum, ubi, loquens de libris sancti Augustini contra Pelagium, ait : « Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus, unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, *in sylvam ne ligna feras*, aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a CLARISSIMO INGENIO OCCUPATA SUNT MELIORA. » Adeo vero Hieronymus religiose silentium postea coluit, ut ab Anniano ejusdem epistola ad Ctesiphontem impugnata, non modo defensionem nullam adornarit, sed per litteras Augustinum ad illam confutandam hortatus fuerit, de qua re libro primo Historiæ Pelag., cap. 19, fusius dictum est. Ille, inquam, Hieronymus impugnatus certamen recusavit, qui nec ab amicissimo olim Rufino impune se vel minimum perstringi passus est, sed editis apologiis illatas quasque calumnias propulsavit. Itaque cum Hieronymus in hoc stadio lampadem Augustino tradiderit, ab isto quoque unice lumen Ecclesia accepit, quo orbem catholicum illustraret. Ex his patet etiam vanam esse illam Morainii vocem in præfatione ad orthodoxos : « Quid de Hieronymo? Eritne etiam ille Augustini discipulus, vel de Angelis inferioribus? » Non discipulus Augustini fuit, sed initio certaminis commilito, dein domi quiescens Augustinensium præliorum ac victoriarum admirator exstitit, toto belli onere in Augustinum devoluto. Gelasius quidem Hieronymum æque ac Augustinum laudat, quod Seneca ille hæreticus utrumque maledico dente proscindebat : sicuti cum Cœlestinus Pontifex unum Augustinum contra Semi-Pelagianorum conatus nominatim defendit, unum illum ab iisdem fuisse impetitum intelligimus, non vero una cum Hieronymo, ut Annatus comminiscebatur. Cæterum Gelasius ea in epistola sancti Augustini solius doctrinam atque dogmata, et quidem quæ recentioribus minime probantur, adeo perspicue tradit, ut vere dicendus sit per *omnia Augustinianus*, idque superius luculenter a nobis probatum est.

Succedit his sanctus Hormisdas papa, qui, uti lib. II Historiæ Pelag., cap. 19, narravimus, de libris Fausti Rejensis a Possessore episcopo consultus, ubi hos ab Ecclesia minime receptos respondit, hæc addidit : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, » etc. Quo præconio sancti Augustini doctrinam Ecclesiæ doctrinam declaravit. Recentiores tamen parum inde ponderis Augustinianæ auctoritati adjici putant, pravisque restrictionibus Hormisdæ testimonium limitant. Annatus, lib. VIII, cap. 6, ait : « Postquam enim mittimur ad libros de Bono perseverantiæ et de Prædestinatione sanctorum, qui scripti sunt ad Prosperum et Hilarium, hoc unum putare debemus, pertinere ad Romanam et catholicam fidem, quod Augustinus intendit totis illis libris. » Addit duo ibidem tantum intendi, initium fidei et usque in finem perseverantiam in bono esse dona Dei. Hinc concludit pag. 905 : « Ergo qui nos ad hos libros mittit summus pontifex audituros quid Romana, hoc est catholica doceat Ecclesia de gratia et libero arbitrio, discere nos hoc tantum jubet. Ergo si quæ alia intercurrant, dum hæc confirmantur ab Augustino, nec habeant necessariam connexionem cum iis quæ potissimum intenduntur, non est mentis pontificis ut eis firmiter adhæreamus, si nihil aliud cogit, quia nec est mentis ipsiusmet Augustini. » Verum invidiosa ac præpostera prorsus hæc glossemata sunt. Quis enim nesciat libros Fausti præcipue, imo unice scriptos contra prædestinationem ante merita prævisa, totus enim in eo est ut sancti Augustini sententiam confutet. Hinc Petrus Diaconus, in fine libri de Incarnatione et gratia, scribit se cum monachis sociis anathematizare « libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non est dubium. » Quare, cum Hormisdas Fausti opus reprobet, ac e contra sancti Augustini libros legendos inculcet, sententiam sancti Augustini de gratuita prædestinatione illis in libris assertam probat, quam tamen inter adiaphora Annatus rejicit. Reprobat pontifex Fausti libros inscriptos de Gratia et libero arbitrio ; approbat vero ea quæ de illa materia scribit Augustinus, præcipue ad Prosperum et Hilarium. Itaque quæcunque theses de gratia et libero arbitrio positæ sunt ab Augustino, quibus adversarias opposuit Faustus, illas a Romana Ecclesia servari ac defendi tradit Hormisdas. Sane invidiam redolet maximam, tam amplum testimonium ad duo tantum dicta coarctari. Sed pontifex non illos duos tantum libros Augustini laudat, sed VARIOS Augustini libros, præcipue vero ad Prosperum et Hilarium datos appellat. Unde ibidem cætera etiam volumina Augustini approbantur ; quidquid igitur in illis docet de gratia et libero arbitrio, hoc teste Hormisda, Romana sequitur et servat Ecclesia. Annatus vero, quasi particula illa *maxime* idem esset ac restrictiva *solum*, duas tantum sancti doctoris sententias, quas præcipue stabilit in libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ, ab Hormisda confirmatas fingit. Non ita est, Annate,

non ita, præter id quod in illis duobus libris, in aliis quoque VARIIS LIBRIS de Gratia et libero arbitrio Augustinus scripsit, hoc totum Romanæ Ecclesiæ probatur.

Alia via contra Hormisdæ testimonium vadit Decampsius, lib. III de Hær. Jans., disput. 1, cap. 4, nam cum Hormisdas dixerit capitula quædam de gratia et libero arbitrio in scriniis ecclesiasticis contineri, hæc putat esse illas sententias, quæ epistolæ Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ annexæ leguntur. Porro has tantum ex Augustinianis libris esse Ecclesiæ Romanæ probatas scribit; ejus verba sunt: « Asserit Hormisdas cognosci ex sancti Augustini operibus posse quid de gratia et libero arbitrio Ecclesia sentiat, quia nimirum in his acerrime defenduntur hæc ipsa capitula, quæ in scriniis ecclesiasticis continentur, quæque epistolæ suæ Cœlestinus intexuit. Quis unquam ex nobis istud negavit? fatemur in sancti Augustini operibus illa ipsa contineri acriterque defendi, quæ ab Ecclesia contra Pelagianos sancita sunt. At negamus aliud nihil in ejus libris reperiri, nobisque in hac parte Hormisdas suffragatur, dum collecta a Cœlestino capitula appellat, in quibus diserte traditur, profundiores quæstiones, quæ ab Augustino contra Pelagianos dimicante latius pertractantur, ab Ecclesia Romana non fuisse comprobatas. » Verum quis ecclesiastica scrinia Decampsio reclusit, ut tam confidenter scire potuerit Hormisdam nomine capitulorum illas Cœlestini sententias intellexisse? Unde novit ex universa sancti Augustini doctrina novem solummodo Cœlestini capitula in ecclesiasticis scriniis fuisse sepositа? Scimus sanctum Leonem Magnum, qui tertius a Cœlestino pontifex sedit, in epistola ad nostrum metropolitam Aquileiensem, duo integra capita ex libro sancti Augustini contra Pelagianos ad verbum exscripsisse. Cur non ista pariter Hormisdas appellat? Scimus sanctum Gelasium papam ad Honorium episcopum contra Pelagianos scripsisse, atque mentionem quorumdam capitulorum fecisse: « De quibus, inquit, ii quos tua charitas destinavit, si plenius instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt. » Quare Hormisdas hæc insinuata a Gelasio capita non intellexit? An nil aliud statuisse Gelasius credendus est, quam illa quæ sub nomine Cœlestini vulgata sunt? Quis hoc sine teste dicenti credat? Scimus eumdem Gelasium in epistola ad episcopos per Picenum tres quatuorve sancti Augustini sententias, ut superius ostendimus, inculcare, quas recentiores reprehendunt, ac furenti contra Pelagianos Augustino excidisse comminiscuntur; unde credibilius est has quoque inter illos titulos a Gelasio connumeratas, quam illas tantum Cœlestini. Scimus Felicem IV ad Patres Arausicanos ex sancti Augustini libris excerptas de divina gratia sententias contra Semi-Pelagianos transmisisse, et hæ quidem in viginti quinque canones digestæ sunt: invenitne pontifex omnia illa asserta in ecclesiasticis scriniis, vel cum illa tantum novem a Cœlestino selecta reperisset, novis ex Augustiniano thesauro divitiis scrinia ecclesiastica locupletavit? Quid dicitis, o novi antiquarum Romanorum pontificum constitutionum interpretes?

Sed quod de Felicis IV capitulis mentio indicit, ex libro primo Historiæ Pelag. cap. 23 recolendum est, Romanum pontificem ad lites de auxiliis divinæ gratiæ per centum fere annos Gallias turbantes, apostolica auctoritate sopiendas, viginti quinque sententias ex libris sancti Augustini decerptas ad sanctum Cæsarium Arelatensem transmisisse, ipsi cæterisque Galliæ episcopis subscribendas. Quis porro non intelligat quantum eo facto honoris incrementum Augustino additum sit, cum quæ prius illius voces fuerant, in Romanorum præsulum ac synodorum oracula transierint? At hic rursus pulverem excitant recentiores, quo tanta Augustino delatæ auctoritatis gloria obscuretur. Clamat Annatus cap. 6, pag. 903: « Et Felix, quem etiam referunt Baiani inter approbatores Augustini, propterea quod canones Arausicanæ synodi extractos ex libris Augustini, et ipsius etiam verbis conceptos ad episcopos Galliæ miserit, extractione illa monstravit quid esset necesse ab omnibus recipi ex universa illius doctrina, nempe id quod canonibus illis exprimitur, permissa lectoribus judicii libertate circa cæteras, quæ intercurrunt, controversias. » Belle ac bene: igitur non novem solummodo Cœlestini sententiæ ex Augustinianis libris approbatæ sunt, quod ad nauseam usque inculcatis, sed tot insuper alia dogmata, nempe viginti quinque quibus refragari piaculum sit. Sed reclamant Annatus ibidem: « Ergo vi hujus approbationis nulla fieri debet controversia iis qui capita illa selecta recipiunt, etiamsi alia quædam rejiciant. » Nolo hic disputare an recentiores ita canones Augustinianos Arausicæ firmatos recipiant, quin violentis quandoque interpretamentis eisdem vim inferant, unde ab eruditis jure reprehenduntur. Mitius vobiscum agam. Quod Arausicanos canones, ut libet, ut lubet explicatis, nullam vobis quæstionem facimus, sed quod alia Augustini dogmata rejiciatis, pati nullo modo possumus, atque contra vos accusationem paramus, non quod apostolici decreti, sed quod exempli contemptores sitis. Enimvero si universas lites de divina gratia in Galliis exortas apostolica sedes ut unius Augustini doctrina componendas duxit, insigne posteris exemplum edidit, ut si quando eadem in causa de gratia iterum litigia erumperent, ad ejusdem sancti antistitis doctrinam confugerent, ex Augustini libris sententiam audirent, uni Augustino adhærerent, quod a Clemente VIII veteri religione novoque exemplo præstitum fuit. Quare, cum adversarii in plerisque recens exortis de divina gratia controversiis stare se contra Augustinum profiteantur, Felicis IV judicio refragari, ejusdem exemplum parvi facere, atque alia prorsus via ab Augustiniana ad veritatem eosdem repere, nemo non videt.

Doluere tamen recentioribus oculi, cum per Felicem IV et Arausicanam synodum tantum honoris

Augustinianæ doctrinæ delatum videre : quare glossematum ruderibus illum obruere pertentant, dicentes Ecclesiam in synodis Augustini sententiis usam fuisse *non ex necessitate, sed ex auctoritate, uti magistram, non uti discipulam.* Acutum Adami commentum cap. 9, pag. 653. Vide quomodo se ipsam strangulet hæc responsio. Intendit adversarius sancti doctoris auctoritatem imminuere, et eamdem auget quam maxime. Nemo miratur, cum videt discipulum magistri voces reddere ; at magistrum sententiam dicturum, non nisi discipuli ore loqui velle, hoc plane mirabile censetur, atque in discipuli eximiam excellentiam venit. Synodi ac Romani pontifices sanctorum Patrum sententias semper secuti sunt, ut ex traditione Ecclesiæ credenda orthodoxis proponerent. Colligitur hoc ex epistola sancti Leonis ad Leonem Augustum, ubi pluribus sanctorum Patrum testimoniis adductis, inter quæ etiam *sancti Augustini episcopi Hipponensis* plura numerantur, concludit: « Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus. » In Chalcedonensi synodo, act. 1, post recitatam fidem concilii Nicæni, Patres dixere: Necessarium visum est sanctorum et catholicorum Patrum proferre testimonia, quæ possunt satisfacere, quemadmodum eam intellexerunt, et prædicare confisi sunt, quatenus ex manifesto et omnes rectam et immaculatam fidem habentes sic et intelligant, et interpretentur, et prædicent eam. » Et act. 2, statim post initium : « Docuerunt enim Patres, et in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus. » Et act. 5 : « Sequentes igitur sanctos Patres, » etc. Sanctus Agatho papa, in epistola ad Constantinum imperatorem, quæ habetur in synodo VI, act. 4, adversus Monothelitas, sanctorum Patrum testimoniis productis, udi laudatur Augustinus tanquam VERITATIS *prudentissimus* PRÆDICATOR *et præstantissimus* DOCTOR, hæc habet: « Ecce, piissime Domine fili, sanctorum Patrum testimoniis tanquam radiis spiritalibus Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ doctrina illustrata est, » etc., ubi etiam scribit damnandos Monothelitas tanquam *non sanctorum Patrum pedisequos.* At actione 10 omnia illa Patrum testimonia in synodo relecta sunt, et cum libris Constantinopoli existentibus collata, et act. 8 synodus litteris Agathonis consensum dedit, quod sanctorum Patrum doctrinæ conformes essent. Unde Georgius, antistes Constantinopolitanus, dixit : « Scrutans sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in venerabili patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia, et in nullo discrepantia a sanctis ac probabilibus Patribus, et consentio eis, et sic confiteor et credo. » Quam sententiam cæteri ibidem subscripsere. Possent infinita ad hoc demonstrandum testimonia adduci, in quibus *ex necessitate* synodi sanctorum Patrum doctrinam se amplecti ac sequi professæ sunt.

At inquies loqui te de uno Augustino, non de omnibus Patribus, hos enim idem concordi sententia docentes necessario in synodis Ecclesia sequi debet, quippe, quæ ex Patrum traditione dogmata definit, non vero privatum doctorem, qualis est Augustinus. Sed neque hoc te effugium juvat: nam dum contendis Felicem papam et Arausicanos Patres unius Augustini sententias secutos esse *ex auctoritate, non ex necessitate*, quæso te, vel secuti sunt Augustinum contra alios Patres docentem, vel cum aliis Patribus idem sentientem ? Si primum dicas, id non *ex auctoritate* fecere ; nam non potest privata unius homnis sententia tanquam de fide definiri, si constet universos Patres oppositum tradidisse, potest tamen ob summam unius sancti doctoris excellentiam judicium suspendi, ac neutra sententia definiri, quod de privata Augustini opinione de simultanea rerum creatione recentiores affirmant. Si vero alterum eligas, jam vides ex necessitate approbandam esse sententiam ab omnibus Patribus assertam, si ea de re rectum judicium dandum sit. Præterea Ecclesia de controversiis fidei sententiam dictura *ex necessitate* illam partem, in qua veritas est, definire debet, cum falsitatem inter dogmata fidei referre nullo modo possit. Quare, cum Felix et Arausicani Patres sancti Augustini sententias uti catholicas definierint, *ex necessitate* eas secuti sunt, ut oppositas Semi-Pelagianorum opiniones erroneas sequi minime potuerint. Felix quidem potuit Augustini sententias ad verbum non exscribere, uti exscripsere Prosper, Fulgentius, Prudentius aliique ex Augustiniana schola doctores ; sed non potuit sensum earumdem ex necessitate non tradere, cum jam illas ante concilii definitiones veras fuisse certum sit, cum nisi id quod verum est possit ab Ecclesia definiri.

Eadem facilitate refutatur quod addunt, synodum Arausicanam Augustini sententias adhibuisse *uti magistram, non tanquam discipulam.* Profecto mirum dicunt, dum volunt Arausicanos Patres, qui integro ab Augustini morte sæculo vixere, Augustini magistros esse potuisse, a quibus ille nec tota quidem doceri potuit. Sane magister ille est qui docet, discipulus qui docetur; et qui hoc nescit, mirum si discipulus non modo fuerit, sed vel esse potuerit. Qui vero doceat, qui doceatur, Augustinusne an Arausicana synodus, vos videtis. Olim quidem Augustinus Ecclesiæ discipulus fuit, ac talem se profitebatur, dum ad Bonifacium papam scribebat mittere sua scripta non tam discenda *quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda*, lib. 1 contra duas epistolas Pelag. ad Bonif., cap. 1. Cæterum quod a Deo illuminationis gratiam ad docendum assecutus est, ut ait sanctus Fulgentius, et unus universas Pelagianorum machinas perfregit, tantum illi Ecclesia detulit, ut ipsius Ecclesiæ per apostolicam sedem magister consecratus fuerit. Hinc Cœlestinus, in epistola toties a recentioribus inculcata, Augustinum *magistrum nostrum* honoris causa nuncupat, Gelasius in epistola ad Honorium eumdem *Ecclesiæ magistrum* dicit, et Joannes II, ut mox dicemus, de

Augustino scribit, *cujus doctrinam secundum præcessorum meorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia.* Profecto, si Ecclesia Romana Augustini doctrinam sequitur, Augustinus ejusdem Ecclesiæ magister dicendus est, uti discipulos sancti Thomæ aut Scoti eos appellamus, qui eorumdem doctorum sententias sequuntur. Cur autem hoc mirum videatur? Nonne olim magnus ille Aquinas inter tirones in scholis sedit, qui postea summus scholasticorum magister evasit? Laudati antistites, dum in synodo Chalcedonensi et Constantinopolitana sanctos Patres sequi se dicebant, eorumdem se discipulos profitebantur, quorum doctrinis sese instruendos tradebant; illi igitur Leones, Felices, Athanasii, Hilarii, Augustini, Cyrilli, Gregorii, aliive quos ibidem producunt, synodorum magistri fuere. Quare cum Arausicanum concilium unum Augustinum secutum sit, unum Augustinum magistrum habuit.

Inter sancti Augustini encomiastas merito numeratur etiam sanctus Joannes II, in epist. 3 ad senatores: *Sanctus Augustinus*, ait, *cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia.* Quibus verbis pontifex non solum sancti Augustini doctrinam consecravit, sed etiam eamdem antiquitus a suis decessoribus approbatam fuisse affirmat. Sed en statim recentiorum interpretationes. Audi Decampsium, lib. III cit., disp. 1, cap. 4, num. 12: Cum igitur in hac epistola nec de sancti Augustini doctrina contra Pelagianos agatur, nec ullus ex libris appelletur quibus eos impugnavit, cur inde Janseniani speciatim colligunt, ita probari ab apostolica sede quæcunque in Augustini operibus continentur, ut ab his vel tantillum recedere sit nefas? » Addit Moraines, disp. 12 Anti-Jans., num. 50: « Quæ addit ex Joanne II et Clemente VIII præcedentibus similia sunt, nihilque amplius probant. Tantum enim affirmant Ecclesiam Romanam servare, et sequi doctrinam Augustini sibi quasi dotem relictam, quam tamen non in omnibus sequitur, » etc. Hæc illi. Scimus eam sancti Joannis epistolam esse contra Nestorianos, non Pelagianos; sed scimus quoque Nestorianos ex Pelagianis prodiisse, utrosque mutuo se foventes apud Ephesum condemnatos, utrique hæresi idem a Prospero epitaphium ignominiæ causa inscriptum. Opponimus tamen Joannem inibi ea sancti doctoris volumina laudasse, quibus non tantum auctoritatis inest, quantum tributum est ab apostolica sede libris contra Pelagianos scriptis. Cum enim in illis cæteros post se longo intervallo reliquerit, in istis seipso quoque major evasit; unde si Augustinum Romana Ecclesia docentem sequitur, ubi minori laude ornatus fuit, eidem religiosius adhærebit, ubi tot Romanorum præsulum encomiis exceptus fuit. Romana Ecclesia non solum Augustinum docentem inaudit, sed impugnatum defendit, ut illa Augustini auctoritatem propugnante, oleum et operam perditurі sint recentiores, qui contra eamdem insurgunt.

Clementis vero VIII decretum, quo universas de auxiliis divinis controversias ad tribunal sancti Augustini expendendas jussit, quo olim recentiores pressi sunt, hisce modo strophis eludunt: « Nam quod, inquiunt, objicere aliqui solent, Clementem VIII jussisse tempore disputationum de auxiliis, ut Augustini potissimum sententia exquireretur, facile solvitur. Neque enim id præcepit eo præjudicio, quasi nefas duceret ulla in re dissentire ab Augustino repudiata etiam Cœlestini distinctione illa inter propositiones quas esset, et quas non esset necesse astruere. Neque idem est velle, ut disputantes Augustini sententiam inquirant, et velle omnino ut in omnibus eam sequantur. » Rursus: « Inquirenda fuit Augustini sententia, ut intelligeretur utrum ea quæ disputabantur tangerent constituta jam dogmata, necne, an potius spectarent ad quæstiones indifferentes. Adde cum constet ex mente sancti Bonaventuræ Augustinum aliquando minus voluisse, et plus dixisse, fuisse cur juberet summus pontifex ut ejus sententia investigaretur, nempe ut retineretur, quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret, eum dixisse. » Annati verba sunt lib. VIII, cap. 4, in fine. Nullus hucusque dubitavit in sessionibus de auxiliis coram Clemente VIII celebratis Molinæ doctrinam ad Augustinianæ doctrinæ amussim vocatam. Interim audiant Paulum Leonardum, vere Scerlogum, in Apologia scientiæ mediæ, part. II, num. 39: « Equidem, inquit, in disputationibus Romæ agitatis coram sanctitate Clementis VIII et Pauli V, sæpe et diligenter interrogatum est de mente sancti Augustini, quod eo speciatim in genere quæstionum exploratum esset ab iis optima proferri, cui tantus divinæ gratiæ hyperaspistes faveret. Quare anno 1602 tractatum: *Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat? An Augustinus? an Molina?* Continetur ille articulus septem quæstionibus, in quibus singulis de mente Augustini disceptatur cum Molina, etc. De quibus liquet altercationis pene omnem scopum, quidnam Augustinus sentiret? » Compendio res ageretur si liceret acta illa congregationum, vel integram Clementis VIII orationem, quam disputationibus illis præmisit, recitare. Sed quando recentiori Romano decreto id vetitum est, cum dispendio causæ quam defendo, necessariam defensionem omitto. Et quidem plus forte cæteris meliora dicere possem, cum legerim omnia Mss. Gregorii Nugnii Coronel, Augustiniani Lusitani, qui memoratarum congregationum fuit a secretis. Pio silentio religioni lito. Repetam tamen fragmentum laudatæ orationis Clementis VIII, quod suo Euchologico a congregatione suprema S. R. Inquisitionis approbato inseruit P. Macedo inter elogia pontificum, quæ recitat ad diem 28 Augusti, pag. 406. « Quamvis, inquit, nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes propter quas ASTRINGERE STATUI totam hanc disputationem AD NORMAM DOCTRINÆ SANCTI AUGUSTINI de gratia. Prima est quod si, teste B. Prospero fere initio libri contra collatorem, viginti annorum

spatio acies catholicæ Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam ut in causa consilii EUMDEM DUCEM AGNOSCAMUS ET SEQUAMUR. Secunda est quod idem sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes controversias pertinent, etc. Tertia tandem ratio est quod cum multi pontifices et prædecessores nostri doctrinæ sancti Augustini tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari. » Orationem hanc ipsius Clementis manu exaratam ostendit nobis illustrissimus D. Philippus vicecomes Mediolanensis, episcopus Catacensis, quod etiam testatum reliquit in notis Mss. ad cap. 4 libri VIII Augustini vindicati, quod volumen apud me est.

Non possum hic non indignari Annato, qui illis in disputationibus de auxiliis, non suum Molinam, sed nostrum Augustinum in examen vocatum fingit; nam eas sessiones habitas scribit : « Ut (Augustini) sententia investigaretur, nempe ut retineretur quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret eum dixisse. » Qua sane ratione sanctus doctor, quem apostolica sedes causæ id temporis agitatæ judicem pronuntiavit, suis e libris sententiam dicturum, ad Annato examini tunc subjectus fuisse dicitur, hac de eodem sententia pronuntiata, *ut retineretur quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret eum dixisse.* Quod, ut ibidem ait, aliquando Augustinus per excessum locutus est, qui quidem excessus in illis disputationibus *ne retineretur* Clementi VIII sententia fuit. Hoc autem quid aliud est quam Augustinum ex judice reum facere ? Neque secus sentire Annatum judico, clamat enim in fine cap. 2, pag. 864 : « Sepelienda scholastica est, ut unus regnet Augustinus, an Augustinus legendus ad lucem scholasticæ, et ad ejus amussim exigendus ? » Neutrum nobis in votis est, sed vigere scholasticam optamus, eamque ad Augustini amussim exigi, et non contra, ut ipse contendis. Perspicua est Clementis sententia, se velle exigere lites scholasticorum de auxiliis AD NORMAM DOCTRINÆ SANCTI AUGUSTINI, quibus quam belle consonas nemo non videt, dum Augustini doctrinam ad scholasticorum *amussim exigis.* Profecto Magister Sententiarum, qui primus scholasticam in methodum deduxit, ex Patrum ac Augustini præsertim sententiis illam conflavit ; unde Ecclesia ipsa Romana inter precum officia, quæ Augustini die festa persolvit. ait de eodem : « Quem in primis secuti sunt, qui postea theologicam disciplinam via et ratione tradiderunt. » Igitur scholastici ad Augustinianæ doctrinæ amussim suas ipsorum sententias exegerunt, neque veteribus illis ejusdem disciplinæ viris principibus verbum ullum contra Augustinum excidit. Secus recentioribus visum est, quorum unus Moraines in præfatione sui Anti-Jansenii ait : « Qui prius Augustinum in omnibus deposcebant judicem, nunc sibi liberum putant, ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere. » Heu quam ima summis atra dies miscuit ! Augustinum olim Clemens pontifex in controversia de auxiliis judicem constituit, modo autem recentiores, ut palam fateri non erubescunt ; eumdem *ne quidem arbitrum honorarium admittunt.* Et illi quidem excessus, antilogias, errores objiciendo non modo sanctum doctorem suspectum judicem publicant, sed veluti reum traducunt, ut longioris hujusce defensionis instituendæ necessitatem nobis impositam nemo negaverit. Et hoc quid aliud est quam Augustinum ex cathedra in qua ab apostolica sede positus fuit, atque ex eadem cœlestes doctrinas edisserens, hucusque summa religione a catholicis tanquam orthodoxi dogmatis magister auditus fuit, violenter extrahere ? O superi ! mites animos...

Sed quid de recentissimo Alexandri VII elogio, quo decessorum vestigiis inhærens, sancti Augustini doctrinam consecravit, recentiores blaterent, exponendum est. Cum pater Christianus Lupus Augustinianus, insignis doctor Lovaniensis, Roma in Belgium profecturus esset, Alexander laudatus litteras eidem ad sacram theologicam Lovaniensium facultatem deferendas tradidit. Porro ibidem paternum erga bene meritos filios amorem testatur, ad sancti Augustini ejusque discipuli sancti Thomæ doctrinam ut eo usque summa cum laude fecerant, novo utrique sancto doctori elogio inscripto tenendam defendamque animavit. « De reliquo, inquiens, non dubitamus vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio sanam et incorruptam, qualem tot apostolicæ sedis declarationes, et sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, et adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ doctorum Augustini et Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impense revereri velitis. Quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent, etc. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 7 Augusti 1660; pontificatus nostri anno 7. » Profectus Roma Lupus, ac Pisauro transiens, ubi apud nostrates scholæ theologicæ id temporis præfectum agebam, quantum secum in Belgium thesaurum ferret mihi significavit ; ubi vero Lovanium venit, ac pontificias litteras theologorum senatui tradidit, mirum est quanta eadem lætitia universi et singuli exceperint. Indictum theologicum institium, publicum in gratiarum actionem sacrum intimatum, ac pro incolumitate beneficentissimi pontificis imperata supplicatio. Edicti a decano universitatis publicati excerptum exhibeo : integrum donat P. Gabriel a Sancto Vincentio mox mihi laudandus : « Ut intersint solemni missæ per eamdem facultatem ibidem celebrandæ pro longæva incolumitate ac felici regimine sanctissimi D. N. Alexandri divina providentia papæ VII, qui præter

alia paternæ suæ erga eamdem (academiam) benevolentiæ argumenta apostolico rescripto in forma brevis ad ejusdem preces eam decorare dignatus est, quo sanctissimos Augustinum et Thomam Aquinatem scholæ facultatis patronos et magistros, uti præclarissimos Ecclesiæ catholicæ doctores deprædicat, eorumque dogmata tanquam inconcussa tutissimaque, et proinde semper sequenda et impense reverenda commendat, subjungens penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina eorumdem sanctissimorum novi præconii commendatione non egere, etc. Datum 6 Novembris anni 1660. »

Hæc quidem quantum lætitiæ sincerissimis sancti Augustini discipulis ingessere, tantum mœroris, non enim dicam invidis, sed pridem erga Augustinum non tam bene animatis intulerunt. Etenim nonnulli in furorem veluti acti in impias hasce voces erupere, *laudatum breve per diabolicam machinam fuisse impetratum*. Horum testis est ipsemet Christianus Lupus in epistola apologetica de Attritione et contritione, cap. 5, ad accusat. 11, pag. 49, quam Lovanii edidit anno 1667, mihique, uti est mei amantissimus, honoris gratia nuncupavit. Cuinam voces adeo inverecundæ exciderint, designat Vincentius Baronius, part. IV suorum opusculorum, lib. I, sect. 2, art. 5, § 1. Alter vero recentior de laudato Alexandri elogio scribit summum pontificem *nunquam breve illud privatum vidisse*. Id autem testatur se a viro sui sodalitii accepisse, et quo majorem dicto fidem faciat, ait : *Sincere affirmo, ac sancte juro*. Hunc etiam scriptorem nominare nolo, quod magnum patronum habeat, cujus ipse etiam patrocinio lætor ; illum tamen pluribus impugnavit vir doctissimus P. Gabriel a Sancto Vincentio in libro de Remediis ignorantiæ, disp. 14, dubio 9, num. 149, inquiens : « Cardinalis Nerlius tunc temporis secretarius brevium dixit cuidam viro gravissimo quod hoc breve ipse composuit ex commissione dicti Alexandri VII, et quod pontifex illud attente legit, et sigillum dedit ut eo signaretur, et ad dictam Universitatem Lovaniensem mitteretur. Et iste vir gravissimus sic tacto pectore testificatus est. » Hæc quidem P. Gabriel litteris consignavit, ac paulo post e vita discessit summo sui desiderio relicto, erat enim Carmelitici rigidioris disciplinæ instituti ornamentum, acceptus in primis Clementi X pont. opt. max. Vivet ille æternum de Augustini doctrina bene meritus, cujus glorioso nomini theologicum volumen nuncupavit. Sciant recentiores Alexandrum VII e nobilissima Chisiorum gente prodiisse, cui perpetuum erga Augustini nomen obsequium hæreditarium est, ita ut a trecentis et amplius annis unum semper in Chisiis appellari voluerit Augustinum. Non alium hujus mei dicti testem quam ipsummet Alexandrum volo, qui in frequentissimo purpuratorum Patrum atque antistitum senatu, agens de decernenda Thomæ Villanovani apotheosi regis Hispaniæ (*Ex Actis canoniz. S. Thomæ Villanov.*), plurimorum principum atque populorum cum Augustiniana familia obsecrationibus, queis ad id movebatur, recensitis, hæc addidit : « Tum vero (confidenter dicimus) nostræ erga D. Augustinum sanctissimum theologiæ magistrum a majoribus secundum carnem per manus quasi tradita. et peculiaris ab adolescentia erga hunc ejus alumnum veneratio », etc. Hæc tanti pontificis hæreditaria erga *sanctissimum theologiæ magistrum* devotio omnibus nota erat, unde in eodem consessu Franciscus Albitius, purpuratorum Patrum decus, eximiæ eruditionis princeps ac nostro præconio major, sententiam rogatus dixit : « Protractus est, beatissime Pater, non sine Spiritus sancti instinctu rei arduæ atque difficillimæ exitus, ut a sanctitate vestra, quæ patronum et protectorem agnoscit Augustinum, Filius Augustini in sanctorum numero collocetur. » Ego quidem pluribus illius recentioris dicta confutaveram, quæ tamen magni viri imperio jussus omitto ; adeo enim absurda sunt, ut satius sit eadem silentio obducere, quam prolixiori impugnatione latius diffamare.

CAPUT VII.

Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos per sedem apostolicam approbatio a recentiorum pravis interpretamentis defenditur.

Hucusque nobiliora Romanorum præsulum testimonia de Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos excellentia a sinistris recentiorum oppositionibus vindicavimus, singula pontificum elogia Augustino integra astruentes : modo quid homines illi Augustini approbationi per Ecclesiam universim objiciant, videndum est. Levi id quidem brachio retentabo ; nam illorum consilium imitatus qui civilia inter hostes bella serunt, quo domesticis dissidiis enervatos nullo postea negotio suppeditent, Anti-Augustinianis domesticos testes opponam, et pila minantia pilis. At non illos quidem novitiis istis pares, sed longe superiores, quibus loquentibus nedum assurgant, sed penitus obmutescant, nempe Suarium et Vasquium. O quanta scholæ nomina ! Itaque in hoc certamine sedebo, duobus illis ducibus pro meo Augustino in aciem contra nuperos adversarios descendentibus.

Eia age, quid de Augustinianæ doctrinæ per Ecclesiam approbatione, Annate, sentis ? Si quæ adversus eam habes, libere profitere : « Objicimus primo, » ait lib. VIII, cap. 6, pag. 902 : « Vel ita est consecrata, ut Augustinus e numero scriptorum non canonicorum extractus transierit in numerum canonicorum vel non. Si primum, errat totus Christianismus, qui contrarium sentit non modo a tempore scholasticorum, sed a mille ducentis annis ; si secundum, ergo illa omnis Ecclesiæ approbatio relinquit adhuc Augustinum intra numerum scriptorum fallibilium quibus sine cujuspiam injuria repugnare liceat. » Sed jam olim huic objectioni satisfecerat non Baianus aliquis, sed strenuus Baii oppugnator Suarius, cujus sane responsionem poterant domi legere. Cum

Suarius, proleg. 6, de Gratia, c. 6, num. 15, citasset hæc sancti Prosperi verba in laudem Augustini : « Tu autem, dilectissime et venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris, » hæc scribit : « Non tamen dicit Augustinum apostolice scripsisse, vel quia scriptor canonicus fuerit, vel quia infallibilem habuerit Spiritus sancti assistentiam in scribendo, sicut apostoli habuerunt, hoc enim alienum a sensu Prosperi et totius Ecclesiæ est, sed dicit apostolice scripsisse, vel quia suam de gratia doctrinam ex apostolo Paulo præcipue sumpsit, et validissimis ejus testimoniis illam confirmat, vel certe quia tam vere ac fideliter de gratia scripsit, ut apostolica sedes Augustini doctrinam in his quæ ad dogmata pertinent suam effecerit ac probaverit. »

Pergit Annatus : « Objicimus 2°, eosdem illos summos pontifices qui doctrinam Augustini approbarunt, ea seposuisse quæ necessaria illis visa sunt, alias autem quæstiones intercurrentes nec contemnere nec astruere voluisse. Hoc enim Cœlestinus aperte significavit, ut retulimus antea, » pag. 963. Idem Suarius, recensita Cœlestini restrictioue, quam tamen negat esse Cœlestini, ut dicam, totus Augustino adhæret hæc scribens : « Nihilominus tamen etiam in his [posterioribus de prædestinatione quæstionibus auctoritas Augustini maxima est propter alias rationes supra tactas, et ideo semper a nobis cæteris præferetur. »

Sed reclamat adversarius : « Objicimus, 3° approbatam fuisse Augustini doctrinam simul et aliorum sanctorum Patrum, unde sequitur cadere approbationem hanc in id quod est Augustino cum aliis Patribus commune, non in id quod est proprium, si quid tale sit. » Ibidem. Sed hocce telum Augustinum clypeo protegens Vasquius excepit 1-2, disp. 190, cap. 6, num. 37 : « Quamvis, inquit, nullus esset ex Patribus commemoratis quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia scholastici doctores allegare possent, IN UNO SOLO AUGUSTINO ejusque schola suæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quod UNICUS sit qui dum agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulgeat, cujus quidem doctrinæ egregium testimonium et commendationem in epistola prima Cœlestini ad episcopos Galliæ exaratam habemus. » Porro Cœlestinus unum Augustinum laudavit; lege eumdem part. I, disp. 89, cap. 4, initio.

At non cedit Suario, non cedit Vasquio Annatus, sed rursus opponit pag. 902. « Nempe jam nos docuit Gerson et Abulensis quo pertineat hæc approbatio; non enim eo ut intelligamus Augustinum nullis esse humanis defectibus obnoxium, sed rarioribus et levioribus, quomodo cæterorum quoque sanctorum laudes intelliguntur. Et certe cum eadem sit judiciorum et affectuum alea, et Augustinus tanta contentione pugnet contra Pelagianos, ut obtineat nullum esse quantumvis sanctum, cui non sit opus dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, ob quotidianos voluntatis lapsus, nescio quid Baianis in mentem venerit, ut Augustiniani videri velint, cum tanto nisu persuadere conantur esse aliquos qui judicio nunquam labantur, » nempe Augustinum. Verum quis nesciat Augustinum duplici facto, dum se infra cæteros depressit, supra universos altius sese evexisse? Ille magnus Ecclesiæ magister tum *affectus* tum *judicii* sui errata publicavit : hæc quidem in libris Retractationum, illa in libris Confessionum, singulari prorsus exemplo, cum videamus quosque tum propria dicta, tum facta ab erroribus vindicare. Utinam hanc aliquando de sociis ac suæ familiæ hominibus opinionem adversarii induant, quorum quempiam si ab aliquo scriptore impetitum cognoscant, mille apologias procudunt, ut soli ab erroribus immunes esse videantur. Itaque eamdem et affectus et judicii aleam subivit Augustinus. Verum dum libros contra Pelagianos retractat lib. II, cap. 33, 36, 37, 42, 50, 61, 62, 66 et 67, nullam sententiam sive de gratia sive de libero arbitrio corrigit, sed omnia abs se dicta probat, qui aliis in tractatibus plerasque theses assertas expunxerat. Unde sanctus doctor nusquam in Pelagianis expugnandis se judicio lapsum fuisse cognovit, adversarii autem misere judicio labuntur, tam humiliter de Augustino pronuntiantes. Profecto Augustinus futuros forte censores prævidens, in eorum humeros correctione devoluta, minus illo in examine secum egit, recentioribus hanc gloriam relinquens, qua jactare possent se illis in libris contra Pelagianos editis maculas deprehendisse, quæ Augustini aciem ac spongiam subterfugere. Quid ais, Annate, Augustinum fuisse obnoxium humanis defectibus, at *rarioribus et levioribus*, ac *judicio* quandoque lapsum? Alia longe diversa fuit tui Suarii sententia, qui proleg. 6 de Gratia, cap. 6, num 17, ita et vere et digne de sancto Augustino scribit : « Nihil tam admirandum et suspiciendum Ecclesiæ reddidit Augustinus, quam de gratia doctrina ; at si in ea tradenda et explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus, multo labefactaretur ejus auctoritas, immeritoque Ecclesia tam fidenter judicium ejus in hac doctrina esset secuta, quod impium est cogitare. » Egregie hoc ipsum abhinc octingentis annis notarat sanctus Prudentius Tricassinus, in epistola ad Hincmarum et Pardulum ; sed quod cum Suario et Vasquio veluti fœdere icto aliorum suppetiis dimissis, contra recentiores me pugnaturum pro Augustino pollicitus sum, præclarissimum illius antistitis testimonium omitto alibi recitandum.

Nondum Annatus suorum vocibus ab infelici certamine revocari potuit ; sed instat obtruditque hanc illationem : « Ergo si, stante Augustini testimonio illo, licet tamen singularem cujuspiam ex aliis Patribus cogitationem in hisce disputationibus non sequi,

etiam, stante illa Ecclesiæ vel summorum cum approbatione, non omni adhærere Au- i sententiæ. » At huic quoque objectioni ob- erat subtilissimus recentiorum Vasquius, cujus , disp. 190, verba paulo ante dedimus, item re part. 1, disp. 89, num. 21 : « Tametsi, in- liorum Patrum auctoritas in omni controversia ponderis apud omnes esse debeat, in hac ta- le qua nunc, agitur, UNUS PRO MULTIS mihi sem- it AUGUSTINUS, non solum quod omnium qui entiunt plurimum emineat, » etc. At quod præ- t Annatus ibidem, pag. 909 : « Ex quibus li- onstat quantum Augustino tribuendum Ecclesia , tantum aliis quoque Patribus tribuendum esse inum ipsum censuisse, » hoc, inquam, plane est; nam licet in libris contra Julianum ex Patribus peccatum originale fusius compro- , itemque in libro de Gratia Christi ejusdem necessitatem, attamen prædestinationem ante a merita instantibus Massiliensibus, et nolle n credere affirmantibus, nisi veterum ea de re nia produceret, respondit lib. de Prædestina- anctorum, cap. 14 : « Quid igitur opus est ut scrutemur opuscula qui, priusquam ista hæ- riretur, non habuerunt necessitatem in hac i ad solvendum quæstione versari, quod procul facerent si respondere talibus cogerentur. » . 19 de Dono perseverantiæ pro se adducit ium et Cyprianum, ex quibus non disertis sed per necessariam illationem suam ipsius iam colligit. Igitur, judice Augustino, *non it ut eorum* Patrum *scrutemur opuscula*, ubi de a prædestinatione disseritur. At libros de stinatione sanctorum et de Dono perseveran- rmisdas commendavit, ad eos nos remisit sy- Sardiniensis exsulum episcoporum ex Africa, as etiam VIII sententiam Molinæ de prædesti- e juxta sancti doctoris dogma examinandam ; non igitur ea in quæstione tantum Augusti- ibuit aliis Patribus, quantum ipsi Ecclesia de-

tandem postremo impetu contra librorum Augustini approbationem idem Annatus de- pag. 911 contendens : « Omnibus illis appro- ibus quas obtendunt Nov-Augustiniani, doctri- ugustini universim approbari, nullam vero esse idat in omnia et singula ejus placita. » Re- i Semi-Pelagianorum crambem reponit : ete- im sanctus Cœlestinus libros sancti Augustini set, illi eam commendationem Augustini libris sim tantum traditam dicebant, quam tamen us, non item postremis ejusdem voluminibus n esse contendebant, contra quos sanctus r egregie in fine libri contra Collatorem, cap. c scribit : « Agnoscant calumniatores superfluo cere quod his libris non speciale neque dis- i testimonium sit perhibitum, quorum in cunc- luminibus norma laudatur; apostolica enim quod a præcognitis sibi non discrepat cum

A præcognitis probat, et quod judicio jungit laude non dividit. » Hæc ille. Succenturiatus in Annati jam defessi præsidium prosilit Moraines, diverso tamen armorum genere in Augustinum impressionem faciens. Etenim quo pontificiæ approbationis Augustino datæ splendorem imminuat, non quidem invidarum interpretationum nebulas opponit, sed nobiliora ab apostolica sede aliis Patribus tradita præconia proponit, quorum comparatione illa Augustino delata minora longe censeantur; quo sane pacto sol non umbris quidem, sed immensa propemodum luce quaquaversum irradiante minimum candelæ splendorem suffocat, nulumque pene facit. Altiori itaque voce insultat Moraines in præfatione ad orthodoxos : « Quando dictum est de scriptis Augustini ab aliquo B pontifice legem sanciente, quod dixit Gelasius de mirabili illa epistola Leonis Magni ad Flavianum, ut si quis illam non admitteret usque ad unum iota, anathema esset ? » Verum quis non videat eximias illas de Leonis litteris laudes in Augustinum plene devolvi ? Celebrem illam Leonis epistolam ad Flavianum a sancto Prospero Augustini discipulo compositam fuisse constans non modo Latinorum, verum etiam Græcorum opinio est. Baronius audiatur in notis Martyrologii, ad diem 25 Junii, ubi de Prospero ait : « Ado Viennensis et alii tradunt hunc fuisse ab epistolis sancto Leoni papæ, ab eoque scripta fertur famosissima illa epistola sancti Leonis ad Flavianum de Incarnatione Verbi, quod non tan- C tum Gennadius, Honorius et alii Latinorum, sed et Marcellinus comes testatur in Chronico sub consulatu Olybrii et Rustici. » Hic est ille Prosper, quem Annatus ipse lib. II, cap. 5, § 2, pag. 179, « Primarium ac proximum Augustini discipulum, qui visus est illius et arma et vices gessisse ad tuendam quam veluti deposito acceperat ejus doctrinam. » Quis vero neget delatas discipulo laudes in magistrum derivare ? Profecto, si sanctus Gelasius Leonis epistolam usque ad minimum iota recipiendam dixit, idem nec unum iota Augustinianæ doctrinæ improbavit, imo, ut sæpe in faciem recentioribus illisum est, vel illæ Augustini sententiæ, quæ falsæ seu duræ illis videntur, ab eo pontifice Ecclesiæ inculcatæ sunt, qui ex Vasquio fuit *per omnia Augustinianus*.

D Quatit rursus Moraines ibidem Augustinianam auctoritatem duplici ariete Alexandria advecto : « Quis unquam, ait, habuit Cyrilli Alexandrini auctoritatem in scribendo non tantum in synodo provinciali aut nationali, sed in concilio generali Ephesino, ut ipse per se scriberet Anathematismos, contra quos sentire ac scribere idem prope censeretur ac fidei refragare ? Audire mihi videor alium qui dicat : Quid ergo ? Athanasius etiam ille magnus eritne unus de numero filiorum et discipulorum Augustini, qui dicitur sine exceptione Pater Patrum, doctor doctorum, cæteros omnes instar primi angeli sua luce collustrans ? » Sane ingens turbarum origo quas Ephesina synodus ab Joanne Antiochiæ episcopo, Theodoreto et collegis episcopis, atque ab ipso imperatore

Theodosio passa est, inde fuit quod Orientales episcopi privati hominis auctoritate statutos Anathematismos subscribere recusabant, quam tamen sententiam postea deposuere. Sed de Augustino loquamur. Hic ob sapientiam Africanorum conciliorum *ingenium* appellatus fuit. Idem universa acta concilii Numidiæ, itemque Carthaginensis, cui quidem non adfuerat, ex Patrum decreto in commentarios retulit. De illo scribit Prosper in fine libri contra Collatorem, quod Bonifacius papa, « cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini episcopi responsa poscebat. » Augustini sententiæ canones synodi Arausicanæ ac Romanorum pontificum decreta evasere; de qua re Decampsii Jesuitæ verba reddam : « Fuit, inquit, Augustinus quodammodo Ecclesiæ præcentor, cum Romanis pontificibus et conciliis ore præivit, quod de superbissima hæresi judicarunt. Fuit lingua Ecclesiæ, cum ejus verbis decreta concepta sunt, et quæ prius fuerant Augustini voces, Spiritus sancti oracula esse cœperunt. Fuit ille conciliorum dux atque ingenium, cum iis rationes et argumenta subministravit, quibus Pelagium ejusque complices fregerunt, » etc. His collegæ dictis si credis, jam Augustinum Cyrillo parem conspicis. Theodosius sane imperator parem Cyrillo Augustinum judicavit, dum ad utrumque Sacram (imperatoris litteras ita vocabant) direxit. Imo longe plus honoris Augustino tributum a principe fuit; nam ad Cyrillum uti metropolitam scripsit, quo synodum cogendam episcopis suffraganeis intimaret; at cum C ad Africæ Primatem Carthaginensem eadem de re pariter perscripsisset, privatas tamen ad Augustinum litteras misit, enixe eumdem rogans ut synodo adesset, de qua re in Historia Pelagiana diximus libro primo, ad annum 431. Imo veterum scriptorum fide constat Cyrillum Alexandrinum egisse per litteras cum Theodosio, ut sanctus Augustinus ad synodum Ephesinam se conferret : videbat enim quanto sibi adversus Nestorianos adjumento futurus esset magnus ille dux ex continuis contra hæreticos præliis erectis trophæis toto orbe celeberrimus. Poro Athanasium magnum illum Arii antagonistam Augustini discipulum neutiquam facimus, sed motum ab Athanasio adversus Arianos bellum, ab Augustino feliciter tandem profligatum asserimus. Joannes Rivius Belga, lib. IV de Vita sancti Augustini, cap. 8, § 6, pluribus tradit unum Augustinum Arianismum a fundamentis evertisse, quod ante ipsum adeo exacte nullus Patrum præstitit. Et sane contra Arianos et libris et sacris declamationibus ex professo sanctus doctor insudavit, qua de re Possidius toto cap. 17 de Vita Augustini. Quare, si argumenta ac testimonia quibus Arii sectam Augustinus expugnavit in considerationem veniant anteriores Patres sanctus doctor omnium eruditorum judicio facile superavit.

Instat rursus Moraines : « Quid de Hieronymo? Eritne etiam ille Augustini discipulus vel de angelis inferioribus ? » Sed capite præcedenti hoc objectum refutavimus. Quod vero nolit Moraines dici Augusti- A num *doctorem doctorum*, palam Patribus contradicit. Doceri se ab Augustino voluit Bonifacius; *magistrum nostrum* Augustinum nuncupavit sanctus Cœlestinus; ad Augustinum Orientales remisit sanctus Hormisdas: et sane suum doctorem Ecclesia Romana Augustinum appellat. Sanctum Thomam Augustini doctrinam secutum esse tradit Urbanus V in bulla de Translatione sancti Thomæ. De Scoto hæc habent Patres Hispani Minoritæ, in libello supplici apud Petrum a Campo, tomo primo Historiæ August., lib. III, cap. 30 : « Adeo Augustinianæ doctrinæ addictus fuit, ut in solis theologicis commentariis octingenties ac quindecies sanctum Augustinum in suarum assertionum testem protulerit, enixe præ cæteris doctoribus satagens illius mentem intimius penetrare, » etc. B Neget igitur Moraines Scotum, sanctum Thomam totque Romanæ Ecclesiæ pontifices sancti Augustini discipulos fuisse doctores, ne Augustinus dici possit *doctor doctorum*. Video tamen ipsum non pati *sine exceptione* Augustinum dici doctorem doctorum. Scias itaque sanctum Augustinum in disputationibus de auxiliis gratiæ esse doctorem doctorum, sed non omnium : non quidem eorum qui ipsum præcesserunt, neque enim potuit illos docere, neque posteriorum, qui ab ipso doceri noluerunt, quæ fuit Semi-Pelagianorum obdurata superbia, ac conceptæ olim opinionis defendendæ effrænis lubido ; at qui præcesserunt Augustinum Patres non sunt doctores in materia de gratia cum Augustino conferendi, qui, teste Augustino cap. 14 de Prædestinatione sanctorum, *de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attigerunt.* Et ridendus ille esset qui, sepositis Augustini libris, vellet quæstionum de gratia solutionem petere ab Hilario vel Athanasio; unde qui de divina gratia scribentes Ecclesiam illustrarunt, omnes sancti Augustini discipuli fuere, qui primus sanctorum Patrum, et quidem in doctrina tantum de gratia scholam sibi fecit, cui nomen dedere Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, Eugyppius, Cæsarius, Prudentius, aliique, ut vere doctor doctorum dicatur Augustinus. Illorum vero recentiorum doctorem Augustinum nunquam pronuntiabimus, qui ejusdem discipuli esse dedignantur. Augustinum quidem legunt, non ut ducem D illum habeant, sed ut præconceptæ suæ ipsorum opinationis sectatorem volentem nolentem faciant, admotis etiam tot violentarum interpretationum machinis. Annatus totis libris septem unum Augustinum appellat, Morainii volumen millies Augustini voces reddit ; istosne Augustini discipulos dixerim et sectatores? Videri quidem discipuli Augustini volunt, sed ficte cito in naturam suam redeunt. Hinc Moraines, cum in præfatione ad orthodoxos, quam suo Anti-Jansenio præfixit, Augustini laudes, ne ea in re adversario cedere censeretur, recitasset, paulatim panegyricum in satyram vertit, strenuus Augustinianæ gloriæ decurtator, qui initio quidem non inelegans ejusdem promotor videbatur. Eadem via Annatum ivisse ex dictis initio cap. 5 patet. Quis enim præ-

um hominis consilium non irrideat, qui cum A
ustini tribunal septem libris cum Jansenianis
set, atque ab Augustino causam sibi totam
mque adjudicatam gloriatus esset, exclamans
ne lib. VIII, *nihil esse quod Janseniani possint
ustino sperare præsidii*, eum judici gratias age-
sque erga se propensum suisque faventem
n commendare eumdem putas, datisque ad
litteris laxatis habenis in illius laudes effundi,
e ab illo Augustinum acceptum videmus, con-
contra ipsum longo ordine testibus mille con-
ncessitum : uno verbo, ex judice reum factum.
issimos sancti Augustini discipulos ! Insuper
stiuntur dici Augustinum *cæteros omnes instar
ngeli sua luce collustrasse.* Scimus Prosperum
cinisse cap. 2 cont. Ingratos : B

ustinus erat, quem Christi gratia cornu
IORE *rigans, nostro lumen dedit ævo*
rum vero de lumine.

s Fulgentius, lib. II de Veritate prædestina-
st gratiæ, cap. 18 : « Augustinum legat omnis
lutem æternam adipisci desiderat, humiliter
misericordiæ Dominum et eumdem spiritum
entiæ legens accipiat quem ille accepit ut
et, et eamdem illuminationis gratiam adipisca-
discat quam ille adeptus est ut doceret. » Sed
n audiatur sanctus Thomas Villanovanus, ar-
scopus Valentinus, conc. 1 de sancto Augusti-
O Pater, ait, amplissime Augustine, qui non
vitæ sanctitate, sed etiam miro sapientiæ tuæ C
s Christi Ecclesiam luce propria, luce plena,
ta irradiasti ! Si enim sapientia lux est, quis in
ia Dei ita lucet ut Augustinus ? A sole omnia
ucent, ab Augustino omnes qui post ipsum fue-
octores sapientiæ lumen accipiunt, ipse vero
a luce lucet, quam a nullo hominum, sed a
lo accepit, nullo enim tradente, nullo magistro
s didicit disciplinas. » Nonne igitur, teste
, Augustinus est instar primi angeli, quo in
e intelligentiæ lumen derivari theologi autu-
cum ipse a solo Deo illustretur ? Hipponensis
n noster angelus suæ doctrinæ radiis Prospe-
Fulgentium, Thomam, cæterosque orthodoxos
illustravit ; at recentiores qui contendunt cum
», « aliquid lucis Augustino defuisse in conci- D
cum creata libertate divinorum decretorum
iliorum efficacia, » lib. VIII, cap. 4, pag. 874 ;
ut idem alibi ait, nempe disput. 3 de Scientia
, cap. 5, num. 113, « radium quemdam videre
ant ex Augustini sole non emissum : » quid de-
scribere non erubuere cum Molina, part. I,
. 23, art. 4 et 5, disputatione 1, memb. 6, « dum
i quasi caligine D. Augustinus ad hoc non at-
, arbitratus primo aspectu cum sua de prædesti-
ie opinione, » etc. ; recentiores, inquam, isti
s purioris doctrinæ lux affulget, Augustino sub
ne posito, hujus primi angeli fulgores non ex-
it, imo fere contemnunt, ut mirum minime
cuipiam debeat eos adeo moleste ferre tantum
lucis Augustino attribui, ut universos subsecutos
doctores irradiare potuerit, et antecessorum Patrum
sententiis de divina gratia plenioris ac solidioris doctrinæ lumen afferre.

Sed Annatus collecto spiritu iterum contra Augustinum invehitur, atque Morainii collegæ factum æmulatus, domesticum contra sanctum doctorem librum ab apostolica sede *expressiori atque efficaciori*, quam quodvis Augustini volumen, approbatione communitum opponit. Adversarii verba sunt : « Objicimus octavo, omnibus illis approbationibus quas obtendunt Nov-Augustiniani, doctrinam Augustini universim approbari, nullam vero esse quæ cadat in omnia et singula ejus placita ; quod si aliqua talis esset, non negabunt, opinor, expressiorem fore et efficaciorem in omnibus consentiendi necessitatem. Quid igitur facient si reperiatur in natura rerum alius quidam liber cujus omnia et singula in eo contenta auctoritate sedis apostolicæ per bullam ad perpetuam rei memoriam editam et promulgatam approbentur ? » Eia age, delapsum sane cœlo libellum pande, nisi forte sacratiora tam cito in propatulo esse piaculum putas. « Est, inquam, ait, talis quidam liber in rerum natura et auctoris sancti. » Jam pietatem ac religionem excitas, dum auctorem commendas ac divum contestaris. At pergit Annatus lectorem suspendere : « Sed quis est ? libellum potius dicere debui, quod sit mole parvus et specie contemptibilis, sed qui tamen virtutis plurimum habet. » Hunc libellum, cui supra omnia Augustini magni volumina ex apostolicæ sedis approbatione « expressior et efficacior in omnibus est consentiendi necessitas, » cito citius exhibeas. « Quis vero, addit, tandem, et cujus est ? » Ita quidem hoc petimus, hoc rogamus, ne, quæso, diu nostram exspectationem torqueas, per sanctum illius libelli auctoris nomen ac numen obtestor. « Contrahant, inquit, licet frontem Baiani, et torvum intueantur, sorbenda pilula est. » Næ tuo pharmaco illi indigent quoscunque Baianos dicis ? Nos quidem validiori stomacho sumus jam pridem tuis in Augustinum conviciis, pilulis omnibus amarioribus devorandis assueto, neque pilulis præmuniendi sumus, quo auctorem libellumque citra fastidium ac deliquium audiamus. Imo, quando libri scriptorem sanctum autumas, sacris doctrinis conspersas paginas summa religione deosculantes, divum auctorem pro Augustiniana auctoritate contra novos censores sarta tectaque servanda etiam atque etiam rogabimus, sua enim vicissim tutari divorum est. At inquis : « Liber est Exercitiorum spiritualium sancti Ignatii, quem Paulus III severe examinatum, etc., sic approbavit ut dicat se documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta auctoritate prædicta, tenore præsentium ex certa scientia approbare, collaudare ac præsentis scripti patrocinio communire. » Hæc ille suspensis diu quasi per jocum lectoribus lib. VIII, cap. ultimo ; exclamatque pag. 912 : « Scire vellem quid sint responsuri tam disertæ tamque explicitæ

approbationi, qui minus expressam explicitamve (Augustini scilicet) suis obtendunt erroribus.

Absit ut per nos quidquam approbationi Ignatiani libelli detractum sit, imo quanti illum Augustiniani fecerint vestri scriptores tradunt in Imagine primi sæculi, lib. III, cap. 10, ubi de Exercitiis sancti Patris Ignatii loquentes hæc scribunt: « Testes sunt infiniti toto orbe qui ea non minori sua voluptate quam fructu sunt experti. Sed unus instar omnium Augustinus Caravajalius,. Augustiniani ordinis theologus. Is cum Indiam Occidentis peragrasset, et in Hispania variis muneribus cum laude perfunctus esset, Italiæ quoque cœnobia sui ordinis jussu summi pontificis visitasset, Boniam tandem ab eodem pontifice visitator apostolicus missus ad D. Jacobi cœnobium in veterem disciplinam restituendum, non aliis id præsidiis facere aggressus est, quam piis his societatis commentationibus, quibus ipse cum per mensem se exercuisset, testatus est candide se quandiu in religione vixisset, rationem aliquam qua rectissime incederet semper optasse, eamque tunc demum cum in hæc sancti Ignatii Exercitia incidisset, invenisse. Quæ quidem ille avidissime hausta atque in intimum demissa pectus tanti fecit, ut in iis aliquid vere divinum inesse aperte diceret. » etc. Hic Caravajalius ex assistente Hispaniarum electus est episcopus Guamangensis apud Peruanos, de quo Herrera in Alphabeto Augustiniano. Utinam per nos Ignatianis chartis major laudis fieri posset accessio ! Illud tamen ægre patimur, quod scribit Annatus, Augustianam doctrinam minus explicita atque expressa approbatione quam Ignatianam, esse ab apostolica sede firmatam. Quæso vos quandonam doctrina sancti Ignatii in synodorum canones transiit? Arausicana synodus ex ipsis sancti doctoris sententiis conflata est. Quando illa in pontificum Romanorum litteris ad verbum exscripta est ? Duo integra capita ex Enchiridio sancti Augustini Leo Magnus inseruit suæ ad Aquileiensem antistitem epistolæ, et quidem contra Pelagianos datæ. Quando ad illam pro veritate percipienda ab apostolica sede orthodoxi remissi sunt ? Ad Augustini libros sanctus Hormisdas Orientis principes viros, episcopos ac monachos, uno verbo catholicum orbem retulit. Quando ad illius normam pontifices catholicorum doctrinam exegere? Clemens VIII juxta Augustini mentem lites de auxiliis divinis componendas jussit. Quandonam sancti Ignatii libellus tantis Romanorum præsulum commendationibus exceptus, tantis sanctorum Patrum elogiis decoratus, tantis omnium pene sæculorum plausibus honoratus fuit ? Quæ quidem laudes si in librum cogerentur, jam decuplo major ille evaderet quam liber Exercitiorum sancti Ignatii. Audio sane quid de libro illo sancti Ignatii Romana Ecclesia judicet in lectionibus Breviarii Romani : « Homo, inquit, litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum sedis apostolicæ judicio et omnium utilitate comprobatum. » Mirabile sane, libellum illum a litterarum plane rudi esse conscriptum ; at profecto mirabilius recentiorum factum, qui eumdem ex apostolicæ sedis testimonio *litterarum plane rudem* in sapientiæ, auctoritatis ac laudum campo Augustino non dicam velut æqualem opponere, sed quod ad illam expressiorem ac efficaciorem commendationem ac consentiendi necessitatem pertinet, veluti superiorem prædicare conantur, illi, inquam, Augustino, qui tantæ scientiæ fuisse ab apostolica sede judicatus est, » ut nihil pene (verba sunt Martini V in Orat. de sancta Monica) ex sacris litteris possit, nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum est, ut nec philosophis sapientiam invideamus, non oratorum eloquentiam desideramus, non studiosorum ingenia requiramus, non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis. non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ non Empedoclis solertia, non cujusquam illius generis hominum scientia aut virtus exemplo aut documento nobis esse debeat. Idem nobis prophetarum oracula, idem apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scripturarum sensum exprimit, unus postremo omnium Patrum sapientumque ingenia ac studia exhibet. » Itane, si superis placet, huic apostolicæ approbationi eximiæ, præclarissimæ excellentissimæ Ignatiani libelli approbationem, Augustino Ignatium, tot summis pontificibus Paulum III opponetis ? Respondet Annatus : « Quæ a me minime referuntur, ut vel Ignatium Augustino, vel Paulum III superioribus opponam pontificibus, absit ! » Sed dictis facta non cohærent. Qualis enim quantusve esset Augustinus, si Ecclesia illum non approbasset? jam cum Cassiano ac Fausto numeraretur. Igitur tantumdem nobis probandus venit quantum idem ab Ecclesia approbatus fuit. Quare, si Ignatii libellus ab Ecclesia approbatus est, itemque approbati fuere libri Augustini, sed isti approbatione *minus*, ut ait, *expressa explicitave*, unde illi Ignatiano, te judice, *efficacior in omnibus consentiendi necessitas est*, quam istis Augustinianis, jam vides Ignatium Augustino vel præponi abs te, vel ex æquo saltem opponi. At cito commentaris, tuique facti hanc rationem reddis, ea te de Ignatiani libri approbatione recitasse : « Quod constet in hoc libello aliqua esse quæ capitalibus Baianorum principiis opponuntur, scire velim quid sint responsuri tam disertæ tamque explicitæ approbationi, qui minus expressam explicitamve suis obtendunt erroribus. » Nos quidem pro Baianis nullam volumus, imo nec possumus responsionem adornare, sed quod eodem ictu et Baianos et Augustinum ferias, tibi vitio vertimus, qui per Baianorum latera Augustinum impetis. Sint in libello Ignatii sententiæ quibus capitalia illorum dogmata strangulentur, ipsi viderint; at quod eadem periodo Augustini per apostolicam sedem approbationem *minus expressum explicitamque* contendis, nobis placere non potest. Parce Patri, et Baianos in exsilium non Baias, sed in Gyarum deportato.

nnati exemplo insistere et par pari reddere
is, uti ille ad imminuendam sancti Augustini
is Pelagianos scribentis auctoritatem, tum
s plurium testimoniis, tum violentis pravisque
orum præsulum elogia eidem sancto doctori
interpretationibus corrumpens, contra Augus-
insurgit, possemus et nos eadem prorsus au-
huc revocare quæ abbas Constantinus, quæ
tius Baronius, vir satis notus, part. II Theol.
lisp. 3, sect. 1, art. 2, § 2, quæ alii de eisdem
iis sancti Ignatii scripsere, ac subinde frigidam
nnati excusationem Augustino quorumdam
is insultantis repetere : « Refero tantum, non
si quidquam justæ offensionis causam det, »
I, cap. 6, pag. 864. Sed absit ut hominis er-
redarguens, eumdem imiter, ejusque criminis
m cujus hunc recentiorem apud judices reum
» I Erubescant profecto adversarii, erubescant
os in hanc arenam vel invitos propellunt, in
iosis prorsus comparationibus de divorum auc-
» litigetur. Scitote Augustinianos sancti Ignatii
n vel Augustinianæ doctrinæ conformem reci-
volvere, deosculari, et ne quis de hoc ipsorum
io dubitet, editis commentariis hoc ipsum co-
tholico orbe profitentur. P. Franciscus Mace-
norita Lusitanus, seraphicæ gentis splendor,
ibi gloriam felicissime comparavit. Hic Au-
anæ doctrinæ adeo studiosus, est, ut in Isago-
tio suæ cortinæ, hac veluti tessera in littera-
alæstram descenderet : « Ego Augustinianus
Augustinianissimus sum. » Hic, inquam, in
simo illo volumine quo Ecclesiæ orantis et Au-
. scribentis concentum descripsit, harmoniam
» Exercitiorum sancti Ignatii, societatis Jesu
oris, et operum sancti Augustini Ecclesiæ doc-
nam plane hunc operi titulum dedit) exhibuit,
llud exordium est : « Soleo, idque expertus ac
is dicere, haud facile inter sanctos reperiri alium
tino cum doctrinæ, quæ a Deo est, et mystica
itur, tum institutæ a se et aliis indictæ vitæ
», quam Ignatium similiorem. » Quæ quidem
tissimus fusissime per viginti octo capita, col-
t utroque sententiis, ita comprobat, ut profec-
ime timendum sit ne Augustino quidquam de-
ti ex Ignatiani libelli expressiori ac magis
ta, ut inquis, approbatione inferatur, neve
Romanorum præsulum ac Patrum elogiis Au-
ani volumina nobilitantibus Ignatii libellus suf-
', sed cum eadem dogmata et parvum Ignatii,
lixa Augustini volumina de divinæ gratiæ au-
radant, eadem prorsus approbatione munita di-
, Augustino et doctrinam et ejusdem etiam com-
tionem in Ignatianum codicem transfundente,
atio nova a Paulo III approbatione obtenta,
pontificum de Augustini libris decreta recen-
terum ejusdem apostolicæ sedis testimonio
nante. Vos quidem magnæ animæ beatæ illius
is cives, uti in libris, ita et in cœlesti patria
des æternum eritis, et angelicis cantibus ves-
trarum doctrinarum harmonia recitabitur, ac dulcior inde concentus inaudietur. Filiis quoque vestris eumdem doctrinæ consensum immittite, eosque invicem officiosos vel servate vel facite. Turpe sit in tanta Patrum concordia filios odiosis sane comparationibus de eorumdem auctoritate contendere.

CAPUT VIII.

Recentiores ex epistola sancti Cœlestini papæ D. Augustini auctoritatem limitant. Refelluntur.

Sanctus Cœlestinus papa ex litterarum commercio Augustini amicus, ac deinde demortui adversus Semi-Pelagianos defensor, in Augustiniana doctrina commendanda omnium nobilissimo elogio usus est, unde recentiores ad illud decurtandum limitandumque vires omnes intendunt, et quod est eorum acumen, ex eadem Cœlestini epistola, unde ab aliis vel supra sidera Augustiniana auctoritas evehi solet, eamdem deprimere conantur. Ultima epistolæ verba recitant, nempe ubi Cœlestinus ait : « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. » Quibus significare Cœlestinum contendunt, præter paucas sancti Augustini sententias ab Ecclesiæ præsulibus ac synodis receptas, quas in superioribus capitulis recitat, abs se iterata approbatione confirmatas, nolle reliquas de divina gratia opiniones, quas ille in suis contra Pelagianos editis disputationibus tenuit, tanquam de fide astruere, ob asserentis tamen Augustini auctoritatem eas se non contemnere, sed easdem libero lectorum assensui vel dissensui citra reprehensionis periculum permittere. Et quidem Annatus, lib. VIII, cap. 1, cum numerosam testium catervam contra Augustinum producturus esset, eidem Cœlestinum papam ductorem dedit inclamans : « Agmen ducet, ut par est, summus pontifex Cœlestinus Primus, » cum tamen hucusque inter præcipuos sancti doctoris encomiastas ille idem primas tenuerit. Quinimo recentiores isti theologi gloriantur se ejusdem epistolæ limitationem, qua angustior fiat Augustini auctoritas, e tenebris in scholæ oculos revocasse. Audiatur Moraines in præfatione ad orthodoxos : « Quam multi sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant : Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit? » Tripudiat in illis Cœlestini verbis Annatus lib. VIII, cap. 1, pag. 858 : « Nos vero, inquit, auctore Cœlestino distinguimus inter necessarias et indifferentes Augustini sententias, omnemque huic lumini contrariam lucem tenebras reputamus. » Itaque hoc loco pro Augustiniana doctrina cum recentioribus cominus veluti collato pede pugnandum est, in quo quidem campo minus feliciter recentiorum impetus alii sustinuere, unde illi animosiores facti sibi ea in lite de Augustino victoriam et triumphum cecinere.

In primis eximia recentiorum eruditio commendanda occurrit, qui e re prorsus incerta certum invictumque contra Augustinum argumentum exerere arbitrantur. Etenim viris eruditissimis et sapientissimis haud probatur verba superius memorata ascribi Cœlestino, sed cuipam alteri Augustinianæ doctrinæ studioso deputanda esse contendunt. Cœlestini epistola illis verbis in fine cap. 2 concluditur: *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.* Postea decem capita adnectuntur in quibus Pelagianorum ac Semi-Pelagianorum errores ex Innocentii, Zosimi ac synodi Carthaginensis decretis refutantur. Porro ista decem capita non esse Cœlestini tradit ecclesiasticæ historiæ parens Cæsar Baronius ad annum 431, pag. 603, ubi ait de epistola illa Cœlestini: « Junguntur epistolæ capita quædam adversus Pelagianos errores ab apostolica sede olim et ab Africanis decreta conciliis, quibus deberent insistere qui sub catholico nomine licet Pelagium atque Cœlestium anathemate condemnarent, eorum tamen defendere conarentur errores. Putantur illa capita esse Prosperi, qui, ut profiteri videtur, ea collegit ex decretis Romanorum pontificum, simulque conciliis Africanis, ubi idem Auctor hæc habet, in fine: *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius*, etc., ut supra. » Ante Baronium Laurentius Surius, in sacra historia satis percelebris, aliique post ipsum collectores conciliorum hoc ipsum prænotarant; nam in editione Coloniensi Conciliorum, anno 1551, a latere hæc leguntur: « Sequentia undecim capitula videntur potius ab alio quopiam interposita quam esse ipsius Cœlestini papæ. » In editione sub Sixto V, hoc scholion post secundum capitulum inseritur: « Non videtur dubitandum quin sequentia sint Prosperi, tam sunt similia et argumento et stylo ejus scriptis. » Gerardus Vossius, vir quem librorum helluonem dixeris, lib. 1 Hist. Pelag., cap. 30, eamdem sententiam probat duplici argumento: uno, quod Cœlestinus in illa epistola non meminit horum capitum quæ annexa eidem sunt; aliud his verbis proponit: « Alterum argumentum cur Cœlestini esse non possit, hoc est quod Innocentii et Zosimi epistolas citet sæpius, nec usquam vel hunc decessorem vel illum prædecessorem suum appellet, contra quam Romanis episcopis mos est, et Cœlestinus ipse in epistola facit his verbis: *Augustinus inter magistros optimos etiam ante a meis decessoribus habebatur.* Sane hæc argumenta tanti apud me sunt, ut Cœlestino ἁπλῶς tribuere non ausim; at cujus sit ultra disquirendum. » Sed neque ex theologis ex recentiorum schola defuere qui negarent illa capita esse Cœlestini; unus pro mille sufficiat Franciscus Suarius, proleg. 6 de Gratia, cap. 1, num. 11, ubi hæc scribit: « Ex modo loquendi intelligimus scriptorem illius partis non fuisse Cœlestimum, nec aliquem Romanum pontificem, ut patet ex illis verbis. » Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima B. apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit. Necessarium fuit diligenter inquirere quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quæ eorum temporibus exorta fuerat judicarint: « Hæc enim non videntur verba Romani antistitis: non enim de Romana sede tanquam propria loquitur, nec Romanos rectores vocat prædecessores suos, prout pontifices consueverunt, tamen habens ad definiendum auctoritatem loquitur. Quapropter aliqui censent illa capita fuisse a Prospero collecta et illi epistolæ adjuncta, a qua sententia non longe abest Baronius anno 431, num. 185, et est certe verisimilis, indicaturque in illis verbis: *Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur;* hæc enim verba in gratiam Augustini dicta sunt, magisque redolent Prosperum quam Cœlestinum. » Hæc ille.

Vidit ista in Surio Gabriel Vasquez, part. 1, disp. 91, num. 85, dixitque ab eo auctore sine fundamento negari capita illa esse Cœlestini, cum uti Cœlestini sanctiones protulerit Petrus Diaconus. Addere poterat et Cresconium in Collectione canonum; verum iste vixit anno 698, Petrus vero Diaconus integro post Cœlestinum sæculo floruit, ut ex Historia nostra Pelagiana intelligitur; quare potuit ea capita edita a Prospero per errorem tribuere Cœlestino. Hinc Photius, veterum monumentorum diligens indagator et censor, cod. 53, de eodem Cœlestino hæc habet: « Scripsit idem et ad Galliarum episcopos de fide B. Augustini, et contra eos qui hæresis licentia nimis elati insolescerent. » Quæ quidem in duobus prioribus capitibus continentur, neque ullam ea in epistola statutorum dogmatum mentionem fecit. Jacobus etiam Sirmondus, tomo I Concil. Galliæ, capita illa epistolæ memoratæ annexa ab eadem prorsus separavit lineis interpositis, quo alieno auctori illa prorsus deputanda esse monstraret Sed age, probemus ea capita non fuisse a Cœlestino scripta, quod sane præstabo argumento quo ipse convictus sum. Prius tamen nonnulla notanda veniunt quibus tantorum scriptorum sententia illustratur; nempe Prosperum et Hilarium pro Augustinianis libris quos Massillienses carpebant, ac se ipsis quoque qui uti hæretici passim traducebantur, Romam ad Cœlestinum profectos fuisse, quæ patet ex Prospero cap. 40 contra Collatorem, et cap. 1 epistolæ Cœlestini ad episcopos Galliæ. Cœlestinus vero litteras ad Gallos antistites destinavit, quibus sanctum Augustinum eximie commendavit, vetans ejusdem memoriam novis Massiliensium conatibus percelli, ac Prosperum et Hilarium hæresis accusari, nihil interim scripti adversus eosdem publicans, quo illorum errores

ıntur, hinc epistola inscribitur *pro Prospero* A num. 83 : « Quibus, inquit, locis cum Cœlestinus omnia
o. Sed hoc nobis est demonstrandum.
ıs Prosper, contra Collatorem probaturus
voluntatum initia Dei inspiratione generari,
cap. 10 testimonia Innocentii, Zosimi et Con-
rthaginensis eadem omnino quæ Cœlestini
adjuncta leguntur, et concludit : « Videsne
tuas invictarum constitutionum soliditate
ıs, et in fidei structura pravas ruinosasque
s, velut Hierichontinos muros ad sacerdota-
arum ruisse concentum ? Cum enim de sanc-
›rigine voluntatum, et fidei charitatisque
s inter nostros et Pelagianos quæstio versa-
›n ancipiti victoria nec dubio diremptum est
ımen, ut adhuc nobis de iniquissima hujus
tui pace tractandum sit. » At si illa decem B
Cœlestini fuissent, cur non illa protulisset
veluti clariora, efficaciora et ex toto litem
ia ? Longe enim expressius Cœlestinus eam
opinionem damnat, quam Innocentius vel
Profecto Massilienses testimonia horum
m et sacræ paginæ explicabant, ita ut non
fidei, sed de ejusdem incremento intelli-
sent ex D. Augustino cap. 2 de Prædestina-
nctorum. « Sed nunc eis respondendum esse
ıi divina testimonia, quæ de hac re adhibui-
l hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis
nos habere fidem, sed incrementum ejus ex
ıuæ Massiliensium sententia clare damnatur
llius epistolæ, ubi hæc leguntur : « His ergo C
icis regulis, et ex divina sumptis auctoritate
tis, ita adjuvante Domino confortati sumus,
um bonorum affectuum, atque operum et
studiorum omniumque virtutum, quibus ab
si attenditur, Deum profiteamur auctorem,
lubitemus ab ipsius gratia omnia hominis
ræveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle
us et facere. » Præterea hæc scribuntur cap.
ræter beatissimæ et apostolicæ sedis invio-
ınctiones, quibus non piissimi Patres pesti-
itatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis
et incrementa probabilium studiorum, et in
› in finem perseverantiam ad Christi gratiam
locuerunt, » etc. Idem habet cap. 9 : « Ut
›gitatio, pium consilium, omnisque motus D
luntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid
ıumus, sine quo nihil possumus. » Itane hæc
i oracula, Prospero rogante data, ac litteris
m ad episcopos missis inserta, adeo memo-
em excidisse credenda sunt, ut illa, cum vel
ad Massiliensium petulantiam comprimen-
essaria essent omitteret? Sibi cusa tela at-
›rata arma tam parvi fecit, ut cum iis Semi-
i penitus conficiendi forent, eisdem veluti
ıti noluerit, qui contra Massilienses omnium
us ac solertissimus post Augustinum dux a
ribus, et merito quidem prædicatur.
tas litteras a Cœlestino emissas ad damnandos
ısium errores scribit Vasquez, part. 1, disp. 91,

bona opera, studia et merita in quovis tempore, causa et negotio ad Deum auctorem gratiæ referat, manifeste Massiliensium errorem confutat. » Et hæc adeo constanter docent recentiores, ut eorum eruditissimus ac sapientissimus Annatus Cœlestini personam induens, quod satis ridiculum est, altiori ac clariori voce in Massilienses ita tonet : « Cum eo tantum spectet Romanæ sedis consilium et providentia, ut MASSILIENSES isti, QUORUM CAUSA HÆC SANCIMUS, nihil penitus subtrahant divinæ gratiæ, ne illum quidem morbi sensum, et desiderium medicinæ, quod gratuito et supernaturali auxilio præmittunt, prædictæ regulæ seu præfixæ sententiæ ita sufficiunt, ut sicut non debet videri catholicum quod eis repugnat, ita neque quod non repugnat videri debeat erroneum, aut a sensu catholico alienum. » Hæc elegantissimus Paraphrastes. Hic tamen obiter noto hunc hominem sive contra suos Baianos sive contra Massilienses loqui incipiat, sermonem tandem contra Augustinum semper finire. De Baianis id vidimus capite superiori; hic vero cum Cœlestini personam agens illa dixisset, statim addit : « Unde sequitur, si quid vel ab Augustino, vel ab alio quodam ecclesiastico tractatore assertum aut negatum sit, quod non repugnet regulis illis atque sententiis, esse hoc inter ἀδιάφορα numerandum, et quæ libero catholicorum consensui atque dissensui permissa sunt. » Ego quidem certissimum puto in adjunctis illis capitibus Massiliensium errores capitales, quorum reliqui veluti appendices erant, aperte damnari, neque hoc in dubium vocari posse arbitror, quod recte a Vasquio, Annato aliisque communiter est observatum. Duo erant capitalia Semi-Pelagianorum dogmata, fidem incipere a nobis, itemque a nobis esse usque in finem in bono perseverantiam, ut docet sanctus Augustinus capite ultimo de Dono perseverantiæ : « Satis, inquit, docuisse me existimo, vel potius plus quam satis, dona Dei esse, et incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere. » Hoc vero utrumque statuitur in litteris illis quæ Cœlestino ascribuntur ; nam cap. 11 decernitur, ut dicebam : « Bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referri. » Ibique fuse probatur fidem non esse a nobis, sed donari a Deo, et cap. 12 injungitur ut « omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem. » Hæc ibi.

Ex his nostrum argumentum instauramus. Cum Prosper contra Semi-Pelagianos Cœlestini elogium recitasset caput 42 contra Collatorem, illorum invidiosum interpretamentum apponit, quo dictitabant laudatos a Cœlestino priores sancti Augustini libros, non posteriores, nempe de Correptione et gratia, duosque ad Prosperum et Hilarium datos de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ. Hoc commentum statim refellit, tum quia idem semper

in omnibus libris Augustinus scripsit, idemque fuit semper in illo spiritus et doctrina, tum quia « Apostolica sedes, ait, quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non dividit. » At quorsum isthæc e longinquo librorum sancti Augustini de Prædestinatione sanctorum, de Dono perseverantiæ petita ab apostolica sede approbatio? Cur Cœlestini litteras ab se impetratas, in quibus doctrina librorum sancti doctoris de Initio fidei et de perseverantia apertis definitionibus statuitur, non protulit, et eas inquam, litteras, quas in eorumdem Augustini calumniatorum faciem eodem ipso loco illiserat? Annatus quidem de posterioribus libris sancti Augustini scribit lib. VIII, cap. 9 : « Manifestum igitur est Augustini menti his in libris satisfactum ab eo qui fateatur et gratiam esse necessariam ad initium fidei, nec ejus meritum sequi, sed præire, et donum Dei esse perseverantiam. » Quodnam igitur efficacius argumentum adduci poterat ad demonstrandum posteriores eos libros esse ab apostolica sede probatos, quam litteræ illæ Cœlestini, in quibus doctrina librorum postremorum sancti Patris adeo diserte, adeo perspicue, adeo solide asserebatur? Semi-Pelagianos, cum Augustini auctoritatem elevarent, Prosper ex Cœlestini litteris, in quibus eximie ille laudabatur, confutavit. Quare cum iidem sancti Augustini doctrinam lacesserent, ex iisdem omnino litteris Cœlestini compressi ac convicti non sunt? Scripsit sane Prosper post Cœlestinum adversus Cassianum, et litteras Cœlestini ea in disputatione in digitis habebat. Hoc quidem argumento capita illa infarta probantur litteris Cœlestini.

Rursus dicam aliquid, quod cæteris argumentis semper prætuli. Si capita illa Cœlestini essent, et a sede apostolica emanassent, non video qua ratione Faustus Rejorum, Vincentius Lerinensis, Hilarius Arelatensis episcopus (si in sententia perstitere) ac alii Galliarum episcopi ab hæresi excusari possint atque inter divos erectis aris connumerari. Faustus fidem esse nobis ex naturæ viribus docet lib. II, cap. 6, 7 et 8; unde lib. I, cap. 7, ait : « Tempus gratiæ quo redempti sumus, merita hominum non exspectavit, opera penitus non quæsivit, sola Deus fidei nostræ devotione contentus fuit. » Addens : « Fidem exspectat a parvulis, opera etiam cum fide a confirmatis requirit, ita tamen ut credulitatis affectum proficientibus augeat. » Legatus Vossius lib. IV Hist. Pelag., part. I, thesi 2 ; idem lib. II, cap. 10, et ante ipsum Vincentius Lerinensis in Commonitorio, cap. 37, scribunt nos posse nostris viribus petere, pulsare, quærere, ut Dei gratiam obtineamus, quæ erat Semi-Pelagianorum opinio ex litteris Prosperi ad Augustinum. Item aliquot etiam episcopi Galliarum, mortuo Fausto, fidem nobis ex nobis nasci dicebant, ut ex litteris Bonifacii II ad Cæsarium intelligitur : quæ quidem sententiæ aperte damnantur in illis capitibus in quibus fidem et hujus initium, sancta cogitatio, pium consilium, omnis bonus affectus omnisque bonus motus voluntatis asseritur esse a Deo, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Sane, si quis modo Massiliensium sententias assereret, non exstantibus Arausicanis aliisve apostolicæ sedis decretis, nonne ille ex litteris Cœlestini reus hæresis convinceretur? Damnasse quippe inquiunt Cœlestinum Massiliensium dogmata ; quam igitur excusationem concinnabimus pro Hilario, pro Fausto, pro Vincentio, pro reliquis Galliæ præsulibus, qui ante Arausicanam synodum Massiliensium opiniones mordicus sustinebant? An isti forte Cœlestini litteras prorsus ignorasse dicentur? At litteræ datæ erant ad episcopos non Macedoniæ, aut Bithyniæ, sed ad episcopos Galliæ, eo tempore quo Faustus in Lerinensi cœnobio florebat, cui post annum abbas præfectus fuit. Quid quod Idem Vincentius Lerinensis easdem producit in Commonitorio adversus profanas vocum novitates, easque plurimum commendat? Qua vero fronte Vincentius eas sibi favere litteras jactasset, quibus ipsiusmet opiniones condemnabantur? Hæc ille scribit : « Sed et sanctus papa Cœlestinus pari modo eademque sententia ; ait enim in epistola quam Gallorum sacerdotibus misit, » etc. Tota igitur Gallia sonantes Cœlestini voces, ac Vincentii et Prosperi ore etiam redditas quis eruditorum antistitum non inaudivisse credendus est? Itaque capita illa a Cœlestino emissa non fuere, ne hæreticos pronuntiemus eos quos et sanctitas et eruditio celebres reddidere.

Verum dubium hic expediendum alterum est, cuinam capita illa Cœlestini litteris annexa tribuenda sint? In libro ecclesiasticorum Dogmatum, qui inter opera sancti Augustini tomo III recensetur, a cap. 22 undecim capita leguntur ad verbum ex litteris Cœlestini exscripta. Sed illius voluminis non est auctor sanctus Augustinus, cum etiam ibidem inserantur capita concilii Arausicani, quod anno 529 celebratum est ; quare nec illa scribere potuit Gennadius ob rationes adductas libro II Hist. Pelagianæ, cap. 16, qui cum Cassiani dogmata uti catholica perperam a Prospero impugnata fuisse dicat, non eas sententias docere potuit, quæ Cassiani opinionibus prorsus repugnarent. Sutor etiam ille, quicunque fuerit, ineptus est, nam cap. 25 ait : « Idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data prædicat dicens, » etc.; cum tamen prius non citasset Innocentium, ex quo illa verba referuntur in annexis capitibus, illis nempe cap. 7. Præterea duo postrema capita, scilicet 11 et 22, ad verbum habentur in homilia sancti Joannis Chrysostomi de Adam et Eva tom. II edit. Basileæ, ubi etiam illa verba in fine ponuntur, quarum occasione ista perquirimus, nempe : *Profundiores vero, difficilioresque partes*, etc. , in qua etiam homilia, § *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis*, etc., ad verbum inseruntur quadraginta versus ex libro V sancti Augustini contra Jul .,cap. 3. Unde auctor illius homiliæ non est Chrysostomus, sed Latinus quispiam debilis ingenii scriptor, qui nec suo ore loqui potuit, sed aliorum tantum sententias in centones coe-

aronius ac Suarius verisimile putant, quod qui- A
cribunt, ea capita fuisse a Prospero concin-
Vossius non audet spondere a solo Prospero
ata esse, Hilarium aliosque Augustini defen-
socios Prospero tribuit, nam plurali numero
ntur. Quid hac in re divinari possumus?
ms igitur conflata esse a Prospero illa capita,
que unam aut alteram conjecturam. Prima sit,
ap. 8 leguntur verba litterarum Zosimi et Pa-
Africanorum, quæ eadem omnino eodemque
recitat Prosper contra Collatorem, cap. 10,
co eadem Innocentii testimonia ponit, quæ in
bus vulgo Cœlestinianis leguntur. Litteræ illæ
i periere, earumque initium apud Prosperum,
apitulis illis tantum habetur. Altera vero est,
rum, cap. 9 contra Collatorem, eumdem ar- B
, quod dixerat, Augustinum quædam contra
anos *justo amplius asseruisse;* ibique vellicat
tatem adversarii. At in cap. 3 Cœlestiniano re-
nduntur Massilienses, quod ausi sint obloqui
tino, tanquam necessarium modum excesserit.
i vere a Cœlestino dicta fuissent, repetenda
fuerant Prospero ea de re pro Augustino con-
ollatorem litigante; quid enim validius adduci
t ad os calumniatori obstruendum tam celebri
olicæ sedis testimonio? Unde minus etiam pro-
recentiorum sententia ea capitula absque ulla
tione Cœlestino tribuens. Cum Prosper a Cœ-
o pontifice in commendationem Augustini ac
fidei approbationem diploma impetrasset, in C
m rediens iisdem Semi-Pelagianis insultabat;
eas laudes prioribus libris sancti Doctoris da-
isse commentabantur; quo vero omnem abs
s erroris suspicionem propulsarent, profitebana
a se tantum dogmata defendere velle quæ in
tationibus de gratia contra Pelagianos ab apos-
sede sancita fuissent. Inde onus Augustinianis
uit demonstrandi ex Innocentio, Zosimo et Afri-
Concilio a Romana sede approbato Massilien-
opiniones esse proscriptas. Quare decem illa
i contexentes, quo validiori auctoritate dona-
r, eisdem Cœlestini epistolam ad episcopos Gal-
:efixere. At cum in quorumdam manus ea scripta
issent, in illam sententiam abiere, ut putarent
rsum libellum fuisse a Cœlestino pontifice pu- D
um in qua opinione video esse ex antiquioribus
m Diaconum, dein Cresconium, quos citavi, et
quadringentos annos Ecclesiam etiam Lugdu-
m in libro de Tribus Epistolis, atque aliis pas-
editis in causa Gotteschalci. Notandum tamen
'etrum Diaconum ac socios Scythas errasse,
in libro de Incarnatione et gratia, cap. 8, lau-
verba quæ habentur initio cap. 8 Cœlestiniani
am Innocentii ad synodum Milevitanam; unde
eos non legisse Innocentii litteras, sed in hæc
tino attributa capitula incidisse, haud distinguen-
tima verba cap. 7, quæ sancti Innocentii sunt
levitanos a primis octavi capitis, quæ alterius
ris sunt.

Ex his patet imprudenter recentiores ex litteris Cœlestini Augustinianæ auctoritati adeo secure insultare, conantes Augustinum fere in ordinem redigere. Neque enim certum est postremam illam appendicem: *Profundiores vero, difficilioresque partes*, etc., ab apostolica sede emanasse, quod præclarissimi scriptores negant. Quem vero ex theologis cum Suario parem ex suis faciant, quemve ex historicis vel Baronio vel Sirmondo suo opponent? Solidissima etiam argumenta eamdem sententiam confirmant, quibus plures in posterum manus herbamque daturos spero, nisi nostrorum adulatio nobis illudat. Quæ vero dicturi insuper sumus in gratiam recentiorum asserta sint, ut omnem illis ad Augustinianæ auctoritatis truncandæ aditum præcludamus. Hucusque in remotiori quam putarant campo pugnatum est, nunc ad eorum castra accedimus, eadem etiam in arena in quam nos provocaverant dimicaturi. Dabo igitur gratis decem illa capita esse a Cœlestino concinnata, ab eodem etiam appendicem illam adjunctam concedam; inde tamen nihil Augustinianæ doctrinæ, nihil ejusdem dignitati, nihil auctoritati detractum fuisse docebo. Antequam tamen hoc ipsum exsequar, mens animusque recentiorum indagandus est, suisque veluti coloribus delineandus.

Veteres Semi-Pelagiani Massilienses, quo conceptum semel contra sancti Augustini doctrinam odium specioso quodam prætextu velarent, Pelagium ac Cœlestium damnabant, profitentes amplecti se quæcunque contra eosdem ab apostolica sede sancita fuissent; cæterum in aliis, de quibus nulla emanarant a pontificibus decreta, non stare se cum Augustino dicebant, quod ille in doctrina contra Pelagianos tradita necessarium modum excesserat. Do verba Cœlestini, cap. 3: « Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt: et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima beati apostoli sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit. » At nos proponimus recentioribus sancti Augustini de gratuita ad gloriam prædestinatione sententiam, in hanc transeant ob asserentis auctoritatem rogamus. Respondet Moraines, disp. 9 Anti-Jans,, num. 50, si eam sententiam docuit Augustinus, *non* statutæ contra Pelagianos *doctrinæ affinitatem, aut connexionem, quæ nulla est, sed æstum disputationis ad hoc illum impulisse*. Addunt se tantum teneri ad defendendas sententias a Romana sede approbatas: « Quamvis enim, inquiunt, præferenda sit ea sententia quæ talem modum prædestinationis ex meritis omnino negat, tamen ut damnata etiam censeatur illa quæ affirmat, videndum erit quam sit necessario connexa cum articulis a Cœlestino definitis: si enim non sit, quamvis Augustinus in contrarium propen-

deat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni. » Verba sunt Annati lib. VIII, cap. 1, pag. 856. Igitur nullo gradu distat hoc recentiorum de Augustino judicium a veteri Semi-Pelagianorum opinione ; utrique enim admittunt necessitatem credendi ea quæ contra hæreticos de divina gratia ab apostolica sede statuta sunt, at non illa quæ per excessum contra eosdem sanctus Augustinus asseruit. Dicam tamen quod inter utrosque discriminis intersit. Cum sanctus Prosper Cœlestini approbationem Augustinianæ doctrinæ Massiliensibus objiceret, illi eas laudes anterioribus libris Augustini delatas dicebant, non posterioribus, in quibus et prædestinatio sine meritis, et fides Dei donum astruitur. At recentiores libros etiam posteriores recipiunt, aiuntque approbatos, qua parte fidem ex Dei munere esse dicunt, non qua etiam prædestinationem ante prævisa merita ponunt. Itaque Massilienses ex toto postremos Augustini libros laudatos a Romanis pontificibus negabant, recentiores ex parte tantum approbatos concedunt.

Certum est Jacobum Arminium apud Batavos Semi-Pelagianismum ab Orco revocasse, vel si alicubi adhuc superstes erat, communivisse : unde Pater Macedo scribit in prologo Scrinii : « Sintne hodie hostes gratiæ ? scire qui velit, inspiciat is an sint hodie Augustini hostes ? Cumque hos invenerit, et illos invenisse se putet. At in Belgio sunt hostes Augustini, sunt et in Anglia, licet multo pauciores, id est Arminiani et Remonstrantes. » Itaque hic Batavorum Semi-Pelagianorum novus princeps illa Cœlestini clausula contra Augustini auctoritatem armari se satisque instrui putabat : dat ejus verba amicus laudatus in Antithesi Arminiana ibidem : « Tantum vero abset, inquit Arminius, ut doctrina ipsius etiam Augustini de prædestinatione in illis conciliis recepta sit, ut Cœlestinus, episcopus Romanus, qui illo tempore vivebat, ad episcopos Galliæ scribens, et Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine suarum litterarum in hæc verba concludat : *Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius*, etc. » Quibus Cœlestini verbis Arminius erecto veluti aggere contra Augustinum stetit. Hinc ridenda sunt Morainii verba in præfatione Anti-Jansenii : « Quam multi, inquit, sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant : Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit ? » Quasi ipsi recentiores in nupera Jansenii causa illa Cœlestini verba adnotarint, cum non modo Arminius, verum etiam ante 80 annos eadem recitata fuerint ab Ecclesia Lugdunensi, cap. 12, de tenenda sacræ Scripturæ veritate. Arminius, veteris Semi-Pelagianismi recoctor, eam Cœlestini clausulam versavit, reversavitque discipulorum chorus, cum quibus recentiores concinunt, quorum unus et nobilis exclamat : « Ita est, multa habemus cum Armenianis communia (*Lib.* I *Hæres. Jans. cap.* 3, *n.* 113). »

Verum enim vero audire mihi videor recentiorum querelas, se gravari invidiosis tantum nominibus, non autem ipsorum sententiam falsitatis errorisve convinci. Agite dum, relinquamus ista, utpote odiosa, ad arcem causæ accedamus. Auctor illorum capitum intendit tradere contra Massilienses quænam sint liberi arbitrii vires ad bonum, ac quanto gratiæ necessitas. Hoc patet ex fine litterarum, ubi legimus : « Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos docuerunt. » Quare ea quæ de peccato originali ac modo quo idem propagatur, de concupiscentia ac miseriis reliquis, quæ sunt pœnæ peccati originalis, fusius contra Julianum sanctus Augustinus docuit, in illis Cœlestini litteris non definiuntur, quia de illis nulla erat Augustinum inter et Massilienses controversia, nec ullam inde Semi-Pelagiani Augustino quæstionem faciebant. Quare Cœlestinus dixit : *Non necesse habemus astruere*, quod est nolle se de illis canones edere quod ad præsentem cum Massiliensibus controversiam non conducebant, non quod libero disputantium assensui vel dissensui illa dimittere vellet, quæ est insulsa recentiorum interpretatio. Hinc patet inanem laborem subire eos qui nomine intercurrentium quæstionum quasdam intelligunt ex Augustini libris desumptas, quas ad rem non facere satis commode et lepide ostendit Annatus lib. VIII, cap. 1. At dices : Si non sunt approbata a Cœlestino ea quæ sanctus doctor de Concupiscentia latissime tradit contra Julianum, libero substant lectorum assensui vel dissensui. Ad hoc quidem suo inferius loco respondebimus ; interim sciendum est Augustinum, lib. V contra Jul., cap. 12, quinque de concupiscentia quæstiones proposuisse (in quarum tertia recentiores stant contra Augustinum, iisdem argumentis quibus Julianus usus est decertantes) atque hæc ibidem dixisse : « In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. » Repetere autem hic possumus quæ in alia causa dicebat Bellarminus cardinalis, lib. II de Gratia et lib. arb., cap. 11 : « Nam si Augustini de prædestinatione (dicas concupiscentia) sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide catholica venditare ausus esset. « Nunquam sanctus doctor propriore cerebro natas opiniones pro catholicis sententiis publicasset. De qua re repete dicta cap. 3, § 2.

Scribit auctor in fine cap. 3 : « Constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere. » Hic

magnæ difficultates emergunt: undenam scire poterimus hanc dogmatum connexionem? Recentiores se hujus mysterii magistros profitentur, irridentque Augustinum ea de connexione scribentem. Legimus cap. 12 homines non prius baptismum suscipere « quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, etc. » Inferimus : Ergo dæmon sensibili pœna nocere poterit pueris infectis originali peccato, utpote suis mancipiis, quorum ipse est princeps. Clamat Annatus, pag. 858: « Negamus crudelem consequentiam. » At connexionem illam asseveravit satis constanter sanctus Augustinus, lib. IV Operis imperf., cap. 200: « Si autem non eruitur, inquit, de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? » Respondet Moraines disp. 40 Anti-Jansenii, num. 60, id dixisse Augustinum *æstu disputationis abreptum*. En Semi-Pelagianorum voces, Augustinum *necessarium modum excessisse*, a Cœlestino damnatas, cujus quidem litteras, prout utile est ipsorum causæ, recipiunt, sed prout in rem Augustini faciunt, minime imitantur. Itaque erravit Augustinus furore abreptus eam connexionem astruendo, quam nullam esse recentiores contendunt. Opponimus cap. 14, « perseverantiam usque in finem ad Christi gratiam referri, » datur enim gratis, ut ex precibus fuse probat Augustinus, et definitum est in Arausicana synodo, canone 10. Inde inferimus prædestinationem ad gloriam esse pariter mere gratuitam; nam prædestinatio, quæ segregat reprobum a prædestinato, fundatur seu connectitur cum dono perseverantiæ finalis mere liberaliter meritis superaddito; ergo a mera liberalitate Dei prædestinatio dependet. Hanc connexionem vidit ac propugnavit Augustinus; eamdem sancti Patres Augustiniani, Prosper, Fulgentius, Prudentius, Rhemigius aliique asseruere; at recentiores eam connexionem negant, qui Augustini doctrinam juxta connexionem cum Cœlestini litteris recipiunt, quam tamen connexionem juxta proprias opiniones recipere vel respuere nec piget nec pudet. Uno verbo, Augustini libri ad normam litterarum Cœlestini examinandi sunt, Cœlestini vero litteræ juxta suam ipsorum imaginationem interpretandæ. Illi quidem, ut probent hæc capita, quæ epistolæ Cœlestinianæ connexa sunt, esse reapse ab apostolica sede emissa, producunt Petrum Diaconum et Ecclesiam Lugdunensem, a quibus illæ sententiæ laudato pontifici ascribuntur. At respondemus eos Patres illam epistolæ appendicem legisse, et tamen uti dogma catholicum prædestinationem absque meritorum præcognitione statuisse; sed dicent mitiori se illorum de Augustini doctrina judicio non stare; bene, nec illorum nos convincimur testimonio, ut Cœlestino illas theses deputemus.

Subit hic mentem, quoniam de prædestinatione sermo incidit, recentiorum modestia in sententia sancti Augustini de prædestinatione mere liberali examinanda: inquiunt enim honoris gratia cum Molina, esse *duram et indignam divina bonitate, ejusque occasione plurimorum salutem fuisse periclitatam*; cum Mariana, esse *novam*, et Augustinum in illa haud constantem *inducere desperationem*; cum Lessio, brevique *a contraria opinione obducendam* cum Petavio. Nonne hoc ipsum est Augustini sententiam *contemnere*? et tamen de illa dictum fuisse a Cœlestino asseritis, se illam non *audere contemnere*. Peccatum originale esse potissimam ac proximam causam reprobationis est sancti Augustini sententia, idque concedit Adamus, pag. 614 sui Calvini destructi, de qua pag. 667, cap. 10, part. III, scribit: « Credo mihi licere jam exhorrescere, quia mater est Calviniani dogmatis. » Potuitne Augustini sententia vilius excipi? Ridet Annatus lib. VIII, cap. 1, quosdam qui, explicaturi verba illa Cœlestini: *Profundiores, vero difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt*, quarumdam quæstionum indicem texunt, quas ad propositum non facere non prave idem ostendit; at petimus ubinam contra Pelagianos latius agitarit Augustinus quæstionem illam de prædestinatione; certe in epistolis ad Paulinum et Sixtum de illa non multa loquitur, ut vix dicendus sit fusius inibi eam pertractasse: verum in libris ad Prosperum et Hilarium latius de illa disseruit; at in eo opere sanctus doctor hæreticis non resistebat: erant enim Semi-Pelagiani catholici, neque id nomen factionis, non hæresis. Cœlestinus vero illas quæstiones appellat, quas illi qui hæreticis restiterunt pertractarunt. Scio quid responsuri sitis, intelligenda esse Cœlestini illa verba, qui hæreticis resisterunt *specificative* non *reduplicative*. Scholæ interpretamentum est; ne sim litigiosior, cedo herbam, nec me hoc postremum multum movet, ad alia transeamus.

Sed mitissime atque humanissime vobiscum agamus; scitote adeo in tuto esse sancti Augustini auctoritatem, ut causam de qua hucusque litigavimus ex integro vobis ultro cedere possimus, quin quidquam detrimenti Augustnianæ doctrinæ dignitas subeat. Habuerint decem illa capita Cœlestinum auctorem, nullum Augustini dogma cum illis connexionem habeat, damus omnia, ut libet, ut lubet. Hinc tamen non fit ut capitalia sancti Augustini dogmata inter adiaphora numerentur, quæ libero disputantium arbitrio permissa sunt. In illis capitibus initium fidei, pium consilium, probabile studium, sanctam cogitationem, perseverantiam finalem esse Dei dona decretum est, Augustino id gloriæ detur, suas ipsius theses adversus Massilienses defensas in fidei dogmata a Cœlestino relatas fuisse. Interrogatos velim modo recentiores, an post Cœlestini obitum ulla alia Augustini asserta ab apostolica sede contra hæreticos aliosve statuta sint? Affirmabunt profecto qui sciunt viginti quinque canones Arausicanos a Felice IV ex sancti Augustini libris desumptos fuisse. Cœlestinus ex sancti Augustini doctrina quidquid

Massilienses in dubium vocabant, definivit, ex ejusdem etiam sententiis contra novos Pelagianorum conatus a successoribus idem præstitum fuit. Sanctus Gelasius papa D. Augustini sententiam de transfusione peccati originalis in prolem ratione concupiscentiæ, de exclusione a regno cœlorum, de miseriis ex peccato originali venientibus, de infantium damnatione, de libertate ad bonum per peccatum amissa, aliave multa in epistola ad episcopos per Picenum approbavit. Leo Magnus integra duo capita Augustinianæ doctrinæ suis litteris inseruit, in quibus asserit Augustinus, non improbabiliter dici, parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, cap. 46 Enchirid. Quare, si sanctissimo eidemque doctissimo pontifici Leoni illa Augustini sententia placuit, quam hic tantum non improbabilem judicabat, quantum illas apostolicæ sedi placuisse dicemus, quas tanquam certas, tanquam sacris litteris conformes, tanquam-denique plane orthodoxas totis lacertis contra hæreticos propugnavit? Statuerit itaque Cœlestinus quid contra Massilienses ab omnibus tenendum sit, non inde intra cancellos brevissimos Augustiniana doctrina restringitur, latius expatiatur, ac secum unanimi consensu Romani præsules procedunt, Augustinum in statuendis de auxiliis divinæ gratiæ decretis summa semper religione secuti. Subsidat ergo jam tandem tantus ex his, ut putant, Cœlestini capitulis pulvis a recentioribus contra micantissimos Augustiniani solis radios excitatus, ac sancti præsulis doctrina quacunque falsarum interpretationum depulsa caligine Ecclesiam universam illustret

CAPUT IX ET ULTIMUM.

Centum ac triginta quinque recentiorum contra D. Augustinum convicia, dicteria ac censuræ ab eodem sancto doctore et sanctis Patribus repulsæ.

Mirari satis nequeo Augustinum tam magno ac felici ingenio excelluisse, ut non modo eos hostes, quibuscum vivens acerrime dimicavit, mille voluminibus conculcarit protriveritque, verum etiam asserta abs se dogmata iis argumentorum armis muniverit, ut et subsecutorum omnium hæreticorum conatus infregerit, ac quorumcumque hominum censuras eluserit: cum nullas sive hæresis sive invidia voces dare possit quibus suis in libris Augustinus plenissime non satisfecerit. Exemplo sint recentia convicia quibus nonnulli novitii scriptores venerandam magni Patris canitiem temerario ausu discerpere conati sunt: quandoquidem etiam nullus pro Augustino defensando stylum stringat, ex unius illius dictis omnium calumniantium ora penitus obstruuntur. Hoc modo demonstrare aggredior, productis hinc novorum scriptorum censuris, illinc vero datis ex Augustino responsis. Quæ sane quicunque procul amoris et odii causas habens, attente perleget, is profecto fatebitur Augustinum ita esse locutum, ac si cum recentissimis hisce hominibus, qui post duodecim sæcula erupere, reapse litigasset. Hic tamen mihi decretum est, illatas Augustino contumelias repellere, illarum vero auctores silentio præterire. Etenim cum Augustinus Pelagianos primitus impugnandos suscepisset, ita eorumdem errores insecutus est, ut Auctores minime publicaret. Cujus facti hanc ipse rationem assignat lib. II Retract. cap. 33. *In his autem*, inquit, *libris tacenda adhuc arbiratus sum omnia eorum sic eos facilius posse corrigi sperans.* Et quidem magni Patris vestigiis inhærentes nostri instituti homines Basilius Poncius Hispanus, ac Carolus Moreau Gallus ita importatas Augustino injurias confutarunt, ut adversariorum nominibus pepercerint. Familiare igitur majoribus nostris exemplum secutus, Censorum nominibus suppressis, minus honorifica eorumdem de Augustino dicta ex Augustino ipso refellam. Optime enim de humano genere merentur, qui antidota suggerunt, etiamsi venenorum artifices minime prodant. Dabimus profecto grande patientiæ, grandius modestiæ documentum, ut vel hinc mitiora jam tandem erga insignem Ecclesiæ doctorem consilia eosdem in posterum inituros non dubitemus. Verum ne Censores ita cum Augustino committam, ut sub lite etiam dimittam, Judices advocandos decrevi, a quibus gravissima hæc, si quæ unquam alias, causa cognoscatur. Vos, vos, precor, adeste vetustioris Ecclesiæ Patres, bello invicta manus, ac tot de Heterodoxis reportatis triumphis percelebres. Vos cœlestis Senatus lumina, ac Christianæ reipublicæ columina, quorum auctoritatem Catholicus Orbis sequitur, sapientiam universi adorant, dicta tanquam secretiora Numinis oracula singuli venerantur. Sedete Augustinianæ causæ Judices honorarii, hinc quorumdam Recentiorum accusationes, isthinc Augustini defensionem audituri. Vestram fidem quicunque in suspicionem vocaverit, is ab Orthodoxa fide se penitus alienum ostenderit. Tu vero, Magne Pater, quando dignam advocationem nullus tibi mortalium commodare potest, tuæ ipsius causæ suffragator accede. Et si olim apostolicæ sedis decreto in controversiis de divinæ gratiæ auxiliis sententiam dicturus judex destinatus fuisti, patere parumper, id quorumdam (ut mitissime loquar) importunitate exigente, ad Patrum tribunal sisti ex judice reum. Neque enim arbitror te id ægre esse laturum, qui olim novitii dogmatis a Juliano accusatus, Patrum judicium non modo non declinasti, quin imo ad illud vel repugnantem adversarium obtorto collo traxisti. Erit sane jucundum intelligere, imo vel oculis ipsis intueri innumeros Ecclesiæ doctores albos calculos (neque enim est incerta victoria) Augustino adjicere, ejusdem sententias commendare, auctoritatem defendere, adversariorumque temeritatem gravi judicio percellere. At cito citius adest sacer divorum senatus, et quidem frequentissimus, Augustianianam causam cogniturus. Tumultuantur rotundo agmine adversarii Augustinum accusaturi. Interim sanctus Prosper, qui inter primi subsellii judices sedet, accusatoribus loquendi facultatem faciens. « Ecce, inquit salva catholicæ pace victoriæ, salva indissolubilium reverentia decretorum parati sumus PATRO-

NOS DOCTRINÆ EMENDATIORIS audire, et circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio quod DE NOVIS EMERSIT INGENIIS (*Cont. Collat. initio*). » « Ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam injustis opprobriis CATHOLICI PRÆDICATORIS memoria carpatur, et in quod peccatum cadant qui aliena instigatione commoti SCRIPTOREM CELEBERRIMI NOMINIS promptius habeant culpare, quam nosse (*In præf. Resp. ad cap. Gallorum.*) »

I.

CENSORES. — S. P. AUGUSTINUS.

Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione a nemine, quem viderim hucusque tradita, ideo satius hæc duxi paulo fusius explicare.

Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus. *Lib.* III *contra Julian., cap.* 3.

S. BERNARDUS.

Miror admodum si novus iste novarum inventor assertionum et assertor inventionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit, Ambrosium et Augustinum. *Epist.* 77 *ad Hugonem.*

II.

CENSORES, — S. AUGUSTINUS.

Neque vero dubito quin ab Augustino et cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione, si eis proposita fuisset.

O quid perdidit, qui te audire non potuit! *Lib.* IV *contra Jul., Oper. imperf. cap.* 119.

JONAS, EPISCOPUS AURELIANENSIS.

Igitur, quia non solum B. Augustino, sed etiam aliis eximiis doctoribus te superciliose prætulisti, merito solitaria destructionis tuæ gloriatio in immensum sese extendens, in irritum deducitur. Væ namque eidem gloriationi tuæ, juxta illud Ecclesiastis imminet, quia non habens fotum ex consortio aliorum, frigore solitario torpet, et *cum ceciderit non habebit sublevantem* (*Eccl.* IV, 10). Lib. I de Cultu imag., tom. IX, part. I, Biblioth. PP. edit. Coloniensis 1618.

III.

CENSORES. — S. AUGUSTINUS.

Quare dubitandum non est, si ea de re vel Augustinus vel D. Thomas consulerentur, responsuros fuisse nihilominus prædestinationem et reprobationem non sine prævia illa scientia, habitaque consideratione usus liberi arbitrii futuri, etc.

Quis dedignetur talem habere doctorem? ... O admiranda atque sectanda doctrina! *Lib.* II *de Orig. animæ, cap.* 9.

S. CŒLESTINUS PAPA.

Legimus *supra magistrum non esse discipulum*, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam doctorum vindicare doctrinam: nam et hos ipsos a Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. *In epistola ad episcopos Galliæ contra sancti Augustini calumniatores scripta, cap.* 1.

IV.

CENSORES. — S. AUGUSTINUS.

Quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta.

Quæ tu si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessario remansisset. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 11.

S. HIERONYMUS.

Scripsit dudum vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, etc. Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus, undc supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, *In sylvam ne ligna feras;* aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. *In fine Lib.* III *Dialog. contra Pelagianos.*

V.

CENSORES. — S. AUGUSTINUS.

Neque ex Augustini opinione tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio, fuissent exstinctæ, concertationes denique inter catholicos facile fuissent compositæ.

O doctrinam cui omnis ætas aures surrigat, quæ homines annosos, quæ denique presbyteros mereatur habere discipulos! Legat, legat in concione quod scripsit; notos atque ignotos, doctos atque indoctos recitaturus invitet; seniores cum junioribus convenite, quod nesciebatis discite, quod nunquam audieratis audite. *Lib.* II *de Orig. animæ, cap.* 5.

S. PROSPER.

Ecce salva catholicæ pace victoriæ, salva indissolubilium reverentia decretorum parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, et circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio, quod de novis emersit ingeniis. *Initio libri contra Collatorem sancti Augustini reprehensorem.*

VI.

CENSORES. — S. AUGUSTINUS.

Qui novarum solutionum inventionem putant injuriosam esse Augustino, idem mihi facere videntur, quod illi qui sine Scipionum et Cæsarum injuria dici posse negarent, esse jam aliam instruendæ aciei rationem, quam fuit tempore fundarum et balistarum.

Melius exponant ista meliores, non isti quorum novi jam sententiam reprobandam, sed alii qui veraciter possunt. *Epist.* 89 *ad Hilarium contra Pelagianos.*

S. FULGENTIUS.

Proinde memoratus Dei pontifex Augustinus turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, et exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi et vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. *Lib.* II *de Veritate prædest. et grat., cap.* 18.

VII.

CENSORES.

Absit ut ego Augustino præponendum aliquem putem eorumqui successerunt, sed ne æquandum quidem. At multum interest utrum dicas collata in eum esse scientiæ dona longe plura quam cæteris, an omnia; item utrum successuris omnibus citra comparationem pauciora servata esse, an nulla, ut crimen sit quod alii radium quemdam videre se putant ex Augustini Sole non emissum. Et alibi : *Quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant indicantis aliquid lucis defuisse Augustino in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia.*

S. AUGUSTINUS.

Non improbo humilitatem tuam, imo vero etiam laudo, quod honorasti doctorem tuum, nec hominem, sed ipsam, quæ tibi per illum loqui dignata est veritatem, si tamen potueris demonstrare quid per illum veritatis acceperis. Vellem itaque rescriptis tuis, quid te docuerit, me doceres ; absit enim ut erubescam a presbytero discere. *Lib. de Orig. animæ, cap.* 1.

S. THOMAS VILLANOVANUS.

Si Sapientia lux est, quis in Ecclesia Dei ita lucet ut Augustinus? A sole omnia astra lucent, ab Augustino omnes, qui post ipsum fuerunt, doctores sapientiæ lumen accipiunt. *Serm.* 1 *de sancto Augustino.* Unde etiam de Augustino potest exponi illud Job XIV : *Qui claudit stellas quasi sub signaculo,* quia in ipso in scrinio sui pectoris, quasi tota sapientia fuit reclusa, quæ quasi aperto sigillo eructatione suæ doctrinæ ore, et manu fuit mundo pandita et reserata. Unde ipse dicitur claudere stellas, id est omnium aliorum doctorum doctrinas in suo pectore, quasi sub signaculo ad modum quo liber vel littera clauditur sigillo. *B. Jordanus de Saxonia, serm.* 13.

VIII.

CENSORES.

Quæ Augustini *doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros atque in episcopati dignitate constitutos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant.*

S. AUGUSTINUS.

Itaque, dilectissimi, ne vos conturbet hujus quæstionis obscuritas; moneo vos primum ut de iis quæ intelligitis agatis Deo gratias : quidquid est autem quo pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos et charitatem servantes a Domino, ut intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quo pervenire potuistis. *Lib. de Grat. et lib. arb., cap.* 1. *Vide cap.* 16 *de Dono perseverantiæ.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Augustinus nec tanta perturbatione et permotione fidelium ab intentione veracissimæ et fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut revocari ; sed magis eos et scriptis suis in quantum potuit admonuit et instruxit, et orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent et agnoscerent quam necessario et quam salubriter propter commendationem divinæ gratiæ ejusdem prædestinationis veritas omnino et credenda et prædicanda esset (*Lib. de Tribus Epist., cap.* 35, *tom.* IX *Bibl. PP., part.* I, *p.* 1009).

IX.

CENSORES.

Interim dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum, etc.

S. AUGUSTINUS.

Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. *Loquens de Semi-Pelagianis, lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 1.

S. PAULINUS.

O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lino pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. *Epistola* 31 *ad Augustinum, in ejusdem commendationem.*

X.

CENSORES.

Præterea hæc sententia (nempe Augustini de prædestinatione) *occasionem præbet hominibus despondendi animo, ne dicam desperandi, segnius operandi, obtendendi excusationes, atque ea de causa minus hominum animos erga Creatorem diligendum ac colendum excitare videatur. Certe non video quanam ratione patentissima libertas arbitrii nostri, quam experimur, quæque tam aperte in Scripturis sacris traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.*

S. AUGUSTINUS.

Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quam exhortationis afferri, hoc est enim dicere tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipsos, sed in Deo didicerit ponere, cum propheta clamet : *Maledictus omnis qui spem ponit in homine* (*Jerem.*, XVII, 5). Lib. de Dono perseverantiæ, cap. 17.

S. PROSPER.

Hoc propositum vocationis Dei, quod vel ante mundi initium, velle in ipsa conditione generis humani eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, etc., et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem temporis afferre..... Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem. *Ita Semi-Pelagianos sentire scribit ad Augustinum.*

XI.

CENSORES.

Unum tamen e difficillimis ab Augustino et ab aliis fuit semper judicatum, veram invenire rationem et modum, qui difficultates omnes pelleret, et humanum intellectum pacatum omnino redderet super cohærentia libertatis arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione. Ac quamvis hi hæretici, qui vel divinæ gratiæ vel libertati arbitrii præjudicium afferre moliti sunt, ex Scripturis sanctis principiisque fidei efficaciter sint expugnati, haud tamen scio

S. AUGUSTINUS.

Sed primum secundum auctoritatem Scripturarum sanctarum, utrum se ita fides habeat demonstrandum est. Deinde, si voluerit et adjuverit Deus, istis garrulis ratiocinatoribus elatioribus quam capacioribus, atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant aliquid unde dubitare non possint. *Lib.* I *de Trin., cap.* 2.

Quoniam vos aliquando contra evidentissimam auctoritatem ratio huma-

an explicata penitus et abunde reddita ratione integra conciliandi libertatem arbitrii cum illis tribus, et hæreticis aditus, quo facilius ad pacem unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus, et concertationes quæ ante mille annos inter viros catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint compositæ.

na delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ. *Serm.* 14 *de Verb. Apostoli.*

S. INNOCENTIUS papa.

Sanctæ fraternitatis vestræ litteras plenas fidei, totoque catholicæ religionis vigore firmatas a vobis missas, et conciliis vestris per fratrem et coepiscopum nostrum Julianum pergrato suscepimus animo quia earum tenor omnisque contentio in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, et in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneo dato quovis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint præbere doctorem. *In epistola ad S. Augustinum, quæ est* 96 *inter Augustinianas.*

XII.

CENSORES.

Expositiones aliæ Augustini ad locum Pauli (nempe Deus vult omnes homines salvos fieri, I *Timoth.* II *) præter Damasceni et communem Patrum expositionem, omnes vel primo aspectu peregrinæ et exortæ apparent.*

S. AUGUSTINUS.

Manifestum est eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati non intelligere omnino qua locutione sit dictum quod *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis: sed sicut illud quod dictum est, *Omnes in Christo vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22), cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo; ita quod dictum est, *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt et si quo alio modo illa verba apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente salvos non fieri, contraria esse non possint. *Epist.* 107 *ad Vitalem; item cap.* 103 *Enchirid., et cap.* 14 *de Correpl. et grat.*

XIII.

CENSORES.

Frustra noluit Augustinus concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, et locum illum Pauli nullo ex tribus modis recte exposuit.

XIV.

CENSORES.

Tres, quatuorve ex Augustino commemorati sunt a nobis modi exponendi verba illa (Deus vult omnes homines salvos fieri) *cum illius opinionem exponeremus, qui mihi quidem ad eludendum magis, quam recti, et solidi videri solent.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Sensus illorum verborum Apostoli, quibus ait: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etiam nos superius commemoravimus, et fideliter posse accipi diximus, si tamen et ille sensus B. Augustini, quem ille juxta alterius divinæ Scripturæ auctoritatem diligenter inquirit, et multis ac veracibus modis exponit, pariter recipiatur. Nec propter istum ille damnetur, sed potius utrique sensui propter veracem et piam Patrum auctoritatem fideliter obediatur. *Lib. de Trib. Epist. cap.* 26; *idem habet cap.* 24. Expositiones Augustini doctoris egregii super illud I ad Tim. II, 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, bonæ sunt. S. *Bonaventura*, 1 *Sententiarum, dist.* 46, *quæst.* 1, *art.* 1.

XV.

CENSORES.

Unde cessat objectio quam sæpius Augustinus repetit quæque in causa fuit, ut testimonium Pauli non de omnibus universim hominibus exponeret, sed ad tres illas expositiones confugeret. Sæpe enim objicit pueros in uteris maternis interdum perire ante baptismum, neque tamen per pueros, neque per parentes, neque per ministros stare, qui percuperent eis subvenire, et remedium baptismi ad salutem adhibere, nec tamen possunt.

S. AUGUSTINUS.

Quid de illis dicis qui in utero moriuntur? O angustia! *Serm.* 7 *de Verb. Apost. Idem epist.* 105 *ad Sixtum*: Et cur providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non cadit passer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit etiam parvulis impiorum?

S. FULGENTIUS.

Ubi enim duorum parvulorum nec in actibus aliqua sunt merita, nec in origine dissimilis causa, manifestum quidem nobis est quod ambo fuerint originalis peccati vinculis obligati, occultum vero cur non ambo fuerint absoluti. Sciamus igitur imperscrutabile nobis esse cur uno derelicto alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat, etc. Dicet aliquis: Cur non ambobus largitus est Dominus gratuitam misericordiam, cum unus ambos reatus obstrinxerit? Cui, salva imperscrutabili altitudine judiciorum Dei, respondemus, ideo non utrumque liberatum vel utrumque damnatum, quia Dominus, qui malum nec velle potest aliquando nec facere, ab uno justa severitate debitum præcepit exigi, alteri vero jussit gratuita bonitate dimitti. *Lib.* I *de Veritate prædest. et grat., cap.* 13. *Idem docet S. Prosper contra Ingratos, cap.* 31.

XVI.

CENSORES.

Appellare cognitiones illas rerum in verbo et in proprio genere diem, multiplicareque ea ratione dies comparatione diversorum objectorum, est uti vocabulis ad libitum, et præter omnium sensum et opinionem: nec ullam verisimilitudinem habet, Moysem cum populo rudi in ea significatione fuisse locutum, quam vix ullus potuit excogitare, excogitatamque sibi persuadere. Quare exponere in eo sensu Scripturas est sane earum auctoritatem enervare, et (si in impugnanda sanctissimi eminentissimique doctoris de Ecclesia et sacra theologia quam meritissimi sententia, fas est ita loqui)

S. AUGUSTINUS.

Quisquis ergo non eam, quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat et divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam. *Lib.* IV *de Gen. ad litt., cap.* 28. Cum his autem qui cuncta illa quæ vera

ludibrio forte eam coram infidelibus exponere. Merito ergo sententia Augustini ab aliis Patribus et doctoribus communiter reprobatur.

sunt falsa esse non dicunt honorantes, et in culmine sequendæ auctoritatis nobiscum constituentes illam per sanctum Moysem editam sanctam scripturam tuam, et tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor: Tu esto Deus noster arbiter inter confessiones meas et contradictiones eorum. *Lib.* XII *Confess., cap.* 16.

S. THOMAS.

Harum igitur expositionum prima (*scilicet Augustini*) est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturas defendens. Secunda vero (*scilicet aliorum sanctorum*) est planior, et magis verbis litteræ, quantum ad superficiem consona; quia tamen neutra earum a veritate fidei discordat, et utrumque sensum circumstantia litteræ patitur, ideo ne neutri harum expositionum præjudicetur, utramque opinionem sustinentes, utriusque rationibus respondendum est. *Quæst. disput. q.* 4, *de materiæ informis creatione art.* 2.

XVII.

CENSORES.

Temere affirmabimus auxilium sufficiens aliquibus denegari, atque ab Augustino aliisque idem sentientibus petere possumus undenam hujus voluntatis Dei certiores facti fuerint.

S. P. AUGUSTINUS.

Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum dicentem: *O homo! tu, quis es qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)? Duo parvuli nati sunt, si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis, etc. Sed *habet figulus luti potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Ibid.* 21). Disputare vis mecum? Imo mirare mecum, et exclama mecum: *O altitudo divitiarum* (*Rom.* XI, 33). Serm. 11 de Verb. Apost.

S. PROSPER.

Eo ipso tempore quo ad omnes gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca apostolis adire prohibebatur ab eo qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Multis utique in illa retardatis atque aversis Evangelii mora sine agnitione veritatis, et sine regenerationis consecratione morituris. Dicat ergo Scriptura quod gestum est: *Transeuntes autem*, inquit, *Phrygiam et Galatiæ regionem vetiti sunt a sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit illos Spiritus Jesu*, etc. in epist. ad Ruffinum. Idem docet in cap. 11 contra Ingratos:

.... Dic unde probes quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi Evangelium, ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.

(Lege epist. synodicam PP. Africanorum, c. 9.)

XVIII.

CENSORES.

Fateor sane suspecta mihi esse testimonia Prosperi et Fulgentii, quod diligentissimi et exactissimi Augustini discipuli sint.

S. AUGUSTINUS.

Nunc in familiarissimis meis similiter non sentientibus me jam vulneratis, torquetisque sentientem. *Lib. de Duabus Animabus, cap.* 14.

S. PRUDENTIUS.

Hujus rei testis est sanctus antistes Fulgentius, qui super hoc, etc. Certe si nulla nobis alia aut auctoritas aut ratio suppeditaret, solus ille nobis in hujus sermonis intelligentia sufficere poterat, cujus doctrina atque scientia tanto in catholica Ecclesia honore et amore convaluit, ut de illius scriptis nullus unquam dubitaverit, nullus derogaverit, etc. Testis est etiam sanctus Prosper, vir in omni litterarum eruditione doctissimus ac facundissimus, qui Gallorum aliorumque sequacium impudentiis, et libris fideliter editis, et Romani pontificis edicto sua instantia impetrato propugnator fortissimus ac fidelissimus obviavit. Proinde impudentior cæteris tuis similibus comprobaris, qui cum eorum venerabilia scripta legeris, quippiam secus ausus es mussitare. *Lib. de Prædest., cap.* 11.

XIX.

CENSORES.

Verum opinio Augustini hoc modo intellecta theologis scholasticis jam non probatur, et merito. ex ea enim cogimur incidere in sententiam Pelagii.

IIDEM *alibi.*

Contra Augustinum parum modeste loquitur Catherinus, et in illius sententiam suo modo intellectam procaciter fertur. *Item.* In hoc turpissime certe Catherinus lapsus est quod non intelligens mentem Augustini, ipsum impudenter impugnat et reprobat.

S. AUGUSTINUS.

Quomodo sperem te auditurum esse quod dico, qui tam in proximo non audis ipse quod dicis, dum tibi continuo contradicis? *Lib.* II *contra Cresconium, cap.* 12, *tom.* VII.

XX.

CENSORES.

Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Augustini, etc., *sed existimo aliter philosophandum de donis, quæ in Adamo perdidimus.*

S. AUGUSTINUS.

Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est. *Lib. de Corrept. et grat., cap.* 11.

S. INNOCENTIUS papa.

Liberum enim arbitrium ille (nempe homo primus) perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde exsurgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, etc. *In epist. ad Patres concilii Carthaginensis.*

XXI.

CENSORES.

Augustinus argumentis victus novam prædestinationis formam invexit post lapsum hominis non fluxam quoad eventum et inconstantem, quippe ex libero arbitrio, sed ex gratia certam potius et ratam.

S. AUGUSTINUS.

Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coegit loca Scripturarum,

prædestinatio commendata est, copiosius et
ius isto nostro labore defendi, nisi quod
i dicunt gratiam Dei secundum merita no-
i? *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

XXII.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
tinus primus, m, inter antiquos spatio novam se- venit, nova im- estigia.	Ac per hoc prædestina- tionis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ec- clesia Christi non habuit.

Lib. de Dono persev., in fine cap. 23.

S. FULGENTIUS.

ique, charissime, hæc interim pauca de li-
cti Augustini, et de responsionibus Pro-
. hoc maluimus huic libello inserere, ut
noverint quid debeant de prædestinatione
m impiorumque sentire, simulque ut appa-
idem B. Augustini dictis tenorem sententiæ
onvenire. *Lib.* I *ad Monimum, cap.* 30.

XXIII.

CENSORES	S. AUGUSTINUS
asserendum est B. Augustini, B. et sequacium de obduratione s videatur dura, conformis divi- nitati, et idoirco n placeat, tamen asperiore cen- ellendam.	Dicit enim Scriptura ad Pharaonem: *Quid ad hoc te excitavi, ut osten- dam in te potentiam meam?* etc. Ergo *cujus vult mise- retur, et quem vult obdu- rat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Mise- retur itaque gratuito do- no, obdurat autem justis- simo merito. *Epist.* 105 *ad Sixtum.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

i quoque antistes, et gloriosus confessor
us de hac judicii in utramque partem præ-
et prædestinatione egregium librum scripsit,
et cætera ejus admiranda et veneranda scri-
per ab Ecclesia fideliter receptus, et inter
s ecclesiasticos laudabiliter annumeratus
me nescimus qua ratione, imo infidelitate,
ntione simul cum B. Augustino abjicitur, et
i catholici videri volunt tales, ac tanti viri
issime injuriati, et spreti velut quisquiliæ,
menta vilissima conculcantur, et est nimis
, imo horribile, quomodo ut suis adinven-
et ineptiis credatur exigant, cum ipsi bea-
Patres et illustrissimos doctores Ecclesiæ
it. *Lib. de Trib. Epist., cap.* 8.

XXIV.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
omnes Augustini m de prædestina- rrobant, horrida detur et aspera.	Nimiæ igitur contentio- nis est prædestinationi contradicere, vel de præ- destinatione dubitare. *Lib. de Dono persev., in fine cap.* 21.

AMOLO, archiepiscopus Lugdunensis.

m audiamus B. Augustinum, quomodo et
st Apostolum præcipuus prædestinationis
e prædicator hortetur fideles ad studia pie-
instantiam orationis, ut mereantur accipere
præmium vocationis. *In fragmento epist. ad Hincmarum.*

XXV.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
De auctoritate cum agi- tur, Augustinum sic ame- mus, ut eos non audiamus qui illum supra quam par est extollere student.	Tantumque mihi tribu- tum est, ut ubicunque me præsente loqui opus esset ad populum, raris- sime tacere atque alios, audire permitterer. *In proœmio lib. Retract.*

HILARIUS ARELATENSIS.

Quidquid pro eo gratia quam in te pusilli cum magnis defendimus, volueris aut valueris, gratissime accipiemus tanquam a nobis charissima et reverendissima auctoritate decretum. *In epist. ad August.* Moleste ferunt quod de his quæ adversum excellentissimæ auctoritatis virum inter multas collationes asseruere, resistimus. *Prosper in epistola ad Rufin.*

XXVI.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Quid enim vehementius urgebant, qui Fausti libris infesti erant, quam quod Petrus Diaconus cæterique cum eo in epistola sua cri- minantur. contra prædes- tinationis illos sententiam scriptos esse? Quid hoc autem ad Augustinum? Nam contra prædestina- tionis sententiam scriptos a se Faustus non abnuebat, sed contra illam duntaxat quæ vel fatum asserat, vel liberum arbitrium neget, quorum utrumque ab Au- gustini sensu non abhorrere non inficias ierint ipsi.	Hæc est prædestinatio manifesta et certa sancto- rum, quam postea dili- gentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit, etc, *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

FAUSTUS RHEGIENSIS.

Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt (Vasquez), deputatus est, sicut quidam sanctorum dixit: Non judicandi nascimur, sed judicati (*August., lib.* I *de Grat. et lib. arb., cap.* 4. *Part.* I, *dist.* 89, *n.* 6.

B. LUPUS, abbas Ferrariensis.

Reverendissimus papa Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini et amplissimas laudes Hieronymi memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit: *Opuscula Fausti Rhegensis Galli apocrypha.* Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, et apostolicæ sedis gravitatem suspicientes, quid aliud dicamus? nisi taceat Faustus, et similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus, scilicet illius proverbii recordantes: Conticescant ranæ dum cœlum tonat. *In collect. de trib. quæstionibus, quæst.* 3.

XXVII.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Jampridem disputari in utramque partem cœpit in scholis quæstio de præde- stinatione, neque pro ali- quo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est Auctoritos Augustini.	Ipsa est igitur prædesti- natio sanctorum quæ in sancto sanctorum maxime claruit, quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis? *Lib. de Prædest. sanct., cap.* 15.

XXVIII.

CENSORES	S. AUGUSTINUS.
Sententiam de gratuita	Hoc scio neminem con-

electione ad gloriam amplexus Augustinus, suffragatores habuit complures posteros, neque tamen aut illius auctoritas, aut illorum consensus a contraria sequenda tnendaque retardavit insignes aliquos pietate et doctrina theologos, quorum tantum valuit exemplum, ut hoc tempore communiter et promiscue adhibeatur in scholis, et ut initia habent, paulatim obducta alia rerum potitura videatur.

S. PRUDENTIUS episcopus.

Cum aliqui Gallorum, sicut quidam de eis ait quod eorum semper sint repentina consilia, nequaquam prædestinationem perditorum reprehenderent, sed sanctorum prædestinationem novo colludio derogare maluerint, quorum insanæ præsumptioni memorabilis idem Augustinus doctor eximius petentibus Prospero et Hilario, orthodoxe respondens, duos libros, alterum de Prædestinatione sanctorum, alterum de Dono perseverantiæ plenissime fidelissimeque confecit, in quibus perpauca de prædestinatis ad interitum quam vero plura de prædestinatis ad gloriam verissime disseruit. *In epist. ad Hincmarum et Pardulum.*

XXIX.

CENSORES.

Postremo, ne longum faciam, illud suscepisse Tridentinum concilium videtur, ut cum novorum hæreticorum, qui Augustini doctrina ab erroris sui patrocinium abutebantur, insaniæ occurrere vellet, nonnullis necessario additis illam faceret catholicam.

S. AUGUSTINUS.

Multa diximus, et fortasse jamdudum potuimus persuadere quæ volumus, et adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur, quasi obtusis, quibus et quod nimium est non est satis. *Lib. de Prædest. SS., cap. 20, in fine.*

S. RHEMIGIUS cum sua Ecclesia Lugdunensi.

Mirifice prius laudato sancto Augustino ait: Sanctorum atque orthodoxorum Patrum de libero arbitrio plenissimis et clarissimis definitionibus nec addendum aliquid fuerat nec subtrahendum, quia et quod fidei catholicæ necessarium est plenissime continent, et si quid inde subtrahatur, veritatis integritas violatur. *Lib. de tenenda verit. S. Scripturæ, cap. 4, tom. IX Bibl. PP.*

XXX.

CENSORES.

Non enim pauca neque contemnenda sunt Augustini dogmata, quæ vel Ecclesiæ universæ vel theologorum aut omnium aut multorum, nec infimi subsellii reprobantur.

XXXI.

CENSORES.

Augustini et aliorum Patrum, quos cum eo nominavit, approbavitque sancta synodus, non pauca, neque levia errata circumferuntur, quæ profecto, neque catholica sunt, neque haberi synodus ulla œcumenica voluit.

tra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. *Lib. de Dono persev., cap 19.* Nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum, quam, ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat et se ipsum. *Ibidem, cap. 24.*

S. PRUDENTIUS episcopus.

Si enim (sancti Augustini doctrinam) adversam fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis episcopis suscepisset, neque prædictum memorabilem suarum epistolarum communiter privatimque officiis affecisset, neque successor ejus Zosimus eodem tramite cucurrisset, neque Bonifacius ejusdem apostolicæ sedis præsul epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset, aut responsionem ejus quatuor libris editam probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Cœlestinus quoque, memoratæ urbis episcopus, quid contra Gallorum insaniam super eo ejusque doctrina senserit, ex auctoritate apostolica decretorum suorum scita declarant, quæ ita se habent, etc., *ubi recitat elogium sancto Augustino delatum. In epistola ad Hincmarum et Pardulum.*

XXXII.

CENSORES.

Quænam concilia quæve pontificum Romanorum edicta Augustini de prædestinatione ac reprobatione sententiam, quatenus æternam salutem respiciunt, pari cum his quæ de gratia docuit, gradu auctoritatis asciscunt, ut in fidei dogmata transierint?

S. AUGUSTINUS.

Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. *Lib. de Dono persev., cap. 23.*

S. PROSPER.

Agnoscant calumniatores superfluo sese objicere, quod his libris (nempe postremis sancti Augustini ad Prosperum et Hilarium, ubi fuse agit de prædestinatione) non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes, quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non separat. *Contra Collatorem cap. 42.*

XXXIII.

CENSORES.

Quibus verbis additis rigidum illud, ac nimis severum Augustini sensum, ut quidem nonnullis visum esse noverant, scilicet Tridentini Patres, decretum nullum esse opus bonum nisi ex gratia Christi, prudenti cautione moderati sunt.

S. AUGUSTINUS.

Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus sancti. *Item:* Si defueris, nihil boni agere poteris, agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male. Ad hoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. *Serm. 13 de Verb. Apostoli.*

SANCTI PATRES AFRICANI IN SARDINIA EXSULES.

Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum quia non illuminatum. Proinde nisi gratia detur, bonum ipsum laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis: et enim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus si ergo inimicus insultat, ferendus est: amicus autem, si errat, docendus; si docet, audiendus, etc. *Lib. II de Trinit., in proœmio.*

n non habetur. Sic namque est liberum ho A
bitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus
, nam et oculus ad videndum factus est, sed
ien acceperit non videbit. *In epist. synodica tomo VI Bibl. PP., part.* I. Nemo habet de mendacium et peccatum (Synodus Arausinone 22). *Quæ sententia exscripta ex tract, is in Joannem.*

XXXIV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

li sancti Augu- *ratores ubique di- m esse fidelissi- tiquitatis testem, ur Calvinus, pri- clesiæ oracului, n Patrem et om- ctorum subtilissi-*

At ego ubicunque sis, ubicunque legere ista poteris, te ante istos in tuo corde constitui, quos non amicos meos et inimicos tuos aliqua in meam partem gratia propendentes, B aliquo abs te merito tuæ offensionis aversos, et ob hoc tibi adversos in hac isputatione constitui cognitores, etc. *Lib.* II *ulian., cap.* 10.

S. HIERONYMUS atque alii Patres.

ymus, epistola 25 *inter Augustinianas ita Au- alloquitur :* Macte virtute! in orbe celebraholici te conditorem antiquæ rursum fidei tur atque suspiciunt. *Audax episcopus epistola uit* : Thesaurum sapientiæ desideravi, sed ccepi quam volui, licet minus non debet dici, us quod oraculum legis contulerit Augusticrator justitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, tor salutis æternæ. *Sixtus IV, in Bullario* C *i* : Augustinus inter intemeratæ Ecclesiæ doræcipuus, et subtilissimus Evangelii ac salitterarum perscrutator.

XXXV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

i admiratores doctum Augustinum adeo vagam et inatam in Ecclesia tem obtinuisse, ut sese omnibus ejus us cæcis oculis

Vos autem et tam cauti, et tam turbulenti, et tam novi nemini dubium est quin nihil dignum auctoritate præferatis. *Lib. de Utilitate credendi, cap.* 14.

e teneantur, et illæ absque temeritate et errore ri non possint.

S. HIERONYMUS.

utem decretum est te amare, te suspicere, D
mirari, tuaque dicta quasi mea defendere.
in Dialogo quem nuper edidi, tuæ beatitut dignum fuerat, recordatus sum. *Epist,* 30 *ugustinum inter Augustinianas.* Nolo autem tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi uæ nunc edidisti ego dubitem. *Hilarius in ad Augustinum.*

XXXVI.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

um Augustinum) *r, ut decet, sed dum more et sine cum ipso profite- sed minus illum quam veritatem.*

In hoc te plane laudo, quod veritatem etsi nunquam percepisti, certe quam putasti, homini prætulisti, ideo quidem temere, quia existimasti scire te quod nescis, sed ideo

uia personam non veritus, elegisti aperire atis. *Lib.* IV *de Orig. animæ, cap.* 1.

S. ALIPIUS TAGASTENSIS.

Habemus ducem (Augustinum), qui nos im ipsa veritatis arcana Deo jam monstrante perducat. *Lib.* III *Augustin. contr. Academ., in fine.* Rupertus Abbas, *lib.* VII *de Oper. Spiritus sancti, cap.* 19 : Iste est Augustinus columna et firmamentum veritatis. Prosper *in epistola ad Rufinum* : (Augustinum abundantissime Spiritus veritatis implevit.

XXXVII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Contendimus ipsius arma omni ex parte inexpugnabilia non esse, sint licet illustria.

Nempe cum arma tua vana quidem et obtusa jactanter ventilas. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

S. PAULINUS.

Ideoque cum hoc Pentateucho tuo contra Manichæos me satis armaveris, si qua in alios quoque hostes catholicæ fidei munimina comparasti, quia hostis noster, cui mille nocendi artes tam variis expugnandus est telis, quam oppugnat insidiis, quæso promere mihi de armamentario tuo et conferre non abnuas arma justitiæ. *Epist.* 31 *apud S. Augustinum.* Utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ et sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret. *S. Prosper ad Rufinum* Joannes XXII ait : Augustinus, etc. Catholicæ fidei C veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus solidavit.

XXXVIII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Neque eum in sententiarum suarum et fundamentorum quibus eas confirmat delectu adeo felicem esse (ut demonstrabo si mihi illud injunctum fuerit) quin mentibus nostris plenissimam ipsius doctrinæ non consentiendi, imo oppositam partem tuendi libertatem relinquat, quin et ipsemet de opinionum, quas docet, certitudine addubitet.

Hoc quidem dicitur ; sed tu dicis : Qui autem legit, et intelligit, si non Pelagianus est, hoc non dicit. *Lib.* I *Operis imperf., cap.* 15, *ut refelleret ista Juliani :* Nihil itaque ibi de omnibus Augustini argumentis et propositionibus inexplosum remansit.

Probet, si potest, et fatebor me didicisse ab illo. *Lib.* I *de Orig. animæ, cap.* 14.

S. PROSPER.

De argumentis sancti Augustini contra Pelagianos ita canit in carmine contra Ingratos cap. 3 :

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem.
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

XXXIX.

CENSORES S. AUGUSTINUS.

Si Augustinus hæc re-

Si enim turpe est sine

cte dicit, deserere eum possum, ut omnibus doctoribus me adjungam; sin vero absque ratione hæc dicit, eam etiam deserere possum hoc ipso quod me id posse asserit, quia sine ratione loquitur, et ita quovis modo sumatur Augustinus, ipsius mancipium fieri, et omnes ejus sententias adorare nequaquam cogor.

ratione cuiquam credere, quid expectas, quid satagis, ut alicui sine ratione credam quo facilius tua ratione duci possim? An firmum aliquid superædificabit ratio tua fundamento temeritatis? *Lib.* VI *de Utilit. credendi ad Honorat., cap.* 14.

S. BERNARDUS.

Ab his duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, credite mihi, difficile avellor, cum iis me errare aut sapere fateor. *In epistola* 77 *ad Hugonem.*

XL.

CENSORES.

Hoc sufficit ad confessionem hanc ab effrenatis Augustini adoratoribus extorquendam, licitum esse absque erroris et temeritatis nota Augustini sententias non semper sequi.

S. AUGUSTINUS.

Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit. *Lib de Dono persev., cap.* 21.

S. ILDEPHONSUS.

Audiant B. Augustinum, cui contradicere fas non est. *Serm.* 2 *de Beata Virgine.*

XLI.

CENSORES.

Plerique mortalium pietate ac doctrinis illustres, episcopi, cardinales, ipsiusque (scilicet Augustini) amici, servi ac fautores, fratres, ac filii sæpe illum reliquerunt.

S. AUGUSTINUS.

O si vos non essetis qui contra testimonium veritatis falsum testimonium vestrum et dicitis, et insuper scribitis! *Lib.* II *Operis imperf., contra Julian., cap.* 79.

Nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas socios falsitatis? *Lib.* V *contra Jul., cap.* 7.

S. VINCENTIUS FERRERIUS.

Audeo dicere: Omnes doctores qui venerunt post Augustinum sustentantur super ejus doctrinam sanctam, puram, immaculatam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum. *Serm. de S. Augustino.*

XLII.

CENSORES.

Inauditum in Ecclesia est, quod et ipse Augustinus detestatur, licet ejus impertinentes adoratores illum supra ponant. Soli amentes sic ratiocinantur: Unus hoc doctor asseruit, ergo credendum est.

S. AUGUSTINUS.

Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti eruditique doctores tibi pro me vel mecum, proque omnium nostrum et tua ipsius, si sapis, salute respondent. *Lib.* I *contra Jul. cap.* 7.

IDEM.

Quilibet doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini. *Ibid.*

XLIII.

CENSORES.

Hæc Augustini obscuritas etiam in pertractandis prædestinationis et gratiæ mysteriis apparuit; siquidem in scholas theologorum dissensiones invexit, doctores inter se divisit, turbis et contentionibus partim in Africa, partim in Gallia tam ipso vivente, quam e vivis sublato exortis occasionem præbuit.

S. AUGUSTINUS,

De qua difficillima quæstione, hoc est de voluntate et gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare, quoniam et aliam jam eis dederam tanquam citius redituris. Et scripsi ad vos etiam librum, quem si adjuvante Domino diligenter legeritis et vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones ulterius jam futuras. *Epist.* 47 *ad Valentinum.*

S. THOMAS VILLANOVANUS.

O sidus maximum, Augustine Pater, quantum Ecclesiam Dei tua sapientia irradians illustrasti! Quantum tua præsentia errorum tenebras effugasti? Nunc enim te auctore, te magistro, ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui ex industria velit allucinari. Est enim, ut mihi videtur, in Ecclesia Dei schola theologica velut quædam arca, etc. *Conc. I de S. Augustino.*

XLIV.

CENSORES.

Quin eadem Augustini obscuritas pro clypeo fuit hæresi prædestinatianorum, qui ferocia horridaque sua dogmata hujus Patris doctrina fundabant.

S. AUGUSTINUS.

Arbitror sane nonnullos tardiores id opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi: quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes, neque apprehendentes deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa et opaca viam carpere, quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo modo quisquam recte tribuerit tam multos et varios errores hæreticorum, cum omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere. *Lib.* I *de Trinit., cap.* 2.

FACUNDUS, episcopus Hermianensis.

Quid autem in hoc miremur? Neque melius loqui potuit Augustinus quam prophetæ, quam apostoli et evangelistæ, quorum mentibus similiter male intellectis et incongrue adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores. *Libro contra Mocianum.* De Facundo Hermianensi lege sanctum Isidorum *de Eccles. Script. cap.* 19.

XLV.

CENSORES.

Mihi concludere licet eum noluisse suis in libris animi sui sensa clare exponere, aut in iis exponendis satis clarum non fuisse, ut nullum legentibus de ejus vera mente et intentione dubitandi locum relinqueret.

S. AUGUSTINUS.

Qui ea quæ pro natura quæstionum dilucide dicta existimo adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro mea facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur. *Lib.* III *de peccat. Merit. et remiss. contra Pelagium, cap.* 2.

S. PRUDENTIUS episcopus.

O monstrum horrendum, o linguam præcidendam! quæ vel ignorantiam vel invidiam tantis doctoribus importare non metuit, ut qui obscura revelare subierant, obscurioribus dictis ea implicasse credantur, etc., de qua re testes nobis sunt libri beatissimi Patris Augustini. *Lib. de Prædest. contra Joan. Erigenam cap.* 11.

XLVI.

ENSORES. | S. AUGUSTINUS.

inus, cum pondere | Nimiæ vanitatis et cæ-
superabilis diffi- | citatis sunt, si etiam his
remebatur, ad illa | consideratis nondum di-
ipturæ confugie- | gnantur exclamare no-
itudo divitiarum | biscum : *O altitudo divi-*
et scientiæ Dei! | *tiarum sapientiæ et scien-*
| *tiæ Dei!* Epist. 105 ad
| Sixtum.

ADRIANUS papa VI.

nibus his exclamandum est cum Augustino : *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* In 4 rum, quæst. 1, *de pœnitentia*, in solutione ii.

XLVII.

ENSORES. | S. AUGUSTINUS.

am sancti Au- | Prorsus intelligor, ve-
mysteriis gratiæ, | lis nolis, sed tu contra
prædestinationis | ista nihil dicturus vis non
istiæ differentem | intelligi, quod ego veris-
cillimam intelle- | simum atque firmissimum
:uram. | dixi. *Lib.* VI *Oper. imperf., cap.* 140. Relege, et intelliges. *Lib.* III, cap. 191.

CASSIODORUS.

iam doctor eximius beatissimus Augustinus, r hæreticorum, defensor fidelium et famolma certaminum, in quibusdam libris nisultate reconditur, in quibusdam sic est pla, ut etiam parvulis probetur acceptus, cujus avia sunt, obscura vero magnis utilitatibus nguescunt. *Cap.* 22 *de divin. Lection.* In quiter obscuritatem rerum et subtilitatem disputminus Augustinum intelligere possumus, mino intelligentiam postulemus, vel ab eis suo dono illuminare dignatus est, humililoceri patiamur, ac deprecemur. *Ecclesia sis lib. de tenenda sacræ Script. verit.,*

XLVIII.

ENSORES. | S. AUGUSTINUS.

rgumenta ad pro- | Si non vis intelligere,
doctrinam sancti | aut si te fingis non intel-
de mysteriis | ligere, noli obstrepere
prædestinationis | volentibus et valentibus
ram et difficilem | intelligere. *Lib.* IV *contra Jul., cap.* 46.

S. PROSPER.

us (Augustini dictis) nulla est obscuritas, prædestinationis et gratiæ, ex qua est omiorum origo, perseverantiaque meritorum, atur, quod habet veritas. *In fine resp. ad Genvensium ex libris S. Augustini de Prætorum et de Dono perseverantiæ.*

XLIX.

ENSORES. | S. AUGUSTINUS.

ut hoc caput de | Non tamen laboras ut
gustini verborum | me intelligas, quod facil-
irrefragabilira- | lime potes, sed laboras
cludam, et veræ | ut me refellas, quod non
entis detegendæ | potes. *Lib.* III *Operis im-*
em demonstrem, | *perf., cap.* 141.

S. ANTONINUS.

ol refulgens, qui dominus dicitur planeta-

A rum, et pater luminis super omnia luminaria splendens, delectabilis oculis, ac per omnia respiciens; sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma doctorum, pater theologorum, suavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans. *Parte* II *Histor. tit.* 8. *Et inferius :* Merito igitur sicut sol refulgens, sic iste in templo Dei refulsit splendore doctrinæ clarissimæ. *S. Prosper in epist. ad Augustinum* : Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quam fuerant recesserunt.

L.

B CENSORES. | S. AUGUSTINUS.

Observandum est ipsummet sanctum, Augustinum fateri se circa multas prædestinationis quæstiones dubium sæpe hærere, se illas insuperabilibus difficultatibus plenas reperire, quibus nullam unquam responsionem, cui acquiesceret, dare potuerit præter ignorantiæ suæ et altitudinis judiciorum Dei confessionem. | Quæris tu rationem ? ego expavescam altitudinem : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam; altitudinem video, ad profundum non pervenio. *Postea :* Requievit, quia invenit admirationem; nemo quærat a me occultorum rationem. Ille dicit : *Inscrutabilia sunt judicia ejus,* et tu scrutari venisti ? Ille dicit, *Investigabiles sunt viæ ejus,* et tu investigare venisti? Si inscrutabilia scrutari venisti, et investigabilia investigare venisti, C crede, jam periisti. *Serm.* 20 *de Verb. Apost.*

S. FULGENTIUS.

Revera enim frustra labor superfluæ scrutationis impenditur, ubi nulla inventionis copia suffragatur et noxia curiositas in reatum protinus labitur, quando modum suum humana infirmitas non metitur. Quin potius in hoc profundissimo divinæ voluntatis arcano nihil aliud nostræ saluti congruere noverimus, nisi cum David unusquisque nostrum humiliter dicat : *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, nec potero ad eam.* Cum beato quoque Paulo religiosi clamoris jungamus affectum qui ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* ! Lib. I de Verit. prædest, Lege Prosperum ad dub. 4 et 7 D Genuensium.

LI.

CENSORES. | S. AUGUSTINUS.

Cum sanctus Augustinus sententiam suam in hac materia ter mutaverit, hoc nos ad credendum induxit, sanctum Augustinum, quamvis eminentis esset ingenii, suis meditationibus non acquievisse, et post tot conatus ad penetrandum prædestinationis mysterium consumptos coactum fuisse infirmitatem suam fateri. | Videtis certe quid tunc de fide, atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem, in qua sententia istos fratres nostros (nempe Semi-Pelagianos) esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. *Lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 4.

S. PROSPER.

Quia ergo nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui hujus viri (nempe Augustini) scientiam tot incrementorum profectibus

ædificatam, tot annorum studiis expolitam ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis quod inter initia conversionis suæ imperite senserat, quam prodesset catholicis quod pontificalis diligentiæ veritas revelarat, merito illos hoc præjudicio utentes, et in his quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pii doctoris gravitas notat quod qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare noluerint cum ejus eruditione proficere. *Resp. ad dub.* 3 *excerpt. Genuens., in fine.*

LII.

CENSORES. *Nec mirandum est, si* (Augustinus) *ingenio inter tot sententias quæ illi probabiles videbantur, fluctuante, asseratur ipsum ter mutasse sententiam.*

S. AUGUSTINUS. Dicis me quoque ipsum innovasse sensus meos, et initio conversionis meæ hoc sensisse quod tu. Sed fallis, aut falleris, sive calumniando iis quæ nunc dico, sive non intelligendo, vel potius non legendo ea quæ tunc dixi. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 12.

IDEM.

Maneat plane, maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri (scilicet Augustini) dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans invenitur. *In fine lib. cont. Collat.*

LIII.

CENSORES. *Sæpissime* (sanctus Augustinus) *fassus est difficultates aut a semetipso aut ab adversariis in hac materia propositas suas responsiones excedere, mentemque suam magis objectionibus vexari quam solutionibus acquiescere.*

S. AUGUSTINUS, Ad omnia me tibi respondisse, Juliane, et omnia refellisse, etc., puto quod perspicis, si pervicax non es. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 26. Unde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, ut a nullo amplius requiratur. *Initio lib.* V *cont. eumdem.*

IDEM.

Nec sola est synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent, discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus, nullumque omnino relictum,
Docta fides, quod non dissolveret argumentum.

Et postea :

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans nostro lumen dedit ævo ?

Contra Ingratos, cap. 2.

LIV.

CENSORES. *Fatetur* (Augustinus) *suam doctrinam* (de prædestinatione) *talem esse ut populis aut hominibus tardioris ingenii prædicanda non sit.*

S. AUGUSTINUS. Hæc atque hujusmodi cum dicentur sive paucis Christianis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem et veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, sicut eam sancta Scriptura prædicat, prædicare ? *Lib. de Dono persev., cap.* 22.

IDEM.

(Augustinus) pia tamen constantique doctrina abunde probavit prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, et gratiam, A in qua et prædestinationis effectus, et præscientiam Dei, qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor. *In fine Resp. ad excerpta Genuensium.*

LV.

CENSORES. *Mihi licet addere quod si diversas sancti Augustini circa hanc materiam propositiones colligere vellem, corpus quoddam ex diversissimis partibus coaptarem ; isthic enim asserit salutem nostram absoluto decreto definitam esse, alibi vero dicit nihilominus* B *a libero nostro arbitrio pendere*, etc.

S. AUGUSTINUS. Non sunt ergo verba mea inter se contraria quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non sinendo, contrarium. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 5.

IDEM.

Legantur tres ad Marcellinum ipsius libri, ad sanctum Paulinum Nolanum epistola retractetur, ad beatissimum quoque apostolicæ sedis tunc presbyterum Xistum, nunc vero pontificem, emissæ paginæ recurrantur. Ad sanctum Pinianum, ad Valerium comitem, ad servos Christi Timasium et Jacobum distinctim edita volumina revolvantur. Sex libri priores contra Julianum, unus ad sanctum Aurelium Carthaginensem episcopum de Gestis Palæstinis, alius ad Paulum et Eutropium sacerdotes contra Pelagii et Cœlestii quæstiones, et ad beatæ memoriæ papam Bonifacium libri quatuor explicentur. Ac sic in his omnibus operibus, multisque aliis quæ enumerare C longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit. *In fine lib. contra Collat., cap.* 41.

LVI.

CENSORES. *Hinc concludo quod si mihi non licet dicere sanctum Augustinum in variis librorum suorum locis sibi contradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius doctrinam esse intricatissimam, cum nulla reperiri possit intricatior, quam quæ sibi ipsi repugnare videatur.*

S. AUGUSTINUS. Hinc est quod sententias meas inter se contrarias putas vel putari cupis, tanquam improbem quod ante approbaverim, aut amplectar quod ante respuerim. Audi ergo apertam sententiam meam, et intellige, vel sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati sin- D cerissimæ veritatis. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

IDEM.

Tu autem, dilectissime et venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. *In epist. ad Rufinum, in fine.*

LVII.

CENSORES. *Nunquam tamen longius zeli ardore Augustinus abreptus est, quam ubi Pelagianos impugnavit ; dum enim ab eorum loquendi ratione et erroribus longissime recedere inten-*

S. AUGUSTINUS. Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinque partitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrum-

n periculosos excesidit, ut hinc aliqui gi doctrina et pietate es dixerint eum ve- limites transgresse, nimio disputatiore accensum fuisse, nisum fuisse favere eis. Verba hæc inia et impudentia esnisi vera essent.

que sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se incllnet in Pelagium, rursusque ita se sejungat a Pelagianis, ne se conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. *Lib.* IV, *contra duas epist. Pelag. cap.* 3.

S. FULGENTIUS.

Augustinus indutus virtute ex alto abundanllis omnibus laboravit, non autem ipse, sed Dei cum illo, etc.; sensum quippe Christi is, tam gratiæ Dei quam humani arbitrii et discrevit et merita; semper divinis humana iens, et veraciter docens divinitus homini et ito justificationis donum, et bonæ voluntati ium, et plenum tribui glorificationis effectum. *de Verit. prædest. et grat., cap.* 18.

LVIII.

CENSORES.

emet Augustinus in us operum suorum hunc animi sui impegnoscit, quo (scilicet sputationibus cum ianis et Manichæis) *reptus est, ut in eroppositum illi quem ere intendebat, deet.*

S. AUGUSTINUS.

Possunt duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia ambo sunt contrarii veritati: nam si propterea diligendi sunt Pelagiani quia oderunt Manichæos, diligendi sunt etiam Manichæi quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut catholica mater er alterorum odium alteros eligat amare, cum nte atque adjuvante Deo debeat utrumque viet cupiat utrumque sanare! *Lib.* II *ad Bonifacap.* 2.

S. PROSPER, *seu* POMERIUS,

ictus Augustinus episcopus acer ingenio, suaoquio, sæcularis litteraturæ peritus, in eccleis laboribus operosus, in quotidianis disputus clarus, in omni sua actione compositus, in itione sua fidei nostræ catholicus, in quæstioabsolvendis acutus, in revincendis hæreticis ISPECTUS, et in explicandis Scripturis canoniUTUS. *Lib.* III *de Vita contemplat., cap.* 31.

LIX.

CENSORES.

*fecto quandoque con*Augustinum) *in quæbus de gratia et præatione cum excessu m esse, verbaque ipse mitiganda; ne ab duritie et acrimoerrorem contrarium m, licitum mihi esse temperamentum alicatholicum addenquirere.*

S. AUGUSTINUS.

Mentientes conclusiones, aut irrepentes paulatim, vel minuendo vel addendo in assensionem falsitatis, quis non metuat, quis non oderit? *Lib.* II *de Ordine, cap.* 4.

Dic quod dicturus es, egregie corrector. *Lib* III *Operis imperf., cap.* 57.

SIXTUS III papa.

e sunt tandem illa credenda et dicenda? Nihil liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuPerspicua majorum fides, et credulitas nulla permixtione turbetur. *Epist. ad Joan. Antioch.* st Sixtus, ad quem sanctus Augustinus scrigregiam epistolam 105 contra Pelagianos.)

LX.

CENSORES.

Modo ne in Pelagianorum, quos (sanctus Augustinus) *insequitur, errores incidam, mihi licet verborum quibus ad eos expugnandos utitur impetum non sequi.*

S. AUGUSTINUS.

Ita et Manichæos et Pelagianos superamus atque vitamus, quorum sic errores utrorumque diversi sunt, ut qui videtur minor, ipse illius qui videtur major demonstretur adjutor. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperfect., cap.* 178.

S. PROSPER.

An sero ita se novorum censorum norma exactior temperavit, ut nulla eorum quæ excisa sunt asserat et quædam ex his quæ defensa sunt respuat? *Contra Collatorem S. Augustini reprehensorem, cap.* 1.

LXI.

CENSORES.

Hinc fit ut medius stem inter Pelagium et Calvinum; si enim verba Augustini mitigando me nimium demitterem, Pelagianus essem; si vero eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista essem; medium ergo cum Ecclesia teneo.

S. AUGUSTINUS.

Nulla est itaque fovea quam metuens quasi revertar in viam, quo videris me velle revocare. Dic tamen quænam illa via sit, et explica ratiocinationem tuam. *Lib.* III *contra Jul., cap.* 8.

IDEM.

Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est. *Postea*: Tu informe nescio quid tertium et utrique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. *Ibid., cap.* 5.

LXII.

CENSORES.

Ratio (ob quam scilicet non tenemur sequi B. Augustinum in quæstione de prædestinatione sanctorum ad gloriam, de modo operandi divinæ gratiæ, etc.) *hæc est, quia Pelagiani de illis quæstionibus nunquam disputarunt, nec sancti Augustini doctrina est irrefragabilis, nisi cum eorum errores impugnat, et licet contra ejusmodi relatas opiniones prædicassent, Ecclesia eos nunquam hac de causa in numerum hæreticorum ascripsit, vel ascribere potuit.*

S. AUGUSTINUS.

Hæc est prædestinatio manifesta et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

IDEM.

Agnoscant calumniatores superfluo se objicere quod his libris (Augustini) non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes quod a prægnitis sibi non discrepat, cum prægnitis probat, et quod judicio jungit, laude non separat. *Ibid. cap.* 23.

LXIII.

CENSORES.

Verum si (Augustinus) *adderet peccatum originale esse solam causam repro-*

S. AUGUSTINUS.

Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi

bationis, et esse id quo ad separandos prædestinatos a reprobis movetur Deus (quam esse sententiam sancti Augustini scribit), *non solum pro hujus opinionis defensione, mortem oppetere nolo, sed credo mihi licere eam abhorrere, quia mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie urget contra Ecclesiam.*

gratuitum misericordiæ A suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? *Epist.* 105 *ad Sixtum, quæ ibi diffusius versat.*

S. THOMAS.

Electio Dei, qua unum eligit et alium reprobat, rationalis est, nec tamen oportet quod ratio electionis sit meritum, sed in ipsa electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut Augustinus dicit. *Quæst.* 6 *de* B *Verit., art* 2, *ad* 9.

LXIV.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Verum hæ causæ sunt, ob quas sancti illius et eruditi doctoris volumina tenebris et caligine respersa sunt, sicut a celeberrimis theologis est observatum.	Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, et quæcunque vobis sua radiante luce molesta sunt, contra illa cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris. *Lib.* III, *contra Jul., Oper. imperfect., cap.* 61.

RHEMIGIUS ANTISIODORENSIS

Beatus Augustinus rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione decurrens. *Et antea:* Alii doctores comparantur stellis, C Augustinus soli; nam sicut stellæ lumen a sole recipiunt, sic omnes doctores lumen recipiunt ab Augustino. *In epist.* II *ad Corinthios.*

LXV.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Quando (sanctus Augustinus) *videtur defendere prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita hominum, non loquitur ut oraculum, nec ipsius sententia ab Ecclesia approbatur, nec omnes theologi illam sequuntur, imo qui eum magis suspiciunt, eum deserunt.*	Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus et gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur. *Lib. de Dono persev., cap.* 23.

SYNODUS BYZACENA.

Cujus prædestinationis veritatem. qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat sordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. *Epilog. lib. de Incarn. et grat., inter opera S. Fulgentii.*

LXVI.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Mortalium doctissimi aliquid aquæ suffundunt igni verborum sancti Augustini.	PLUE mihi, Domine, mitigationes in cor, ut patienter tales feram. *Lib.* XII Confess., cap. 25.

S. HIERONYMUS.

Hæc de Augustino ad eumdem scribit: *Qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti.* Epist. 25 apud August.; et Paulus Orosius, quem Romana synodus sub Gelasio *virum eruditissimum* vocat, ita sanctum Augustinum alloquitur: *Necesse me fuit festinat edere, et coacervare in unum omnes perditionum a bores cum radicibus et ramis suis, et offerre ignien spiritui tuo.* In præfat. Commonitorii, tomo VI, an librum contra Priscillianistas.

LXVII.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Fateor sane quædam ab Augustino, quæ ad asserendam libertatem et vim cooperationis nostræ ex gratia pertinent, potuisse explicari in hac materia clarius, quæ in quibusdam locis, ubi opportune dici poterant, omisit; ubi in septem quæstionibus de gratia assignant modum quo loqui debebat Augustinus *ad animorum necessariam consolationem.*	In lectionibus apostolicis superioribus, quas charitati vestræ, quantum Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem et sollicitudinem passi sumus. Compatiebamur vobis et solliciti eramus et pro nobis et pro vobis. Quantum autem existimo, adjuvit et nos et vos Dominus, et ea quæ prorsus difficillima videbantur, sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret quæ conturbet mentem suam; Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum, etc. *Serm.* 13 *de Verb. Apost. contra Pelagianos.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Iste vero cum hæc legisset tam utiliter et salubriter C ad illuminationem nostræ fidei dicta, non est contentus moderamine et pietate sancti doctoris Augustini, ne terminos ab eo præfixos excederet, sed addidit de suo. *Lib. contra Joan. Erigen., cap.* 8. *Floruit an.* 852.

LXVIII.

CENSORES.	S. AUGUSTINUS.
Ad tribunal sancti Augustini disputatum hactenus est, et liberata fides quam obligaveram, hoc est probandi quidquid ille probaret, improbandi quidquid ille improbaret... Una superest adhuc tractanda quæstio, nimirum quanta fuerit hujusce conditionis æquitas, et quanta necessitas subeundi legem illam, quam quia illi putant ab Ecclesia impositam, audire juvat præcipuos quosdam ejusdem Ecclesiæ principes, pastoresque celeberrimos, et doctores scientissimos sensuum ecclesiasticorum, minimeque suspectos.	Illorum enim dicta non defendis, ut promiseras, sed reprehendis. Tuo quippe dogmate cum cogaris illa culpare et falsa esse ostendere, nullo modo sineris auctoribus eorum defensionem, quam spoponderas, exhibere, quia et in accusatione adulator esse conaris, et in adulatione deprehenderis accusator. *Lib.* IV *contra Jul., Oper. imperf., cap.* 112.

EUGYPPIUS abbas.

Inter magnos Ecclesiæ catholicæ doctores præclarum fuisse et esse beatum Augustinum quis ignorat episcopum? quem divina eruditione mirabilem tum omnes orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipue tamen apostolicæ sedis antistites scripta ejus sua auctoritate firmantes, tanto majori studio simpliciter amplexi sunt, quanto ampliori solatio eis se usos esse testantur: nam contra multos hostes Ec-

clesiæ dimicantes, et maxime contra versipelles inimicos gratiæ Dei doctrina ejus instructi, vel potius eadem illustrati gratia semper exstitere victores, etc. *In præfatione collect. ex libris S. Augustini. Hic Eugyppius S. Fulgentii amicus fuit, ad quem etiam litteras dedit. Lege S. Isidorum de Script. ecclesiast., cap.* 13.

LXIX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Quamvis enim præferenda sit ea sententia quæ talem modum prædestinationis omnino negat, tamen ut damnata etiam censeatur illa quæ affirmat, videndum erit quam sit necessario connexa cum articulis a Cœlestino definitis. Si enim non sit, quamvis Augustinus in contrarium propendeat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni, quod censuit etiam cardinalis Baronius.

Ecce inter meos testes, vel inter nostros constituto judices, quem putasti Patronum tuum, *Lib.* I. *contra Jul. cap.* 6.

BARONIUS cardinalis.

Cum igitur Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores exsurgunt ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. *Ad an.* 490, *p.* 444.

LXX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Quid (nempe cardinalis Perronius) *probabilem tantum esse dicit Augustini sententiam, dum loquitur ut privatus doctor, et demonstrativam, dum consentit cæteris Patribus, satis indicat minime necessarium esse adhærere Augustino, nisi ubi cæteris Patribus ille concinit.*

Vis audire quid etiam ipse de hac re apertissime dixerit? Ecce etiam ipsum numero illi adjungo sanctorum. *Ibidem.*

PERRONIUS cardinalis.

Augustinus, maximus post apostolos prædestinationis doctor, imo os et lingua veteris Ecclesiæ quantum ad illam de gratia doctrinam. *Lib.* I *resp. ad reg. Britan. cap.* 12.

LXXI.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Augustinus Valerius cardinalis in sua Rhetorica ecclesiastica hæc clericos monet: Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant, *etc. Et hoc quid aliud est quam id ipsum, quod momentum audivimus Bonaventuram, Augustinum plus dicere aliquando, et minus velle intelligi?*

Si legisses vel si lecta fideliter considerare voluisses, nunquam profecto de litteris ejus ad offundendas nebulas ignorantibus ea quæ nihil ad quæstionem quæ inter nos vertitur pertinent, in his tuis libris nescio qua mente posuisses. *Lib.* I *contra Jul.*, cap. 5.

VALERIUS cardinalis.

Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant; ita enim acumine ingenii præstitit, et de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio præditi viri ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. Sed ejus libros pulcherrimos de Doctrina Christiana, et egregios sermones quos habuit dum episcopus ad populum concionaretur, sæpe et diligenter legant. *Lib.* III *Rhet. Eccles., cap.* 43.

LXXII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Referentes Catharinum plura contra Augustinum dixisse, addunt: *Tanta cæterorum doctorum conspiratio satis ostendit Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui suo sæpe ingenio nimium indulsit, sed ut catholicæ Ecclesiæ archiepiscopum et doctorem id sensisse*, etc.

O frontem qualiumcunque episcoporum! *Lib.* IV *contra Jul., cap.* 11.

S. BASILIUS.

Contemnuntur Patrum dogmata, apostolicæ traditiones annihilantur, novorum hominum inventa introducuntur. Episcopus autem ille est qui custos est doctrinæ Patrum, et omnis novitatis hostis. *Apud Stocolovium lib.* III *de veræ et falsæ Ecclesiæ discrimine, cap.* 14.

LXXIII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Vellem et hoc et alia quædam (nempe contra Augustinum testimonia) *quæ subjungam mitius concepta, sed refero tantum, non probo, si quidquam justæ offensionis causam det.* Item: *Omitto honoris causa quod de Augustino subjungit.*

Vide quæ taceas, quæ dicas. Puto quod te pungat conscientia, sed vincit rectum timorem, cum ingerit perversum pudorem, quoquo modo jam defendenda præcipitata sententia. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

S. HIERONYMUS.

Absit autem a me ut quidquam de libris beatitudinis tuæ attingere audeam; sufficit enim mihi probare mea, et aliena non carpere, *Epist.* 13 *ad Augustinum, tomo* II *Operum S. Augustini.*

LXXIV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Hæc ego inter alia id genus multa, quæ habet (nempe Pighius contra Augustinum), *duxi proponenda, ut intelligamus non nimis inverecundos fore, si qui forte non ita se faciles exhibeant, in iis omnibus admittendis quæ videri cuipiam possint proposita fuisse ab Augustino.*

O mira defensio! Tam densum et arctum est, ubi eis adhæserunt pedes, ut eos evellere conantes, frustra et manus, et pedes, et caput figant, et in eodem luto hæsitantes, arctius involvantur. *Lib. contra Donatistas post collationem, cap.* 19.

S. ANSELMUS.

Nihil potui invenire me dixisse quod maxime beati Augustini dictis non cohæreat. *Præfat. Menologii.* Nec crimen renuis, sed criminosorum turbam requiris. S. *Hieronymus Apolog.* 2 *contra Rufinum.*

LXXV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Quid ad hoc, o Baiani scholastico-mastiges, sepelienda scholastica est, ut unus regnet Augustinus? An Augustinus potius legendus ad lucem scholasticæ, et ad ejus amussim exigendus?

Rependite mihi beneficium; si me magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem. *Lib.* I *de Ordine, cap.* 10.

ECCLESIA ROMANA.

Augustinus tam multa pie, subtiliter et copiose scripsit, ut Christianam doctrinam maxime illustrarit, quem imprimis secuti sunt, qui postea theo-

logicam disciplinam via et ratione tradiderunt. *Breviar. Rom., lect.* 6.

LXXVI.

CENSORES. *Licet ex Augustino Augustini doctrinam aliorum scriptorum judicio censendam exponere, licet et proprio, idque salva honorificentia.*

S. AUGUSTINUS. Non valde curo, inquam, snperborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt. *Lib.* I *de Ord., cap.* 11.

LXXVII.

CENSORES. *Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adjutorem Deum.*

S. AUGUSTINUS. Auxilium Dei quæris, ut impleantur vani libri tui, et non quæris ut corrigantur perversi sensus tui. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperf., initio.*

S. PROSPER.

Unde ergo hæc sententia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si catholico prædicatori (scilicet Augustino) notam erroris affigat, quasi incognitum aliquod opus, et quod hactenus latuerit impetatur, an non illa iis morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit? *Præfat. adversus Collatorem.*

LXXVIII.

CENSORES. *Vides tertio quantopere alienum putet Augustinus a pia doctoris humilitate, et veraci de se ipso cogitatione, quod velit aut putet libros suos erroris expertes esse. Fuit igitur etiam ipsius Augustini, et pia hæc humilitas, et verax de se ipso cogitatio; ac proinde, qui de ipsius scriptis aliter sentiunt, mendacem faciunt, quæ verox supponi debet ejus intentio.*

S. AUGUSTINUS. Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, a cujus facie est scientia et intellectus. Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. *In fine libri de Dono perseverantiæ.*

IDEM.

Magna enim gloria sua humano generi consulerint, si Augustinum ab errore revocaverint; nisi forte modesti homines NOVIQUE CENSORES magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, et securi, quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt, atque ignoverint. *Epist. ad Rufinum.*

LXXIX.

CENSORES. *Quam multi ferre non possunt, istos homines ad nauseam usque inculcare, Augustinum Patrem esse Patrum, doctorem doctorum, primum post scriptores canonicos, mirabilem, irrefragabilem.*

S. AUGUSTINUS. Invidetis, inquam arridens, laudibus meis. *In fine lib.* III *contra Academicos.*

LXXX.

CENSORES. *Non dixit Cœlestinus Augustinum esse Patrem Patrum, doctorem doctorum, primum Angelum inter cæteros episcopos, inter omnes excellentissimum et vere irrefragabilem, et ineffabiliter mirabilem, sed habitum esse dicit a suis prædecessoribus Innocentio, Zosimo, Bonifacio inter magistros optimos.*

S. AUGUSTINUS. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid? nisi delectari me laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus. *Postea:* Verumtamen nollem ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni; sed auget, fateor, non solum, sed et vituperatio minuit. *Lib.* X *Confess., cap.* 37.

SANCTI PATRES.

Sanctus Præsul Augustinus assumptus est cum angelis, ubi gaudet cum prophetis, lætatur cum apostolis, quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia. Ecclesia Augustiniana in antiphona ad *Magnificat*, in ejusdem solemnitate. *Excellentissimæ auctoritatis virum* vocat eumdem sanctus Prosper in epist. ad Rufinum. *Admirabilis disputator* dicitur ab eodem in resp. ad dubium 8 Genuensium. *Magister mirabilis* a Cassiodoro in prol. ad psalmos. *Cui contradiccre fas non est*, sanctus Ildephonsus serm. 2 de B. Virgine. Beatus Jordanus de Saxonia hæc scribit: *Post Paulum neminem sanctorum præfero in doctrina fidei Augustino, unde ipse proprie dicitur alter angelus.* Serm. 140.

LXXXI.

CENSORES. *Novum crimen inquiet aliquis, et quod invidiam redolet, vocare hominem in judicium, quod Augustinum nimis effuse laudaverit. Absolvetur reus, vel ipso Augustino judice, neque enim ulli veniam facilius impertimur, quam illi qui de nimiis erga nos laudibus accusatur.*

S. AUGUSTINUS. Nunc tibi certe, quod tem male ac falso de me fueris opinatus, ignosco. *Lib.* IV *Oper. imperf.*, c. 4.

S. POSSIDIUS.

Si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essem dignus aut sufficiens ad laudandum tantum Patrem et doctorem, et tantum fidei relucentis illuminatorem. Epist. ad Macedonium. Sanctus Thomas Villanovanus ait: *O quem te memorem Patrem Augustinum? Omnis laus inferior te est*; conc. 1 de S. Augustino. *Quorum profecto sanctorum virorum* (nempe Augustini et Thomæ) *penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina, commendatione novi præconii plane non egent.* Alexander VII, in bulla ad Lovanienses.

LXXXII.

CENSORES. *Est enim in jure titulus de pluris positione, ut qui plus postulat minus habeat; et nobis a natura comparatum est ut cum aliquis plus justo extollitur, naturali quadam propensione conemur illum deprimere, et laudes ultro non roganti concedimus, vel obtrudimus recusanti quod pro suo jure exigenti negaremus.* Quæ postea applicat sancto Augustino

S. AUGUSTINUS. Ora, obsecro, ut non laudari volens, sed laudans invocem Dominum, et ab inimicis meis salvus fiam. *Epist.* 22 *ad Paulinum.* Præsertim quoniam multi sunt hic qui, detrahendo nobis, cæterorum animos, a quibus diligi videmur, adversus nos perturbare conantur. *Epist.* 227 *ad Albinum*, etc.

S. HIERONYMUS.

Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. Sed quæso reverentiam tuam parumper patiaris me tuum laudare ingenium. *Epist.* 30 *ad August.*

LXXXIII.

CENSORES. *Ecclesiæ interest sua omnia jura non uni committere; periclitatur exercitus cujus robur unius hominis virtute nititur. Quid enim si hæretici suis argutiis possent evincere se non esse aperte ab Augustino damnatos? Ecclesiæ causa deserenda esset, et insufficiens foret omnium aliorum Patrum consensus, quia Augustinus est necessarius? Iniqua certe esset Ecclesiæ conditio, cui Deus non unicum doctorem, sed doctores promisit, ut non circumferamur omni vento doctrinæ.*

S. AUGUSTINUS. Desine talibus, unus homo sum, Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea, Ecclesiæ, inquam, quæ in nullo homine spem ponere a suo didicit Redemptore. Quanquam nec de me ipso vobis, etiamsi meam conversationem nossetis, recte crederetur inimicus mihi. Ad existimationem hominum magna testium qui me noverunt suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam contra criminationes vestras cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis Omnipotentis justificare audeo. *Lib.* III *contra Cresconium, cap.* 80.

S. PROSPER.

Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus VIRI ductu pugnat et vincit; vincit dico, quia non patitur respirare quos vicit. *Præfat. contra Collatorem.* Et in Carmine contra Ingratos, cap. 3 :

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit apertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.

LXXXIV.

CENSORES. *Quæ certe non eo consilio a me commemorantur, ut aliquid Augustini laudibus detractum velim; utinam major illis mea opera fieri posset accessio!*

S. AUGUSTINUS. Sic audire debeo contumelias tuas, quomodo laudes tuas. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperf., cap.* 10.

PIUS II.

Magnus Augustinus, doctrina et verecundia juxta nobilis, cujus tanta gloria est ut nullius laudibus crescat, vituperationeve minuatur. *Cum esset Æneas Sylvius, epist.* 130 *ad cardinalem Caravajalium.*

LXXXV.

CENSORES. *Sed tantum ut manifestem quam male de vero Augustino meritus sit iste suppositicius, qui comparationibus odiosis et laudibus hyperbolice supra omnem adulationem exaggeratis, plus illi detraxit quam addiderit auctoritatis.*

S. AUGUSTINUS. Neque tamen huic tam familiari amico meo velim credas, quæ de me forte laudans dixerit. Sensi enim etiam ipsum sæpe non mentiendi studio, sed amandi propensione falli judicantem. *Epit.* 32 *ad Paulinum.* Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti. *Lib.* III *contra litteras Petil., cap.* 2.

S. HIERONYMUS.

Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus sum, et habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem; sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus, et plena complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur. *Postea*: Macte virtute in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt, et, quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. *Epist.* 25 *ad Aug.*

LXXXVI.

CENSORES. *Qui prius Augustinum in omnibus deposcebant judicem, nunc sibi liberum putant ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere.*

S. AUGUSTINUS. Non enim vos oblitos credo, judicis mihi munus fuisse delatum. *Lib.* II *cont. Academicos, cap.* 8. (Sane Clemens VIII sanctum Augustinum judicem constituit in quæstionibus de auxiliis.)

S. PROSPER.

Tantaqua insolentia domnati foventur errores, ut pravitatis invidia, et auctores nostri pulsentur et judices. *Præfat. contra Collatorem, pro S. Augustini doctrina defendenda.*

LXXXVII.

CENSORES. *Nec verum est quod ipse tum alii dogmatistæ frequenter jactant, universam sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos fuisse approbatam ab Ecclesia, pluribusque summis pontificibus, adeoque certam et inconcussam esse debere.*

S. AUGUSTINUS. Utrum etiam noster (rivulus), licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari. *Epist.* 65 *ad Innocentium papam contra Pelagianos.*

S. HORMISDAS papa.

De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur. *Epist.* 77 *ad Possessorem.*

LXXXVIII.

CENSORES. *Ex hac autem approbatione* (nempe Innocentii papæ) *hujusmodi litterarum de uno aut altero tantum errore loquentium, inferre velle totam D. Augustini doctrinam de gratia fuisse specialiter ab Innocentio approbatam, est malitiose simplicibus illudere, et eruditorum patientia intolerabiliter abuti.*

S. AUGUSTINUS. Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. Ad omnia ille nobis rescripsit eodem modo quo fas erat atque oportebat apostolicæ sedis antistitem. *Epist.* 106 *ad Paulinum.*

S. INNOCENTIUS papa.

Librum sane, qui ejus (nempe Pelagii) esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus, in quo multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret a quovis damnandum atque calcandum, cui similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. *Epist.* 96 *ad Augustinum, quæ incipit*: Fraternitatis

vestræ lineas plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, etc.

LXXXIX.

CENSORES. *Quam multi sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione, quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant: Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus, quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit?*

S. AUGUSTINUS. Sed multum eum ista fallit opinio. Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quam sunt illæ in quibus, salva fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est, humana et infirma suspicione conjicitur. *Lib. de Pec. orig., cap.* 23.

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Beatus papa Cœlestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit dicens de eis, *Quæ sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Sit ergo inter nos pia cautela et moderatio, quatenus sanctis Patribus debitus servetur honor, et quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum. *Lib. de tenenda verit. Script., cap.* 12, *tom.* IX *Bibl. PP.*

XC.

CENSORES. *Sed neque verum est, quod assumunt, Romanos episcopos approbasse omnia tanquam necessaria quæ Augustinus in hisce quæstionibus docuisset.* Et recitata Cœlestini clausula aiunt: *Quibus verbis clare significat esse aliquas profundiorum illarum quæstionum, de quibus loquitur, conclusiones ab Augustino traditas, quæ debent inter adiaphora computari.*

S. AUGUSTINUS. Hæc ergo quæ istis, ut dixi, duabus epistolis illorum respondeo ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. *Postea*: Ago autem gratias sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum. *Lib.* I *ad Bonifacium papam, cap.* 1.

S. PROSPER.

(Bonifacius papa) cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini episcopi responsa poscebat. Unde et venerabilis memoriæ pontifex Cœlestinus, etc. Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas. *Postea, celebri illo Cœlestini de Augustino elogio recitato, exclamant*: Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere? *In fine libri contra Collatorem, cap.* 43.

XCI.

CENSORES. *Si cui tamen post tot testimonia obscurus adhuc videbitur Augustini sensus, exspectet tantisper, brevi loquetur Roma quid senserit Augustinus vel sentire debuerit.*

S. AUGUSTINUS. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, error utinam aliquando finiatur! *Serm.* 2 *de Verb. Apostoli, in fine, cum litteræ S. Innocentii papæ adversus Pelagianos Roma in Africam pervenissent.*

IDEM.

Imo noverint non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, sed et omnes mundi partes, universos promissionis filios cum doctrina hujus viri (nempe Augustini), sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruere. *Epist. ad Rufinum.*

XCII.

CENSORES. *Augustinus, et qui ejus de prædestinatione sententiam sequuntur, in prædestinationem referunt, hunc trahi, illum non trahi, quia hic prædestinatus fuerat, ille non fuerat, itaque non magis quærendum esse, quare hic trahatur, ille non trahatur, quam dicere, cur hic prædestinatus fuerit, ille non fuerit.* Ubi postea arguunt sanctum Augustinum, quod dixit trahi, et prædestinari idem esse.

S. AUGUSTINUS. Ergo trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*; Fides igitur et inchoata et perfecta Dei donum est. *Lib de Prædest. sanctorum, cap.* 8.

S. PRUDENTIUS.

Quæ verba tua, quam sint mendaciorum nebulis caligata, ejusdem sanctissimi Patris Augustini verbis eluceat. *Lib. de Prædest. contra Erigen., cap.* 8.

XCIII.

CENSORES. *Certe probabilior et magis expedita responsio aliorum est, hunc trahi, illum non trahi, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit, quod ipse D. Augustinus fateri coactus est in lib. de Prædestinatione et gratia.*

S. AUGUSTINUS. Valde remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium. *Lib.* I *de Prædest. sanct., cap.* 8. (At liber de Prædestinatione et gratia non est Augustini, et contrarium docet, ac illi auctori imponunt, ut patet cap. 15, § *Hic quicunque respondet.*)

S. THOMAS.

Quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ; unde dicit Augustinus: « Quem trahit, et quem non trahit, quare illum trahat, et illum non trahat, noli judicare, si non vis errare. » *Comment. ad cap.* 6 *Joan.*

XCIV.

CENSORES. *Si nihil Christianæ eruditioni post Augustinum accesserit, scholastica theologia penitus abjicienda foret.*

S. AUGUSTINUS. Pro magnitudine sapientiæ vestræ res mirabiles dicitis! *Lib.* III *contra Jul., cap.* 3.

XCV.

CENSORES. *Augustini auctoritatem interponentibus responderi potest, Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere in eruditione.*

S. AUGUSTINUS. Modo autem vos vestri magistri esse poteritis. *Lib.* II *de Ordine, cap.* 3.

THOMAS VILLANOVANUS.

Augustinus primus cœpit catholicas veritates enu-

cleare, digerere, dilucidare, distinguere atque in scholasticam formam redigere, docens quid in quolibet fidei mysterio sentiendum, quid ad objecta respondendum esset, unde ex Scripturis colligendus locus ad roborandum. Denique, si quid de fide distincte sentimus, aperte dicimus, audacter asserimus, id totum Augustino debemus. *Conc.* 1 *de S. Augustino.*

XCVI.

CENSORES.

Ex ipsiusmet Augustini et Patrum consilio hoc legitimum ac rationi conforme temperamentum appono, et errorem Pelagianorum fugiens in Augustini excessus non incido.

S. AUGUSTINUS.

Ecce unde se putant hæretici novi Manichæorum nomine objecto vim subterfugere veritatis, sed non subterfuginnt, insequitur quippe illa, et simul Manichæos Pelagianosque subvertit. *Postea* : Quod dicimus legem sanctam justam et bonam non justificandis impiis, sed convincendis superbis prævaricationis gratia positam, et contra Manichæos est, quia secundum Apostolum laudatur, et contra Pelagianos, quia, secundum Apostolum, nemo ex lege justificatur, et ideo justificandis eis quos littera occidit, id est quos lex bona præcipiens prævaricatione reos facit, Spiritus gratiæ gratis opitulatur. *Item* : Quod arbitrium sui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum gratia Dei esse liberandum, contra Pelagianos est ; quod autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, contra Manichæos est, etc. Utrosque igitur catholica fides, sicut et cæteros hæreticos adversarios invenit, utrosque divinorum testimoniorum auctoritate et luce veritatis convincit. *Lib.* III *contra duas epist. Pelag., in fine cap.* 9.

XCVII.

CENSORES.

Jam pridem e catholicis plurimi doctrina et pietate laudabiles confessi sunt sanctum Augustinum Pelagianismi odio ita in contrariam partem inclinasse, ut persæpe Calvino potius quam Tridentinis Patribus favere videatur.

XCVIII.

CENSORES.

Vel denique si aliquot locis plus intendit Augustinus, applicandus illis erit, quod in eo notarunt plures et graves doctores catholici, excessisse interdum æstu disputationis abreptum, et in odium hæresis, quam impugnabat, ad contrarium extremum inclinasse.

XCIX.

CENSORES.

Ut sit nimia quædam severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus.

S. CŒLESTINUS.

Mirifice prius laudato sancto Augustino, addit : « Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, » etc. *Epist ad episcopos Galliæ, cap.* 3, *ut censores, ipsi tradunt.*

C.

CENSORES.

Respondeo dupliciter intelligi posse B. Augustium aliosque Patres interum excessive locutos esse : rimo scienter, et contra mentem suam, asserendo aliquid a veritate alienum, quod est mentiri, id est, contra mentem ire : secundo nescienter, et loquendo quidem ut sentiebant, sed æstu disputationis et vehementia spiritus ad alterum extremum interdum declinantes intellectu æque ac verbis, quod non est mentiri, sed falli et dicere falsum sine mendacio. Secundum contigisse Augustino et aliis non solum affirmant auctores citati, sed et plures alii.

S. AUGUSTINUS.

Non est ita. ut loqueris, quicunque ista dixisti, non est ita, multum falleris, vel fallere meditaris, *Lib.* II *de Nupt. et concup., cap.* 3. Objecerat enim Julianus Augustinum, cum longius a Pelagiano dogmate recedere vellet, ad Manichæos accedere, « instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia, quibus quoniam deest ratio in verum exitium vana, formidine contruduntur. » *Cui Augustinus* : « Agnosce igitur in tuo dogmate nomen tuum, et catholicis, a quibus confutaris, desine objicere et dogma et nomen alienum. Nam veritas utrosque redarguit, et Manichæos et vos. » *Ib.*

S. PROSPER.

Multi, inquis *singula hæc credentes, ac justo amplius asserentes variis sibique contrariis sunt erroribus involuti.* Placet igitur tibi cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores, et eos erroris nota adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt. *Lib. contra Collatorem, cap.* 10. Hinc dicebat magnus ille theologus Gregorius Ariminensis, abhinc 300 et amplius annis supremus Augustinianæ reipublicæ moderator : « Quâ potestate dicunt Augustinum hic non proprie et vere, sed excessive locutum, dicet alius similiter in aliis regulis per Augustinum positis fuisse locutum excessive et non ut sonant illas esse tenendas, sed sic dicendo non est dubium intuenti diligenter quod in multos quis laberetur errores. » 2. *Sententiarum, dist.* 33, *quæst.* 3.

CI.

CENSORES.

Ita sæpe in libris Retractationum se purgat Augustinus, quod olim contra Manichæos (qui dicebant omnia bona a Deo bono, omnia mala a Deo malo quasi fato, non autem liberi ab homine (fieri) *scribens, ita liberum arbitrium prædicarit, ut gratiæ oblitus esse videatur; contra postea, orto Pelagio hoste gratiæ. ita gratiam extollit, ut liberum arbitrium deprimere censeatur.*

S. AUGUSTINUS.

Quamvis et in his libris qui non contra illos omnino (nempe Pelagianos), quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omni modo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre : diximus quippe, etc. (et eam in rem pluribus testimoniis allatis concludit :) Ecce quam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. *Lib.* I *Retract., cap.* 9.

S. PROSPER.

Sed videant quomodo se a dedecore istius exuant falsitatis qui possunt tam inepta confingere, si hi quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoscenda ea quæ præstantissimus minister gratiæ (Augustinus) disputavit, intenderint. Licet omnem istius inquisitionis moram ipsi qui hæc loquuntur prævenire deberent, proferendo atque explicando libros, ullamve eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxiam vir sanctus ediderit. *Epist. ad Rufinum.*

CII.

CENSORES. *Annon hoc ipsum est quod Molina concedit, quodque ab eo superbe dictum exaggerari consuevit ab adversariis, rationem hanc tuendæ libertatis non fuisse datam et explanatam ab Augustino contra Pelagianos disputante?*

S. AUGUSTINUS. Unde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, ut a nullo amplius requiratur. *Lib.* v *contra Jul. Pelagianum, cap.* 1.

S. GELASIUS papa.

O si studerent adversus eos (nempe Pelagianos) majorum nostrorum libros, responsaque cognoscere, illis omnibus modis cerneretur nihil esse prorsus quod ab istis fuerit ventilatum et ab illis magnifica veritate contritum, sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quoque viderentur instructi, ut nihil amplius quæreretur. *Epist. ad Honorium episcopum contra Pelagianos.*

CIII.

CENSORES. *Nulli Patrum promissa fuit infallibilitas, et singuli fere in quibusdam erraverunt, ut Cyprianus in rebaptizandis hæreticis, Hieronymus in aliqua parte Danielis rejicienda,* etc., *et plura dicamus speciatim de Augustino.*

S. AUGUSTINUS. Quod dixi mihi objice, ut purgem. *Lib.* IV *contra Jul., cap.* 1. Nam tua me non terret velut lingua censoris. *Lib.* III, *cap.* 21.

S. PROSPER.

Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi et liberi arbitrii decomptores per multos annos apostolice asseruit litterisque mandavit, quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, et hoc quasi compendium cognitionis his qui judicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent; talique commento et detestationem ejus quem impeterent obtinerent, et ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris averterent. *Præfat. resp. ad capitula Gallorum.*

CIV.

CENSORES. *Sensit ille* (nempe Augustinus) *mundum in instanti creatum fuisse* (lib. IV de Gen. ad litt., a cap. 21 usque ad finem libri, et lib. V, cap. 1 et seq.), *quod non convenit cum scripsit a Moyse cap.* 1 *Geneseos, ut ostendunt accuratiores theologi, speciatimque Suarez, Molina, Martinon, communiterque rejicitur a doctoribus catholicis.*

S. AUGUSTINUS. O vita pauperum Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt quia divini sunt, et in corde famuli tui viderunt quod dicunt, sed quia superbi sunt, nec noverunt Moysis sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. *Lib.* XII *Confess., cap.* 25.

S, THOMAS.

Sed prior Augustini opinio (de creatione mundi in instanti) est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens, quod valde observandum docet Augustinus super Gen., lib. I, ut sic Scripturæ exponantur, quod ab infidelibus non A irrideantur, et hæc opinio plus mihi placet. 2 *Sententiarum, dist.* 12, *q.* 1, *art.* 2, *in fine corporis.*

CV.

CENSORES. *Sensit etiam angelos et dæmones esse corporeos* (in psal. LXXXV et CXLV, et epist. 115) *aliis in locis, ubi affirmat aut supponit habere corpora quædam subtiliora*

S. AUGUSTINUS. Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. *Lib.* XXI *de Civit. Dei, cap.* 10.

IDEM.

Augustinus loquitur non asserendo, sed opinione Platonicorum utens, qui ponebant esse quædam animalia aerea, quæ dæmones nominabant. *Part.* I, *quæst.* 51, *art.* 1, *ad* 1.

B

CVI.

CENSORES. *Item dubitavit num sol et luna, aliaque sidera quæ oculis conspicimus, sint animata.*

S. AUGUSTINUS. De sole et luna talia dicta sunt tanquam sentiant, et ideo tolerent vanos adoratores suos, quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata, modo locutionis qui vocatur Græce metaphora. *Lib.* II *Retract., cap.* 7.

S. THOMAS.

Similiter etiam apud doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origenes enim posuit corpora cœlestia animata. Hieronymus etiam idem sentire videtur exponens illud Ecclesiastici primo : *Lustrans omnia,* etc. Basilius vero et Damascenus asserunt corpora cœlestia non esse animata. Augustinus vero sub dubio dereliquit, neutram in partem declinans, ut patet ex II de Gen. ad litt., et in Enchiridio. *Part.* I, *quæst.* 70, *art.* 3.

C

CVII.

CENSORES. *Dubitavit etiam de origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur, ut videre est, epist.* 29 *ad Hieronymum, et epist.* 157, *et in libro de Origine animæ.*

S. AUGUSTINUS. Proinde ignorantiam meam de origine animarum te corripientem atque objurgantem non moleste ferrem, imo insuper et gratias magnas agerem, si eam mihi non solum duris percuteres conviciis, sed veris etiam excuteres dictis. *Lib.* IV *de Orig. anim., cap.* 3.

D

S. FULGENTIUS.

Cujus quæstionis (de origine animæ) beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quam in libris ad Vincentium Victorem de Origine animæ, nec non in libro primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque epistolis quas ad Optatum episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minus copiosa quam profunda, et eo magis laudabili quia congrua temperie moderata. Ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit, et inquisivit sin-

gulariter et discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. *Lib.* III *de Verit. prædest. et grat., cap.* 18. Quanto ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus? præsertim, quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse. *Cap.* 20.

CVIII.

CENSORES.

Perperam quoque exponit id quod ait Apostolus ad Romanos, cap. XIV, *vers.* 23: Omne quod non est ex fide peccatum est, *quasi velit dicere Apostolus omnia opera infidelium esse peccata, et sine vera fide nullum posse fieri bonum opus. Cum tamen ibi sermo sit de eo quod non fit ex dictamine conscientiæ judicantis bona fide licitum esse id quod fit, ut ex textu ipso liquet, et communis intepretatio doctorum contradicit Augustino, qui etiam aliquot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ,* etc. *Utrumque tamen a vero sensu Apostoli loco citato plane alienum est.*

S. AUGUSTINUS.

Testimonium illud, quod ex Apostolo posui: *Omne quod non est ex fide peccatum est*, sicut tibi visum est accepisti, et exposuisti non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur; verum cum dixisset, *Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide*, hanc peccati speciem de qua agebat, generali voluit probare sententia, mox inferens: *Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Lib. IV cont. Jul., cap. 3. *Omne* enim, velis nolis, *quod non est ex fide, peccatum est.* Intra, ibid.

BONIFACIUS II papa.

Illos autem qui, præcedente fide, cætera, sicut indicas, volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur ascribere, præter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut B. Apostolus dicit: *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur, aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. *Epist. ad S. Cæsarium Arelatensem.*

CIX.

CENSORES.

Norunt etiam quicunque in ejus lectione versati sunt, non adeo felicem in indagando litterali sensu Scripturæ interdum fuisse. Ex quo tamen potissime argumentandum est, longeque illi in hac parte præferendum esse Hieronymum et Chrysostomum.

S. AUGUSTINUS.

Cum his autem qui cuncta illa quæ vera sunt, falsa esse non dicunt, honorantes, et in culmine sequendæ auctoritatis nobiscum constituentes illam per sanctum Mosen editam sanctam Scripturam tuam, et tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor: Tu esto, Deus, noster arbiter inter confessiones meas et contradictiones eorum. *Lib.* XII *Confess. cap.* 16.

SANCTI PATRES.

Hieronymus epistola 30 ad Augustinum ait: « Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. » Sanctus Prudentius, in epistola ad Hincmarum et Pardulum: « Hoc primum vestram sinceritatem monens, ut doctrinam beatissimi Patris Augustini omnium absque ulla dubietate undecunque doctissimi, sanctarum Scripturarum autoritati in omnibus concordissimam; quippe nullus doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius, enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit, » etc. Rhemigius Antisiodorensis in 2 ad Corinth.: « Sicut sol excedit in lumine omnes planetas, ita Augustinus omnes excessit in exponendis sacris Scripturis. » Hugo de Sancto Victore, serm. 25: « Inde et de ipso in hac ejus solemnitate canimus, quod prophetarum et apostolorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystice, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia, » etc.

CX.

CENSORES.

Durius quoque loquitur pluribus locis de veritate corporis Christi in Eucharistia, ut supra indicavimus, qua de causa suum plane illum esse gloriantur, sed falso Calvinistæ, et eminentissimus doctrina æque ac dignitate cardinalis Perronius in libro singulari cui titulus est, Refutatio objectionum ex D. Augustino contra S. Eucharistiæ Sacramentum, *cap.* 1, *ipso initio. Idcirco vocat sanctum Augustinum magnum prætensum Sacramentariorum patronum.*

S. AUGUSTINUS.

Admonet me plane, ac mihi jubet suavissimo imperio lex Christi, hoc est charitas, ut cum aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant, quod ego non sensi, atque idipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi a reprehensore falsitatis, quam ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non senserim, errror, tamen ipse recte vituperatur. Ab hoc autem nec ego recte laudor, a quo existimor id sensisse, quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas. *Lib.* I *de Trin., cap.* 3.

GUITMUNDUS episcopus.

Quid hic Umbratici respondebunt? Ubi in tanta luce lucifugæ nostri umbram parabunt? Ecce Augustini manifestissima documenta recitantur, nihil in eis scrupulosum, nihil ambiguum; aut de his se explicent, aut Augustinum nobis objicere desistant. *Lib.* III *de Veritate Eucharistiæ, contra Berengarium, tomo XI Bibl. PP.*

CXI.

CENSORES.

Item lib. I *de peccat. Merit. et remiss., cap.* 20, *et lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 13, *et lib.* II *Oper. imperf. cont. Jul., cap.* 29, *docere videtur sacramentum Eucharistiæ non minus esse necessarium parvulis ad salutem quam baptismum, neque minus ad eos pertinere quod dicitur Joan.* VI, *vers.* 54: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus san-

S. AUGUSTINUS.

Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quam quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, te introduxi. Cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior loco, etc. Qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille antistes

guinem, non habebitis vitam in vobis, *quam istud Joan.* III, *vers.* 6: *Nisi* quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.

usus est testimonio. *Lib.* I *cont. Jul., cap.* 4.

S. INNOCENTIUS papa.

Illud vero quod eos (Pelagium ac Cœlestium) vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis; qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. *Epist. ad Patres Milevitanæ synodi, apud August. ep.* 93.

S. GELASIUS papa.

Ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est: *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum,* sed etiam pariter dictum est: *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus sanguinem, non habebit vitum in semetipso.* De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc sacramentum vitam habere videantur præsentem. *Epist. ad episcopos Piceni.*

CXII.

CENSORES.

Indeque disputans contra Pelagianos probat infantes, sine Eucharistiæ sumptione non posse vitam æternam consequi, quam sumptionem distinguit a baptismo, quasi velit debere infantes necessario esse reipsa et distincte utriusque sacramenti participes baptismi et Eucharistiæ, ut vitam æternam obtineant. Sic enim loquitur cap. illo 20, *lib.* I, *de pec. Merit.*: Auferatur ergo jam dubitatio, *etc. Quæ verba sunt adeo manifesta, ut difficillime patiantur benignam interpretationem, qua plerique theologorum Augustinum ab errore excusare conantur; error enim est notatus et damnatus sub anathemate a concilio Tridentino.*

S. AUGUSTINUS.

Nihil hic de nostro afferamus. ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto sacramento loqueretur ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus.* Intelligite, et gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis; estote quod videtis et accipite quod estis, etc. *Serm. ad infantes ante altare.*

S. FULGENTIUS.

Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum, et aptum ædificationi et instructioni fidelium. (Et toto sermone recitato, in quo verba proxime recensita leguntur,) Arbitror, ait, sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. *Resp. ad quæst. de Baptismo Æthiopis.*

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem (nempe dandi Eucharistiam parvulis) in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. *Sess.* 21. *cap.* 4.

CXIII.

CENSORES.

Præterea, lib. II *cont. Jul., cap.* 10, *docet cogitationes morosas, sive delectationes voluntarias de rebus venereis esse duntaxat peccatum veniale, modo absit consensus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum.*

S. AUGUSTINUS.

Unum igitur genus est probatissimum, et quasi purgatissimum, cum et bona scripta sunt, et in bonam partem accipiuntur a legentibus. *Lib. de Utilit. cred. ad Honoratum, cap.* 5.

Quæ doctrina ab omnibus catholicis jampridem rejicitur, nec sine scandalo a quoquam obtruderetur.

S. AUGUSTINUS.

Ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur; nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari: absit hoc credere! hac quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. *Lib.* XII *de Trinit., cap.* 12.

CXIV.

CENSORES.

Certe cum eadem sit judiciorum et affectuum alea, et Augustinus tanta contentione pugnet contra Pelagianos, ut obtineat nullum esse quantumvis sanctum, cui non sit opus dicere, Dimitte nobis debita nostra *ob quotidianos voluntatis lapsus, nescio quid Baianis in mentem venerit, ut Augustiniani videri velint, cum tanto nisu persuadere conantur esse aliquos* (nempe Augustinum) *qui judicio nunquam labantur.*

S. AUGUSTINUS.

Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio et nulla temeritate culpari. Ex quibus si aliena reprehenderes, illic et tibi fortassis ostenderem, qualem te esse, in quibus non perperam reprehenderes, vellem, meque tibi juniori major, et præpositus subdito correctionis exemplum quanto humilius, tanto salubrius exhibere. Sed ea in me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas, sed partim fateri, partim defendere veritas cogit. *Lib.* IV *de Orig. animæ, cap.* 1.

B. JORDANUS de Saxonia.

Ipse tamen postea (Augustinus) tam ab erroribus intellectus, quam a corruptione affectus per actum hierarchicum purgatus fuit. *Serm.* 138. Sanctus Thomas Villanovanus ait: « Hæc igitur Augustini tam profunda humilitas apud Deum et homines sapientia

et intellectu illum sublimiter exaltavit, quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* IV, 6). Unde potest de illo intelligi prophetæ vaticinium *Dedit abyssus vocem saum altitudinem phantasiæ* (*Habac.* III, 70). Abyssus, inquam, humilitatis Augustinus vocem doctrinæ suæ populis dedit, propter phantasiæ suæ, id est ingenii altitudinem, quam propter humilitatem contulit illi Deus. » *Conc.* 2 *de S Augustino.*

A

CXV.

CENSORES.

Constat ergo exemplo sancti Bernardi tales esse quas dixerat duas columnas, ut non sit necessario timendum, si quis ita divellatur ab Augustino, ut tamen innitatur Ambrosio, etiam in iis quæ contra Pelagianos Augustinus disputavit, etc.

S. AUGUSTINUS.

Quid ergo, quo me ab illo in hac causa separandum putas? *Postea* : Ergo ille noster an vester sit, et vos videtis. *Lib.* VI *cont. Jul., Oper. imperf.*, *cap.* 119.

B

S. BERNARDUS.

Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor ; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor. *Epist.* 77 *ad Hug. de S. Victore.*

CXVI.

CENSORES.

Quid igitur mirum si vir, alioqui doctissimus et sanctissimus (Augustinus), *difficultate rei oppressus, nihil aliud invenerit in quo essentiam originalis peccati constitueret?*

S. AUGUSTINUS.

Hominem tuo judicio doctissimum et peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem et me doctissimum ac peritissimum nescio, imo vero me non esse certissime scio. *Lib.* IV *de Orig. animæ, initio.*

C

B. JORDANUS DE SAXONIA.

Quantum ad dictorum sufficientiam, quia nihil deest in libris Augustini quod pertinet ad scientiam legis divinæ ; unde dicit Volusianus, scribens ad Augustinum : Utcunque in aliis sacerdotibus toleratur inscitia, sed cum ad antistitem Augustinum venitur, legi Dei deest quidquid Augustinum contigerit ignorare. » *Serm.* 148.

CXVII.

CENSORES.

Nempe jam nos docuit Gerson et Abulensis quo pertinent hæc approbatio; non enim ea ut intelligamus Augustinum nullis esse humanis defectibus obnoxium, sed rarioribus et levioribus.

S. AUGUSTINUS.

Sentit de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus : *Mihi minimum est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Lib. cont. Secundinum, cap. 1.

D

ARNOBIUS JUNIOR.

Serapion dixit : « Testor Deum quia sollicitudini meæ universa ambiguitate eliminas, si de his ejus (scilicet Augustini) mihi definita proferas, et de omnibus quæ transacta sunt evidentia ejus afferas documenta ; fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere, ut se ipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum putaverit in aliquo reprehendendum eloqui. » Arnobius dixit : « Meo sensu locutus es, nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima apostolorum scripta sic credo, et teneo, et defendo. » *Tomo* V *Bibl. PP., part.* III.

CXVIII.

CENSORES.

Sensit Augustinus mundum in instanti creatum fuisse, quod non convenit cum scriptis a Moyse, etc.

S. AUGUSTINUS.

Nemo jam molestus sit dicendo mihi, non hoc sensit Moyses quod tu dicis, sed hoc sensit quod ego dico. Si enim mihi diceret, Unde scis hoc sensisse Moysem quod de his verbis ejus eloqueris, æquo animo ferre deberem et responderem fortasse quæ superius respondi, vel aliquanto uberior, si essem durior. *Lib.* XII *Confess., cap.* 24. Illud autem, quod contendunt, non hoc sensisse Mosen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo, quia et si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, sed audaciæ est, nec visus, sed typhus eam peperit. *Cap.* 25. Ita cum alius dixerit, Hoc sensit quod ego, et alius, Imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit. *Cap.* 31.

CXIX.

CENSORES.

Contrariam Augustino sententiam non modo probabiliorem judico, sed certæ et indubitatæ veritatis.

CXX.

CENSORES

Explicatio hæc censetur ab omnibus improbabilis, nec ego dubito quin si Augustinum non haberet patronum, manifeste damnata fuisset, ut hæretica.

CXXI.

CENSORES.

Contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino evincit simplex et historialis narratio Moysis; quare jam erroneum est dicere omnia uno die esse creata.

PATRES et DOCTORES.

Cassiodorus : « De iisdem principiis sanctus quoque Augustinus, disertus atque cautissimus disputator, duodecim volumina conscripsit, quæ doctrinarum pene omnium decore vestivit, hæcque vocavit de Genesi ad litteram, qui quamvis de eadem retractaverit, qua beatus Basilius, et sanctus Ambrosius celeberrima laude fulserunt, tamen, quod post disertos viros minime contingere solet, opus suum longe in aliam summitatem, Domino largiente, produxit. » *Lib.* I *Divin. Institut., cap.* 22. Sanctus Thomas : « Hæc opinio (nempe Augustini de simultanea rerum creatione) plus mihi placet. » 2 *Sent.*, *dist.* 12, *q.* 1, *art.* 2. B. Albertus magnus : « Sine præjudicio sententiæ melioris videtur Augustino consentiendum, » etc. « Dicendum ergo quod per distinctionem quam ponit Moyses intelligitur distinctio rerum secundum naturæ principia, et non distinctio temporum. » *Part.* I *Summæ quæst.* 12, *de quatuor coævis.* Ægidius, *part.* I *Hexameron, cap.* 28 : « Non autem ista dicimus, ut improbemus opinionem Augustini, quæ est valde subtilis, non solemnis. » Dionysius Carthusianus : « (Augustinus) excogitavit quamdam expositionem subtilem, per quam defendit Scripturam ab irrisione hujusmodi, et tamen salvavit Scripturæ et fidei veritatem. » *In cap.* I Genes., art. 5.

CXXII.

CENSORES. *Augustinus vero clarius Durando astipulari videtur cum actum peccati nullo modo Deo agenti tribuit, sed solum humano arbitrio, etc., id quod clarius ostendit lib. de Perfect. justitiæ, ratiocinat.* 4, *ubi sic quærit*: Quid est peccatum, actusne, an res ? Si res est, *etc.*

S. AUGUSTINUS. Redde verba mea, et vanescet calumnia tua. *Lib.* IV. *cont. Jul., cap.* 8.

S. PROSPER.

Stupeo sanctitatem vestram objectionem calumniantium a persona defensoris gratiæ non potuisse discernere, et verba obtrectantium ei ipsi qui obtrectatoribus suis respondet aptasse. *Ad dub.* 10 *Genuensium contra S. Augustinum.*

CXXIII.

CENSORES. *Petimus ergo a Baianis quanti faciendo sit Augustini doctrina dicentis fallibilem esse scriptoris non canonici auctoritatem, et hanc esse illius differentiam a canonico, quod sine peccato vel injuria cujusquam suspecta esse quandoque possit. Si negant esse probandam fidem, fallunt, et positos a se terminos primi transgrediuntur, Augustinum deserendo. Si probandum fatentur, cum negare non possint quin Augustinus sit intra numerum auctorum non canonicorum, restat ut fateantur sine peccato vel injuria cujusquam dubiam aliquando videri posse illius auctoritatem atque sententiam. Esset autem ridiculus qui ea quæ ille dicit de fallibilitate scriptoris non canonici intelligenda diceret cum exceptione ipsius Augustini.*

S. AUGUSTINUS. Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet ; verumtamen, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi : ille me non amet amplius quam catholicam fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem. Sicut illi dico : Noli meis litteris, quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis, et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede : in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere : ita illi dico : Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. *Lib.* III *de Trinit., in proœmio.*

S. THOMAS VILLANOVANUS.

Ultimum quoque ingenii testimonium hoc est præstantissimum, quod ita conspicue in tanta nebula veritatem intuitus est (Augustinus), et ita eam in tanta sylva errorum discussit, ut cum hoc ipse omnium primus exstiterit, usque hodie post tam longum tempus id teneat, id sequatur Ecclesia et fidei schola, quod Augustinus decreverit. *Conc.* I *de S. August., in fine.*

CXXIV.

CENSORES. *Augustinus argumentis Juliani non satisfecit.* In articulis censuratis a sacra facultate theologica Lovaniensi, et inquisitione Vallisoletana anno 1650, Martii 28; et apud Rivium, lib. IV de Vita sancti August, cap. 10, § 6.

S. AUGUSTINUS. Vitreas argutias tuas, et fragilia, quibus tibi multum videris acutus et nitidus, argumenta confringam. *In fine lib.* I *cont. Julian.* Dialecticorum quasi jaculis oneratus acutis in certamen procedis, et jactas plumbeos pugiones. *Lib.* III, *cap.* 7, *contra eumdem.*

VEN. BEDA et S. PRUDENTIUS.

(Julianus) homo ut rhetor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus, ut apertius scripta ejus, quibus contra strenuissimum ejusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. *Initio præfat. in Cantica.* Sanctus Prudentius ait : « Cum a Patribus, præcipueque beatissimo Augustino (Pelagianis) competentissime abundantissimeque responsum fuerit, » etc. *Epist. ad Gelasium archiep. Senonens., ante lib. de Prædest.*

CXXV.

CENSORES. *Volentes sustinere partes Juliani non posse Augustini rationibus convinci.*

S. AUGUSTINUS. Necessarios articulos sermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendo atque confringo, ut totum corpus victum jacere conspiciat qui et illa tua et hæc nostra perlegerit. *Lib.* IV *cont. Jul., cap.* 9.

S. PROSPER.

Quidquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quæstione objectum potentissime debellasti, hoc totum ab istis sanctis intentiosissime conclamatur. *Epist. ad S. August.*

CXXVI.

CENSORES. *Si triumphi Ecclesiæ niterentur posterioribus scriptis Augustini, immerito de Pelagianis triumphasset Ecclesia.*

S. AUGUSTINUS. Proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse. *Lib. de Dono persev., cap.* 21.

IDEM.

Contra istam (recitat enim Cœlestini papæ elogium de sancto Augustino) clarissimam laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, et perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere ? Ut scilicet, quia in epistola papæ librorum pro quibus actum est non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, et istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat plane, maneat ista conditio, ut horum librorum (quos nempe postremos in materia de gratia ediderat) novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans invenitur. *Cont. Collat., cap.* 43.

CXXVII.

CENSORES. *Augustinus fuit doctor perinde ac alius etiam modernorum.*

S. AUGUSTINUS. Quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, et de musicis, et de numeris sine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi, etc. Non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis et in-

CXXVIII.

CENSORES. *Augustini dotes seu naturales infusæ non fue-*

runt altioris ordinis quam aliorum doctorum, etiam scholasticorum.

eis qui me exponentem *Lib.* IV *Confess., cap.* 16

geniosis difficillime intel- A
ligi, nisi cum eis easdem conabar exponere, et erat ille excellentissimus in non tardius sequeretur.

S. THOMAS VILLANOVANUS.

Hoc sibi justissime vindicat Augustinus, hæc pars Augustini in hac sapientiæ luce, sicut sol omnia astra, ita cæteros omnes post Apostolos superat Augustinus, etc. Etenim intellectus acumine, ingenii perspicuitate, disputandi acrimonia, inveniendi copia, disserendi subtilitate monstrum quoddam in natura fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos irradiante Deo visus est transcendisse, vir intellectu, ut quidam ait, et sapientia prope divi- B
nus. *Conc.* 1 *de S. Augustino.* Quis enim ita excelluit ingenio? quis ita valuit facundia? quis humanarum divinarumque rerum sapientia sic effulsit? quis tot tantisque voluminibus Dei Ecclesiam illustravit? quis ecclesiasticos ordines sic edocuit? Mentitur, ait quidam, qui se omnia Augustini volumina legisse jactat, plus valuit ille scribere, quam nos sufficimus legere. *Conc.* 3 *de eodem.*

CXXIX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Vindicanda est Ecclesia a tutela et pædagogia Augustini.

Te ergo, vera Sponsa veri Christi, Ecclesia catholica, alloquar, et ego te pro modulo meo qua- C
liscunque filius et servus tuus positus in te dispensare cibaria conservis meis. *Lib.* XV *contra Faustum, cap.* 13.

FACUNDUS HERMIANENSIS.

Audeant isti, si possunt, hæreticum dicere Augustinum, audeant sollicita præsumptione damnare et tunc vere discent quæ sit pietas et constantia Ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit atque firmavit, cum ab omnibus confestim anathematizati fuerint, et tanquam putrida et morbida membra præcisi. *Lib. contra Mocianum.*

CXXX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Utrum Augustinus contra id quod sentimus sentiat non admodum curandum.

Non valde curo, inquam, superborum impe- D
ritorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt. *Lib.* I *de Ord., cap.* 11.

B. ALBERTUS MAGNUS et S. PAULINUS.

Dicendum quod sic, quia hoc Augustinus aperte dicit, cui contradicere impium est in iis quæ tangunt fidem et mores. *Part.* II *Sum. theol., tract.* 14, *q.* 184, *ad q.* 3. Sanctus Paulinus, *epist* 36 *ad Romanianum inter Augustinianas*, ait: « Si audias, si sequaris (Augustinum), ut rursum te sermone Salomonis alliciam: *Fili, coronam accipies gratiarum tuo vertici.* » Postea: « Vere enim pontifex et vere consul, Licenti, eris, si Augustini vestigiis prophetici et apostolicis disciplinis, ut sacrato beatus Elisæus Eliæ, ut illustri apostolo Timotheus adolescens adhæreas indivulso per itinera divina comitatu, » etc.

CXXXI.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Jam enim in libris editis constat quantas turbas excitarit una vocula tanta adulatione jactata: Reliquos quidem Patres utiles, sed Augustinum unicum esse necessarium, et ad omnes materias theologicas sufficere: *Quasi Ecclesia Dei ad tantam solitudinem redacta sit, ut non ex multorum Patrum consensu, sed ab unius suffragio suarum decisionum robur mutuari cogatur.*

Tantumque mihi tributum est, ut ubicunque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer. *In Prologo Retract.*

Absit a me ista, quam mihi objicis, arrogantia, ut me istam causam contra vos, unum pro omnibus agere pollicerer. *In fine lib.* II *contra Julianum.*

CXXXII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Vidimus sectione præcedenti scriptores synopsis ejus vitæ (nempe Jansenii), *hoc ipsius celebre dictum veluti tanto viro dignus apophthegma referre:* Patres cæteros utiles esse, sed Augustinum necessarium, imo unum pro omni materia theologica sufficere. *Quæ propositio non modo gravem exaggerationem, sed etiam perniciosum errorem continet.*

Unus sum e multis qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus, sicut unicuique nostrum Deus partitus est mensuram fidei. *Lib.* VI *cont. Jul., cap.* 8.

Nunc ergo, ne tui stomachi follis indigesta maledictorum cruditate rumpatur, in hunc evome, si audes, calumniosas tuas vanitates, et insanias mendaces, etc. Insignis Ecclesiarum doctor loquitur. *Lib.* II *cont. eumd., cap.* 8.

MARTINUS V papa.

Quicunque de Christo, de fide, de religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil pene sacris litteris possit nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum est ut nec philosophis sapientiam invideamus, non oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus, non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cujusquam illius generis hominum scientia ac virtus exemplo aut documento nobis debeat. Idem nobis prophetarum oracula, idem apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scripturarum sensum exprimit, unus postremo omnium Patrum sapientumque ingenia ac studia exhibet. Si veritatem quæris, si doctrinam, si pietatem, quis doctior? quis justior? quis, ut ita dicam sanctior Augustino? *Serm. de translat. corporis S. Monicæ.*

CXXXIII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Non est cur sancti Pauli ac sancti Augustini verbis teneamur, qui aliquando omnia meræ Dei voluntati attribuere videntur etiam absque ullo bonorum nostrorum operum intuitu. Hos enim duos magnos viros, quasi duo maria magna considerare necesse

Sic vis disputatoribus non præjudicare catholicis nonnulla quæ ab eis, sicut putas, incautius fusa, vobis objicimus, quid est hoc, nisi dicere etiam in Scripturis sanctis ea quæ pro se usurpant hæretici incautius fusa esse? quo sceleratius quid po-

est, qui ingenii sui impetu in unum littus ita exundant, ut alterum pro aliquo tempore siccum relinquere velle videantur; verum sicut Oceanus postquam in aliquam plagam effusius sparsus est, in limites sibi a Deo constitutos regreditur, sic istiusmodi viri postquam in rebelles veritatis impugnatores insiluerunt, ad tranquillam æqualitatem ædificationi fidelium accommodatam redeunt.

test dici? *Lib.* IV *Oper. imperf., contra Julianum, cap.* 112.

CXXXIV.

CENSORES.

Ingenii sancti Pauli ardor satis fervebat, ut in ejusmodi expressiones (excessivas nempe) *facile abriperetur. Sic cum vult Christianis sublimem gratiæ baptismalis ideam tradere, ipsosque ad illius conservationem potenter hortari, videtur asserere impossibile esse eos qui aliquo crimine lapsi sunt rursus ad eam revocari per pœnitentiam. Cum in Epistola ad Romanos fidem extollit, arma Calvino videtur ministrare ad suam hæresim stabiliendam, et videtur asserere per eam solam quemlibet salvari. Cum vero in epistola ad Corinthios charitatem prædicat, videtur omnia quæcunque de fide dixerat evertere, et omnem spem nostram in ea ponere.*

S. AUGUSTINUS.

Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in reis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis conteratur improbitas? Statim enim ut protuleris, si aliter sapit qui contra nititur, dicit illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum? *Epist.* 9 *ad Hieronymum.*

CXXXV.

CENSORES.

Spiritus Pauli sublimis et acer in partem in quam inclinat ita vehementer fertur, ut in extrema declinare, alterumque extremum negare videatur.

S. AUGUSTINUS.

Quæ auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur? *Lib.* XI *cont. Faustum, cap.* 2.

S. RHEMIGIUS.

Graviter perculsi et confusi animo vidimus in eis, et Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, et beatissimorum Patrum, præcipueque sancti Augustini reverendam et in omni Ecclesia catholica receptissimam auctoritatem novo conatu et ausu nimis temerario impugnari, et quantum in ipsis fuit improvide atque insolenter labefactari. Unde ipsa charitate provocati et commoniti, per quam in uno Christi corpore omnes unum esse debemus, ut, sicut Apostolus dicit: *Invicem pro se sollicita sint membra, et sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, et sive quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra* (I *Cor.* XII, 26); hac, inquam, charitatis affectione visum est nobis atque complacuit, ut hæc qualiacunque sunt et ad commonitionem nostram, et ad eorum qui legere voluerint ædificationem et confirmationem compendioso, lucido (prout Dominus aspirare dignatur) sermone scriberemus; quidquid in eo dicendum putavimus non nostro sensu aut præsumptione, sed præfatorum sanctorum Patrum venerabili auctoritate firmantes, a quorum vestigiis et unitate absit ut vel nos, vel illi quorum charitate compulsi hæc dicimus, ullatenus recedamus, ne ab ipsis divisi etiam ab ipso Domino dividamur, qui illis specialiter dicit: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X, 16). Quos nimirum tantæ in Ecclesia sua esse voluit gratiæ et gloriæ, ut confidenter cum Apostolo dicere possint: *Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in vobis* (I *Thess.* IV, 8), *etc.* Lib. de tenend. verit. Script., cap. 4.

S. P. N. AUGUSTINUS.

Nos quidem, charissimi, cum falsa crimina audimus ab eis quos offendimus prædicandi eloquia veritatis, et erroris vaniloquia convincendo, habemus, sicut nostis, abundantissimam consolationem. Nam si in eis quibus me criminantur testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non solum contristari non debeo, verum etiam gaudere et exsultare, quia merces mea multa est in cœlis. Neque enim intuendum est quam sit amarum, sed quam falsum sit quod audio, et quam verax pro cujus nomine hæc audio (*Lib.* III *cont. litt. Petiliani*). Hæc utique falsa sunt, et ideo nobis nihil obsunt, cum ea falsa dicitis nec respicitis vos; vobis autem obsunt, quia cum ea falsa dicitis, in nos non cadunt, sed quia ea vera putatis, in vos recidunt (*Lib.* II *cont. eumdem, cap.* 33). Ad existimationem hominum magna testium qui me noverunt suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis Omnipotentis justificare audeo, magis ab illo effluentem misericordiæ largitatem, quam judicii summum examen exspecto (*Lib.* III *cont. Crescon., cap.* 80). Dicis me, si sub potestate judicium premerer, quales tibi ipsi componis. non habiturum fuisse quid facerem, quo confugerem, cum tuis argumentationibus unde occurrerem, reperire non possem. Ego plane haberem quod facerem, haberem quo confugerem; a Pelagianis enim tenebris ad hæc tam clara catholica lumina provocarem, quod et nunc jam facio. Tu ergo responde quid facias, dic quo confugias (*Lib.* II *cont. Jul., cap. ult.*) Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc quod inter nos disputatur incertæ sunt inani cogitatione confinxi, sed sanctos et in sancta Ecclesia illustres antistites, Dei non Platonicis et Aristotelicis, et Zenonicis, aliisque hujuscemodi vel Græcis, vel Latinis, quanquam et istis aliquos eorum, verum omnes sacris litteris eruditos, nominatim sicut oportebat expressi, eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi (*Ibid., cap.* 10). Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile sedere tot, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur

ines, sed in librum qui navigare possit ad homines A hensores sancti Augustini, et vera objicere, et recta
.n *cont. Jul. cap.* 10). Nullas nobiscum vel vobiscum impugnare, et prava defendere; peremptorumque
itia attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Quod armis intestinum bellum moventes dictis divinis at-
erunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt do- que humanis constitutionibus rebellare. Quorum ta-
runt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tra- men, dum adhuc non sunt a fraterna societate di-
runt. Nondum vobiscum apud istos judices ali- visi, toleranda magis est intentio quam desperanda
) agebamus, et apud eos acta est causa nostra. correctio; donec Dominus per Ecclesiæ principes, et
dum vobiscum certabamus, et eis pronuntianti- legitimos judiciorum suorum ministros hæc, quæ per
vicimus (*Ibid.*). Quos oportet ut populi Christiani paucorum superbiam et quorumdam imperitiam sunt
ris profanis novitatibus anteponant, eisque eli- turbata, componat. Nobis, Deo adjuvante, sit stu-
t potius adhærere quam vobis (*Ibid., cap.* 9). An- dium quieta modestaque patientia odiis dilectionem
tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, reddere, et ineptorum vitare conflictus, veritatem
icut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, non deserere, nec cum falsitate certare. *In perora-*
a cordibus eorum quos decipere cœperatis, si *tione contra Collatorem.*
voluerint, deposito studio contentionis, cogitare, B
jecta est (*Ibid. cap.* 3)? Nos autem paratiores su- S. ALIPIUS TAGASTENSIS.
cum istis viris et cum Ecclesia Christi in hujus Quare jam, socii mei, exspectationem vestram.
antiquitate firmata quælibet maledicta et con- qua me ad respondendum provocatis, certiore spe
elias perpeti, quam Pelagiani cujuslibet eloquii mecum ad discendum convertite. Habemus ducem
dicatione laudari (*Lib.* II *de Nupt. et concup.*, (Augustinum), qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo
.29). jam monstrante, perducat. *Apud August. in fine lib.*
III *contra Academicos.*

S. PROSPER AQUITANUS.

ficienter, ut arbitror, demonstratum est repre-

CENSORES SANCTI AUGUSTINI,

JUXTA ORDINEM QUO ILLORUM CENSURÆ RECENSENTUR IN VINDICIIS AUGUSTINIANIS, CAP. 9. IMPRESSIS PATAVII 1613, ET BRUXELLIS 1675.

1 Ludovicus Molina, *in Concordia, quæst.* 23, *art.* C
4 *et* 8, *disp.* 1, *memb. ultim., pag.* 389 *editionis Antuer., ann.* 1595 *et* 1609.
2 Idem *ibidem, pag.* 388, *col.* 1.
3 Idem *ibidem, memb.* 6, *pag.* 332, *col.* 2.
4 Idem *ibidem, pag.* 387, *col.* 2.
5 *Ibidem.*
6 Franciscus Annatus, *disp.* 3 *de Scientia media, cap.* 5.
7 Idem *lib.* VIII *August. Vindicati, cap.* 4, *pag.* 874.
8 Molina, *cit. pag.* 386, *col.*
9 Idem *ibidem, memb.* 6 *pag.* 332, *col.* 2.
10 Idem *ibidem, pag.* 334, *col.* 2.
11 Idem *ibidem, memb. ult., pag.* 387, *col.* 1.
12 Idem *ibidem, quæst.* 10, *art.* 6, *disp.* 1, *pag.* 227, *col.* 1.
13 Gabriel Vasquez, *part.* I, *disp.* 83, *cap. num.* 12.
14 Dionysius Petavius, *tom.* I *Dogm. Theol., lib.* I, *cap.* 3, *num* 2.
15 Molina, *cit. q.* 14, *art.* 6, *disp.* 1, *pag.* 274, *col.* 1.
Idem *p. p. disp.* 1, *de Opere sex dier.*
16 Vasquez, *part.* I, *disp.* 47, *cap.* 3, *num.* 2.
17 Idem *ibidem.*
Idem, 1-2, *disp.* 125, *num.* 14.
18 Idem. 1-2, *disp.* 193, *num.* 39.
Joannes Mariana, *lib.* III, *de Mort. et immort., cap.* 6.
Idem *ibidem.*
Theophilus Rainaudus, *in censura inofficiosæ censuræ pro Valeriano Cemeliens.* I, § 22.
19 Mariana, *cit.*
20 Jacobus Sirmondus, *in præf. libri Sentent. S. Aug. de Præd. ad gratiam.*
Idem, *cap.* 8 *de Hæresi Prædestinatiana.*
27 Petavius *cit. lib* X, *cap. p.*
28 Idem *de sincera August. et Tridentini concilii interpretatione, cap.* 4.
29 Idem *in dissert. priori et Trident. concil. et August. auctorit., cap.* 4.
30 Idem *ibidem*
31 Idem *in dissertat. posteriori, cap.* 5.
32 Idem *ibidem in Epilogo, num.* 6.
33 Idem *in dissert. cit., cap.* 3, § 8.
34 Joannes Adamus, *part.* III *Calvini destructi, edit. Parisiis an.* 1650 *Gallice, cap.* 3, *pag.* 578.
35 Idem *ibidem, pag.* 579.
36 Idem *ibidem, pag.* 581.
37 *Ibidem.*
38 *Ibidem.*
39 *Ibidem, pag.* 584.
40 *Ibidem, pag.* 586.
41 *Ibidem.*
42 *Ibidem, pag.* 583.
D 43 *Ibidem, cap.* 4, *pag.* 190.
44 *Ibidem.*
45 Idem, *cap.* 6. *pag.* 615.
46 *Ibidem, pag.* 611.
47 Idem, *cap.* 4, *pag.* 586, *in titulo capitis.*
48 Idem, *cap.* 6, *in titulo, pag.* 610.
49 Idem, *cap.* 4, *pag.* 597.
50 *Ibidem.*
51 Idem, *cap.* 6, *pag.* 611.
52 Idem, *cap.* 4, *pag.* 597.
53 Idem, *cap.* 6, *pag.* 611.
54 Idem *ibidem, pag.* 612.
55 Idem *ibidem, pag.* 614.
56 *Ibidem,*
57 Idem. *cap.* 7, *pag.* 626.
58 *Ibidem, pag.* 632.
59 Idem, *cap.* 8, *pag.* 639.

60 *Ibidem. pag.* 640.
61 *Ibidem.*
62 Idem, *cap.* 10, *pag.* 661.
63 *Ibidem. pag.* 667.
64 Idem, *cap.* 6, *pag.* 614.
65 Idem, *cap.* 10, *pag.* 665.
66 Idem, *cap.* 8. *pag.* 637.
67 Gregorius de Valentia *p. p. q.* 23, *disput.* 2, *de reprobatione, puncto* 4.
68 Annatus, *lib.* viii *August. vindicati, cap.* 1, *initio.*
69 Idem, *cap.* 1, *pag.* 856.
70 Idem, *cap.* 2, *pag.* 862.
71 *Ibidem.*
72 Idem, *cap.* 3, *pag.* 863.
73 Idem *ibidem, pag.* 864.
74 Idem, *cap.* 4, *pag.* 877.
75 Idem, *cap.* 2, *in fine.*
76 Idem, *cap.* 5, *pag.* 897.
77 Idem *ibidem.*
78 Idem, *cap.* 5, *pag.* 896.
79 Antoninus Moraines, *alias* Joannes Martinonus, *in præfat. Anti-Jansenii.*
80 Annatus, *lib.* i *August. vindicati, cap.* 8, *pag.* 48.
81 Moraines, *in præfat. cit.*
82 *Ibidem.*
83 *Ibidem.*
84 *Ibidem.*
85 *Ibidem.*
86 *Ibidem.*
87 Idem, *disp.* 40 *Anti-Jansenii, sect.* 6, *n.* 67.
88 Idem *ibidem, disp.* 12, *num.* 49.
89 Idem *in præf. cit.*
90 Annatus, *lib.* iii *cit. cap.* 4, *pag.* 282.
91 Philippus Labbe, *in Antithes. Augustini et Calvini.*
92 Maldonatus, *in cap.* vi *Joannis,* v, 44.
93 Idem *ibidem.*
94 Joannes Roberti, *in opusc. de Nathanaele, pag.* 13.
95 *Ibidem, pag.* 11.
96 Adamus, *cit. cap.* 8, *pag.* 642.
97 Stephanus des Champs, *lib.* iii *de Hæresi Janseniana, cap.* 3, *disp.* 1.
98 Moraines, *cit. disp.* 17, *num.* 22.
99 Annatus, *lib.* viii *cit. cap.* 2, *pag.* 862.
100 Moraines, *cit. disp.* 40, *num.* 65.
101 Cornelius a Lapide, *in prœmio ad Epistolas Pauli, canone* 1.
102 Annatus, *disp.* 3 *de Scientia media, cap.* 5, *num.* 112.
103 Moraines, *disp.* 12, *num.* 32.
104 *Ibidem.*
105 *Ibidem.*
106 *Ibidem.*
107 *Ibidem.*
108 Idem *ibidem, num.* 33.
109 *Ibidem.*
110 *Ibidem.*
111 *Ibidem.*
113 *Ibidem.*
114 Annatus, *lib.* viii *August. vindicati, cap.* 6, *pag.* 903.
115 Idem, *cap.* 4, *pag.* 885.
116 Vasquez, 1-2, *disp.* 132, *cap.* 3.
117 Annatus, *cit. cap.* 6, *pag.* 902.
118 Moraines, *disp.* 12, *num.* 32.
119 Pererius, *tom.* I *in Genes.*
120 Arriaga, *part.* i, *tom.* II, *disp.* 28, *num.* 40.
121 Cornelius a Lapide, *in cap.* i, *Genes.*
122 Vasquez, 1-2, *disp.* 129, *cap.* 2, *num.* 6.
123 Annatus, *cit. cap.* 6, *pag.* 901.
124 Recentiores critici, *in articulis censuratis, vel in Vindiciis.*
125 Iidem.
126 Iidem.
127 Iidem.
128 Iidem.
129 Iidem.
130 Iidem.
131 Moraines, *in præfat. Anti-Jansenii.*
132 Idem, *disp.* 1 *Anti-Jansenii, num.* 1.
133 Nicolaus Caussinus, *part.* iii *Aulæ sanctæ. axiomat.* 6, *de Prædest., n.* 2.
134 Adamus, *part.* iii *Calvini destructi.*
135 Cornelius a Lapide, *can.* 1 *in Epist. D. Pauli.*

FINIS VINDICIARUM AUGUSTINIANARUM.

TRACTATUS TRES *

QUOS IN DEFENSIONEM SANCTI AUGUSTINI

GALLICE ADORNAVIT R. P. MERLIN **

EPISTOLA DEDICATORIA

Monsieur,

Vous me demandez où en est ma réfutation du Dictionnaire historique et critique de M. Bayle, et vous êtes curieux d'en avoir un échantillon. Je souhaite que vous ayez pour agréable celui-ci. Il contient une matière

* Titulus Gallico idiomate scriptus, auctorisque nomine carens, sic se habet : ***Réfutation des critiques de M. Bayle sur saint Augustin, où sont contenus trois traités : Le premier***, Véritable clef des ouvrages de saint Augustin contre les Pélagiens; ***le second***, Examen des critiques répandues dans le dictionnaire de M. Bayle sur divers endroits des écrits du même saint docteur; ***le troisième***, Dissertation touchant la nature de la loi de Moïse. Paris, 1732. — Nos hæc tria opuscula sub uno generali titulo comprehendimus.

** Merlin (Carolus), e societate Jesu in diœcesi Ambianensi, Lutetiæ defunctus in collegio Ludovici Magni anno 1747, humaniores litteras theologiamque fauste admodum professus est. Summam illi laudem conciliavere : 1° Opusculum inscriptum, ***Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des sept sacrements de l'Eglise***; 2° plures dissertationes quibus, pro majori parte, ditatum est *Tiburtiense Diarium*. Edit.

intéressante : j'ai fait tous mes efforts pour le remplir de recherches et de découvertes propres à attirer l'attention du monde savant d'aujourd'hui, qui veut du neuf dans les ouvrages nouveaux qu'on lui présente. Les preuves de ce que j'y avance de plus singulier sont portées, si je ne me trompe, jusqu'à l'évidence et la démonstration. Mais j'y perds trop longtemps de vue M. Bayle, et vous jugerez peut-être que ce morceau doit être publié en particulier, et n'entrer que fort abrégé dans la réfutation universelle du Dictionnaire; d'autant plus que je suis résolu de changer le plan sur lequel j'ai travaillé jusqu'à cette heure, en conséquence des avis que vous avez la bonté de me donner.

Vous m'approuvez d'avoir séparé le sacré du profane, et vous croyez qu'il est convenable de mettre d'abord entre les mains du public l'examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les matières qui concernent la religion; mais mon dessein de faire paraître l'un après l'autre les différents membres de cette première partie n'est point de votre goût; et les *in-quarto* ne vous semblent point de mise pour attaquer des *in-folio*. J'acquiesce à votre sentiment. En effet, tel qui a fait l'emplète du Dictionnaire de M. Bayle en estimera peut-être la réfutation plus solide, quand elle figurera avec les quatre volumes: il en ferait moins de cas s'il ne pouvait la placer à leur suite avec symétrie dans sa bibliothèque. On aime aujourd'hui l'ordre et l'arrangement. C'est pourquoi aussi je ne ne suis pas contenté d'une ressemblance et d'une proportion extérieure, et j'ai cru qu'il fallait donner à ma réfutation la forme de Dictionnaire, où, suivant l'ordre alphabétique des personnages, je compose un texte avec des remarques à la manière de M. Bayle. Il m'en coûtera peu de diviser ce que j'avais réuni. D'ailleurs, les dictionnaires sont à la mode; la grammaire a maintenant l'honneur de soumettre à sa méthode l'histoire, la jurisprudence, la médecine, la philosophie, la théologie, et, en un mot, de réduire à l'*a*, *b*, *c*, les plus nobles sciences. Il faut donc prendre patience durant quelques années, et attendre que le tout soit prêt pour l'imprimer; je dis le tout, car la réfutation de ce qui n'intéresse point la foi paraîtra en même temps d'une autre main. Un homme fort habile, qui a formé et commencé avant moi la même entreprise, a eu la complaisance de me céder le sacré, et de s'attacher uniquement au profane.

Mais, afin que vous ne soyez point surpris de la manière dont je traite ici ce qui concerne saint Augustin, je dois vous expliquer quel était mon premier dessein. Je faisais état de donner d'abord un in-quarto avec ce titre : *Examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les saints de l'Ancien et du Nouveau Testament*. Le tome suivant aurait été intitulé ainsi: *Examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les saints Pères et sur les conciles*. Dans ce second tome, qui est déjà presque achevé, les matières sont traitées en forme de dialogues, de lettres, ou de discours, que j'adresse toujours à quelqu'un, pour rendre le style plus vif et plus animé. Ce que je vous envoie est un morceau de ce second tome.

TRACTATUS PRIMUS.

VÉRITABLE CLEF

DES OUVRAGES DE SAINT AUGUSTIN

CONTRE LES PÉLAGIENS

Après avoir répondu à tous les reproches que M. Bayle fait à Tertullien, à Origène, à Arnobe, à Lactance, à saint Basile, à saint Jérôme, je suppose une personne qui avait eu recours à moi pour défendre saint Chrysostome, dont on avait parlé avec mépris dans une compagnie, sur la foi des critiques de M. Bayle. Cet homme, content de voir dans les éclaircissements qu'il reçoit de moi la parfaite justification du saint docteur, reprend ainsi la parole, et me dit:

Il faut vous l'avouer, ceux qui m'ont poussé sur l'article de saint Chrysostome n'aiment guère ce Père, quelque mine qu'ils en fassent; mais ils seraient charmés qu'on justifiât saint Augustin avec autant de solidité sur tous les points où il est maltraité par M. Bayle. Non pas, lui répondis-je, sur tous les points; car vous me faites entendre qu'ils sont tout à fait prévenus en faveur du jansénisme. Ils ont lu, je m'assure, plus d'une fois avec une extrême complaisance ces paroles de M. Bayle à l'article de saint Augustin (*Remarque* E) : « Il est certain que l'engagement où est l'Eglise romaine de respecter le système de saint Augustin la jette dans un embarras qui tient beaucoup A du ridicule; » et dans les notes: « Il est si manifeste à tout homme qui examine les choses sans préjugé et avec les lumières nécessaires, que la doctrine de saint Augustin et celle de Jansénius, évêque d'Ypres, sont une seule et même doctrine, qu'on ne peut voir sans indignation que la cour de Rome se soit vantée d'avoir condamné Jansénius, et d'avoir conservé à saint Augustin toute son autorité et toute sa gloire. » Et à l'article de Jansénius (*Remarque* H): « Il n'y a point de sophismes dont les molinistes ne se soient servis pour faire voir que saint Augustin n'a point enseigné le jansénisme. »

Vos jansénistes seraient-ils d'humeur à entendre patiemment de ces sortes de sophismes? Ce n'est qu'à ce prix que j'entreprendrai de les satisfaire sur le reste. J'ai pour le moins autant de zèle qu'eux pour tout ce qui intéresse la gloire de saint Augustin; mais, à mon avis, la plus grande injure qu'on puisse faire au saint docteur est de prétendre que l'Église, engagée à respecter son nom, a frappé d'anathème sa doctrine sous le nom de Jansénius. Dans cette supposition, il est absolument impossible de répon-

dre à l'argument que M. Bayle emploie pour prouver que le concile de Trente, *en condamnant la doctrine de Calvin sur le libre arbitre, a nécessairement condamné celle de saint Augustin* (*Remarque* E). C'est le même dont les catholiques se servent pour démontrer que le concile de Trente, en condamnant la doctrine de Calvin, a nécessairement condamné celle de Jansénius. Le voici : « Il n'y a point de calviniste qui ait nié, ou qui ait pu nier le concours de la volonté humaine, et la liberté de notre âme au sens que saint Augustin a donné au mot de concours, de coopération et de liberté. Il n'y a point de calviniste qui ne reconnaisse le libre arbitre et son usage dans la conversion, si l'on entend ce mot selon les idées de saint Augustin. Ceux que le concile de Trente a condamnés ne rejettent le libre arbitre qu'en tant qu'il signifie la liberté d'indifférence. » Qu'on substitue le nom de Jansénius à celui de saint Augustin, l'argument de M. Bayle sera vrai et invincible.

En effet, comme M. de Fénelon l'a fort bien démontré, la grâce de Calvin n'est pas autrement efficace par elle-même et nécessitante que celle de Jansénius. Calvin (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 10) ne prétend pas que la nécessité d'agir qui résulte et qui suit de la motion de la grâce, soit une nécessité absolue et totale, mais seulement relative et partielle; de là vient qu'il approuve et qu'il juge pouvoir accommoder à son sens les distinctions et les termes dont on se sert communément dans l'école. *Unde videmus non temere in scholis inventas fuisse distinctiones de necessitate secundum quid et absoluta : item consequentis et consequentiæ* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 16, *n.* 9). Il a soin d'avertir que la nécessité qu'il admet n'est pas une nécessité de contrainte et de violence, mais une nécessité simple et qui s'accorde avec l'inclination et le penchant de la volonté. *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse et fateor et constanter asservo, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat* (*Lib.* II *de Lib. Arb. contra Pighium*). Il faut convenir que Luther appelle quelquefois immuable la nécessité d'agir qu'il reconnaît, mais il veut dire seulement que l'homme n'a point le pouvoir de la surmonter et de la changer. *Vocamus modo*, dit-il, *necessitatem immutabilitatis, quod voluntas sese mutare et vertere alio non possit* (*Luther, in libro de Servo Arbitrio*). Pour ce qui est de Calvin, il enseigne en une infinité d'endroits que la nécessité dont il parle est variable. *Dixi quasdam interdum interruptiones fidei contingere* (*Lib.* III *Inst.*, *cap.* 2, *n.* 24). Selon lui, la nécessité qu'impose l'action de la grâce est causée par une délectation victorieuse et supérieure à celle de la concupiscence, *per eamdem gratiam impresso delectationis affectu* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 14). Il n'ôte à la volonté que le choix ou l'action de choisir, qui supposerait le pouvoir de résister à la grâce, mais il assure que la grâce forme dans notre cœur ce mouvement que nous appelons choix ou action de choisir. *Ipsa est gratia quæ in corde et electionem et voluntatem format* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 13). Quand Luther et Calvin ont dit que le libre arbitre était comme une chose inanimée, qui n'avait point d'action et était purement passive, ils n'ont entendu parler que du moral de l'action, dont le mérite tout entier devait être attribué à la grâce, qui imposait la nécessité d'agir, et non pas au libre arbitre, qui agissait suivant l'impression de cette nécessité. Car d'ailleurs ces hérésiarques, et surtout Calvin, ont prétendu que le libre arbitre agissait véritablement. *Non hic quæritur agatne voluntas, quod extra dubium est, sed agatne ex se ipsa an pro modo divinæ actionis* (*Lib.* VI *de Lib. Arb.*, *contra Pigh.*) Enfin Calvin nomme volontaire la nécessité qu'il établit, *necessitas quodammodo voluntaria..., voluntariæ cujusdam servitutis* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 5). Voilà l'abrégé de la doctrine de Calvin, laquelle a été condamnée par le concile de Trente; or c'est aussi un très-fidèle extrait de la doctrine de Jansénius; donc la doctrine de Jansénius a été condamnée par le concile de Trente.

Le croiriez-vous? j'ai vu des jansénistes si outrés, qu'ils ne savaient point trop mauvais gré à M. Bayle de ne point distinguer la doctrine de leur maître d'avec celle de Calvin, parce qu'il leur faisait la grâce de confondre l'une et l'autre avec les sentiments de saint Augustin. Ce critique flatte un grand parti, et imite son langage, quand il dit hardiment, sans la moindre preuve : *Il est certain, il est manifeste.*

Quoi qu'il en soit, il est toujours très-assuré que le saint docteur ne regarde point en cet endroit la Synagogue, en tant que Synagogue mais en tant qu'elle était composée d'hommes charnels par leur propre faute, qui avaient des sentiments indignes de Dieu, que la perversité de leur cœur, et non pas la défectuosité de leur loi et de leur religion leur inspirait. Et c'est bien à tort que Jansénius impute à un si grand et si savant défenseur de la foi une monstrueuse hérésie, par l'infidèle commentaire qu'il fait des textes du saint docteur, dont la pensée est différente du sens que lui donne son faux interprète, comme le jour l'est de la nuit.

Dire que la plupart des Juifs, et ceux même à qui rien ne manquait des dehors extérieurs de la piété, étaient dans une telle disposition d'esprit qu'ils n'espéraient de Dieu que des biens terrrestres et des avantages mondains, ce n'est pas dire, ce me semble, que la Synagogue, en tant que Synagogue, et par conséquent en tant que l'ouvrage de Dieu, était une assemblée d'hommes charnels ; ce n'est pas dire que la destination spéciale de la loi de Moïse était de promettre tout ce qui entretient et fomente la cupidité terrestre pour prix des actions dont elle est le principe.

Et qu'on ne dise pas avec Jansénius (*Tom. III, lib.* III, *cap.* 6, *p.* 280) que saint Augustin fait manifestement entendre la même chose par ces paroles : « L'Ancien Testament, qui contient des promesses terrestres, semble porter à ne point aimer Dieu gratuitement, mais le motif de l'aimer est ce qu'il donne sur la terre : *Illud enim Vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere, ne gratis colatur Deus, sed quia aliquid dat in terra ideo diligitur* (*S. Aug. Enar. in psal.* LXXIX, *n.* 14.) » Ce mot *videtur* (il semble) avertit de ne pas confondre la loi avec l'abus qu'on en fait, l'esprit de la loi avec l'intelligence charnelle de la lettre. « Car la loi, dit le saint docteur, est spirituelle ; elle ne contraint pas les hommes à l'expliquer dans un sens charnel ; mais il faut s'en prendre aux vices de ceux dont les sentiments charnels corrompent ce qu'ils ont reçu, à quoi ils ajoutent plusieurs choses de leur invention, par lesquelles, comme dit le Seigneur, ils rendent inutile le commandement de Dieu en faveur de leurs traditions : *Lex enim spiritualis est, nec carnaliter se cogit intelligi : sed illorum vitium est qui et illa quæ acceperunt carnaliter sentiunt, et multa etiam sua tradiderunt, dissolventes, sicut Dominus dicit, mandatum Dei propter traditiones suas* (*Expos. in Gal., n.* 7). »

Je finis cet article par l'examen d'un passage de saint Augustin sur lequel Jansénius appuie beaucoup : « Celui, dit le saint docteur, qui se soumet à la loi de Dieu dans la vue de recevoir de lui les biens terrestres, est héritier de l'Ancien Testament : *Qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est hæres Veteris Testamenti* (*Lib. de Gestis Pelagii, cap.* 5. *n.* 14.) » Toute l'espérance des Juifs, toute leur charité envers Dieu, tout le culte qu'ils lui déféraient, furent donc charnels, et par conséquent vicieux, concluent les novateurs, et cela ne venait point de l'abus, mais de la nature même de l'Ancien Testament.

S'ils prenaient la peine d'éclaircir un peu leurs idées, ils apercevraient qu'il y a trois différentes manières d'aimer et de servir Dieu en vue des récompenses temporelles. La première est de l'aimer et de le servir avec la résolution de ne l'aimer et de ne le servir pas, s'il refusait des biens temporels ou s'il les enlevait. Cet amour est vicieux et condamnable : mais, loin qu'il fût propre de l'ancienne loi, elle le défendait et le réprouvait expressément, puisqu'elle ordonnait d'aimer Dieu par dessus toutes choses.

La seconde manière d'aimer et de servir Dieu en vue des récompenses terrestres est celle qui exclut la disposition perverse dont je viens de parler, en faisant seulement abstraction des sentiments que l'on pourrait avoir, et ne réfléchissant nullement à la situation d'esprit et de cœur où l'on se trouverait, si ceux qui aiment et qui servent Dieu n'avaient à attendre de lui aucunes récompenses temporelles. Cet amour est imparfait, parce qu'il ne suffit point pour la justice, et comme il n'est pas néanmoins opposé, mais plutôt qu'il prépare et conduit à la justice, il n'est point vicieux, car il détourne du péché et il incline à l'observation de plusieurs préceptes. La loi ancienne ne commandait point cet amour, elle y donnait seulement occasion en proposant des récompenses temporelles.

La troisième manière d'aimer et de servir Dieu par ce motif est quand on lui demande et qu'on espère de sa libéralité les biens et les avantages de ce monde, comme un prix imparfait et passager de la piété de l'homme, et comme une simple marque de la bienveillance de Dieu, qu'on aime d'ailleurs et qu'on sert pour lui-même, qu'on préfère sans balancer à tous les biens créés ; ce qui met l'âme dans une disposition toute semblable à celle où était le saint homme Job, quand il disait : *Dieu m'a donné ces biens, Dieu me les a ôtés, que le nom du Seigneur soit béni* (*Job.* I, 21). Or la loi de Moïse commandait expressément cette disposition par ces premiers mots du Décalogue : « Vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur, et de toute votre âme, et de toute votre force : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua* (*Deut.* VI, 5.) »

Entendez-vous les jansénistes qui disent que le précepte de l'amour de Dieu fut intimé aux Juifs afin que les chrétiens seuls l'observassent ? Est-il possible ? La grâce qui est nécessaire pour accomplir le précepte de l'amour de Dieu fut donc aussi promise aux Juifs, afin que les chrétiens seuls l'obtinssent ? Et les Juifs demandaient souvent à Dieu cette même grâce, afin qu'il l'accordât aux seuls chrétiens ?

Ces paroles du Deutéronome ne contiennent-elles point une promesse que Dieu fait au peuple hébreu, de lui donner la grâce qui est nécessaire pour accomplir le précepte de l'amour de Dieu ? « Le Seigneur votre Dieu circoncira votre cœur et le cœur de vos enfants, afin que vous aimiez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur et de toute votre âme : *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua* (*Deut.* XXX, 6.) » Un psaume qu'on peut prouver avoir été chanté dans le temple par tout le peuple hébreu au moins une fois chaque année, et qui était, ainsi que tous les autres psaumes, une formule de prière à l'usage des Israélites, ne commence-t-il pas ainsi : « Mon Dieu, qui êtes ma force, que je vous aime ! *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII, 1) ! » Ils ont prié, et nous avons obtenu ; on leur a promis, et nous avons reçu ; on leur a commandé, et nous avons obéi : car à leur égard cette prière était un péché, cette promesse était une tromperie, ce précepte était un piége : voilà la doctrine janséniste.

Mais pourquoi donc saint Augustin appelle-t-il héritier de l'Ancien Testament celui qui se soumet à la loi de Dieu dans la vue de recevoir de lui les biens terrestres ? parce que la coutume de saint Augustin est de prendre l'Ancien Testament selon ce qu'il a de propre et qui ne lui est point commun avec le Nouveau Testament ; ce qu'il a pu faire à l'exemple de saint Paul, et ce qu'il a dû faire à cause des pélagiens, comme je l'ai montré ci-dessus. Pour vous tenir parole sur les quatre controverses que je vous ai promis de vous développer, il ne me reste plus qu'à vous faire un parallèle du manichéisme et du jansénisme par rapport à l'ancienne loi.

V. *Parallèle du manichéisme et du jansénisme par rapport à l'ancienne loi.*

« Le pivot, ainsi que l'exprime Jansénius sur lequel tournait la volonté de ceux qui vivaient sous la loi de Moïse, n'était point la foi qui opère par un véritable amour de Dieu ; mais, comme saint Augustin l'a enseigné plus d'une fois (quelle imposture !), c'était la cupidité terrestre, à qui la loi, par sa propre destination, promettait tout ce qui entretient et fomente cette cupidité, pour prix des actions dont elle est le principe : *Cardinem enim voluntatis rapiebat, non fide, quæ per veram Dei dilectionem operatur, sed, ut non semel Augustinus docet, terrena cupiditas, cujus fomentum ac præmium lex illa ex professo promittebat* (*Jans., tom. III, cap.* 6, *sub fin., p.* 283.) »

Et que doit-on penser de cette cupidité terrestre? Ecoutez encore Jansénius : Aimer Dieu, dit-il, pour les biens charnels, ce n'est point un amour gratuit, mais mercenaire, et par conséquent impur, charnel et vicieux : *Propter carnalia diligere Deum, non gratuitus, sed mercenarius amor est, ideoque impurus, carnalis, vitiosus* (*Ibid., p.* 279). Ailleurs, le sujet et le titre d'un de ses chapitres est celui-ci : « On ne peut sans péché s'arrêter par une affection d'amour à une créature : *Affectus amoris non potest sine peccato hærere in creatura* (*Jans., tom. II, lib.* II, *de Statu naturæ lapsæ, cap.* 12, *p.* 347.)

Comme donc, suivant cette doctrine de Jansénius, la loi de Moïse, par sa propre destination, excitait et nourrissait la cupidité terrestre en lui présentant des allèchements et des amorces, et en lui proposant des récompenses ; comme, dans les principes du même auteur, l'amour des choses terrestres ou charnelles est vicieux et impur, et qu'en un mot l'affection qu'on a pour toute chose créée est un péché, il s'ensuit évidemment que la loi de Moïse, par sa propre destination, portait au péché; il s'ensuit encore évidemment que plus un Juif était attaché à sa religion, plus il était soigneux de se conformer à l'esprit et à l'intention de sa loi, plus aussi en l'observant, il avait d'ardeur pour les choses terrestres et charnelles, et plus il commettait de péchés.

Jansénius avoue et tire lui-même cette conséquence ; craignant qu'elle n'échappât à son lecteur, il déclare que « tout ce qu'il a dit de l'esprit charnel des enfants du Vieux Testament ne doit pas être entendu des mauvais Israélites, mais plutôt de ceux qui semblaient être les plus gens de bien : *Nec vero ista omnia, quæ carnalibus istis animis filiorum Veteris Testamenti diximus, de improbis intelligenda sunt, sed potius de illis qui probiores esse viderentur* (*Jans., tom. III, lib.* III, *cap.* 6, *p.* 279.) » Avec cela rappelez-vous ce que dit Jansénius de la fin et du dessein de Dieu dans l'établissement de la loi de Moïse. Ce fut, assure-t-il, la multitude et l'abondance des péchés que Dieu se proposa pour but en l'instituant.

Il n'y a donc pas le moindre doute que les manichéens et les jansénistes ne conviennent en ce qu'ils pensent les uns et les autres que la loi de Moïse est mauvaise en elle-même, et qu'elle a été instituée à mauvais dessein et à mauvaise intention. S'ils diffèrent en un point, savoir, en ce que les manichéens veulent qu'un Dieu mauvais, et les jansénistes que le bon et le véritable Dieu soit auteur de cette loi, la cause des jansénistes n'en devient pas meilleure.

Exigerez-vous de moi les preuves de ce que j'avance? En premier lieu, le consentement et l'accord de Jansénius et de Manès à enseigner que la loi de Moïse est mauvaise en elle-même et de sa nature ne vous paraît-il pas aussi clair que le jour? Peut-on donner une notion plus précise et moins équivoque d'une loi mauvaise par elle-même et de sa nature, qu'en disant qu'elle est proprement et spécialement destinée à fomenter et à récompenser une vicieuse cupidité? Que l'Ancien Testament, comme tel, c'est-à-dire en lui-même et de sa nature, est un état de péché et de mort? Que la Synagogue, en tant que Synagogue, c'est-à-dire par sa nature et son institution, est une assemblée d'hommes charnels? Manès n'aurait-il point été fort satisfait de cela? Tous les hérésiarques qui ont méprisé ou blâmé l'ancienne loi, auraient-ils demandé rien de plus? Qu'y trouvaient-ils à reprendre, sinon qu'elle commandait le crime et qu'elle fomentait la cupidité? Or, voilà ce que dit Jansénius : il enseigne donc que la loi de Moïse est mauvaise en elle-même et de sa nature.

En second lieu, Jansénius et Manès ne conviennent-ils pas tous les deux que la loi de Moïse a été établie à mauvais dessein et à mauvaise intention? Car, demandez à Jansénius si le dessein de Dieu, en donnant la loi, ne fut pas que les péchés se multipliassent et devinssent abondants? N'est-ce point à cause de cela qu'il soutient que la grâce était diamétralement opposée à l'institution de la loi et au but que Dieu se proposait en l'établissant? L'instigation invincible au péché est diamétralement opposée à la grâce; donc la loi de Moïse est diamétralement opposée à la grâce. Tel est le raisonnement de Jansénius (*Tom. III, lib.* III, *cap.* 5, *p.* 271). Il croit donc avec Manès que l'auteur de la loi a voulu directement et formellement le péché en faisant la loi, et par conséquent que la loi a été faite à mauvais dessein et à mauvaise intention.

En troisième lieu, n'est-il pas plus insupportable de dire qu'un Dieu mauvais est auteur du péché et du crime que d'assurer cela du Dieu bon? N'est-il pas plus insensé de faire travailler le Dieu véritable et infiniment saint à étendre et à augmenter le règne de l'iniquité et de la corruption, que de charger de cet emploi les divinités fausses et profanes, qui ne sont autres que les démons?

Il ne faut pourtant point condamner Jansénius sans entendre ses moyens de défense, et sans examiner les termes dont il a usé quelquefois pour diminuer l'horreur de ses sentiments : « La loi, dit-il, a rendu le péché plus abondant, et elle a opéré la colère ; mais la manière dont cela s'est fait met Dieu à couvert de tout reproche. Car il est ainsi arrivé par accident au regard de Dieu : *Et modus quidem quo accessu legis abundavit peccatum, reatusque hominis cumulatior factus est, Deum extra omnem culpam collocat. Hoc enim per accidens contigit ex parte Dei* (*Jans., tom. III, lib.* I, *c.* 10, *p.* 42). » — « La loi, ajoute-t-il, tend par elle-même à restreindre les saillies impétueuses de la cupidité : *Legis ergo accessus per se quidem tendit ad restringendum cupiditatis impetum;* elle n'est point par elle-même le foyer qui enflamme une ardente passion, mais plutôt une digue qui l'arrête : *Lex enim per se non fomes, sed limes ardoris est* (*Jans., ibid.*). »

Je ne puis comprendre, je l'avoue, que ce qui vient de la nature de la loi, ce qui est la destination propre de la loi, ce qui convient à la Synagogue comme Synagogue, et à l'Ancien Testament comme tel, ce qui est conforme au but et au dessein formel que Dieu avait en donnant la loi ; je ne puis comprendre, dis-je, que tout cela soit arrivé par accident au regard de Dieu et de la loi ; je ne puis comprendre que la loi par elle-même ait tendu à une chose, et que sa nature, sa propre destination fût de tendre à une autre chose ; ou plutôt je comprends que Jansénius a voulu jeter de la poussière aux yeux, et que, pour ne point trop effaroucher ses lecteurs, il a semé de temps en temps dans ses écrits quelques termes contradictoires à ses principes et à toute sa doctrine. Il se préparait une ressource telle quelle contre le scandale et les clameurs.

Cependant, j'ai d'ailleurs beaucoup de peine à me persuader que Jansénius ait craint ou respecté ses lecteurs ; car, voulant dire que l'Ancien Testament était bon, en ce qu'il était la figure du Nouveau, de quelle façon s'exprime-t-il? Il ne fut rien autre chose, dit-il hardiment, qu'une espèce de grande co-

médie qui se jouait, non point tant pour elle-même que pour ce qu'elle représentait, savoir, pour le Nouveau Testament et pour l'Eglise, qui est la princesse (c'est Jansénius qui parle) et l'héritière du Nouveau Testament. Les acteurs étaient les Juifs, nation propre à faire personnage : *Nihil aliud fuisse Testamentum illud perspicuum est, quam* MAGNAM QUAMDAM COMŒDIAM, *quæ non tam propter se ipsam, quam propter id, cui præfigurando deserviebat, hoc est propter Testamentum Novum, ejusque principem et hæredem Ecclesiam, ab illa gente tanquam ab hoc idonea ageretur* (*Jans., tom. III, lib.* I, *pag.* 282).

Peut-on parler de l'Ancien Testament et de Dieu son auteur avec une irrévérence plus insolente ? N'est-ce point là braver la piété des lecteurs et insulter à leurs lumières, en faisant mine de les ménager? Et que nous démontre cette indigne comparaison, sinon que véritablement Dieu choisit, se proposa, procura les crimes, afin qu'ils fussent les images, et les figures des choses saintes? Mais la gentilité même ne put supporter un pareil excès dans les auteurs de ses comédies ; elle ne leur pardonna point d'avoir mis sur la scène des infamies dont l'allusion et la moralité était honnête.

Car, comme dit fort bien Maxime de Tyr, présenter une chose infâme pour servir d'allégorie à une chose bonne et honnête, et donner en spectacle ce qui est nuisible pour faire entrevoir ce qui est utile, cela ne convient point à qui veut faire le bien, mais plutôt à qui veut faire le mal, parce que dans ce procédé l'utilité est obscure et cachée, le dommage est présent et assuré : *Rem bonam et honestam sub re turpi subjicere, et quæ utilia sunt per ea quæ detrimentosa sunt ostentare, non est ejus qui prodesse velit* (*quippe utilitas est ibi latens et obscura*), *sed potius obesse cupientis* : *hoc enim est in promptu* (*Maxim. Tyrius, orat.* 8, *edit. Henr. Stephan., pag.* 50, *in Græc.*).

SANCTI AUGUSTINI
QUATUOR OPUSCULA,
EDITA PRIMUM A FONTANI,
BIBLIOTHECÆ RICCARDIANÆ PRÆFECTO,

IN COLLECTIONE CUI TITULUS : *Novæ deliciæ eruditorum, seu, veterum* ἀνεκδότων *Collectanea.*

OPUSCULUM PRIMUM *
SIVE
LIBER DE ORATIONE

Evangelica præcepta, fratres dilectissimi, nihil aliud sunt quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta roborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis, quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia regna perducunt. Multa per prophetas suos dici Dominus voluit et audiri, sed quanto majora sunt quæ Filius Dei loquitur, quæ Dei sermo, qui in prophetis suis fuit, propria voce testatur, non jam mandans ut paretur venienti via, sed ipse veniens, et viam nobis aperiens ostendit, qualiter qui in tenebris mortis errantes improvidi et prius cæci fuimus, suæ gratiæ luce illuminati iter vitæ ipso Domino rectore teneremus. Qui inter cætera salutaria sua monita et præcepta sua divina quibus populos suos consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit ; ipse quid precaremur monuit et instruxit; qui fecit vivere, docuit et orare, ea benignitate scilicet qua et cætera dare et conferre dignatus est ut, dum prece et oratione quam Filius docuit apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Jam prædixerat horam venire *quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu*, et implevit quando promisit, ut qui spiritum et veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus vere et spiritualiter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritualis oratio quam quæ nobis a Christo, a quo nobis et Spiritus Sanctus missus est? Quæ vero magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas de ejus ore prolata, ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed culpa, cum ipse posuerit et dixerit, *Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis*. Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deum docuit : amica et familiaris est oratio Domini de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus ; qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce ; cum habeamus ipsum apud Patrem advocatum, pro peccatis nostris petimus, advocati nostri verba propinamus. Nam cum dicat, quia *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis* : quanto efficacius impetrabimus quod petimus Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit enim orantibus sermo et precatio cum disciplina quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare ; placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis ; nam ut imprudentis est clamoribus strepere, ita congruit e

* Mendosum omnino nec semper intellectui pervium, quamvis in multis locis correxerimus. EDIT.

contra verecundiorem modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secreto orare nos præcepit in abditis et secretis locis, in cubiculis nostris, quod magis congruit fidei, ut sciamus Deum ubique esse præsentem, audire omnes et videre, et majestatis suæ plenitudinem in abdita quæque et occulta penetrare, sicut scriptum est: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo; si absconditus fuerit homo in absconditis ergo ego non videbo eum?* Nonne *cœlum et terram ego impleo?* Et iterum : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Et quando in unum cum fratribus convenimus et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem, commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus qui cogitationes videt, probante Domino et dicente : *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris?* et alio loco : *Sciant omnes quia ego scrutator renis et cordis*, quod Anna in primo Regum libro typum portans custodit et servat, quæ Dominum, non clamorosa |petitione, sed tacite et modeste inter ipsas pectoris latebras precatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide loquebatur, non voce sed corde, quia sic Dominum sciebat audire : impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. Declarat hæc Scriptura divina quæ dicit : *Loquebatur in corde suo, et labia illius non movebantur.* Item legimus in psalmo : Dicite *in cordibus vestris, et in cubilibus vestris cumpungimini.* Per Jeremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit et docet dicens : *In sensu autem debet adorari tibi Dominus.* Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret quemadmodum in templo cum Pharisæo Publicanus oraverit, non elevatis in cœlum impudenter oculis nec manibus insolenter erectis, pectus pulsans et peccata |intus inclusa contestans divinæ misericordiæ implorabat auxilium. Et cum Pharisæus sibi placeret, sanctificari hic magis meruit qui sic oravit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter oravit, et exaudivit orantem qui humilibus |ignoscit, quod Dominus in Evangelio posuit et dixit : *Hi duo ascenderunt in templum adorare, unus Pharisæus, alter publicanus ; Pharisæus cum stetisset, talia apud se precabatur : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum injusti, raptores, adulteri quomodo et publicanus iste : jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus de longinquo stabat et neque oculos ad cœlum volebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori ; dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis quam ille Pharisæus, quia omnis qui se extollit humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* Quare nos, fratres carissimi, divina |locutione dicentes [*F.* discentes], postquam cognovimus ad orationem qualiter accedere debeamus, cognoscamus, dicente Domino, quid oremus : sic, inquit, *orate : Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra : panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.*

Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister singillatim noluit et privatim precem dici, quasi qui precatur, pro se tantum precari videatur. Ne dicamus Pater meus, neque panem meum da mihi hodie, nec dimitti sibi tantum unusquisque postulet ut in tentationem non inducatur atque a malo liberetur pro solo se roget ; 'publica est enim nobis et communis oratio et quando oramus non pro uno, sed pro populo toto oramus, quia populus totus unus sumus. Deus pacis et concordiæ magister qui docuit unitatem, sic orare etiam docuit, unde pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit.

Hanc orationis legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece et spiritus consensione concordes. Hoc declarat divinæ Scripturæ fides ; et, dum docet quomodo oraverint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus ut tales esse possimus. Tunc, inquit, illi tres quasi ex uno ore hymnum dicebant et benedicebant Dominum. Loquebantur quasi ex uno ore et nondum Christus illos docuerat orare, et idcirco orantibus fuit impetrabilis et efficax sermo, quia promerebatur Deum pacifica et simplex et spiritualis oratio. Sic et apostolos cum discipulis post ascensum Domini novimus orare : *Erant*, inquit, *perseverantes unanimes in oratione, cum mulieribus et Maria quæ fuit mater Jesu et fratribus ejus.* Perseverabant in oratione unanimes, orationis scilicet et instantiam simul et concordiam declarantes quia Deus inhabitare fecit unanimes in domo. Non admittit in divinam et æternam domum nisi eos apud quos unanimis oratio. Qualia autem sint, fratres dilectissimi, Orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa ostendam, ut nihil omnino prætermissum sit quod non in precibus atque |orationibus nostris cœlestis doctrinæ compendio apprehendatur. Animadvertite, *sic*, ait, *orate* :

Pater noster qui es in cœlis. Homo novus, renatus, Deo suo per ejus gratiam restitutus, PATER, primo in loco dicit quia filius esse jam cœpit. *In sua*, inquit, *propria venit et sui eum non receperunt ; quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus*, qui autem credit in nomine ejus et factus est Dei filius, hinc debet incipere, ut gratias agat, profiteatur se Dei Filium dum nominat patrem sibi esse in cœlis, Deum contestetur quoque inter prima statim nativitatis suæ verba, renuntiasse se terreno et carnali patri et patrem solum nosse esse et habere cœpisse qui sit in cœlis, dum scriptum est ; Qui dicunt patri, et matri, Non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt verba tua et testamentum tuum servaverunt. Item Dominus in

Evangelio suo præcepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis unus Pater qui est in cœlis. Et discipulo qui mentionem patris fecerat respondit, *Sine mortui sepeliant mortuos* : dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium pater unus. Neque hoc solum, fratres dilectissimi, animadvertere et intelligere debemus quod appellamus patrem qui sit in cœlis, sed conjungimus et adjicimus, *Pater noster*, id est eorum qui credunt quod per eum sanctificati et gratiæ spiritualis nativitate reparati, filii esse cœperunt. Quæ vox Judæos restringit et percutit, qui sibi Christum per prophetas annuntiatum et ad se prius missum, non tantum spreverunt infideliter, sed etiam crudeliter necaverunt : qui non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens : *Vos de patre diabolo nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis, ille enim homicida fuit ab initio et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo* : et per Isaiam prophetam Dominus clamat indignans : *Filios genui et exaltavi : ipsi autem spreverunt me* ; *agnovit bos possessorem suum et asinus præsepe Domini sui, Israel me non cognovit et populus meus non intellexit* : *væ, gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen nequam, filii scelerati, dereliquisti Dominum Deum tuum et indignationem misisti semen Israel.* In quorum exprobrationem Christiani quando oramus, Pater noster primo in loco dicimus quia noster esse cœpit et Judæorum qui eum dereliquerunt esse desiit. Nec peccator populus potest esse filius, sed quibus remissio peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur, eis æternitas repromittitur, Domino ipso dicente : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati, servus autem non manet in æternum in domo.* Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis ubertas ! ut sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum patrem vocemus et ut est Christus, Filius Dei, sic et nos filios nuncupemus. Quod nomen nemo nostrum auderet attingere, nisi ipse sic nobis permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus, quando Deum Patrem dicimus, quod quasi Filii Dei agere debemus, ut quomodo nobis placeamus de Deo, sic sibi et ipse placeat de nobis, conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare, nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui spirituales et cœlestes esse cœpimus nonnisi spiritualia et cœlestia cogitemus et agamus. Quia et ipse Dominus dixit, *Eos qui clarificant me clarificabo, et qui me spernet spernetur.* Beatus quoque apostolus in Epistola sua exposuit dicens : *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, clarificate, tollite et portate Deum in corde vestro.* Post hoc dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, non quod optemus ut sanctificetur in orationibus nostris, sed quod petamus a Deo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo sanctificatur Deus qui ipse sanctificat ? Sed quia ipse dixit : Sancti estote quoniam ego sanctus sum, id petimus et rogamus ut qui in baptismo sanctificati sumus in eo quod esse cœpimus perseveremus, et hoc quotidie deprecamur ; opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.

Quæ autem sit sanctificatio quæ vobis Dei dignatione conferetur [F. conferatur] Apostolus prædicat dicens : *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur* : *et hoc quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et Spiritu Dei nostri.* Hæc sanctificatio ut in nobis permaneat oramus. Et Dominus quidem et judex noster a se justificato et sanato comminatur jam non delinquere ne quid ei deterius eveniat. Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus ; et vivificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur in oratione. Sequitur* : *Adveniat regnum tuum.* Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus sicut et nomen ejus ut sanctificetur in nobis postulamus. Nam Deus quando non regnat ? aut apud eum quando incœpit quod semper fuit et esse non desinet ? Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine et passione quæsitum, ut qui in sæculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse pollicetur et dicit : *Venite, benedicti Patris mei ; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Potest vero, fratres carissimi, et ipse Christus esse regnum Dei, quoniam venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræsentetur optamus. Nam cum resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest ipse intelligi, quia in ipso regnaturi sumus. Bene regnum Dei petimus, id est regnum cœleste, quia est et terrestre regnum ; sed qui renuntiat sæculo major est honoribus ejus et regno, et ideo qui se Deo et Christo dicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est, ne excidamus a regno cœlesti, sicut Judæi, quibus prius promissum fuerat, exciderunt Domino manifestante et probante : *Multi*, inquit, *venient ab Oriente et Occidente et accumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum* ; *filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, illic erit ploratio et stridor dentium.* Ostendit quia antea filii regni erant Judæi, quando et filii Dei perseverabant : postquam cessavit contra eos nomen paternum, cessavit et regnum, et ideo nos Christiani qui in oratione appellamus Deum Patrem et cœpimus eum nosse, ut regnum Dei nobis veniat oramus. Addimus quoque et dicimus : *Fiat vooluntas tua sicut in cœlo et in terra* ; non ut solum Deus faciat quod vult, sed ut

* Forte melius legeretur et distingueretur hoc modo : Hoc.... postulamus, ut vivif... servetur. In oratione sequitur. Paulo post expungendum videtur *et nobis* ante *et nonen* EDIT.

enim in sacrificiis quæ Cain et Abel primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere qui placebat in corde. Abel pacificus et justus uni Deo sacrificans innocenter docuit et cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrum primus ostendens initiaret sanguine suo gloriosam dominicam passionem qui et justitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Deo coronantur, tales cum Domino in die judicii judicabunt ; cæterum discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus apostolus et Scriptura sacra testantur, nec si pro Christiano nomine occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit evadere, quia sicut scriptum est : *Qui fratrem suum odit, homicida est*, nec ad regnum cœlorum pervenit, aut cum Deo vivit homicida ; non enim potest esse cum Christo, qui imitator Cain et Judæ maluit esse quam Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui ! quale crimen est quod martyrio non potest expiari ! Illud quoque necessario monet Dominus ut in oratione dicamus : *Et ne patiaris nos induci in tentationem;* in parte ostenditur vel adversarius contra nos non posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster necessario atque omnis observatio ad Deum convertatur in deprecationibus nostris quando nihil malo liceat, nisi potestas tribuatur. Probat hoc divina Scriptura quæ dicit : *Venit Nabuchodonosor rex Babyloniæ in Hierusalem et expugnabat eam et tradidit eam Dominus in manibus suis.* Datur autem potestas adversus nos malo secundum peccata nostra sicut scriptum est : *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel his qui prædaverunt illum ? nonne Deus quia peccaverunt et nolebant in viis ejus ambulare, audire legem ejus, et superinduxit super eos iram animadversionis suæ ?* Et iterum Salomone peccante et a præceptis atque a viis Domini recedente positum est ; *et excitavit Dominus Satan ipsi Salomoni.* Potestas vero adversus nos dupliciter datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur ; sicuti de Job factum videmus, manifestante Domino ac dicente : *Ecce omnia quæcumque habet in manus tuas do, sed ipsum vide ne tangas.* Et Dominus in Evangelio loquitur tempore passionis : *Nullam haberes potestatem adversus me, nisi datum esset tibi desuper.* Quando autem rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus ne quis insolenter extollat se, ne quis superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam dicat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit : *Vigilate et orate, ne veniatis in tentationem ; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ut dum præcedit humilis et submissa confessio et datur totum Deo quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. Post ista omnia consummatione orationis venit laus illa universas petitiones nostras et preces collecta brevitate concludens, in novissimo etenim posuimus : *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, a quibus potest esse fida et firma tutela si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem ejus ipse præstet. Quando autem dicimus : Libera nos a malo, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando solum protectionem Dei adversus malum precemur, qua impetrata contra omnia quæ diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti. Quis enim ei de sæculo metus est cui in sæculo Deus tutor est ? Quid mirum, fratres carissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem petitionem nostram salutari sermone breviavit ? Hoc per Isaiam prophetam fuerat ante prædictum cum plenus Spiritu sancto de Dei majestate atque pietate loqueretur : *Verbum consummans*, inquit, *et brevians in justitiam, breviatum sermonem faciet Deus in toto orbe terrarum.* Nam cum Dei Sermo Dominus Jesus Christus venerit omnibus, et colligens doctos pariter et indoctos omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit, præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret sicque conduceret quid sit vita æterna, sacramentum enim vitæ magna et divina brevitate complexus est ; et quod vitam æternam vellet innuere ostendit dicens : *Ut cognoscant te solum verum Deum et quem promisisti Christum.* Item cum de lege et prophetis præcepta prima et majora decerperet : *Audi*, inquit, *Israel Dominus Deus tuus Deus unus est : diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua : hoc primum, et secundum simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te : in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ.* Et iterum, *Quæcumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis : hæc enim lex et prophetæ.* Nec verbis tantum sed factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans et quid nos facere oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est : *Ipse autem fuit recedens in solitudines et adorans*; et iterum : *Exivit in montem orare*, et fuit *pernoctans in oratione Dei.* Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare ? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto magis frequentanda oratione debemus nocte vigilare ? Orabat autem Dominus et rogabat non pro se ; quid enim pro se innocens precaretur ? Sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat cum dicit ad Petrum : *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*; *ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua.* Et pro omnibus postmodum deprecatur dicens : *Non pro his autem rogo solum, sed pro illis qui credituri sunt per verbum illorum in me ; ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te ; ut et ipsi in nobis sint.* Magna certe ante Deum propter

salutem nostram Christi benignitas pariter et pietas, ut non contentus quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius et rogaret. Rogantis autem desiderium vide quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater et Filius, in una unitate sic et nos maneamus ; ut hinc quoque possit intelligi quantum delinquat qui unitatem scindit et pacem, cum pro hoc rogaverit Dominus, nolens scilicet plebem suam de schismaticis vivere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces debemus ; cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*, ut dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil se aliud quam Deum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus et soli Deo placeat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiantur. Obrepit enim frequenter et penetrat et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari et capi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris, quasi aliud sit quod magis debeas cogitare, quam id quod cum Deo loqueris ! Quomodo audiri a Deo te postulas, cum te ipse non audias, et vis esse Dominum memorem tui cum rogas, quando tu ipse tui memor non sis ? Hoc est ab hoste in totum non cavere, hoc est quando oras Deum, majestatem Dei negligentia offendere, hoc est vigilare oculis et dormire corde, cum debeat Christianus, et cum dormit oculis, corde vigilare, sicut dictum est ex persona loquentis Ecclesiæ in Cantico canticorum : *Ego dormio et cor meum vigilat* quapropter sollicite et caute admonet Apostolus dicens : *Instate orationi vigilantes in ea*, docens scilicet et ostendens eos impetrare quod postulant a Deo posse quos Deus in oratione videat vigilare : orantes autem non infructuosis, non nudis precibus ad Deum veniant ; inefficax enim petitio est cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur et in ignem mittatur, utique sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla operatione fecundus est. Et ideo divina Scriptura instruit dicens : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*, nam qui in judicii die præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret meruit exaudiri ; fuit enim multas faciens eleemosynas in plebe et semper orans Deum. Huic circa horam nonam adstitit oranti angelus testimonium reddens sui operis et dicens : *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Domino.* Cito eæ orationes ascendunt quas ad Dominum merita nostri operis important. Sic et Raphael angelus Tobiæ semper oranti et semper operanti testis fuit dicens : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est, nam cum orabas et sero ego obtuli memoriam orationis vestræ, in conspectu claritatis Dei, et cum sepelires tu mortuos similiter, et quia non es concitatus exsurgere et derelinquere prandium tuum et abisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te, et iterum misit me Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego sum Raphael unus ex septem angelis justis qui assistimus ante Deum et conversamur ante claritatem Dei,* Per *Isaiam* quoque Dominus admonet et docet similia contestans : *Solve*, inquit, *omnem nodum injustitiæ, resolve suffocationes importantium convicinorum, dimitte quassatos in requiem, et omne injustum dissipa, frange esurienti panem tuum, egenos sine tecto induc in domum tuam ; si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporancum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur et præibit ante te justitia et claritas Dei circumdabit. Tunc exclamabis, et Dominus exaudiet te ; dum adhuc loqueris, dicet : Ecce adsum.* Adesse se promittit, et audire ac protegere qui injustitiæ nodos de corde solventes, et eleemosynas circa domesticos Dei secundum ejus præcepta facientes, dum audiant quod Deus præcepit fieri ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus quoque apostolus Paulus in necessitate pressuræ adjutus a fratribus, opera quæ sunt sacrificia : *Saturatus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt in odorem suavitatis sacrificium acceptum et placitum Deo.* Nam cum quis miseretur pauperis, Deo fenerat, et qui dat minimis Deo donat et spiritualiter Deo suavitatem odoris sacrificat. In orationibus celebrandis invenimus tres pueros cum Daniele in fide fortes et in captivitate victores, hora tertia, sexta, nona, sacramento scilicet trinitatis quæ in novissimis temporibus manifestari debebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum promissæ olim numerum trinitatis ostendit ; iterumque ad sextam per quartam procedens declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur per ternas horas, trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum spatia jam prædeterminantes adoratores Dei statutis et legitimis ad preces temporibus serviebant, et manifesta postmodum res est sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam dominicæ promissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens signo pariter et voce Domini monentis instructus est ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emendandis gentibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus est, et ad nonam peccata nostra abluit ; et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passio perfecit. Sed nobis, fratres carissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt, nam et mane orandum, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designabat in psalmo dicens : *Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabam, mane exaudies vocem meam,*

mane adsistam tibi et contemplabor te. Et iterum per prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus et revertamur ad Dominum nostrum.* Recedente iterum sole ac die cessante necessario rursus orandum est; nam Deus noster sol est et dies verus, et sole ac die sæculi recedente quando oramus et petimus ut super nos lux veniat, denuo Christi precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum autem diem dictum declarat in psal. Spiritus sanctus dicens: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,* et rursus: *Ista est dies quam fecit Dominus, exultemus et jucundemur in ea.* Item quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur dicens: *Vobis autem qui timetis nomen Domini orietur sol justitiæ et in aliis obscuratio.* Quod si in Scripturis sanctis sol verus et dies verus Christus est, hora nulla Christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo hoc est sole et in die vero sumus, instemus per totam diem precibus et oremus, ut quando mundi et legis decursis vicibus alternis nox resoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum possit, quia filiis lucis et in ipsa nocte dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? aut quando sol et dies non est, cui sol et dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper fuimus, nec noctibus ab oratione cessemus, sicut Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans perseverabat in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est: *Non recedebat,* inquit, *de templo jejuniis et orationibus serviens nocte et die*; non viderunt scilicet qui illuminati sunt, vel Judæi qui deserti lumine in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meruimus et tenemus quid esse accepta gratia cœperimus, computemus noctem pro die, ambulare semper in lumine nos credamus, non impediamur a tenebris quas evasimus, nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra et ignara dispendia; per Dei indulgentiam recreati spiritualiter et renati imitemur quod futuri sumus, habituri in regno, sine interventu noctis, solis diem sempiternum; quasi in lumine vigilemus oraturi semper et acturi Deo gratias: ac per hoc et hic quoque orare et agere gratias non desinamus.

OPUSCULUM SECUNDUM,

SIVE

LIBER DE QUATUOR VIRTUTIBUS CHARITATIS

Desiderium charitatis vestræ a nobis exigit debitum sermonis officium; sed tanta sunt quæ terreant et revocent animum nostrum ut, si velimus parere desiderio vestro, non sit sine periculo nostro. Locuturus namque de charitate, silentio non præteream quæ bona ex ea procedant, et quæ eam comitentur; sed temporis coarctatus angustiis, quo me conferam in primis nisi ad sanctæ ipsius vestigia charitatis, eamque deprecer ut donet mihi aliquid dignum de se dicere, quo et meum suppleam ministerium et vestrum satiem desiderium? Inter cæteras autem virtutes ejus, quas commemorat apostolus Paulus, ait quod *caritas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum;* et postremo has quatuor ejus virtutes brevi sermone comprehendit dicens, *Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* De his igitur quatuor virtutibus sanctæ charitatis loqui convenit sanctitati vestræ, delectatque primitus intueri, quemadmodum quatuor cardines orbis continens totum possederit mundum. Requiramus igitur, si placet, aliquorum exempla sanctorum eorum scilicet, qui his virtutibus possessi sunt, et eis singulis ita singula tribuamus, ut omnes in omnibus esse noscamus, quoniam omnis qui pie tolerat, recte credit, aliquid [*F. leg.* credit atque] sperat, et qui sperat sustinet, ne absque spe cadat. Sed jam quinam isti sunt videamus, quorum fidem inquantum desuper adjuvamur assequi valeamus. Virtus sanctæ charitatis quæ omnia tolerat emicuit in sancto Noe: quæ omnia credit in sancto Abraham: quæ omnia sperat in patribus nostris, id est in populo Israel, unde ipse Dominus exortus est; quæ omnia sustinet, in ipso capite Domino nostro Jesu Christo, qui est vera charitas quæ nunquam cadit. Nec cæteros sanctos ab his virtutibus vestra charitas deputet alienos quos pro brevitate temporis et pro sermone suscepto ita prætermissos esse cognoscite ut tamen certissime noveritis omnes esse in Christo et in omnibus Christum. Sed jam videamus quemadmodum sanctus Noe possederit virtutem charitatis quæ omnia tolerat. Statim ac ille admonitus fuit, confugit ad lignum et post camporum amœnorum faciem angustus se recludit arce: tolerat hæc fremitum, solutum aquarum fragorem et nimborum, et post ista omnia qui solebat gaudere consortio hominum socius quodammodo efficitur serpentium ac ferarum, nec expavescit vir iste quod cum eo feræ sint in arca, imo ibi agnoscit ordinem suum feritas, quia se cognovit humanitas, et jubenti homini obediunt, quia hominem superiori Domino obedire cognoscunt. Ostensum est in Noe quod Adam præceptum Domini contemnendo perdiderit, et demonstratum est posse homines etiam bestiis, et dominari, si subdant se obedientiæ conditoris. Exspectat et tolerat sanctus iste finem diluvii, nec antequam finiatur causa ferarum arca relinquitur. Tolerat bonus mala et donec in fine

i corpore separentur, intus manens corde non
ore separatur. Si qua es anima quæ cupis pos-
s virtutem charitatis quæ omnia tolerat, relinque
lum, confuge ad crucis lignum ; non metuas pro-
i et turbines hujus diluvii, non mergeris si ligno
beris. Novit gubernare qui dignatus est creare :
m absit virtus charitatis quæ omnia tolerat, nulla
b arce solida te divellat, permane bonus et tole-
alos ; melius est enim ut intus positus propter
s toleres malos, quam foris exiens et pereas et
s relinquas et malos. Si ergo sunt tecum feræ,
; si sunt tecum in Ecclesia prava docentes,
sentientes, hæretici vel schismatici, aut etiam
mali catholici, more ferarum animas devorare
entes, soleretur usque in finem sæculi tanquam
i diluvii. Rugiant licet, fremant dentibus, atque
i arcam confringere conentur. Non pavescas,
diluvio illos rapiet inanis et spinosa silva, at-
e fertilis suscipiet terra. Post finem sæculi im-
pientur ad *tenebras exteriores, ibi erit* FLETUS
RIDOR *dentium*, pios suscipiet terra viventium.
et ipse sanctus Noe post finem diluvii obtulit
lcium Deo, sed de animalibus mundis et non de
ndis. Simul enim et munda et etiam immunda
alia in arcam intrare potuerunt; sed mala ad
lcium Dei non pervenerunt. Sed jam hinc ali-
lo transeamus ut cætera perscrutare valeamus.
dat in medium sanctus ille Abraham, et suo
oceat possidere exemplo virtutem charitatis quæ
i credit ; qui non est cunctatus ad unam voca-
n relinquere patriam, sedem, domum, familiam.
i relinquuntur ut Domino præcipienti pareatur.
inquit Deus, *de cognatione tua et de domo tua*
in terram quamcumque ostendero tibi. Nec apud
itavit iste sanctus et dixit, Quo eam? cui me
ittam ? in quam terram vadam ? Sed ut audit,
, currit, festinat, accelerat ; terram promissam
idet, sed credendo eam firmiter retinet. Ambu-
to itinere, nec oberrantibus vestigiis alibi quam
t declinavit, quia qui eum ad ignotam terram
at, ipse, inquam, qui mittebat, non dimitte-
ec eum ipse fefellit. Redditur mercos credenti,
ram pervenit, dilatatur, multiplicatur, ex pau-
fficitur dives, ex ignobili potens, ditatur omni-
nis et in illo impletur quod Dominus in Evan-
uis discipulis promisit dicens : *Si quis dimise-*
um aut agrum aut parentes causa nominis mei,
vita centuplum accipiet ei in futuro sæculo vi-
onsequetur æternam. Cumulatur adhuc hujus
nerces, et seni promittitur filius. Adest illi
charitatis quæ omnia credit ; audit, exultat,
us diligit, suscipit filium de conjuge sterili,
spe pariendi destitutam sterilitas ætasque jam
t, atque in illo benedictionem omnium gentium
ssam firmissime tenet ; sed adhuc eum charitas
; probatumque commendat et quemadmodum
Deo præferat posterius monstrat. Vocat eum
us de cœlo dicens : *Abraham, Abraham,* et ille
am servus obediens, *Ecce adsum,* ait, et Do-

A minus, *Accipe,* inquit, *filium tuum illum quem diligis Isaac, et vade in terram excelsam, et offeres eum holocaustum in unum montium quem dixero tibi.* Neque hac quidem jussione turbatur aut frangitur servus fidelis. Adest enim ei virtus charitatis quæ omnia credit. Surgit, domum pergit, asinum stravit, ligna concidit, gladium et ignem sumit, puerum simul adducit et pergit ad locum. Nunc intentus factus Isaac patrem interrogat dicens, *Pater,* ait, at ille, *Quid est, fili ?* Et filius : *Ecce,* ait, *ignis et ligna, ubi est ovis quam immolaturus es ad holocaustum ?* Et pater respondit : *Deus providebit sibi ovem ad sacrificium fili.* Magnum hoc et grande video sacramentum : aliud Abraham corde gestabat et
B aliud filio promittebat, sed neque quæ promittebat filium fallebant, neque aliqua [infirmitas cor ejus a proposito immutaverat. Quid plura ? pergit viam, videt locum de longe et statuens pueros suos ibi, eis talia verba profert dicens : *Sedete hic cum asino, ego autem et puer ibimus usque illuc, et cum adoraverimus, revertemur ad vos.* O sancte Abraham, quid est quod dicis, cum aliud tibi de puero gerendum sit ? Numquid aut te, aut tuos fallis ? Non, inquit, sed quod prophetice vel dico vel gero virtus charitatis est in me manens quæ omnia credit et facit et dicit. Audio enim eam sine strepitu vocis intus ad cor loquentem et dicentem mihi : Tu quidem licet resurrecturum credens
C pleno et perfecto voto puerum ducas immolandum, filius tuus in isto Sacrificio non cremabitur, quia resurrectio Dei Filio reservatur. Merito hujus viri fidem Jacobus apostolus commemorans ait : *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam* et amicus Dei appellatus est. Amicos ut novimus conjunctio animorum facit. Unde quidam sapiens hujus mundi ait : *Velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est.* Ergo amicos, ut novimus, conjunctio animorum facit : quemadmodum autem iste sanctus conjunxerit animum Deo, ut ejus amicus appellaretur juvat nosse. Sicut enim Deus Pater unico Filio non pepercit, sic jubente Deo ut immolaretur ei filius quem dederat illi, devoto is corde obtulit eum.
D Sed quæ sequuntur videamus ; delectat enim nos adjuvante Domino hujus historiæ plenam vobis reddere notionem. Postquam relictis pueris ad locum sacrificii pater cum filio venit, aram constituit, ligna composuit, deponit humana paternæ pietatis indicia, induitur sacerdotis devota constantia, educit gladium ut perimat filium. Quid vobis videtur, fratres ? Nihil hic sentimus humanum : imo totum cognoscimus divinum ; sed et ille filius qui paulo ante ovem requirebat, sub ingenti silentio talia in se fieri sentiebat, et ita patiens invenitur, tanquam jam ille esset, qui sicut ovis ad immolandum ductus est ; et tanquam agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. O et tu, sancte Isaac, indica nobis silentii hujus tam grande secretum. Paulo ante nihil in te fieri sentiebas, et a patre arietem requirebas ; nunc autem manibus ligaris, in aram imponeris, ligno quodammodo suspenderis et modo taces? Taceo, in-

quit. Dic quare, obsecro noverimus. Vultis nosse, ait, quare modo taceo? Quia figuram illius gesto qui voluntate ponit animam suam, non necessitate. In hoc tam grandi et mystico sacramento fidei et Abraham sanctus apparuit probatus, et filius in præsenti est liberatus. Si qua es anima quæ cupis sequi vestigia fidei patris nostri Abraham, exi de terra tua et cognatione tua : relinque populum tuum, et domum patris tui, id est fideliter renuntia diabolo, pompis ejus et angelis ejus, et sequere viam rectam quæ te perducat ad terram in qua ditescas et emineas et efficiaris socius Abrahæ. Sed cum ista omnia feceris, si virtus charitatis quæ omnia credit est in te, adhuc tentabit te et probatum coronabit te, expetit a te sacrificium dilecti tui. Quid a te expetit? Quod Abraham illi dictum est : Da mihi unigenitum dilectum tuum. Tibi dicit sapientia, Da mihi, fili, cor tuum, ipse est dilectus unicus; quid metuis offerre cor tuum? Offer sacrificium contritionem cordis Domino Deo tuo, et dic cum propheta, *Holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Nihil metuas tali sacrificio oblato, et tibi acceptum erit, et quod obtuleris integrum permanebit. Aliam virtutem charitatis quæ omnia superat placet nunc inspicere, quam superius [plebi Israel et patribus nostris assignasse cognoscimus. Ejus namque virtutis vox est in versu illo prophetico : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos.* Et ipsi ex Ægypto fugere jubentur, terra eis lac et mel fluens promittitur, per mare Rubrum transeunt, ad heremum veniunt, ducebat eos spes charitatis ut discerent Deum amare gratis. Redditur his merces fidei; non enim potest non reddere qui se dignatur facere debitorem. Post heremum mella e petra fluxerunt; panem cœli manducaverunt; non sunt privati a desiderio suo quod speraverunt, terram etiam promissionis acceperunt. Exurgat anima quæ hujus charitatis virtute comprehensa est : effugiat ex Ægypto, id est ex hujus sæculi desiderio, pergat ad mare Rubrum, scilicet Christi baptismum; ideo rubrum quia Christi sanguine purgatum. Persequantur hostes, peccata scilicet cum suo auctore diabolo, tanquam ex Ægypto cum suo rege Pharaone sæviant, sequantur fugientes, quid metuis? Usque ad aquam sævient; ingredieris tu, ingredientur et illi post te, sed aqua retro conversa illis erit in perniciem, tibi proficiet ad salutem. Illos obruet, te abluet, illos damnabit, te liberabit. Post hoc suscipies mel de petra quo famem et sitim tuam saties; *Petra enim erat Christus*, ex cujus præceptis tanquam ex fontibus dulcedinis satieris, gustabis etiam panem, illum scilicet qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Gustabis et videbis quoniam suavis est Dominus, et si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sperat, per heremum necesse est te transire, id est utaris hoc mundo tanquam non utens, et in hac vita peregrinum te noveris esse, si terram promissionis cupis intrare; hæc terra est de qua propheta cantat et dicit : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ultima virtus charitatis restat quæ omnia sustinet, et nunquam cadit. Hanc ipsi capiti nostro Domino Jesu Christo convenire novimus, et ideo in ultimo ponitur, *quoniam finis legis est Christus.* Quanta autem ipse pro nobis sustinuit puto charitatem vestram ignorare non posse. Tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid digne dicam. Prius illud quod Deus homo, quod Verbum caro factum est, quod multa bona fecit, et mala perpessus est, quod mortuos suscitavit, et mortuus est; quod singulari illa patientia pertulit diabolicum tentatorem, discipulum traditorem, quod ipsum Judam priusquam traditorem pertulit furem, et ante experimentum vinculorum, crucis, ac mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Judæi, *Crucifige, Crucifige*, et ut rei manerent Judæi, innocens ab eis crucifixus est Filius Dei; ad crucem ducitur, expalmatur qui est palma victoriæ, spinis coronatur qui spinas peccatorum nostrorum venit confringere; ligatur qui solvit compeditos; ligno suspenditur qui erigit elisos; aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur, occiditur ad tempus vita a morte, ut in perpetuo a vita occidatur mors. Quid hic Judæi in hac morte Christi? Exultaverunt quasi victores, et dum terrenum et caducum regnum timuerunt perdere, regem cœli et terræ non dubitaverunt occidere. Sed nec sicut putaverunt, victores exstiterunt. Si enim vicerunt, regnum quomodo perdiderunt? Quomodo nunc usque servi remanserunt? Ista namque causa est qua Christus ab eis occisus est. Dixerunt namque apud se principes Judæorum, ut evangelista narrat : *Videtis*, inquiunt, *quia totus mundus post eum abiit; si dimiserimus eum vivere, venient Romani et tollent nobis et locum et regnum*; et Christum occiderunt, et locum et regnum perdiderunt. Quid vobis profuit, o insani Judæi, quod tantum scelus commisistis? Numquid quia Christo Domino, ut decuit, servire noluistis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi? Per ipsos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos tribuit scelera in capita vestra. Ipse autem Dominus quem vos interemistis non vos servos, sed liberos esse cupiebat quando dicebat : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*; vos autem Deum et Dominum regem, et ipsam veram libertatem non solum repudiastis, verum etiam negare cupientes clamastis : *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Sed ne in hoc quidem gloriemini quod Christum occidistis, actum est de vobis potius et nescitis. Audite ipsum Dominum dicentem per prophetam : *Ego dormivi et somnum cœpi*, somnum appellans mortem a vobis illatam. Cæterum qualis mors potuit esse triduana, maxime illius qui per eumdem prophetam alio loco dicit : *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Ego, inquit, dormivi, ego qui potestatem habeo ponendi animam meam;

ego dormivi, non quia sævistis, non quia insanistis : ego implevi quod volui, vos in scelere remansistis. Quis exigit tanta de Deo nostro, fratres, pro nostra redemptione et salute, nisi charitas quæ nunquam cadit? O charitas quæ magnas vires habès, et de cœlo Deum deposuisti ; o cara sanitas, o sancta et vera charitas quæ tanta es in terris, quanta eris in cœlis ! Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc sollicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura ? Evigila itaque omnis anima christiana, et si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia, *Christus enim*, ait apostolus Petrus, *pro vobis passus est relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus* : et si ille propter te de cœlesti sede ad terrena descendit, tu propter te terrena fuge, appete cœlestia. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus ; si amarus est mundus, pro te omnia sustinuit Christus. Via tibi factus est ipse salvator, surge, ambula, habes quo ; noli pigrescere ; sed forte quæris quo? Vides enim viam et quæris quo ducat hæc ipsa via ? Ad veritatem et ad vitam. Si amas veritatem, si amas vitam, et cupis ad veritatem et ad vitam venire, a via noli errare. Video, inquis, vitam et cupio ambulare ; sed amara est : *Arcta enim via et angusta est quæ ducit ad vitam ;* Christus transivit, et adhuc aspera est ? Transierunt senes, transierunt juvenes, transierunt puellæ quæ viam quam times et horres tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam securus : ambula, quid enim metuis in hac via ? Mortem ? et mortem times qui ad vitam curris ? Bonus es ; bene in hac vita curris. Mors tibi janua est quæ te repræsentat non quæ auferat vitam. Ambula ergo viam, imo ipse qui propter te factus est via, ipse te ducat per se ipsum ; ipse est enim *via, veritas et vita.* Dic ergo tu, o anima fidelis et pia, dic secura, dic et cum propheta veraciter clama : *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* : tunc ad te securus perveniam, si usque in finem tuam gratiam non deseram. Hæc, fratres dilectissimi, quæ a Domino ipsius charitatis dicta sunt sanctitati vestræ, ita hæreant sensibus et cordibus vestris, ut eadem ipsa charitas fructum in vobis operis inveniat, non folia laudis.

OPUSCULUM TERTIUM,

SIVE

HOMILIA IN DOMINICA II ADVENTUS.

Ecce ex qua Tribu nasciturus esset Christus ex lectione evangelica docemur. Ex David autem stirpe secundum carnem futurum esse, ita prænuntiatum est in psalmis : *Juravit Dominus David in veritate, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et rursum : *Semel juravi in sancto meo si David mentiar, semen ejus in æternum manebit et thronum ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Et item in libro Paralipomenon : *Et factum est verbum Domini ad Nathan prophetam dicens : Vade et dic servo meo David : Hæc dicit Dominus : Annuntio tibi quod ædificaturus est domum sibi Dominus ; cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit ; et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum, et thronum meum firmissimum in perpetuum.* Hæc omnia qui in Salomone putat fuisse impleta, multum errare videtur ; nam qualiter in Salomone intelligendum est quod dictum est : Postquam dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus ? Nunquid de illo Salomone creditur prophetatum ? Minime ; illè enim vivente patre suo cœpit regnare ; nam hic dicitur : quia cum impleti fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, ex quo intelligitur alium fuisse promissum. qui non ante mortem David, sed post mortem ejus prænuntiatus fuerit suscitandus, qui ædificaret domum Domini de parietibus manufactis, sed de lapidibus vivis et pretiosis, id est sanctis et fidelibus, nam et illud quod subjecit : fidelis erit domus ejus, et regnum ejus usque in sempiternum coram me, attendat et aspiciat quisquam non de Salomone esse prænntiatum ; Salomonis namque domum fuisse plenam mulieribus alienigenis colentibus idola, et ipse ab eis rex idololatriæ seductus, atque dejectus, qui dum bonus fuisset in initio, malum exitum habuit. Ergo quis est iste cujus domus est fidelis in perpetuum, et qui post mortem David promittebatur suscitandus ? Ille est utique de quo ipse David in psalmo octuagesimo octava æstuans et proclamans dicit : *Tu vero distulisti Christum tuum.* Non est ergo Salomon, sed nec iste David, sed dilatatus est Christus. Ecce apparuit certe promissiones prædictas non in Salomone, sed in Christo Domino nostro, qui ex David genere ortus est, fuisse completas, de quo per Hieremiam ipse Dominus dicit : *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam super terram. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et Isaias de Christo quia ex semine David natus est secundum carnem sic in consequentibus prophetiæ suæ dicit : *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* In signum populorum stat radix Jesse, quoniam Christus signaculum crucis exprimit

in frontibus eorum. Ipsum gentes deprecabuntur, quod jam obtutum cernitur fuisse completum, Sepulcrum autem ejus in tantum est gloriosum, ut excepto quod redempti per mortem ejus gloriam exhibemus, etiam locus ipse coruscans miraculis gloriæ suæ, ob eam causam ad se omnem contrahit mundum. Hic locus in hebræo habet: *Et erit requies ejus gloriosa*, utique quia moriens caro ejus non vidit corruptionem, secundum sententiam psalmi, quia *non est derelicta anima ejus in inferno*, nec datum est *sanctum* ejus *videre corruptionem*. Iste est qui per Nathan ex semine David promittitur, qui etiam et per Isaiam prophetam ita prænuntiatur: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Hæc virga de radice Jesse virgo Maria est, de radice David exorta, quæ genuit florem Dominum salvatorem, de quo etiam sequitur: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus concilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ideo autem tanta dona Spiritus super eum prædicantur, quia in eo non ad mensuram habitat Spiritus sicut in nobis, sed tota inest plenitudo divinitatis et gratiarum. Iste est *qui non secundum visionem oculorum, et auditum aurium judicat, sed est justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus*; in cujus ecclesia habitat lupus cum agno; ille utique qui solebat ab eo rapere prædam, et dum ad eam convertitur cum innocentibus commoratur; in cujus ovili pardus cum hædo accubat, permixti scilicet subdoli cum peccatoribus, ibi vel etiam vitulus ex circumcisione, leo ex sæculi potestate, oves de populari ordine simul commorantur, quia in fide communis est commixtio omnium. Puer autem parvulus minans eos ille est utique qui se humiliavit pro nobis in parvulis. Bos autem et leo simul comedent paleas, quia principes cum subjectis plebibus communem habent doctrinam. Delectatur quoque infans ab ubere super foramine aspidis, dum gentes quæ solebant venena prædicare aliquando conversæ etiam parvuli Christi fidem delectantur audire; caverna enim reguli corda sunt infidelium, in quibus ille serpens tortus requiescebat, quem ablactatus comprehensum exinde captivum traxit, ut in monte sancto ejus, quod est Ecclesia, non noceret. Jam vero quia ore prophetico de Mohab nascenti Christo perhibeatur testimonium, idem Isaias testatur, *Ponam enim*, inquit, *super his qui fugerint de Mohab leonem, et reliquiis terræ: emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* De hac enim gente Mohabitarum egressus est agnus immaculatus qui tollit peccata mundi, qui dominatur in orbe terrarum. Petra autem deserti Ruth significat quæ destituta morte mariti de Booz genuit Obed, et Obed Jesse, et de Jesse David, et de Davidica stirpe natus est Christus. Montem autem filiæ Sion aut historialiter ipsam urbem Hierosolymam dicit, aut juxta tropologiam Ecclesiam in specula, id est in virtutum sublimitate collocatam.

OPUSCULUM QUARTUM,

SIVE

SERMO IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Incarnationis divinæ mysterium, nostræque recordationis egregium sacramentum ob hoc a nobis annua revolutione celebratur et colitur, ut tanti commemoratio beneficii quod nobis indignis fuerit impensum ostendat, et quid tantæ gloriæ debeamus admoneat. Proinde, fratres, quantum audivimus Dominum Jesum Christum pro nobis misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum, in quo namque suam circa nos insuperabilem charitatem Dei unigenitus evidenter ostendit, in quo pro nobis humilitatem veræ carnis, veræque mortis, non coactus necessitate sed bonitate miseratus assumpsit. Quid enim boni feceramus, fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur? Quæ nostra bona merita fuerunt ut unigenitus Dei homo fieri dignaretur, ut Altissimus immolaretur, ut indeficiens Angelorum panis fœmineis uberibus lactaretur, ut sæculorum rex contumeliis afficeretur, ut vita æterna mori patientissime dignaretur? Attende igitur, homo, tantæ benignitatis dignationem, ut gratiarum persolvas humiliter actionem. Scito autem te non honorificentiam, sed contumeliam divinæ gratiæ reddere si cœperis de tanti beneficii magnitudine dubitare; imo illa omnia quæ de humilitate atque humanitate Domini Salvatoris audivimus, vera esse sine aliqua hæsitatione credamus. Et ideo magis gratias agamus, fratres, qui cum mereremur pœnam percepimus gratiam, qua gratia factum est ut dum mors debetur perditis, vita gratis donaretur indignis. Altissimi namque Salvatoris humilitas non ipsi aliquod intulit detrimentum, sed incrementum nobis contulit magnum, nec excelsum dejecit, sed dejectos erexit; ut enim plenum Dei Filius operaretur redemptionis nostræ negotium, non solum dignatus est Creator totius carnis de carne Virginis secundum veritatem carnis naturaliter nasci, et Deus factor hominis homo verus ex homine fieri, quinetiam panis involvi in angustissimo præsepio, humanis manibus bajulari. O clementissimi Dei gloriosa benignitas, o altissimi Dei excelsa humilitas! Ille a matre nutriebatur infantulus, qui matrem sibi creavit immensus; ipse a parentibus in suum templum puer parvulus portabatur, qui Deus magnus in eodem templo a sanctis hominibus rogabatur; et idem pro se sacrificium præcepit offerri, qui sine peccato pro nostris venerat impietatibus im-

molari. Considera igitur, homo, quid debeas excelso Creatori tuo, humiliato Redemptori tuo. Verumtamen, carissimi, hoc semper christianæ fidei tenere consuevit integritas, ut si quid a Christo secundum canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus, vel audimus, historiam primum veram esse sine dubitatione credamus, deinde, in historica veritate spiritualem quoque Intelligentiam requiramus. Cum enim divinæ textus historiæ verus esse creditur, Manichæus in sua severitate confunditur, qui dum in Christo Dei Filio veritatem non credit carnis, scripturis sanctis et veteribus et novis crimen nititur imponere falsitatis. Nam cum Veteris Testamenti deificam miser execratur historiam, in Novo Testamento ipse sibi denegat utique medicinam. Non vult enim credere humanam carnem a Deo plasmatam, neque circumcisionem carnis imperatam a Deo nostro sanctis patribus, nec victimam de carnibus animalium Deo vivo et vero priscis temporibus immolatam, nec sabbatum ex Dei præcepto ac voluntate servatum, nec Domino templum, Deo jubente, fabricatum ; itaque dum in Scripturis sanctis non discernit temporum qualitatem, spernit et despicit Dominicæ Incarnationis saluberrimam veritatem. Quapropter ut Manichæus evidentissima ratione vincatur, et victus utinam convertatur, ex hodierna evangelica lectione veritatem Testamenti Veteris defendamus, ut ex hoc et Veteris et Novi Deum unum manifestissime comprobemus. Ecce sancto evangelista narrante cognovimus Christum Dei Filium verum hominem natum, Christum Dei Fllium veraciter circumcisum, pro Christo Dei Filio sacrificium de carnibus secundum morem tunc divinæ institutionis oblatum, sive autem circumcisio carnis, sive carnalium sacrificiorum regula, in Veteri Testamento cognoscitur instituta. Cur igitur, dilectissimi, non credatur justissime in Veteri Testamento, quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in Novo Testamento ut non in æternum periret homo ipse unigenitus Dei pro nobis factus est verus homo ? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem carnis ad aliquid significandum congruo tempore jussisse fieri, cum eam Dei Filius in suo corpore fecerit celebrari? Cur autem non sibi Deus noster præterito tempore populum Judæorum typicas jussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus unigenitus ex Judæis temporaliter natus seipsum pro nostris peccatis secundum carnem dignatus est immolare ? Attendat igitur Manichæus utriusque testamenti manifestissimam, et concordissimam veritatem, et conversus suam abjiciat vanitatem. Videat in Veteri Testamento significationem futurorum, in Novo revelationem præteritorum ; Christum autem Deum amborum Testamentorum, in Veteri Testamento quod exhibiturus fuerat promittentem, in Novo quod promiserat exhibentem, nec in promissione mendacem, nec in donatione fallacem, sed ubique bonum, ubique justum, ubique sanctum, ubique potentem, ubique clementem. In Veteri Testamento carnis, atque humanæ animæ potentissimum Creatorem, in Novo ejusdem carnis, atque animæ clementissimum susceptorem, ac si primo carnis animæque factorem. postmodum vero carnis animæque salvatorem. Hæc Manichæus audiat, conferat, agnoscat, et credat, credensque ad Ecclesiam catholicam redeat, in qua beneficium veræ salutis inveniat. Per hæc autem quæ Dominus gessit in corpore constitutus non solum utriusque Testamenti dignatus est concordiam demonstrare, verum etiam christianorum mores salubriter voluit informare, ut quod in illo pro nostra salute gestum corporaliter intuemur, nos quoque spiritualiter imitemur. Ideo nam parvulus in terra natus est Christus ; ut humilitatem disceret christianus ; ob hoc etiam parentibus carnis suæ subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis christianus exhibeat. Ideo autem Christus vilibus involutus est annis, ut christianus non declaretur vestibus pretiosis ; propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites christiani discerent terrenas divitias non amare, sed eleemosynas pauperibus erogando possent suas divitias in cœlo servare. Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem in spiritu præmonstravit, quam circumcisionem nobis sermo legalis indicit, dicente Moyse : *Circumcidite præputium cordis vestri, et circumcidimini Domino Deo vestro.* Cui præcepto concordat beatus Paulus apostolus dicens : *Non enim qui in manifesto Judæus, neque quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Proinde circumcisionem in corpore habuit Christus, ut spiritualiter in corde habeat christianus, ob hoc namque ille qui nullum habere potuit omnino peccatum deposuit præputium carnis, ut nos abjiciamus desideria pravitatis. Christus igitur manibus est portatus ad templum, ut christianus bonis operibus conscendat in cœlum. Sacrificium pro se offerre voluit Christus ut ad altare Domini se offerat christianus ; maxime autem bene vivendo seipsum Deo offerre festinet, et mundum sacrificium se divinis obtutibus curet exhibere ; in ipso enim pro Christo oblato sacrificio, quoddam spirituale sacrificium nobis agnoscimus indicari. *Par*, inquit, *turturum et duos pullos columbarum.* In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnum nobis commendatur catholicæ fidei sacramentum ; in columba enim charitas agnoscitur, et in turture castitas invenitur. Turtur namque servat intemeratam uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Christianus igitur tunc vere spiritalis turtur efficitur si veram triuitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vero erit columba si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationis scandala immobili firmitate consistat, ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet

unitatem; hæc enim catholica Ecclesia est, quæ fidem uni Deo tanquam legitimo viro reservat, et congregationem multorum in charitate multiplicat. In hac turture et columba, dilectissimi fratres, sollicite permanete, hanc charitatem vobis omnibus custodite ut eam nec arianus violet, nec donatista conculcet, nec manichæus coinquinet : hi enim, velut accipitres mali unitatem columbæ cupiunt dissipare, et castitatem turturis desiderant violare. Nam manichæus in Christo veram non credit carnem ; arianus veram in eo minuit divinitatem, donatista vero dissipat catholici corporis unitatem. Manichæus sacramentum non videt Redemptoris, arianus magnitudinem non cogitat Salvatoris, donatista vero, tanquam lupus rapax, boni non dubitat gregem dissipare pastoris. Illi ergo, sicut dixi, tanquam accipitres mali miseros et vanitatis cupidos, aut veritatis ignaros occidere cupientes, persequentur columbæ charitatem, execrantur turturis castitatem, et quos possunt aut ore devorant, aut unguibus lacerant, id est aut sermonibus depravant, aut persecutionibus cruciant. Vos ergo, dilectissimi fratres, in fide custodite catholicam veritatem, in charitate servate catholicam pacem ; ille enim gratum Deo offert sacrificium qui charitatem fraternam et verum catholicæ fidei servaverit sacramentum, ubi unus Deus, una Trinitas colitur, nec Pater major Filio est, nec Pater minor, secundum divinitatem, Filius prædicetur, nec ab eis discernitur substantia sancti Spiritus, qui cum Patre et Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis sanctæ potentia, quia in tribus personis una manet naturalis substantia; una est enim potestas, quia una majestas, una Creatoris dominatio, quia una creaturæ conditio ; quidquid enim Pater creavit, per Filium fabricavit, et in spiritu sancto firmavit, Filius autem natus est de gignente, Spiritus sanctus procedit de permanente, nec tamen nascendo Filius divisit Patrem, nec Spiritus procedendo minuit Deum, quia nec auget hærendo cum nascendo Filius non est minoratus, nec Spiritus sanctus procedendo est separatus. in se enim beata illa Trinitas manet, quia ibi substantialiter unitas permanet ; et quoniam nihil est in Trinitatis divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum. Hæc, dilectissimi fratres, fideliter tenete, in his jugiter permanete Hæc sit in corde cogitatio, hæc in ore confessio. Tenete fidem quam accepistis in nomine Trinitatis, servate unitatem spiritus in vinculo pacis, ut turtures et columbæ spiritualiter in domo Dei semper esse possitis.

SANCTI AUGUSTINI

SERMONES QUATUOR

NUNC PRIMUM AB ILLUSTRISSIMO CARDINALI MAIO EDITI.

(*Spicileg. Rom.*tom. VIII.)

In sequentes sermones

MONITUM EDITORIS

Diu multumque est, ex quo ineditos priscorum Ecclesiæ patrum sermones, latinos et græcos, linguis etiam syriaca et arabica scriptos, sed de græco fonte sæpe manantes, colligere cœpi. Igitur et in mea Scriptorum veterum collectione, et in Auctoribus classicis, et in hoc etiam Spicilegio, nonnullos pro re nata et quasi gustus gratia vulgavi ; veluti etiam nunc in hujus voluminis calce quatuor mihi collocare placet magni Augustini sermones, quos e pervetustis membranis, neque ex uno quandoque sed ex pluribus repetitis exemplaribus, ante quinquennium delibavi ; quosque adhuc anecdotos reor, post nobiles Maurinorum labores, et post vindobonensia, florentina, casinensia Romæ et Parisiis edita, additamenta, quæ proba novi et inspexi.

Primus de Petro jussu Domini super mare ambulante, testimonium habet a Possidio illo, qui ferme quadraginta annis cum divo Augustino vixit, ejusque vitam et scriptorum indiculum concinnavit. Is quippe inter divi sermones memorat hunc cum hujusmodi titulo : De evangelica lectione, ubi Domino jubente Petrus super mare ambulavit. *His ego Possidii verbis, tum etiam antiquissimi codicis auctoritate fretus, hunc genuinum esse Augustini sermonem prorsus non dubito.*

De utilitate jejunii concionatum fuisse Augustinum testatur Possidius ; quod multoties ab illo factum fuisse, certum est, recurrentibus annis. Ex his sermonibus unus exstat in editione maurina T. VI, p. 613. *Alter hic noster credendus est, quem secundo loco ponimus in sex priscis codicibus compertum, cujus est titulus* Quantum valeat jejunium.

Tertius, De nuptiis *in Chana Galileæ, servatus est in antiquissimo codice, cujus primam paginam jamdiu attritam et evanescentem, chemicis adjumentis quantum licuit instauravi, multoque labore ac patientia legi; non ita tamen ut sine aliquot lacunis sit, quas expleri aliquando posse vix puto. Comparavi quidem hunc sermonem cum Augustini tractatibus octavo et nono in Joannem, ubi idem argumentum evolvitur; re tamen vera noster hic totus diversus est. Item Beda in commentario ad Pauli Epistolam priorem ad Timoth. cap.* IV, *quem ex Augustini, ut scimus, operibus consarcinavit, haud sermonem nostrum, sed illos in Joh. præ oculis habuit. Nihilo tamen minus, quisquis beati Augustini stylum, præsertim in sermonibus, parumper callet, hunc quem in manibus habemus tractatum, sine dubio inter sinceros reponet. Præterquam quod illa quæ statim sub initio adversus Manichæos dicuntur, quis non ab ore Augustini procedere agnoscit?*

Quartus denique sermo, cui titulus De missa cotidiana, *nomen item Augustini gerit in pervetusto exemplari; dictumque apparet, dum adhuc ethnici judæique inter christianos versarentur. Neque res igitur, neque ætas, neque ipse, ni fallor, stylus obstant, quominus auctoris, quem sermo præ se fert in titulo, fœtum esse credamus. Nam nec cunctos Augustini tractatus indiculo suo comprehendisse Possidium, exploratum est. Cæterum hiatus aliquot, obscurasque aut dubias lectiones in hoc præsertim ac superiore sermone, nemo quæso miretur: codicis enim originalis, dum editionem moliebar, præsentem facultatem non habui; cui deinceps incommodo, ut spero, medebor.*

Hæc tantum in præsenti; latius postea rem hanc et alias expositurus, et gratias etiam illis acturus si qui me in his laboribus ac vestigationibus favore suo adjuverunt, vel adjuturi sunt.

SERMO PRIMUS.

De evangelio ubi beatus Petrus in mari tempestatem sustinuit in navi. Matth. XIV, 22 *seqq.*

Nutritos hirundo pullos suos cum volandi arti disponit, paululum quidem in aere dimittit, quibus tamen ipsa vicina est, ne forte decidant trepidando, adhuc infirmi volando. Ita et salvator noster Jesus Christus discipulos suos quasi teneros pullos de nidulis quietis emisit marinis fluctibus adprobandos. At ubi cœpit pinnas devotionis eorum marina procella turbare, et ventosa tempestas dissipare, ipse potens est segui navigio qui imperat vento. Fecit sibi potentissimam monopedam (*a*), singularem quadrigam, mirandam suis vestigiis plateam componens, non marmoribus ornatam sed fluctibus pictam, non saxis sed plantis. Non longe recedit, qui pie præmisit. Ambulabant soli et non soli, temptandi, probandi, visitandi. Invenit occasionem quasi subtilis fur effractor, qui excitat tempestatem, qui non amat tranquillitatem; et quasi absente magistro discipulos temptat, ventos inflat, excitat mare, et sequentem non videt gubernatorem. Fit servis absente domino argutatum (*b*) sine causa naufragium, sed tenetur pietate navigium. Illi interea manus extendunt, lacrimas fundunt, vela deponunt, stridens funes et restes, ut Petrus solvatur et diabolus alligetur. Ubi exclamant, inquit, Domine salvator es noster? Præmisisti nos, et dimisisti nos. Ecce naufragator, ubi es tu potentissime gubernator? Ecce tempestas, ubi es pietas? Ecce mare latrat, ubi es tu agnus Dei qui tulisti peccata mundi?

Continuo advenit Dominus, cum pietate subridens ad teneros pullos. Ventis turbantibus dissipatis, venit potenter, appellat clementer, suos quoque reficit sapienter. Vident et turbantur, qui non videndo turbabantur. O inenarrabilia, fratres mei! Ubique metus, aut de periculo, aut de miraculo. Sed tulit (*c*) illis timorem qui mitigavit tempestatem. Nolite, inquit, timere; ego sum. Magna fit eis consolatio, Domini personæ interpretatio. Domine, clamant: securi sumus, si tu es: non timemus, si tu es. Et Petrus ait: Possum facere quod facis, si tu es; sed proba mihi vere si tu es; et jube me venire super aquas, si tu es. Domine ad te dixi: sine te non præsumsi; si jubes, dixi; sed si juvaveris, quod dixi. Si non juvas, noli jubere; sed si juvas, dignare jubere, et jube me ad te venire super aquas. Et Dominus e contra: Veni ad me, si præsumis de me. Lætus Dominus vultuque jucundo favens, expectans piscatorem suum, confessorem suum, præsumtorem suum, ducem suum, magnum comitem suum, et primum carbunculum, lapidem pretiosum, non longe expectans sed prope propter pietatem.

Petro itaque mare subripit trepidanti. Sensit mare in Petro fidem deficere, et cœpit majore undarum lingua latrare. Solvitur quod erat firmatum, quia fidei solutum est firmamentum. Velut cera sole calente soluta, sic cœpit unda laxari mollita. Sensit petram pelagi Petrus vacillare. (*d*) jam debilem fluescentem: et depressis vestigiis atque palpitantibus membris, extensis palmis, exclamat et dicit: Adjuva me, Domine, et miserere mei. Semper mihi timor est sine te, et in naviculo et super unda præsumsi venire ad te. Quare tollar a te? Adjuva me, ad navem revoca, ascende mecum, veniam tecum. Ille Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob, Petrum allevavit, firmavit, ambulare intrepidum fecit, trepidantes discipulos refecit, compescuit procellam, gubernavit naviculam. Ipsam suam sponsam, nostram matrem, tranquillet Ecclesiam; et inter istam tempestatem ipsum habeamus semper gubernatorem, quem Petrus habuit defensorem! Amen.

SERMO II.

Quantum valeat jejunium

Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus

(*a*) Adnotent vocabulum lexicographi. Sic autem dicitur ob velocitatem. Confer Cangium voc. *Monopedæ.*

(*b*) Ita videbatur in cod. Intellige autem *subsiliens*; nisi mavis *agitatum*, aut quidlibet aliud.

(*c*) Nempe *abstulit.*

(*d*) Cod., *volitare.*

in eremo jejunavit, ut legem Domini mereretur accipere. Impetraverunt jejunia quod venter saturus desperabat. Denique videte, fratres carissimi, quid sit inter jejunium et saturitatem, inter ventrem vacuum et pulmonem epulis æstuantem. Moyses, quia jejunavit, Dominum vidit; et populus quia comedit et bibit, idola fabricatus est. Quid de Moyse loquor, et de israelitica multitudine? Ipse princeps generis nostri Adam quamdiu non comedit, in paradiso fuit: statim ut comedit, de paradiso ejectus est. Qui in paradiso Dei, virgo fuerat, ejectus de paradiso cognovit uxorem suam : semper enim saturitati juncta lascivia est : vicina sibi sunt saginæ membra atque luxuriæ ; pro membrorum ordine, ordine vitiorum eligitur.

Helias sanctus, cui elementa famulata sunt, qui cœlum tribus annis et sex mensibus clauserat, ad cujus vocem supernum descendit incendium, cum eum Jezabal vellet occidere, et fessus sub umbrosa arbore jaceret in solitudine, angelus ad eum mittitur, et præcepit ut sumeret paululum panis et aquæ ; quadraginta enim dierum jejunio per desertum ad Sina montem profecturus erat. Numquid enim Dominus omnipotens, qui cœlum et terram fecerat, cujus universa creatura est, non poterat mulsa per angelum aut vina transmittere, aut conditos cibos, aut marinas delicias, aut volucrum suavitates? Sed sciebat prophetam suum non aliter posse temptationes diaboli vincere, nisi jejuniis erudiretur.

Ejecit nos, fratres carissimi, de paradiso cibus, reducat esuries. Daniel ille futurorum conscius, et adventus Domini et eversionis Hierusalem manifestissimus prædicator, ideo vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit ; magis enim Christum quam epulas desiderabat. Joannes præcursor Domini locustis in eremo nutritus est, non animalium carnibus et volucrum suavitatibus. Poterat utique juxta Jordanis fluenta piscium sibi exhibere delicias ; sed pœnitentiam prædicaturus doctrinam rigoris et jejunii exemplo suo magis debuit docere quam voce. Cum in Evangelio quidam dæmonio plenus, Domino fuisset oblatus, quem purgare apostoli nequiverunt, interrogantes audiunt : Istiusmodi genus non ejicitur nisi orationibus atque jejuniis.

Videte, fratres, quanta sit virtus jejuniorum, ut id valeant jejunia facere, quod apostoli nequiverunt. Dimittantur vetera; unusquisque se ipsum consideret et perpendat quanta sit orandi differentia inter vacuum ventrem et refectum, inter rubentem faciem et ora pallentia, inter salivam virginem et labia crapulis dissoluta, inter oppressum epulis sensum et inediæ tenuitate vigilantem. Non dico duplicata et multiplicata jejunia, non dico hebdomadas, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. Cessent lavacra, vina, vel deliciæ ; non quod creaturam Dei judicemus esse damnandam, sed qui toto anno nobis viximus, saltem paucis diebus Deo vivere valeamus, adjuvante nos ipso qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De evangelio ubi Dominus de aqua vinum fecit. Joan. cap. II.

Nuptiæ, in quibus Christus et munerator et conviva discubuit ; munerator scilicet in origine, conviva factus in genere, ut qui in primordio copulæ novellæ concesserat nasci ex homine hominem, ipse quoque nasci dignaretur ex virgine... Aures nostræ pulsatæ nunc e sancto Evangelio sonuerunt : die, inquit, tertio nuptiæ factæ sunt in Chanan galilæa, at erat mater Jesu ibi ; invitatus est autem Jesus cum discipulis ad nuptias. Si Manichæorum latebrosa voluptuosæ turpitudinis fœditas de nuptiis percontetur, Deus eas, inquit, non fecit. Si ergo Deus nuptias non fecit, quomodo in eis Christus cum discipulis suis invitatus adcubuit? Sed jam opaci hujus mysterii nubilum ventilemus. Die, inquit, tertio nuptiæ factæ sunt in Chanan galilæa. Splendescente igitur super obscurum, delictis offuscantibus, mundum Trinitatis die, Christus venit ad nuptias. Tunc autem anima quæ de limi fuerat jam affricta consortio, per fornicationem oblectantis pomi adulterum demutata maritum, pollutæ societatis nuptias celebrat. Audi Paulum hujus malæ conjugationis iterum vincula formidantem : timeo, inquit, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Dum itaque in unius discubitionis instrumento (*a*) jactati diabolus et anima lascivirent, invitato Jesu... dum vino luxuriæ defecerunt. Genetrix autem Christi illa, quæ facinerosi (*b*) concubitus pactum exhorruit, quæ non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata, conditione generis non participatione criminis, universitate nascendi non societate peccandi, quæ..... Christo, non quæ mundo consentiret jucundo.

Hæc igitur mater Christi longum mundi miserata laborem, quæ se noverat de palmite fidei magnum duxisse... botrum, a proprio germine cœpit exposcere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit : tunc inchoavit agere sæculi *causam*, quando non trepidavit ad nuntium. Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Mox ex semine sancti Spiritus propagata in saltu virginali primitiva vitis effloruit, quæ umbraculis opacata cœlestibus subfrondet.... nis occultum botrum procreavit. Pependit salus in fidei apice, et turguit botrus.... Ecce postmodum ex matricis utero racemus divinæ prolis animatus.... natus est. Christus verus botrus continebat equidem intra se vitæ vinum.... crucis accesserat prelum. Dicit mater ejus : Vinum non habent. O virgo sapientissima! modo meruisti germinatam sobolem (*c*) procreare, et jam botrum.... vis

(*a*) Num pro *stramento* ?
(*b*) Ita cod., *facinus facineris*, ut *pignus pigneris*.
(*c*) Cod., *subulem*.

exprimere ? Equidem non potest nisi germen germini obviare, et (palmiti suo) resistere. Sed qui de ligno carpsit supplicium, in ligno debet expectare remedium ; et qui in arbore inlicitam demessuit frugem expectare (*a*) debet ad crucem, ut ubi..... hauserat siccitatem, ibi salutis accipiat potionem. Vinum, inquit, non habent. *Attende* virgo, paulisper, præparet judæus lignum, descendat clavus in botrum, et.... poterit vinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum necdum impresserit Judas protervum super uva calcaneum ? Ipse est enim ille Judas destructor sacratæ vindemiæ, qui XXX pactus argenteis botrum divinæ prolis judæis...., impiis venundavit (*b*). De quo in psalmis jam fuerat decantatum : Nam et homo pacis meæ, in quem speravi, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum. Aderit, virgo, certa dies qua prematur fructus tuus, et tuam ipsius animam pertranseat gladius, ut constiterit de botruo (*c*) pendente quem profuderas ex radice.

Vinum, inquit, non habent. Et *Jesu* : Quid mihi et tibi est, mulier ? Nondum venit hora mea... Utique non fati (*d*) sed voti hora, non necessitatis impositæ sed voluntatis impensæ... non quo cogeretur mori, sed quo pro mundo dignaretur *mori*. Quid mihi et tibi, mulier ? An oblitus es matrem ?.... An discernis potentiam tuam ?.... neret. Nulla est tibi cum matre communitas ? An.... oculi tui debu.... majestas ? Creatorem te disignas ? An cred.... nunc locui.... ctorem propellere instinc.... periere nefandissim.... opus dum cum... asti præstigium. Extulit hic Christus super matrem divinitatem suam. Non negavit matrem suam, neque se natum negavit e carne, sed majestati suæ suam subdidit genetricem. Et ideo ait : Quid mihi et tibi, mulier ? Nondum venit hora mea. In miraculo enim deitas matre altior prædicatur; in hora autem, mortis communitas intimatur. Interim Christus insipidos haustus merificat (*e*) : fatuus latex fundebatur in hydrias, et hauriebantur inebriata flumina. Quæ est ista tam repentina conversio ? In aqua vinum nascitur, in unda sapor latenter exoritur : germinat suavitas in vinis, et nusquam fructificat vitis ; nulla exprimitur uva, et fervescunt sine palmite vina.

O magni pulchritudo miraculi! Inseruntur divini præcepti vires, et in aqua nascitur fructus. Hoc fecit Christus in latice, quod certo tempore facit in vite. Quis enim alius radicem ex imbre maritat ? Quis alius per occultas venarum fibras stellatos palmites laqueat ? Quis turgentes botros ac velut in apices gemmatos impinguat, nisi is qui universa provocat et multiplicat ? ut quod adstringitur in semine diffundatur in germine, et quod latet in grano silvescat in folio. Interea Ecclesia, quæ in mensa sæculi cum alieno viro polluta cubitabat, repentinis a Christo haustibus munerantur. Transeunt ad Christum nuptiæ. Qui enim vitavit, ipse dotavit. Arripuit Christus convivium, et Ecclesia mutavit sponsum. Pavit Christus, et exclusus est inimicus. Miscuit sui sanguinis potionem, et duxit uxorem. Aptavi inquit vos apostolus uni viro virginem castam exhibere Christo. Ecce illa quondam facunda nunc formosa, ante adultera nunc matrona, stat a dextris Dei in vestitu deaurato circumamicta varietate, per aquam mundata, per sanguinem purpurata, per resurrectionem Domini candidata, pretiosis gemmis gratiæ varietate (*f*) : et sicut dixit Scriptura, fulvi sunt oculi ejus a vino, et dentes ejus candidiores sunt lacte. Potemus ergo et nos vinum ejus cum lacte ejus, si volumus et in fide pulchrescere, et in virtute candescere, et in ornatu sanctæ Ecclesiæ radiare.

Accipite grande aliud a parvo mysterium. Aliquando et Judæa vinum in convivio suo non habuit, quia munus sacrati sanguinis non accepit ; et dum legi nuberet, non invenit omnino quod biberet. Venit Christus, mutavit legem in gratiam, illam inflatricem, istam adjutricem. Fudit in legem sanguinis poculum, et fecit moriendo convivum. Gustavit architriclinus, id est mundi Dominus, aquam vinum factam, et dicit : Omnis homo primum vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerint homines, id quod deterius est ; tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Et lex enim sancta, ut mandatum sanctum et justum et bonum ; sed lex et prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt ; et ideo adveniente Domino vina mosetica defecerunt, et vina sanguinis profluxerunt. Illa acceperunt terminum, ista sumserunt initium. Denique hoc est initium signorum quæ fecit Jesus, quando pavit gentes occisus, et de vino sui sanguinis fecit convivium vulneratus.

Hunc botrum in terra promissionis seu in cespite virginitatis exortum, aliquando Judæus in palanga(*g*) tanquam in præsagio futuræ crucis infixerat, sub quo curvaretur, non ex quo reficeretur. Jam enim de eis psalmus fuerat prælocutus : Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Portabant igitur botrum duo, unus anterior, et alter posterior ; in medio palmitis germinis propago pendebat. Primus indicabat populum Judæorum, secundus designabat populum gentium. Judæus quidem anteibat. sed contra botrum dorsa ponebat. Gentilis posterior ambulabat, sed botrum fidei oculis adtendebat, quia in pendente credebat. Posuerunt, inquit Dominus de Judæis, ad me dorsa et non facies suas. Primus aversabatur, secundus pascebatur ; ille hanelabat sub delicti onere, iste bibebat ex æthere. Judæo ergo botrus posterior, gentili erat anterior ;

(*a*) *Expectare* pro *spectare*, in aliis quoque vidi interdum codicibus. Nisi forte præstat scribere *expectare a cruce*.

(*b*) Ita cod.

(*c*) Ita cod. *botruo*. Et quidem aliquoties, sed non constanter, *botruus* et *botruum* in hoc sermone, nec non alibi apud Augustinum.

(*d*) Contra fati doctrinam sæpe scripsit Augustinus.

(*e*) Animadverte pulchrum vocabulum.

(*f*) Nota rursus vocabulum, nisi est pro *variegata*.

(*g*) Num. XIII, 24. Et quidem *palanga*, vel *phalanga*, dicebant præsertim Afri pro fuste, teste Plinio apud Forcell.

illis in fine, nobis in principio ; illos sequebatur ad supplicium, nos invitabat ad cibum. Itaque illi desiccati sunt et aruerunt, nos vero comedimus et bibimus et refecti sumus, per ipsum Jesum Christum qui vivit cum Patre et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De missa cotidiana.

Congregatio beatitudinis vestræ, fratres carissimi, facit nos nimio gaudio esse repletos. Sed quia pavet pectus catenis corporis obligatum, non possum dicere quantum splendor animi vestri delectat audire. Tamen adgredior, ut arrha a Deo data clariore, et pignore splendidissimi luminis refulgente, palpitat sensus mei dicentis (*a*). Peto ut vestris auribus inseratis, fratres mei, officia sacerdotis, quibus per viscera misericordiæ incommodum (*b*) non desinet parturire, dicente apostolo Paulo : Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed illis ait apostolus, qui novellæ fidei, et rudis adhuc credulitatis primitiæ detinebantur in corde plantaria. Verum, propitio Deo, quia ita aput (*c*) vos fidei prærogativa veterescit, ut et nova sit, ideo novitatem tenet, ut vetus sit : quia sic scriptum est : Vinum bonum veterescit, et cum suavitate bibetur. Tamen celare non potui et diustius suppurgatum (*d*). Nolui videre quod lugeam, nolui videre quod doleam. Clamo quia pastor sum non mercenarius, qui viso lupo fugit, et oves ut pereant derelinquit. Clamo quia timeo, clamo quia doleo : clamando enim et me excuso, et vos non perdo. Nam si tacuero, et me non excuso, et vos perdo. Ait enim Deus per Esaiam prophetam : Exclama, inquit, in fortitudine tua, et noli parcere : sicut tuba exalta vocem tuam, annuntia plebi meæ peccata eorum, et domui Jacob facinora eorum. Ita enim devotio vestra refriguit, fratres mei, ut et illut sentiam, et metuam. Quod Dominus ait : eo quod facinus abundet, refrigescit caritas multorum, puto in vestra devotione compleri. Dum enim vos in domibus vestris sedere sectamini desertam facitis domum Dei.

Et audi quid per prophetam divina istiusmodi indignatio omnium mentes objurgat. Audi, christiane, quod timeas ; audi, timorate, quod caveas : Pro eo quod domus sua deserta sit, ideoque cœlum abstinebit pluvias, et terra non dabit fructum suum, et inducam gladium super opera manuum hominum, quia Deus in ecclesiis non auditur. Quis ad hoc, fratres mei, intentus non visceribus contremescat ? Quis non tantis comminationibus percussus arescat, quando sic audiat Dominum indignantem, eo quod domum suam desertam faciatis, (*et domus or*) ationis a conventu religioso sit vacua ? Plena est populis platea, et silet ecclesia. Utique, prudens homo, non tibi dicitur ut ad domum Dei omni hora convenias. Si in matutinis vix una hora est, si in diebus festis vix duæ horæ sunt, ecce parum est quod a te exigit auctor tuus. Et non vis esse beatus ? Vis tibi cœlum et terram, mare, et omnia elementa omnibus temporibus deservire, et non vis una hora vel duabus horis dominicæ devotioni vacare ? Castigetur ergo pigritia vestra, ut procreationes suas non perdat terra. *Inducetur gladius* super opera manuum illorum, quia Deus in ecclesiis non auditur.

Condemnat nos pigritia nostra, fratres mei. Currit matutinus ad synagogam Judæus, festinat et vigilat ad templum paganus, et non vigilat aut festinat ad ecclesiam christianus. Magna confusio est christianis, qui provocantur venire ad domum Dei exemplo et contemplatione pejori ; ut plus si Judæus in sua observatione sacrilegus, quam christianus in sua religione devotus. Vigilat gentilis ad idola profanus, et non vigilat aut festinat christianus ad ecclesiam pro quo crucifixus est Christus. Propterea castigat Deus terram, ut homo accipiat disciplinam : ut homo corripiatur, terra dar.... dicere. Vos facitis domum meam desertam, et ego desertam faciam terram vestram, Vos in veniendo ad me non datis mihi honorem, et ego vestrum intercidam laborem : quia qui honorificat me, inquit, et ego honorificabo eum.

Sed dicturus es mihi forsitam : dives sum, et facultatibus cunctis abundo, nihil indigeo, quid petere possum ? Ergo ex te dives es ? aut cum divitiis natus es ? qui magis quantum dives es, tantum ad eum, cujus sunt divitiæ, manicare debes : quia meum est, inquit, aurum et argentum, et cui voluero dabo illud. Habes quod non accepisti? Si ergo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Certe si accepisti, nihil habuisti, quia nudus ex utero matris tuæ in hoc sæculum devenisti, pannis obsitus, extrema egestate confectus, et jam sicut natus moriturus. Habes testem beatum Job dicentem : nudus exivi de ventre matris meæ, nudum me oportet ire in terram Curris ad domum fœneratoris, adulatoria verba componis, et non curris ad domum Dei gratuito largitoris ? Quæ est in vobis tanta pigritia, fratres mei, ut ad domum Dei minime vigiletis ? Tibi dico, quisquis es, rustice piger : pigritaris ad domum Dei venire, et non pigritaris terram tuam excolere? Et nisi desuper tibi dederit pluviam, non poteris rumpere terram. Nihil tibi de suo præstare poterit, nisi desuper acceperit. Scriptum est enim : Desursum descendit a patre luminum, aput quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Sicut et in Evangelio scriptum est : Verum quærite regnum Dei primo et justitiam, et hæc omnia adponentur vobis. Ergo, fratres mei, ad ecclesiam Dei vigilare debetis. Hoc expectat Deus, ut illi tantummodo fatearis et non sunt moræ ut saneris, nisi confessionem tuam solummodo quæsiturus. Explicit.

(*a*) Sic videbatur in codice, cujus mihi nunc revisendi copia non est.

(*b*) Id est molestiam per suum zelum creare.

(*c*) Prisca orthographia est, ut infra *illut*, *aliut*

(*d*) Sic videbatur in codice.

SOLILOQUIORUM
SANCTO AUGUSTINO ADSCRIPTORUM
CAPUT POSTREMUM
A J. TROMBELLI E TENEBRIS ERUTUM

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI LECTORI.

Novimus quidem librum eum, qui *Augustini soliloquia* inscribitur, ab Augustino Hipponensi Episcopo, ac præclarissimo Ecclesiæ Doctore non esse compositum : at novimus etiam, a laudabili Scriptore eum prodiisse. Gratum itaque, ut puto, Lectori erit, si quæ in codice, quem e selecta sua bibliotheca mihi dono misit nobilissimus, atque humanissimus vir Faustinus Avogadro, Comes Brixianus, eidem libello adjecta invenimus, evulgemus. Plurimis quidem in locis, imo identidem codex ille a Soliloquiorum editionibus diversus est : at nos postremum duntaxat ejus libri caput, quod nondum est editum, proferendum censuimus. De pretio tamen, atque auctoritate hujusce additamenti Lectori dijudicandum relinquimus. En ea itaque quæ post voces illas *canos meos* invenimus (*a*).

INCIPIT
SOLILOQUIORUM CAPUT POSTREMUM.

Pius ut Deus te ducat ad sublimia sua, introduc eum ad intima tua; certum enim tibi sit, quod delictum tuum nimis diligis, si quamvis fortasse summe, nondum eum tamen singulariter diligis : quod est, si alienam aliquam consolationem quæris, vel recipis. Cogita ergo, quid sit, quod in vita tua ardentius dilexisti, anxius concupisti, quod te jucundius afficiebat, ceterisque omnibus profundius delectabat, vel potuit delectare. Considera ergo, si eandem affectionis violentiam, delectationis abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in ejus dilectione requiescis : dubium enim non est, quod illum affectionis tuæ sinum nondum tenet, si intimæ dilectionis tuæ aculeus animam tuam in divinis affectibus minus penetrat, tepidius exagitat, quam in alienis affectibus aliquando penetrare, vel exagitare solebat, vel posset aliquo modo tractus (*b*) alicujus affici : tu quoque ab eo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. *Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos meos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*c*). Sublimitas ergo divinarum revelationum est manifestum indicium, quod perfecte diligis, vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna raperis, et in anagogicos illos conatus mentis alienatione transis, Et qui huic contemplationis virtuti vult vacare, necesse est, ut discat requiescere non solum ab operibus malis, sed etiam a cogitationibus supervacuis. Opus etiam est compunctione, suspiriisque magis, quam argumentis : crebris gemitibus magis, quam copiosis argumentationibus; lacrymis, quam sententiis; oratione, quam lectione; gratia lacrymarum, quam scientia litterarum ; cœlestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione. O lux mentium Deus, expelle a me stultitiæ noctem, et dona mihi sapientiæ diem : erue veritates, et justitiæ solem de profundissimis naturæ tuæ sinibus omnem intellectum superantibus in æthere animi mei : super terram cordis mei extingue phantasias corporum, et phantasmata variarum cogitationum mearum. Crea prolem intelligentiarum tuarum in utero mentis meæ. Effunde spiritum tuum super aquas infirmitatis meæ, ut conversus ad te, conformis Filii tui, videam te in te, et omnia sub te. O tu purissima veritas, tu vide te in me, tu intellige te in me. Per me enim non video nisi vana, fluxa, et caduca, nec video nisi falsa, et corporea plasmata : per me nihil sum, nisi mors, et abyssus tenebrosa, et imperfecta, In te sum quod sum ; in te vivo quod vivo : in te intelligo, quod intelligo, quia tu es summa intelligentia, essentia summa, vita summa, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, unitas triplex, infinita, et sine fine Deus unus in secula seculorum. Amen.

(*a*) Confer operum S. Augustini editionem nostram tom. VI col. 863-898. EDIT.

(*b*) Fortasse legendum est *tractu*.

(*c*) Joan. xv, 15.

SERMONES QUATUOR SANCTO AUGUSTINO ATTRIBUTI *.

I.

Fratres si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, etc. (*Coloss.* III, 1.) Domini nostri Jesu Christi honorabilem sollempnitatem sua favente clementia, fratres karissimi, fideliter veneremur pietatemq. ejus ineffabilem ad memoriam revocemus, qui non solum nostræ redemptionis causa humanam carnem suscepit, verum etiam diversa genera pœnarum pro nostra salute subire dignatus est. Et licet post multum inerciæ et pigritiæ nostræ somnium non inviti, sed volontariæ sanctæ et Christianæ religionis dulcedine provocante in sanctissime sollempnitatis conventu expergefacti, libenter et devote cum omni sollicitudine resurgamus secundum illud quod Apostolus ait in presenti lectione : *Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Acsi dicatur : Nos qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditi sumus, trina submersione baptizati per invocationem ejusdem sanctæ Trinitatis, ad eamdem renovamur imaginem. Et qui trino peccato maxime decidimus in mortem, idest in cogitatione iniqua, in dilectatione carnis consensu operum malorum, tertio elevati de fonte remissione omnium peccatorum precepta [percepta], per Christi gratiam, sicut ipse tertia die resurrexit, nos resurgamus ad vitam. Nos vero si consurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo et concupiscentiis carnalibus, et deponamus veterem hominem, id est malam voluntatem, vel usum pravum et delectationes pessimas; induamus nos benignitatem, et proximis nostris cum omni devotione bona faciamus ; et post Domini dilectionem nihil amori proximi preponamus, sed ut nos ipsos illos diligamus.

Sequitur : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* ; tantum ea quæ celestia sunt, non quæ terrestria querentes ; terræ mori, vivere autem Domino; celestem sectari sapientiam, non terrenam, Nam subditur : *Mortui enim estis, et vita nostra abscondita est cum Christo in Domino...* Cum enim mortui erimus mundo et facultatibus ejus atque desideriis ejus, vita nostra abscondita est cum Christo in Domino, *quia filii Domini sumus.* Unde sequitur : *Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Nondum enim apparet quid aut quales futuri sumus ad judicium ; cum autem Christus ad judicandos vivos et mortuos apparuerit, tunc et nos simul cum ipso apparebimus in gloria resurrecturi. Nobis enim et pro nobis nascitur Christus, patitur et resurgit, ut nos in vitam per ipsum renascamur, in tribulationibus et cum eo conpatiamur, et cum eo virtutibus resurgamus. Omnia per ipsum in hac nocte restaurata sunt ; in hac quippe nocte quasi primitiæ dormientium resurrexit, ut nos omnes postea resurgamus. In hac ergo nocte captivitas nostra solvitur, vita in Adam amissa restauratur; in hac nocte protoplaustus Adam peregrinus redit ad patriam paradysi. Ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis paradysus omnibus patet ; nulli clauditur nisi a se ipso ; nulli aperitur nisi a Christo. Et ideo cum omni sollicitudine caveamus ne propter opera diaboli quæ pertrahunt ad interitum, apertum nobis iter regni celestis nos ipsi claudamus; sed potius per opera justitiæ et misericordiæ planum nobis iter faciamus ad regna celorum. Ergo humilitate nostra humilitatem pro nobis Domini nostri in memoriam revocemus ; humiliter in ista vigilemus, humiliter oremus ad eum qui nobis gloria sui nominis inluminavit hanc noctem. Cui dicimus : Dóminus meus, inlumina tenebras meas ; illumque rogemus ut prebeat lucem cordibus nostris, ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita hujus noctis præclaram gloriam inluminata mente videamus; ipsumque precemur ut exaudiat nos vigilantes in sollempnitate sua, quod dormiunt (*sic* miss.) pro salute nostra.

Vigilemus ergo et oremus, forinsecus et intrinsecus hanc vigiliam celebremus. Dominus nobis loquitur in lectionibus suis ; Domino loquamur in precibus nostris. Si eloquia ejus obedienter audiamus, in nobis habitat quem rogamus : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

II.

Fratres, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consparsio, sicut estis azimi, etc. (*I Cor.* v. 7). Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, fratres karissimi, fidem nostram roborat cum facta creditur, memoriam ejus renovat cum sollempniter celebratur. Denique cum ante annos plurimos Christus resurrexit, non absurde dicimus, quando anniversario reditu ista sollempnitas presentatur : Hodie Dominus resurrexit. Quod ergo annis omnibus iteratur cum omni devotione agere debemus. Et quod factum est semel ut redimeremur, hoc institutum est ne obliviscaremur ; nam qui istum diem digne cupit celebrare, meminere debet quod apostolus Paulus ait in presenti lectione : *Expurgate vetus fermentum ut sitis*

* Ex his quatuor sermonibus duos priores, in loca S. Pauli adornatos, titulo autem et nomine carentes, suppeditavit doctissimus bibliothecæ Abrincensis præfectus, qui eos, nobis rogantibus, ex manuscripto IX vel X sæculi nº 2904, non sine ingenti labore exscribere dignatus est. In fronte hujus manuscripti, manu, ut peritis videtur, Mabillonii, scriptum est : *Quod lectiones in Pauli epistolas Augustini sint.* Duos posteriores ex altero ejusdem bibliothecæ manuscripto excerpsit M. Felix Ravaisson, opusculoque inseruit cui titulus : *Rapports sur les bibliothèques des départements de l'Ouest.* Paris 1841. EDIT.

nova consparsio, sicut estis azimi. Excludendum est ergo omne fermentum peccati de cordibus nostris ut pura mente et recta conscientia tamquam panes azimi efficiamus, ut recte Pascha Domini celebrare possimus. Verum si fermentum peccati et malitiæ in corde teneamur, non meremur Pascha Domini celebrare; et ideo Apostolus ait: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consparsio, sicut estis azimi.* Azimi sumus, si alieni sumus ab omni conscriptione peccati. Modicum enim *fermentum*, ut Paulus ait, *totam massam corrumpit.* Et ideo expurgare et abicere debemus a nobis omne fermentum peccati, ut frui tantæ Paschæ sollempnitate mereamur. Quia ergo participes nos facere tantæ Paschæ Dominus voluit, oremus ut sacramenta ejus digne sumamus, ut jure benedictionem consequamur. Hæc est, fratres karissimi, dies Dominicæ resurrectionis, et nostræ initium redemptionis, *hæc* est, inquam, *dies quam fecit Dominus; exultemus et letemur in ea.* Hanc omnes voce consona, leto spiritu, corde contrito celebremus, et agamus spiritalem in psalmis et hymnis letitiam, in memoriam passionis et resurrectionis Christi in spe futuræ vitæ letitiam * : Ecce ista die quando audivimus Alleluia, quodam modo letatur spiritus noster, et jocunditate totus perfunditur; alleluia namque laus in excelsis Domino dicitur, quod nobis convenit ut devota mente omni tempore die tamen isto precipue laudem in excelsis Domino decantemus; id est non solum ore, sed etiam opere perfecto Dominum Deum nostrum voce et corde in laudibus exaltare studeamus, ut nos in celesti vita per illum exaltare mereamur, qui cum Domino Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus per inmortalia secula seculorum. Amen.

III.

Exulta, cælum, et in lætitia esto, terra. Iste dies vobis amplius ex sepulchro radiavit quam de sole refulsit. Ovet et infernus, quia vita ad se descendente a sua impietate resolutus est. Gaudeat, quia in sedibus suis descendente Domino visitatus est. Exultet homo Adam, quia ignotam lucem post sæcula longa vidit, et inter profundæ noctis caligines suffocatus tenebris respiravit. O pulchra lux! quæ de candido cœli fastigio, promicasti, et post fluenta purpurea sedentes in tenebris et umbra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur æterna nox inferorum, Christo descendente, resplenduit. Siluit stridor ille lugentium; cecidere vincula dampnatorum. Attonitæ mentes obstupuere tortorum; omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit. Quisnam enim, inquiunt, iste terribilis et niveo splendore coruscus? Nunquam talem noster excepit Tartarus; nunquam in nostram cavernam talem vomit mundus. Judicem videmus, non supplicem; pugnare venit non succumbere, eripere non manere. Ubinam, putatis, janitores nostri dormierant. A cum iste debellator nostra claustra vexabat? Iste si reus esset, audax non esset. Si eum aliqua delicta fuscarent, nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si Deus est, qui in sepulchro facit? Si homo est, quare captivos solvit? Numquidnam iste cum auctore nostro pacta composuit? An forte et ipsum adgressus vicit, et sic ad regna nostra transivit? Certe mortuus erat, certe victus erat. Illusus est præliator noster in mundo; nescit quam stragem procuraverit in inferno. O crux illa, fallens gaudia vestra, et parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum evertimur. Perit potestas illa, cunctis semper populis formidata. Nullus sub cede nostra captivus nunc palpitat. En quod gemendum est et insultat. Nusquam antiqui fletus, nulli jam resonant ejulatus. Turbidum specus obmutuit. Putasne B iste sine nostro excidio redit? Nemo unquam ad nos vivus intravit. Nemo sic audax fuit. Nemo sic carnifices terruit. Nunquam in hoc hiatu nigra caligine cæco jocundum lumen apparuit. An forte sol de mundo migravit? Sed nec cœlum nobis astraque parent, et tamen infernus lucet. Quid agimus? Quo vertimur? Defendere contra istum cruentas domus et obtinere cavernæ nostræ custodias non possumus. Male intrati sumus. Tantam lucem obtinere nequimus; opprimere tanta virtute præditum non valemus. Nostra quoque colla urgeri conspicimus, et de nostro insuper nunc interitu formidamus. Noctis nostræ tenebris contenti simus. Antris nostris occulimur. Quare radiis prodimur? Quare violentia disturbamur? Quare C in nostris sedibus captivamur?

Mox igitur Christus in ipsos crudeles pœnarum ministros aciem dirigit, atque implacabiles turmas framea divina concidit. Premuntur diri sub tortore carnifices, et rabidiores adactis stridoribus contabescunt. Ipsa quoque antra ferrei cubilis intrantur, et fortes a fortiore æternis vinculis colligantur. Hoc et Dominus ipse promiserat, dicens: *Nemo intrat in domum fortis et vasa ejus diripiet, nisi prius alligaverit fortem, et tunc vasa ejus diripiet.* Tristes igitur mox lugentesque diurno squalore turbæ populique vexati concurrunt, et redemptoris nostri vestigiis provolvuntur. Esse apostolica dicta probantur: *Ut in nomine Domini omni genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum.* Mox ergo captivæ animæ, de D custodiis relaxatæ tartareis, proruunt, regi sæculorum mœsta supplicatione deplorant: « Venisti tandem, o clementissime Jhesu; succurre jam et parce defessis. Nunc, Christe, sævas extingue minas, jam miserandos resolve gemitus. Redemisti vivos cruce tua; eripe et mortuos morte tua. Pari nobiscum labe mundus interierat. Ad adventum tuum omnis creatura suspirabat. Tibi nostra tormenta suspirabant. Te semper infernus iste pallebat. Dum hic es, absolve reos; dum ascenderis, defende tuos. Tu solus caput draconis comminuere potuisti. Tu portas æreas et vectes ferreos voluisti conterere. Pateat, quæso, pre-

* Redundare videtur vox *letitiam*. Edit.

cantibus janua : lux non desit pia. Et si redis ad corpus, majestate tua non privetur infernus. »

Post auditas itaque preces, post compositas leges, post demersos alta voragine (*Leg.* voraginis ?) fossa tortores judex noster hodie de inferis laureatus exivit. Nec canditatum officium defuit ; sed læta cum principe suo omnis beatorum toga processit. Repedat igitur ad stadium triumphator iterum vivus, ut noverit omnis mundus quod rediit ab inferis Christus. Glorientur ergo credentes ; plaudent manibus omnis gens, quia rex noster in sæculo triumphavit, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, pro nobis crucifixus et resuscitatus, in sæcula sæculorum. Amen.

IV.

Sermo inlustrissimi doctoris sancti Augustini, de resurrectione Domini nostri Jhesu Christi dedicatus.

Salve, dies æternis frequentande conventibus. Te oriente, vita resurgit ; te radiante, lumen redit, et in natales tuos, inferni exclusa caligine, sol justitiæ reviviscit. Non equidem moritur Deus, nec æternitas fine taxatur, aut lumen majestatis extinguitur ; sed cum a Deo mors appetitur, per hominem homini subvenitur. Post triumphos igitur crucis, post vexilla victricia Christus ovans inferos petit debellaturus et mortem, qui mortis captivaverat auctorem. O mirabile, fratres, prælium, et facies nova recuperatæ victoriæ ! De ligno Christus vicit, unde diabolus ante vicerat ; et suis armis prostratus est qui prostraverat ; ipseque illi facta est pœna quæ fuerat ante victoria. Pugnavit igitur pro mundo Deus, et celata paululum majestate, ut daret hosti fiduciam, virtutem simulavit infirmam. Agebatur enim causa sæculi per sapientiam Dei. Tenebatur ut vinctus, audiebatur ut reus, verberabatur et conspuebatur ut ignobilis et captivus. Ille vero suas vires ad hoc occultando premebat, donec mortuus vinceret quem parabat. Refrenabat potentiam, ut totam impleret in conflictu justitiam, et plenam in resurgendo victoriam. Hinc ad arborem venit, unde jura mortis exierant. Ubi vero ascendit arcem sceleris, ibi subjecit fastigium inimici virtutis. Illa quondam mater et origo pœnarum nescia suscepit justum, figit, affligit ; non est culpa, et sævit pœna. O crudelissimi justicida ! amisisti causæ tuæ subsidia. Reclamat contra te crux ipsa, mortis et vulneris officina repulsat. Non agnosco, inquit, reum esse quem punio ; non sunt ista mei germinis poma, nichil hic caput meum ; falleris quia fetum mihi conseris alienum. Nil iste habet ex meo ; quare pendit me ? Similitudinem speciei video, nam virus in eo vernaculum non agnosco. Tunc ille fortis in prælio, justus in patibulo, innocens in alieno tormento, cornua peccati manibus mundis obtrivit, et dum se totum in ligno figit, acu- A lenm mortis obtundit, et peccatum quod arbor generabat occidit. Sanguis mox fusus a latere diluit, quicquid ante crimen infecit, et ex pollutis ramusculis crux candida radiavit. Cucurrit cruor innocuus per pœnales ligni noxias fibras, et medicante pariunt deinceps sacramenta salutis, quæ præbuerant mortis alimenta victuris. Adhuc tamen diabolus nescius vicisse gloriatur, et victum videt crucifixum, videt mortuum, insuper et percussum, et quasi de opima cede letus, nihil est ultra sollicitus. En, inquit, ille qui se Dei sobolem præferre solebat, qui sibi fidem miraculis conciliaverat, qui socios et participes meos de corporibus animisque humanis dejecerat, qui me insuper prælio temptare est ausus. Mundum, quem ab origine teneo certaminis lege et victoriæ jure B captivum, meis manibus eximere gestiebat. Modo, si fortis est, vincat ; modo, si prævalet, surgat ; modo, si Deus est, reviviscat. O diabole ! ignare exitus tui, fallit te ista victoria ; gaudia tua non erunt leta sed tristia. In perniciem tuam Judeorum linguas armasti ; te illis jaculis peremisti. Illud quidem quod passus est voluit, nobisque consuluit. Nam tum cum justum occidisti, reos quos tenueras amisisti. Sed paululum patere ; noli insolentius nec imprudentius exultare. Ecce enim inferi contremiscunt vivum, quem tu gaudebas occisum. Jam ille antiquos carceres fregit, jam prædas tuas diripuit, et cruentos ministros tuæ ferocitatis afflixit. Hoccine est vicisse, an vitam ad mortuos transmisisse ? Pone hic, scelera- C tissime, rationem ; penset justicia magistra judicium. Mortificasti a principio mundum quem ipse feceras reum ; commissam noxam justa ultio sequebatur. Hunc autem nec sua nec aliena culpa devinxerat. Cur ingessisti mortem, ubi non inveneris crimen ? Cur supplicium intulisti, ubi delictum invenire non potuisti ? Injuste ergo justum pro injusto punisti ; juste injustum pro quo justum necaveras amisisti. Mutet jam reus condicionem, quia causa nostra partem tenuit meliorem. Orta est in servitute libertas, facta est in dominatione captivitas. Sublatum est jugum condicionis antiquæ ; nunc indulgentia regnat pietatis et gratiæ. Christus enim surgens a mortuis de sepulchro, nobis hodie radiavit ; nec anima tardavit in inferno, nec caro remansit in tumulo, D sicut scriptum est : *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ecce nunc Christus mox ut voluit resurrexit. Ubi est mors quam inimicus ingessit ? Magnum est, fratres, pietatis indicium, quod sic moriendo Christus vivificavit sæculum, ut eum non teneret mors ipsa captivum. Ergo et causam nostram misericordi bonitate peregit, et suæ potentiæ nihil ademit, quia, statim ut ei placuit, et revixit, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LECTIONES VARIANTES
SERMONUM GENUINORUM SANCTI AUGUSTINI
A BENEDICTINIS EDITORUM
COLLECTÆ EX CODD. CASSINENSIBUS ET FLORENTINIS AB A. B. CAILLAU ET B. SAINT-YVES.

SERMO II.

Habemus codicem Bibl. Florentinæ, nempe Sanctæ Crucis, plut. XVIII dext. cod. IV, fol. 126.

Editi.	Codex.
N. 1. *Notissima pietas patris nostri Abrahæ.*	Cod. *Potissima patris nostri Abrahæ fides.* Vide variant. Maurin.
Ibid. *Et est quidem ita mirabilis.*	Id. *Et est quidem ita mirabile.* Vide ibid.
Ibid. *Quia de summa desperatione.*	Id. *Quia de summa eum desperatione.*
Ibid. *Nihil tam senex,* pessime.	Id. *Nihil jam senex.*
Ibid. *Cujus cor electum est.*	Id. melius cum editis, *cujus cor erectum est.* Vide variant. Maurtin.
Ibid. *Devotioni obedientis.*	Id. *Devotioni obtemperantis.*
Ibid. *Ipsa mihi ergo.*	Id. melius, *ipse ergo mihi.*
Ibid. *Exigit ut occidam.*	Id. *Exigit ut occidatur.*
Ibid. *Jam in suscepto.*	Id. melius *jam enim in suscepto.*
Ibid. *Quid Deus jubendo?*	Id. *Quam Deus jubendo?* Male, sed et male editi; evidens est legendum esse *quia.*
N. 2. *Legi veteri, Scripturæ sanctæ.*	Id. *Legis veteris, Scripturæ sanctæ.*
Ibid. *Philippo, unde ememus panes ut manducent hi? et sequitur.*	Id. *Philippo habente panes, date illis manducare; et sequitur.*
N. 3. *Expectat audire qui patitur.*	Id. *Expectat audire quod patitur.*
N. 4. *Quid ergo dicimus?*	Id. *Quid ergo dicemus?*
N. 6. *Sed faciamus.*	Id. *Si faciamus.*
N. 7. *Diversa opera, sed ars una.*	Id. ut in variant. Maurin., *diverso opere, sed arte una.*
Ibid. *Tales ergo viros.*	Id. *Talis ergo viros.*
Ibid. *Christus inveniatur.*	Id. *Christus intelligatur:* alia desunt. Vide var. Maurin.
Ibid. *Quidquid Scriptura dicit de Abraham.*	Id. *Quidquid scriptum est de Abraham.*
Ibid. *Et prophetia.*	Id. *Prophetia*; desideratur *et.*
N. 8. *Sicut et immolare filium jussus obtemperat Deo,* male.	Id. *Sed sicut immolare filium jussus est, ita obtemperat Deo,* optime.
Ibid. *Deinde cum jam pene feriretur.*	Id. *Demum cum jam pene feriretur.*
Ibid. *Et non tamen sine sacrificio.*	Id. melius, *et tamen non sine sacrificio.*
N. 9. *Sine operibus legis. Latro qui,* etc.	Id. *Sine operibus legis. Quomodo?* etc. Cætera quæ leguntur in edit. penitus desunt, et eorum loco habentur hæc: *Quomodo? intendite, fratres. Credidit aliquis; percepit fidei sacramenta in lecto et mortuus est. Defuit illi operandi tempus. Quid dicemus? quia non justificatus?* Deinde sequuntur alia aliunde assumpta, nempe ex sermone IX *de Decem chordis;* de quo infra.

SERMO IX.

Hic adsunt duo codices, nempe Cassinensis II, fol. 116, et Florentinus Bibl. Sanctæ Crucis, plut. XVIII dext., cod. IV, fol. 126 versus medium sermonis, ut pote qui cum præcedenti conjungatur.

Edit. N 3. *Quid ad me pertinet? fortem me faciat.*	Cod. IV. *Sed quid ad me pertinet? fortem me faciet.*
N. 4. *Illud vero malum late serpens plus occupavit.*	Id. *Hoc vitium late serpens plures occupavit.*
Ibid. *Virum ad forum quia inventus est.*	Id. *Virum ad forum qui inventus est.*
N. 6. *Ei nullam similitudinem.*	Id. ut fere omnes codd., *et nullam.* Vide var. Maurin.
Ibid. *Creaturam aliquam, per quem.*	Id. *Creaturam aliquam, cum per ipsum.*
Ibid. *Quia ipse unus Deus.*	Id. *Quia vero ipse unus Deus.*
Ibid. *Mites, simus in Deo.*	Id. *Mites, ut simus in Deo.*
Ibid. *Quod diximus, quod carnaliter.*	Id. *Quod diximus, quia carnaliter.*
Ibid. *Nam quia Spiritus sanctus dicitur*] quidam codices, *septiformis dicitur*], *propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi dicitur, Requievit Deus ab operibus suis. Non enim,* etc.	Id. *Nam propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando inter omnia opera sua ipsum tantummodo sanctificavit, in quo requievit. Non enim,* etc.; et deinde *requievit,* nec legitur *ab operibus suis.*
Ibid. *Et sic dicitur, Requievit.*	Id. *Et sicut dicitur, Requievit.*
Ibid. *Septimus iste dies non habet vesperam, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi,* etc	Id. habet solummodo: *de septimo dictum est, Factum est mane.* Cod. autem II, *septimus iste dies non habet vesperam. Nam et in prima die dicitur, Factum est vespere; et in secundo, et in tertio, et in quarto, et in quinto, et in sexto die dicitur, Factum est vespere. Venitur ad septimum, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi,* etc.
Ibid. *Quidquid facimus, si facimus.*	Cod. IV, *quidquid boni facimus, si tamen facimus.*
N. 7. *Quibus parere poterit.*	Id., ut omnes alii codd., *quibus parcere poterit.*
Ibid. *Ad dilectionem proximi.*	Id. *Pertinens ad dilectionem proximi.*

Ibid. *Si in psalterio decem chordarum volumus cantare canticum novum.*

N. 8. *Et quicumque obtemperabant, timore obtemperabant pœnæ.*

Ibid. *Cantanti enim voluptas est, timenti onus est.*

Ibid. *Nondum delectat castitas.*

Ibid. *A factis temperat.*

Ibid. *Concupiscentiam ipsam damnans.*

N. 9. *Tali cogitatione ut dicant sibi.*

Ibid. *Si fieri posset*, et reliqua usque ad *mitteret in gehennas.*

Ibid. *Id est, verbum Dei.*

Ibid. *Sed aliter impressa est in nummo, aliter in filio, aliter in solido aureo imago imperatoris.*

Ibid. *Te ut muteris hortatur.*

Ibid. *Tu odisse te qualis es.*

N. 10. *Sic odium, concupiscentia luxuria.*

Ibid. *Et pejorem*, male.

N. 12. *Nec amara sunt.*

Ibid. *Illa erubescit viro, tu non erubescit Christo.*

Ibid. *Si quis volutatur.*

Ibid. *Blande accipitur.*

Ibid. *Victus a libidine.*

Ibid. *Si spectares.*

N. 13 *Has pugnas facis in occulto, et non*, etc.

Ibid. *Tange easdem decem chordas, et feras occides.*

Ibid. *Hæresum, quæ id putaverunt*, absque sensu.

Ibid. *Bestia falsitatis.*

Ibid. *Societate versaris. Tangens*, etc.

Ibid. *Quot bestias occidis? Nam multa capita sunt sub his capitibus.*

N. 14. *Uxorem non habeo.*

Ibid. *Quo nervo ligemus fugitivum istum?*

N. 15. *Per diffluentias libidinis; attendis*, etc.

N. 16. *Meliorem habeas tu servum, quam te Deus. Jubet Deus servo tuo*, etc.

Id. *Cantemus in psalterio decem chordarum, si volumus canlare canticum novum.*

Id. *Et quisquis obtemperabat, timore pœnæ id agebat.*

Id. *Amanti enim voluptas, timenti onus.*

Id. *Nondum illum delectat castitas.*

Id. *A malis factis temperat.*

Id. *Concupiscentiam suam damnat.*

Id. *Dicendo sibi.*

Id. solummodo habet: *O si indulgeret Deus, et non mitteret in gehennam.*

Id. *Id est Deus verbum Dei.*

Id. *Sed aliter impressa est in nummo, aliter habetur in filio*; cætera desunt, et quidem bene.

Id. *Te ut imiteris hortatur.*

Id. *Odisse te talem qualis es.*

Id. *Sic odium, sic concupiscentia, sic luxuria.*

Id. *Pejorem* sine *et*, bene.

Id. *Nec amara sint.*

Id. *Illa erubescit viros, tu non erubescis Christum.*

Id. *Si quis voluptatus fuerit.*

Id. *Et carus accipitur.*

Id. *Victus libidine.*

Id. addit *in amphitheatro.* Vide var. Maurin.

Id. *Has pugnas fac in occulto, ut non*, etc.

Id. *Tangis easdem decem chordas, et feras occidis.*

Id. *Hæresum*; cætera bene desunt.

Id *Bestia fallacitatis.*

Cod. II. *Societate versaris. Nulla bestia subrepit in humanitatem; humana enim societas ex eo conficitur, ut unusquisque ea quæ sua, quæ justa possidet, securus possideat. Tangens*, etc. Hoc glossam crediderim.

Id. *Quot bestias occidi et capita diximus?* Cod. IV. *Nam multæ bestiæ sunt sub his capitibus.*

Cod. IV. *Adhuc uxorem non habeo.*

Cod. II. *Quo cervum istum ligemus?*

Id. *Per diffluentias libidinis, cui fit injuria nisi Deo. Attendis*, etc.

Id. *Meliorem habeas tu servum, quam te Deus. Meliorem si vis habere servam, quam Deus habeat te, dignior est Deus, qui habeat servum bonum quam tu. Te bonum servum non exhibes Deo, et exiges a servo tuo ut bonus sit circa te, qui non vis esse bonus circa Deum. Ecce jubet Deus servo tuo*, etc.

N. 17. *Non possunt, nisi subrepere.*

Ibid. *Bestiæ multæ minutæ necant.*

Ibid. *Non sunt quidem majores.*

Ibid. *Ex quo tibi abundat.*

N. 18. *Aliud est ubi toleres vitam.*

Ibid. *Si ibas ad mathematicum et ad cæteras pestes sacrilegas, jam desine. Arbitraris*, etc.

N. 19. *Nec sic ores quemadmodum iste Pharisæus.*

Ibid. *Et nondum fusus*, etc.

Ibid. *Ideo tu magnum aliquid facis; sed quia gaudetur ad quædam*, etc.

N. 20. *Servat tibi pater tuus.*

Ibid. *Filios tuos patrimonio tuo.*

Ibid. *Illi debetur ad quem perrexit; Christo debetur, ad ipsum enim perrexit, et ipse dixit*, etc.

Ibid. *An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem. Audi quia quod das, in cœlum mittis*, etc.

Ibid. *Tenebitur hic ubi potest perire, non mittitur illuc ubi Christus est custos?*

Ibid. *Præcessit. An idoneus est*, etc.

N. 21. *Ecce non jubet Christus.*

Ibid. *Sed eos ipsos moribus vestris hortemini.*

Ibid. *In eleemosynis propter minuta peccata.*

Cod. IV. *Non possunt non subrepere.*

Id. *Bestiæ multæ minutæ hominem occidant.*

Id. *Non sunt quidem bestiæ majores.*

Id. *Ex eo quod tibi abundat.*

Id. *Aliud ubi colores vitam.*

Cod. II. *Si ibas ad augures, noli pergere, maximum hoc peccatum gravius sit, et sit bestia quæ guttur frangat. An arbitraris*, etc.

Id. addit, *nec sic descendas de templo non justificatus.*

Id. *Et nondum erat redemptus. Et quid dico, nondum erat redemptus? Nondum erat fusus*, etc.

Id. *Et tu aliquid facis, sed quia illo nihil faciente, magnum aliquid te fecisse arbitraris; et quia sic gaudetur*, etc. Cod. IV. *Quid gaudetur ob quædam*, etc.

Cod. IV. *Servavit tibi pater tuus.*

Id. *Filiis tuis patrimonium tuum.* Vide var. Maurin.

Id. *Illi debetur, ad quem perrexit; Christo debetur, quia ipse dixit*, etc.

Id. *An non potes mitti in cœlum? Potest prorsus, sicut dixit Dominus.* Cod. II. *An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus.* etc.

Cod. IV. *Non teneatur hic ubi potest perire, sed illuc mittatur, ubi sine periculo servetur.*

Cod. II. *Præcessit. Partem illius Christo commenda. An idoneus*, etc.

Cod. IV. *Ecce nunc jubet Christus.*

Id. *Sed eos ipsi moribus vestris adhortemini.*

Ib. *In eleemosynis, redimendo minuta peccata.*

In cod. II totus numerus 21 differt, exceptis duobus ultimis sententiis; sic enim apud hunc legitur: *Videtis ergo, fratres mei, Christi misericordiam; Deo gratias, quia per pericula ista mortifera viventes auditis. Nemo vos fallat; odit ista Deus, vindicat ista Deus. Ideo parcit, ut mutemini; ideo nunc non vindicat ista Deus, ut convertamini ad illum. Num vindicabit postea, si conversi non fueritis. Ideo non vindicat, ut vias vestras mutetis, ut corrigere valeatis in conspectu ejus mores vestros. Omnis ibi securitas, ubi nihil tale patiaris, nihil tale tolerare, nihil tale devitare jubearis. Non frangis panem egeno, quia nemo ibi esurit; non vestis nudum, quia omnes immortalitate vestiti sunt: non suscipis peregrinum, quia omnes in patria sua vivunt; non visitas ægrum, quia omnes perpetuo sani*

sunt : non sepelis mortuum, quia semper ibi vivitur; non concordas litigioso, quia æterna ibi pax. Omnis ibi securitas, etc. Vide serm. XI, n. 1.

SERMO XX.

Legitur ejus pars quædam post fragmentum Quæstionum Evangeliorum, in tribus codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laurent., plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 93 ; ibid. cod. XXIV, fol. 118 *b* ; et Bibl. Mugell., cod. XXI, fol. 124.

Edit. N. 1. *In ejus gratiam manifestabimus vobis*

Cod. XVI. *In ejus gratia ministrabimus vobis.*

N. 2. *Nam et inde oravit quodam in psalmo.*

Cod. XXIII. *Nam idem oravit quodam in psalmo.*

Ibid. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea.*

Codd. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, vel continentiæ circa labia mea.*

Ibid. *Sed persuasum est? Non excusetur.*

Cod. XVI. *Si persuasum est, non excusetur.*

Ibid. *Nam si advertit, evertit.*

Sic et nostri codd., sed potius legendum videretur cum ipso Augustino *Si advertit, animadvertit.*

Enar. in psalm. L, n. 14, Ibid. *Quoniam ante me est, ne sit ante te.*

Iid. *Quoniam ante me est, non sit ante te.*

N. 3. *Ut quoniam peccavit et graviter peccavit.*

Iid. *Et quoniam peccavit, et graviter peccavit.*

Ibid. *Trahendum omnibus cupiditatilus. Facit quidquid libet.*

Iid. *Trahendum omnibus cupiditatibus, facere quidquid libet.*

Ibid. *Rursus recreata anima, si his verbis crediderit, a desperationis malo, inveniet aliam foveam.*

Iid. *Rursus recreatur anima in his verbis ; liberata a desperationis malo, invenit aliam foveam.*

Ibid. *Quid dicemus ? quia non quando se converterit, curat Deus pœnitentiam ? Dimittit Deus omnia peccata præterita.*

Cod. XVI et XXIV. *Quid dicimus ? quia non quando se converterit, curat Deus pœnitentiam, et dimittit Deus omnia peccata ?*

Ibid. *Ut faciant homines quidquid volunt, promissa venia, promissa impunitate, cum se converterint ? Laxant*, etc.

Ibid. *Ut faciant homines quidquid volunt. Promissa venia, promissa impunitate, cum se converterint, laxant*, etc.

SERMO XXVI.

Habetur hic sermo in cod. Cass. II, fol. 179.

Bened. Titul. *De verbis psalmi*, etc.

Cod. addit : *Habitus in basilica Theodosiana.* Hanc additionem emiserunt edit. Gaume, sed non indicaverunt originem.

N. 9. *Quare autem dabatur lex.*

Id. *Quare data est lex.*

SERMO XXVIII.

Habemus hunc sermonem in cod. Cass. II, fol. 132, in quo magni momenti variantes reperiuntur lectiones. Plura ex cod. Romano correxerunt editores novi (FF. Gaume), unde concludendum Italicos codices non ita esse despiciendos, corrigendosque esse aliquando Maurinenses ; et correctiones eorum plures confirmat hic noster codex.

Bened. N. 2. *Est lumen cordi nostro cui dicimus : Auditui nostro*, etc.

Cod. *Est lumen cordi nostro, cui dicimus : In lumine tuo videbimus lumen. Est sonus cordi nostro cui dicimus : Auditui*, etc.

Ibid. *Nusquam deest, nec de transmarinis*, etc.

Rom. *Nusquam deest, non de aquis præparatur nobis, nec de transmarinis*, etc.

A N. 4. *Totum divideretis vobis, tanto minus haberetis.*

Id. *Totum divideretis vobis, quod posuissem, et quanto plures essetis, tanto minus haberetis.*

N. 5. *Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea. Ecce enim*, etc.

Id. *Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit verbum Dei de carne sua.*

Hic adjungimus quasdam alias variantes ex cod. Romano CST, quem citant edit. Gaume.

N. 1. *Ventribus. Jejuni sumus.*

Cod. Rom. *Ventribus jejunamus.*

Ibid. *Esuriamus, jejuni sumus, cum aliqua*, etc.

Id. *Esuriamus. Cum aliqua*, etc. ; reliqua desunt.

N. 2. *Et lux est, et odor est.*

Id. *Et lux est, et vox est, et odor est.*

Ibid. *A negotiatoribus apportantur.*

Id. *A negotiatoribus apportatur.*

B N. 5. *Ecce enim sonum non revoco, sed si volo audiri*, etc.

Id. *Ecce enim sonum profero ; sed cum protulero, jam non revoco ; sed si volo audiri*, etc.

Ibid. *Assumpto quasi sono ei impono intellectum.*

Id. *Et assumo sonum, et quasi impono intellectum.*

SERMO XXX.

Legitur in cod. Cass. II, fol. 179. Concordat in omnibus cum editis, excepto titulo. Sic enim inscribitur : *Sermo habitus in basilica Trialarum die Dominico*, quæ desunt apud Maurinenses.

SERMO XXXVI.

Exemplar habemus detractum ex Bibl. Sanctæ Crucis Florent., plut. XVIII dext., cod. IV, fol. 120.

Edit. N. 4. *Compuncto corde de scelere.*

Cod. *Compunctio cordis de scelere.*

C N. 5. *Sit humilis ; plus gaudeat*, etc.

Id. *Sic humilis plus gaudeat*. etc.

Ibid. *Non infletur, non extollatur.*

Id. *Non infletur, si extollatur.*

N. 6. *In gremio Abrahæ comparabat.*

Id. *In gremio Abrahæ operabatur.*

Ibid. *Opima voluntate.*

Id. *Optima voluntate.*

Ibid. *Pro epulis ariditas, et desiderium*, etc.

Id. *Pro epulis ariditas erat ei, et desiderium*, etc. Vide var. Maur.

Ibid. *De mensa divitis. Sed*, etc.

Id. *De mensa divitis indigentia fuit. Sed*, etc. Vide ibid.

Ibid. *Sed illius egestas præteriens, hujus pœna permanens.*

Id. *Sed illius egestas præteriit, hujus pœna permanet.* Vide ibid.

Ibid. *Ubi sunt veri divites.*

Id. *Ubi sint veri divites.* Vide ibid.

D N. 7. *Non habeant aurum justitiæ.*

Id. *Non habeant thesaurum justitiæ.*

N. 8. *Quando exigunt reddi sibi.*

Id. *Quando illam exigunt reddi sibi.*

N. 10. *Sed mente plus cernitur.*

Id. *Sed plus mente perpenditur.* Vide var. Maurin.

Ibid. *Non est thesauro interiore solidatus et plenus.*

Id. *Non est thesaurus intus solidatus et plenus.*

Ibid. *Quod relicturus sum.*

Id. *Quod redditurus sum.*

Ibid. *Cum mihi minaris auferre quod intus habeo, vere vis auferre quod intus habeo.*

Id. *Cum mihi minaris auferre quod habeo, vere vis auferre quod intus habeo.*

N. 11. *Ut sit illo donante dives impletus.*

Id. *Ubi sit illo donante dives impletus.*

Ibid. *Oculos suos homo*

Ib. *Oculos suos. Homo*

peccator. Attendebat, etc.
Ibid. *Pauperem se ille cognovit.*

peccator attendebat etc.
Id. *Pauperem se ille cogitavit.*

SERMO XXXVII

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 380.

Edit. N. 3. *Mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam eloquium unde fulget, lapis pretiosus erat Cyprianus.*

N. 7. *Et tunc dedit eis escas.*

N. 26. *Ipsa sequetur. Audiamus, audiamus quemadmodum.*

N. 29. *Fecit, fecit digna est recipere.*

Cod. *Mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam et eloquium unde fulget lapis pretiosus (doctrina enim Dominica fulget), lapis pretiosus erat Cyprianus.*

Id. *Et tunc dedit escas domui in noctibus.*

Id. *Ipsa sequitur. Audiamus ; ita vivatis in illa et cum illa ; audiamus quemadmodum.* Vide var Maur.

Id. *Fecit, digna est recipere.*

SERMO XLII.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 50.

Edit. N. 2. *Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus*, etc.

N. 3. *Scitis fructus mei, ut vobiscum sim.*

Cod. *Et pro modicis rebus profert nobis, pro mortalibus*, etc.

Id. *Scitis fructus mei qui sint, ut vobiscum sim.*

SERMO LXVII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 439, et cod. XVII, fol. 34.

Edit. N. 4. *Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, bis Deum laudamus. Si pie nos accusamus, Deum utique laudamus. Quando*, etc.

N. 7. *Coaptat sibi, unam facit Dominus*, etc.

Cod. VII. *Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, a quo gratia gratis datur, cuicumque datur. Bis ergo Deum laudamus, si pie nos accusemus, Deumque laudemus. Quando*, etc.

Cod. XVII. *Coaptavit sibi carnem unam fecit Dominus*, etc.

SERMO LXXII.

Legitur in cod. Cass. XVII, fol. 27, ubi n. 2, eorum loco : *Quisquis igitur homo hodie bonus est, id est, arbor bona, mala inventa est et bona facta est. Et si quando venit, malas arbores eradicare vellet*, etc, legitur : *Quisquis igitur est mutandus homo, ut opera mutentur ; vel hodie homo bonus est, id est, arbor bona : mala inventa est et bona facta est. Et si quando invenit malas arbores, eradicare vellet.*

SERMO LXXXIII.

Legitur in Bibl. Florent., plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 118 ; in eadem Bibl., plut. XVIII, cod. XXIV, fol. 141 ; in Bibl. Mugell., cod. XVI, fol. 137 ; et in Bibl. Cass., cod XVII, fol. 28.

Edit. N. 1. *Cum enim hoc dixisset Dominus Jesus Petro, subjecit.*

Ibid. *Omnis ejus familia et ipse venderetur.*

Cod. VII. *Cum enim hoc dixisset Dominus Jesus, Petrus subjecit.*

Cod. XVI. *Omnis ejus familia et ipse venderentur.*

Ibid. *Non decem millia talentorum.*

Ibid. *Cœpit eum suffocatum trahere*, etc.

Ibid. *Omnia dimisi tibi.*

N 2. *Ecce, fratres, res in aperto est, admonitio utilis ; et valde salubris obedientia debetur.*

N. 7. *Quisquis incipit a baptismo, liber exit.*

Ibid. *In lege autem modus fixus est ; transgressio autem peccatum est.*

Ibid. *A deo magnum mysterium figuratum est.*

Ibid. *A septenario tamen numero non recedit tur.*

Ibid. *Illud undecim duc septies.*

Ibid. *Melius est cum clamas ore.*

N. 8. *Corripiamus verbis, et si opus est, et verberibus.*

Ibid. *Sic ergo ista monuerim. . . qui peccaverint... diligamus, de corde nostro charitatem in eos non dimittamus.*

Codd., excepto cod. XVI. *Non decem millia talenta.*

Codd. VII et XVI. *Cæpit suffocare eum, trahere*, etc. Cæteri ut in editis.

Id. *Omne debitum dimisi tibi.*

Id. *Ecce, fratres, res in aperto, est ; admonitio utilis est valde et salubris ; obedientia debetur.*

Codd. *Quisquis incipit a baptismo liber esse.*

Id. *In lege autem modus fixus est ; transgressio peccatum est.*

Cod XXIV. *A Deo magnum mysterium figuratum est.*

Cod. XVI et XXIII. *A septenario tamen numero non recedunt.*

Id. *Illud undecim ducta septies (sic).*

Cod. XXIV. *Melius est enim cum clamas ore.*

Codd. *Corripiamus verbis, si opus est, verberibus.*

Id. *Sic ergo ista monui... qui peccaverunt... diligamus de corde nostro, charitatem in eos non dimittamus.*

SERMO LXXXVIII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 54, ubi pro his verbis, n. 7, *Nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors crucis. Non enim frustra*, etc., legitur : *Nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors Christi. Non enim crux tunc honorabilis erat, sed ignominiosa. Non enim frustra, etc* ; quod glossam alicujus notarii crediderim.

SERMO XCVIII.

Habetur a n. 2 ad medium n. 5 in cod. XVI Bibl. Mugell. Florent. fol. 127.

Edit. N. 2. *Quotidie suscitatis gaudet.*

Ibid. *Mors invisibilis nec quærebatur.*

Ibid. *Dicti sunt sæpe dormientes et mortui visibiliter.*

Ibid. *Nemo tam facile... quam facile Christus.*

N. 3. *Tres autem mortuos.*

Ibid. *Mirati sunt tantum quia facta sunt.*

Ibid. *Esuriens poma quæsivit in arbore.*

Ibid. *Sed sunt qui fructum voluntate dare non possunt* ; pessime.

N. 5. *Et ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando*, etc.

Ibid. *Isti qui in factum processerunt.*

Ibid. *Vivus redditur. Potuit progredi.*

Cod. *Quotidie resuscitatis gaudet.*

Id. *Mors invisibilis alibi ne quærebatur.* Vide var. Maur.

Id. *Dicti sunt sæpe dormientes, morientes visibiliter.*

Id. *Nam nemo tam facile... quam Christus.*

Id. *Tres enim mortuos.*

Id. *Mirati sunt tantum quæ facta sunt.*

Id. *Esuriens poma quærebat in arbore.*

Id. *Sed sunt qui fructum voluntate dare possunt* ; optime.

Id. *Et fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur ; aliquando*, etc.

Id. *Isti quia in factum processerunt.*

Id. *Vivus redditus potuit progredi.*

SERMO XCIX.

Legitur in Bibl. Mugell. Florent. cod. XV, fol. 87, a secunda sententia n. 1 ad primas phrases n. 8.

Edit. N. 1. *Mala utique fama.*
Cod. *Malæ utique famæ.*

Ibid. *Illi sanando idoneum esse.*
Id. *Illum ad sanandum idoneum esse.*

Ibid. *Fudit lacrymas, sanguinem cordis; et lavit.*
Id. *Fudit lacrymas, et lavit.*

N. 2. *Hoc apud se cogitabat et dicebat.*
Id. *Hoc apud se cogitans dicebat.*

N. 3. *Jam hinc intelligat Pharisæus, si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantem.*
Id *Jam hic intelligat Pharisæus; si non potuerat videre peccantem, quomodo potuit videre cogitantem?*

N. 4. *Concupiscentiis suis carnalibus favent.*
Id. *Concupiscentias suas carnales faciunt.*

N. 5. *Quid ergo, inquit facere debui?*
Id. *Quid ergo, inquis, facere debui?*

Ibid. *Sed Dominus qui hæc vera proposuit.*
Id. *Sed quia hæc Dominus vera proposuit.*

N. 6. *Noverat quid sanaretur.*
Id. *Noverat quod sanaretur.*

Ibid. *Petra est refugium hericiis.*
Id. *Petra est refugium herinaccis*

Ibid. *Accipit auxilium.*
Id. *Accepit auxilium.*

Ibid. *Motu et voce vestra intellexisse.*
Id. *Motu et voce, vera intellexisse.*

N. 7. *Jam nunc quia ut potuimus, quæstionem profundam in tantilla temporis brevitate solvimus; aut si nondum solvimus, debitores, ut dixi, teneamur: illud potius,* etc.
Id. *Jam nunc quantum potuimus quæstionem profund am in tantilla temporis brevitate solvimus: aut si non solvimus, debitores, ut dixi, tenemur: illud potius,* etc.

Ibid. *Ille autem noverant hominum non posse dimittere.*
Id. *Illi autem novcrant hominem peccata non posse dimittere.*

Ibid. *Solvit quæstionem motus ipsorum.*
Id. *Solvit quæstionem et motus ipsorum.* Vide var. Maur.

N. 8. *Ego sano quemcumque baptizo.*
Id. *Ego sano quoscumque baptizo.*

SERMO CII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 74, ubi hæc differunt.

Edit. N. 4. *Quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas? Verum,* etc.
Cod. *Quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas, et qui servos vel ancillas suas cupiunt tradere in servitium alienum? Verum,* etc.

N. 5. *Sive ambulantes; attendite pauperes.*
Id. *Sive ambulantes, sive servis vel ancillis vestris benefacientes. Attendite pauperes.*

SERMO CIV.

Legitur in cod. Cass. CXI, fol. 112.

Edit. N. 4. *Duæ sunt vitæ: de illis vos copiosius cogitate.*
Cod. *Duæ sunt vitæ, quas descripsi breviter ut potui: jam vos de illis copiosius cogitate,*

Ad finem, post hæc ultima verba: *Incrementum dat Deus,* sequitur: « *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti* (Luc. XI, 27) » *Vere beata Maria, quia tanquam in sacrario ventris sui portavit cum mysterio sacerdotem. Nam quidquid in sæculum futurum erat id totum de ejus beato ventre processit. Processit enim sacerdos et hostia, Deus resurrectionis, et sacerdos oblationis, et hostia passionis. Hoc autem totum in Christo agnoscimus; Deus est, quod ad Patrem rediit; pontifex, quod seipsum victimam obtulit pro nobis. Mariæ ergo beatus uterus, non uterus* [Cod., *beatum uterum, non uterum*], *sed templum fuit Christi. Quid est autem in cœlo, nisi quod super cœlos æstimandum est, ubi quasi in secretiore tubernaculo mysterium divinitus disponitur? Super cælos plane beatus uterus Mariæ æstimandus est, quia Creatorem Filium Dei ad cœlos remisit. Inde venit ut pateretur, hinc rediit ut regnans adoretur: inde humiliatus descendit, hinc ad Patrem glorificatus ascendit. Melius plane templum corporis, quam cœli: residens enim Christus in cœlis ibi est terribilis, hic autem mansuetus; ibi peccata vindicans, hic peccata condonans; ibi potestate judicis utitur, hic per dilectionem inter fratres honoratur, atque ut simus* beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt (*Luc.* XI, 28) *portatur* .... [1]. *Ideoque bonum est eum adorare cum invitat, ut possimus non eum timere cum judicat.*

SERMO CVII.

Duobus reperitur in cod. Florent., nempe plut. VIII., cod. XXIII, fol. 106, et plut. XVIII, cod. XXIV, fol. 127.

Edit. N. 9. *Da illum: cavete ab omni avaritia.*
Cod XVIII. *Tollo illud: cavete ab omni avaritia.* Vide var. Maur.

N. 10. *Numerata sunt: et cave ab omni avaritia. Parum est avaritia pecuniæ: cave avaritiam vitæ.*
Cod. XXIV. *Numerata sunt: et ille qui tanta sustinuit dicit tibi: cave ab omni avaritia. Parum est ab avaritia pecuniæ: cave ab avaritia vitæ.*

Ibid. *Nudus foris, intus vestitus. Nudus foris a pannis, et putribilibus pannis; intus vestitus;* male.
Id. *Nudus foris, intus vestitus. Nudus foris a pannis, et imputribilibus pannis intus vestitus;* perfecte.

Ibid. *Quid si dicut, cum contempseris.*
Id. *Quid si dicat, si contempseris.*

Ibid. *Melius tu occides carnem meam.*
Id. *Melius tu carnem meam.* Vox *occides,* quæ ab omnibus codd. abest, male addita est a Benedictinis. Vide var. Maur.

Ibid. *Forte hoc non dicis. Unde non dicis? Vivere vis: plus vis vivere, quam Deus constituit? Certe caves ab omni avaritia.*
Id. *Forte hoc non dicis. Unde non dicis? vis vivere? vivere vis? Cum Deus constituit, certe cave ab omni avaritia.* Cod. XXIII concordat, excepto quod habet *caves,* pro *cave.*

SERMO CVIII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 100.

Edit. N. 1. *De hoc audistis modo Evangelinm, quid monuerit nos, cautos nos faciens, et volens esse expeditos et paratos ad exspectanda novissima.*
Cod. *De hoc audistis modo Evangelium, quid monuerit nos et admonuerit, cautos nos faciens, et volens esse expeditos et paratos ad spem novissimam.*

SERMO CX.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 49.

[1] Hic quædam deesse videntur, nisi legas, *ut sint beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*

Edit. N. 1. *Qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam.* Cod. *Qui intra Ecclesiam orat. Omnis Ecclesia sancta orat pro eis qui sunt et intra Ecclesiam contemptores, et extra Ecclesiam infideles.*

N. 2. *Sex diebus Deus perfecit opera sua.* Id. *Recolite; sex diebus Deus perfecit opera sua.*

Ibid. *Curva erat, sursum aspicere non poterat: quia Sursum cor, sine causa audiebat.* Id. *Curva erat, terræ inhiabat, terram diligebat, in terra spem suam posuerat, sursum aspicere non poterat, quia sursum cor sine causa erigere æstimabat.*

N. 3. *Natus virginem reliquisti. Sed non*, etc. Id. *Natus virginem requisisti. Sed non*, etc.

N. 4. *Non resurrexerat, prædictum est et impletum est: nomen ejus*, etc. Id. *Non resurrexerat, prædictum est et impletum est; in cœlum non ascenderat, ante dictum est et impletum est: nomen ejus*, etc.

SERMO CXII.

Habetur in cod. Cassin. II, fol. 187.

Edit. n. 1. *Nescientes paraverunt. Parata jam*, etc. Cod. *Nescientes paraverunt. Sic enim constitutum fuerat, ut immolaretur Christus. Parata jam*, etc.

Ibid. *Prophetæ. Venite ad cœnam.* Id. *Prophetæ. Dixerunt apostoli: Venite ad cœnam.*

N. 6. *Cras enim moriemur. Quis huc inde*, etc. Id. *Cras enim moriemur Talia in epulis suis dives ille superbus dicebat: Manducemns et bibamus, cras enim moriemur. Quis huc inde*, etc.

N. 7. *Intende et vide quam candidum est: hoc ad oculos pertinet. Audi*, etc. Id. *Attende et vide quam candidum est. Audi*, etc.

Ibid. *Utique quoniam sensus sunt.* Id. *Utique, quoniam quinque sensus sunt.*

N. 8. *Veniant de sepibus hæretici, hic inveniunt pacem.* Id. *Veniant de sepibus hæretici et schismatici; coge intrare; hic pacem inveniunt.*

SERMO CXIII.

Habetur in cod. Cass. II. folii indicatio deest in nostris chartis.

Edit. n. 2. *Et veniret tecum ad judicem hominem quemlibet.* Cod. *Et veniret tecum ad judicem hominem, proconsulem, vicarium*, etc.

Ibid. *Tanta vis est justitiæ, ut et tibi displiceat.* Id. *Tanta vis est justitiæ, ut judex quem tu ipse corrupisti, etiam tibi displiceret.*

N. 3. *Ecce quomodo currit, qui currit facere amicos.* Id. *Ecce quomodo currit, qui curavit facere amicos.*

Plures circa finem adesse variantes annotat amanuensis, qui illas per negligentiam non exemplavit.

SERMO CXIV.

Legitur in cod Cassin. CX, fol. 205; cod. pariter Cassin. CV, fol. 131. sive 136, et in quatuor codd. Laurent., videlicet plut. XVII, cod. XXXIX, fol. 179 *b*; ibid. cod. XL, fol. 186 *b*; ibid. cod. XLI, fol. 173; ibid, cod. XLII, fol. 202. Variantes lectiones, hic ut alibi, volueram annotare; sed licet cogitationes concordent, verba toties et tantum differunt, ut brevius et utilius crediderim integrum illum sermonem in lucem emittere, quem hic habeas:

In illo tempore: Respiciens Jesus discipulos suos dixit Simoni Petro [1]: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum* (*Luc.* XVII, 3, 4.). Et reliqua.

1. In Evangelio sancto, modo cum legeretur, audivimus, ubi nos de remissione peccatorum admonet Dominus Jesus [2]. Hinc omnes admonentur [3] ex Domini jussione; nos autem [4] ministri sumus verbi Dei, et sancti Evangelii, cui nemo sine gloria servit [5], quod nemo sine pœna contemnit. Ipse ergo Dominus ait [6], quod modo nos omnes audivimus: *Si in te*, ait, *peccaverit frater tuus, corripe illum inter te, et ipsum solum. Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi, non solum semel, sed septies.* Hæc ratio certissima est. Septem quippe diebus venientibus, euntibus et redeuntibus, totum volvitur tempus. Qui enim septies in die dimitti jussit, totius temporis peccata indulgeri præcepit.

2. Si quis ergo es [7] qui Christum cogitas, et cupis accipere quod promisit? noli piger esse; fac quod præcepit. Scis quid [8] promisit [9]? vitam æternam. Scis quid præcepit? da fratri tuo veniam [10]. Dicit tibi: O homo, da fratri tuo veniam, ut ego dem tibi indulgentiam sempiternam. Regni cœlestis promissio omnibus nota est, ut æstimo, ubi nos Creator promisit æquales futuros cum angelis cuis, ut sine fine in illo splendore vivamus, in regno cœlorum. Hoc libenter accipis; quare quod sequitur facere non vis? Hoc, quod juberis, fratri tuo indulgentiam dare, a Domino Deo tuo tu non vis accipere; si non vis accipere [11], bene facis non dare. Quid est hoc, nisi poscenti ut indulgeas fratri tuo, si tibi cupis a Domino ignosci? Aut certe si non habes quod tibi ignoscatur, bene facis qui fratri tuo non ignoscis. Etiam si non habes peccatum, quod tibi ignoscatur, tu tamen ignosce; quia et Dominus semper ignoscit, qui peccatum nunquam scivit. Omnis homo [12] peccator est, etiam si ipsa die natus est.

3. Dicturus es: Bene ignoscit Deus; jam [13] ego non sum Deus; homo peccator sum. Deo gratias, quia confiteris. Agnosce, ut et tu [14] indulgentiam possis accipere. Hortatur nos beatus apostolus Petrus in Epistola sua dicens: *Christus passus est pro nobis, relinquens nobise xemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II, 21). Et utique non habebat peccatum, et mortuus est pro peccatis nostris, et sanguinem suum fudit pro iniquitatibus nostris. Suscepit pro nobis peccatum, quod non fecit, et nos omnes a debito peccati [15] liberavit,

[1] Non legitur in Evangelio hæc *Simoni Petro* fuisse dicta.
[2] Sic cod. CX; cod. XXXIX, *Christus*.
[3] Cod. CX, *admonemur*.
[4] Id., *tamen*
[5] Cod., male, *quem*.
[6] Cod., CX, addit *nobis* et deinde tollit *nos*.
[7] Cod., XXXIX male, *esse*.
[8] Cod., CX, male, *facere*.
[9] Codd. quod *male*.
[10] Aliqui codd. male, *tunicam*.
[11] Hæc desunt in CX, et XXXIX, sed in CV et alibi leguntur.
[12] Plerique codd., *nam*; sed in uno legitur *omnis*
[13] Codd., *nam*.
[14] Deest *tu* in CV et CX.
[15] Codd., *peccato*.

Non debebat mori, sed nec nos debuimus vivere, quia peccatores sumus. Nec ipsi mors debebatur, nec nobis vita. Quod nobis debebatur indulsit, et quod ei non debebatur suscepit. Sed quia de remissione agitur peccatorum, ut non eamus per longum, imitemur Christum Dominum. Audi Apostolum dicentem: *Donate* [1] *vobis, sicut et Deus in Christo donavit vobis* [2] (*Ephes.* IV, 32). Hæc verba Apostoli sunt, non nostra: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi* (*Ephes.* V, 1). Filius es, an servus? Memento quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres. Filius diceris; si renuis patris jussionem, non consequeris ejus hæreditatem.

4. Hoc dicerem, si nihil peccati haberes, quod tibi ignosci desiderares. Modo autem tibi dico, o homo, si justus sis, homo es [3]; si laicus sis, homo es; si monachus sis, homo es; si clericus sis, homo es. Vocem apostoli Joannis audi dicentem. Vide qualis sit quem [4] dico, ut audias illum qui super pectus Domini accumbebat, quem diligebat Dominus plusquam cæteros. Audi quid dixerit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* Non dixit: *Si dixeritis* Sed *Si dixerimus*; se adjunxit in culpam, ut perveniret [5] in indulgentiam. Ait ergo: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus* [6], *et veritas in nobis non est* (*Joan.* I, 8). Ergo habemus peccata; si volumus consequi veniam, demus [7] fratribus nostris indulgentiam. Inimicitias in corde nostro non retineamus, quia inimicitiæ retentæ faciunt commotionem.

5. Volo te ignoscentem, quia novi te semper veniam postulantem. Rogas tibi ignosci; juberis dimittere. Non agnoscis quod dicis, cum Dominum depreceris. Modo veni, et ora; ubi oras [8], ibi te convinco in verbis tuis. Nonne quotidie dicis: *Pater noster, qui es in cœlis?* Non [9] enim potes esse in numero filiorum si non dicas: *Pater noster, qui es in cœlis.* Sequere: *Sanctificetur nomen tuum.* Dic adhuc: *Adveniat* [10] *regnum tuum.* Adhuc sequere: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Vide quid adjungas: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi sunt divitiæ tuæ? ecce mendicas. Sed hæc alia causa est; unde agimus, inde agamus. Dic adhuc: *Et dimitte nobis peccata nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 9-12). Venio ad verba mea et tua. Dicis: *Dimitte nobis debita nostra et peccata.* Quo jure? quo pacto? quo chirographo recitato? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Conditio posita est; lex fixa est. Dimitte nobis, dicis Domino, sicut dimitto. Ergo non dimittet [11], si non dimittis. Si vis ut tibi dimittatur, ignosce fratri, qui ad te revertitur. Hanc precem Jurisperitus cœlestis dictavit; non te fallit [12], si facias quod te docuit. Omnis qui contemnit Domini disciplinam, perdit causam, et invenit [13], pœnam. Tu ipse cum oras, mentiris, in ipsa oratione convinceris. Neque enim ut te Deus convincas, testes a te [14] quærit. Qui has preces dictavit, advocatus est tuus. Si negaveris, testis est tuus, si contemnis, judex est tuus. Ergo dic, et fac; nullatenus possunt verba hujus orationis transiri; aut nunquid hunc versum delere exinde possumus. Jam ergo dicamus: *Dimitte nobis debita et peccata nostra,* et non dicamus [15]: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Continuo, et Dominus dicit nobis: *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2). Hunc versum delere de animo non debes, ne et tu delearis de libro Dei. In oratione ista dicis, *Da*; dicis [16], *Dimitte,* ut quod non habes accipias, si tamen fratri ignoscas. Ipsum Salvatorem audi alio loco dicentem: *Date, et dabitur vobis*; *dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 37, 38). Et ne vos diutius teneamus, si volumus nobis Dominum misereri, misereamus indigenti; si volumus nobis peccata dimitti, dimittamus et nos fratri peccanti.

SERMO CXVIII.

Legitur in Bibl. Laurent., plut. XII, cod. XIV, fol. 272 *b*, et in Bibl. Venet., cod. LXIX, fol. 47. Sic in codicibus se habet in titulo: *Incipit sermo ejusdem (Augustini) de Nativitate Domini. — De eo quod Evangelista dicit: « In principio erat Verbum; » et quod in Genesi scriptum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram, » unde ostenditur qui* [cod. *quia*] *in principio erat, sine initio esse* [Id. *est*]; *quod autem in principio factum est, propterea initium habere, quia non erat, et factum est.*

SERMO CXXVI.

Leguntur hujus sermonis numeri 2, 3, 4, et dimidium quinti, in Bibl. Laurent., plut. XIII, cod. VIII, fol. 187 *b*; quæ orationis pars annectitur sermoni Benedictino CCCLXXX, sicut et in aliis codicibus antiquis. Vide notas Maurin. ad hunc sermonem.

Edit. N. 2. *Quantum sint perversi et properando vitiosi.*	Cod. *Quam sint perversi et improperandi vitiosi.*
N. 3. *Sperantium substantia.*	Id. *Sperandarum substantia.*
Ibid. *Nisi ex illo quod non vides.*	Id. *Nisi ex illo quem non vides.*
Ibid. *Interiorem habitatorem interiorum oculorum.*	Id. *Interiorem habitatorem oculorum.*

[1] Cod XXXIX, CV et CX, *Donantes.*

[2] Sic codd. CV et CX cod. XXXIX, male, *nobis,* hic et antea.

[3] Codd., male, *si tamen homo,* correximus ex editis.

[4] Codd., CV et CX male, *quæ*

[5] Codd., CV et CX mali, *indulgeretur.*

[6] Id., *sedimus.*

[7] Sic. codd. CV et CX; cod. XXXIX male, *debemus.*

[8] Codd., *ut ores.*

[9] Cod., XXXIX male, *nonne.*

[10] Id., *veniat.*

[11] Sic codd. CV et CX; cod. XXXIX, ut cæteri, *dimittam.*

[12] Cod. unus mala, *dictavit.*

[13] Codd. CV et CX, *inveniet.*

[14] Iid., *ad te.*

[15] Cod. XXXIX, *dicam,* male.

[16] Sic codd. CV et CX; deest vox *dicis* in cod. XXXIX.

Ibid. *Nam quando aliquando in me cogitas*; quæ verba in nota corrigere student Benedictini, quos

Id. *Nam quando aliunde nimis cogitas.*

videsis.

Ibid. *Intende facta, et quære factorem.*

Id. *Intende facturam, et quære factorem.*

Ibid. *Quæ facta sunt, conspiciuntur.*

Id. *Quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

N. 4. *Sed assiduitate viluerant.*

Id. *Sed assiduitate viluerunt.*

Ibid. *Quam ut nascatur homo, moriendo*, etc.

Id. *Quam ut nascatur homo, qui non erat, moriendo*, etc.

Ibid. *Panibus saginasse tot millia.*

Id. *Panibus satiare tot millia.*

Ibid. *Impleri segetibus terras.*

Id. *Impleri segetibus terram.*

Ibid. *Quæ aqua erat vinum factum, viderunt homines et obstupuerunt.*

Id. *Qui aquam viderunt vinum factam, viderunt et obstupuerunt.*

Ibid. *Unde est homo ipse qui miratur? ubi erat? unde processit?*

Id. *Unde est ipse qui miratur? videat unde processit?*

Ibid. *Venit ille cui dictum est: Innova signa; cui dictum est: Mirifica*, etc.

Id. *Venit ille ad istum locum, cui dictum est: Mirifica*, etc.

Ibid. *Æquum potest esse quod non vult.*

Id. *Æquum potest esse quod ille non vult.*

Ibid. *Hominem, qui erat in luce.*

Id. *Hominem, qui non erat in luce.*

N. 5. *Sed quam parvus.*

Id. *Sed quam parvus faceret.*

Ibid. *Non te deseruit, qui vocarit*

Id. *Erudit qui vocavit.*

Ibid. *Indicia sunt Creatoris ipsa creatura?*

Id. *Indicia sunt Creatoris in ipsa creatura?*

Ibid. *Ecce nascitur, ecce de femina procedit.*

Id. *Ecce nascitur, ecce corpus assumit, ecce de femina procedit.*

SERMO CXXXII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 322, ubi N. 2, horum verborum loco, *Refrenat infirmioris sexus ipsa verecundia*, scribitur, *Refrenat infirmiorem sexum ipsa verecundia.*

SERMO CXXXVII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 328.

Edit. N. 1. *Dum tamen non nimia impietate præcidantur.*

Cod. *Dum tamen non nimia infirmitate præcidantur.*

N. 3. *Iste dicebat se habere vires, qui non habebat.*

Id. *Dicebat Petrus se habere vires, quas non habebat.*

SERMO CXXXIX.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 144, ubi hanc correctionem reperimus. Benedictini n. 3 hanc dimidiatam sententiam habent: *Homo sapiens, in æternitate tempora inquiris*; *ubi non sunt tempora, quæris ætates*, codex autem optime dicit: *Homo sapiens, in æternitate tempora quæris, ubi non sunt tempora*; *quæris ætates, ubi non sunt ætates.*

SERMO CXLII.

Legitur in Cod. Cassin. VII, fol. 156, ubi confirmatur varians lectio quæ in Benedictina editione adducitur his n. 5 verbis, *Ergo detumescat, addendo* postea tria hæc verba, *si cupis ingredi.*

SERMO CXLVII.

Legitur in cod. Florent. CCLIII, Bibl. Ædif., fol. 299 et Bibl. Mugell., cod. XIV, fol. 111.

A Edit. N. 1. *Omnium apostolorum meministis.*

Codd *Omnium apostolorum, fratres charissimi, meministis.*

Ibid. *Dicit autem apostolus, quoniam*, etc.

Iid. *Dictum est autem, quoniam*, etc.

N. 2. *Modo quid? Interrogat eum Dominus.*

Iid. *Modo quid interrogat eum Dominus?*

Ibid. *Et dicit ei.*

Cod. CXLIII. *Dicit ei.*

Ibid. *Respondit ille: Etiam, Domine.*

Codd. *Respondit ei ille: Etiam, Domine.*

Ibid. *Et iterum Dominus hoc interrogavit, et tertio hoc.*

Iid. *Iterum, et tertio Dominus hoc interrogavit.*

Ibid. *Qui sciant oves Christi pascere.*

Iid. *Quia sciebat oves Christi pascere.*

N. 3. *Feret quo tu non vis.*

Iid. *Ducet quo tu non vis.*

Ibid. *Pro Christo fuerat* B *crucifigendus.*

Iid. *Pro Christo erat crucifigendus.*

Ibid. *Timere non debuit. Videbat enim*, etc.

Iid. *Timere non debuit, quia videbat*, etc.

SERMO CLIV.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 160. ubi n. 7, pro his verbis, *quia nondum erant in perfectione*, habetur, *quia nondum erant securi, nondum erant in perfectione.*

SERMO CLV.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 132, ubi sanatur evidens editionis Benedictinæ mendum. Ibi enim n. 4 habetur: *Lex enim mortis non ipsa dicitur, lex peccati et mortis non illa lex dicitur quæ data est in monte Sina*; hic certe adest vitiosa iteratio quæ tollitur in codice, in quo scriptum est: *Lex enim mortis non ipsa dicitur, quæ data est in monte Sina.*

SERMO CLXVIII.

C Legitur in duobus codd. Florent., nempe Bibl. Mugell. cod. XI, fol. 37 *b*, et Bibl. Fesul. cod. XI, fol. 237.

Edit. n. 1. *Lectionibus, canticis, sermonibusque*, etc.

Codd. *Secundum. Vasis electionis confessionem atque doctrinam, quoniam fides misericordiæ Dei donum est, lectionibus, canticis*, etc.

N. 3. *Nam si gloriatus est Abraham, ex fide gloriatus est.*

Iid. *Non sic gloriatus es Abraham; ex fide gloriatus est.*

Ibid. *Misericordiam consecutus sum. O confessio!*

Iid. *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. O confessio!*

N. 4. *Spectemus, fratres, cum*; *magnum spe-* D *ctaculum.*

Cod. Mugell. *Spectemus, fratres, magnam spectaculum.*

Ibid. *Erat infidelis*; *parum est. Erat*, etc.

Codd. *Erat infidelis*; *parum est infidelis. Erat*, etc.

N. 5. *Orare fide non possetis, nisi fidem haberetis.*

Iid. *Orare fide non potestis, nisi fidem habeatis.*

Ibid. *Quomodo prædicabunt, si non mittantur.*

Iid. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

Ibid. *Et addat bona quæ non habemus.*

Iid. *Et addere bona quæ non habemus.* Vide var. Maur.

Ibid. *Invenisti unde dares? Homo mendice*; *unde habuisti? Ergo unde dares aliquid habuisti?*

Iid. *Invenisti unde dares? Homo mendice, habuisti ergo unde dares? aliquid habuisti?*

N. 6. *Una voce elisus et levatus*; *elisus*, etc.

Iid. *Una voce elisus et levatus est*; *clisus*, etc.

Ibid. *Deposita tunica veteri, peccatis pannosa.* Cod. Fesul. *Deposita tunica veteris peccati pannosa.*

SERMO CLXXVIII.

Hic sermo reperitur in cod. Cass. XI, fol. 11, et a n. 7 in duobus Florentinis, nempe Bibl. Mugell. cod. XI, fol. 31, et in Bibl. Fesulan. cod. XI, fol. 229 *b*. Pulcherrimus, hic sermo ita scribitur in codicibus Florentinis, ut in eo citetur ipsemet Augustinus, cui tamen certe tribuendus est; unde concludi potest aliquando sermonem posse legitime auctori tribui, licet ipse auctor citetur in opere; hoc autem aliquando fieri potuit amanuensis incuria aut ignorantia.

Edit. n. 2. *Ubi poneret consulebat, non de cujusquam vicini agris.* Cod. Cass. *Ubi poneret cogitabat, nulli violentiam facere, non de*, etc.

Ibid. *Quod relicturus es? Ecce increpatus est.* Id. *Quod relicturus es? Præcedant ergo magis quo seculturus es. Ecce increpatus est.*

N. 3. *Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cœlorum? Quibus autem*, etc. Id. *Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cœlorum? Probant hoc illæ quinque virgines quæ extra januam leguntur exclusæ. Quibus autem*, etc.

Ibid. *Conjicere hoc videmur: aperte hoc manifesteque videamus.* Cod. Cass. *Conjicere hoc videmur: considerare autem attentius debemus, ut hoc apertius videre possimus.*

Ibid. *Quod immisericors erat. Numquid enim*, etc. Id. *Quod immisericors erat, non quia aliena rapuit, sed quia de propriis erogare noluit. Numquid enim*, etc.

N. 5. *Cogitas spoliare paganum, et vestire Christianum.* Id. *Cogitas spoliare hæreticum vel Judæum, et non vestire Christianum.*

N. 7. *Beatum sancta Scriptura dicit, qui post aurum*, etc. Codd. Florent. *In Scripturis divinis legimus, fratres charissimi, quod beatus sit qui post aurum*, etc.

Ibid. *Et non fecit. Tu autem dicis: Numquam negavi rem alienam. Quia forte nemo tibi commendavit; aut forte commendavit, sed sub testibus commendavit. Dic mihi, reddidisti*, etc. Iid. *Et non fecit. Fratres, interrogemus conscientias nostras, et videamus si ita cupiditatem contemnimus, ut istius beatitudinis participes esse possimus. Forte aliquis intra se cogitat et dicit: Nec furtum nec violentiam facio, nec rapinam exerceo, nec res alienas aliquando negavi. Forte ideo non negasti, quia tibi nemo commendare voluit, aut si commendavit, sub testibus commendavit. Dic mihi, si reddidisti*, etc.

Ibid. *Mortuo qui commendavit.* Iid. *Mortuo eo qui commendavit.*

Ibid. *Quia post aurum non isti; quia*, etc. Iid. *Quia post aurum non abisti; qui*, etc.

Ibid. *Si forte alienum sacculum.* Iid. *Aut si forte alienum sacculum.*

Ibid. *Verbum Dei audis.* Iid. *Verbum Dei libenter audis.*

Ibid. *Lætissime commoveris.* Iid. *Latissime commoneris.*

Ibid. *Propono ergo. Deus dicit.* Iid. *Considera quod propono. Deus dicit.*

Ibid. *Quam primo populo dedit.* Iid. *Quam priori populo dedit.*

Ibid. *Nondum Christus erat mortuus, inventionem tanquam alienum esse reddendam. Si quisquam.* Iid. *Nondum Christus erat mortuus, ut quicumque rem cujuscumque invenerit, tanquam alienam cito restituat, qui sine dubio si ipse si perdidisset, hoc si de alio fieri voluisset, secundum illud quod scriptum est: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos illis facite similiter. Si quisquam.*

Ibid. *Debere reddire.* Iid. *Debet reddere.*

N. 8. *Quoniam dona Dei sunt?* Cod. Fesul. *Quomodo Dei dona sunt?* Cod. Mugell. *Quoniam*, ut in edit.

Ibid. *Dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis; tam pauper, ut proscholus.* Iid. *Dicam quid fecerit homo quidam pauperrimus, eo tempore quo sanctus Ambrosius Mediolani erat episcopus, ubi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum episcopus; tam pauper ille ut proscholasticus.* Additio scribentis. Cod. Fesul. habet *proscalus*; melior vos *proscholus*, ut in edit.

Ibid. *Sed plane Christianus, quamvis ille esset paganus grammaticus; melior ad velum quam in cathedra. Pauper ergo iste invenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis: memor legis proposuit*, etc. Iid. *Sed plane verus et perfectus Christianus. Sed melior fuit ille qui ad velum stabat, quam qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste invenit sacculum ducentorum solidorum: memor tamen divinæ legis proposuit*, etc.

Ibid. *Et ne forte quæreret alienum, quæsivit.* Iid. *Et ne forte quæreret alienum, non suum, quæsivit.* Sic legendum, quamvis codd. habeant *sed* pro *non*.

Ibid. *Saltem rogavit vel quinque acciperet.* Iid. *Saltem rogavit ut vel quinque acciperet.*

Ibid. *Stomachabundus homo.* Cod. Mugell. *Ille stomachatus.*

Ibid. *Quod offerebatur accepit: continuo*, etc. Cod. Florent. *Quod offerebatur accepit, et continuo*, etc.

N. 9. *Quid est? Si aliquid egi in cordibus vestris, si verbum Dei insedit in vobis, si requiem invenit apud vos, facite hoc, fratres mei: nolite putare damnum vos pati, si feceritis; magnum lucrum est, si fecenitis quod dico. Perdidi viginti solidos, perdidi ducentos, quingentos, Quid perdidisti? De domo tua perierant: alter perdiderat, non tu. Terra*, etc. Iid. *Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum et tam mirabile factum. Egi aliquid in cordibus vestris, si verbum Dei requievit in animis vestris. Facite hoc, fratres mei. Nolite putare vos damnum pati, si quod a vobis inventum fuerit reddideritis. Credite quia magnum lucrum est, si feceritis quod suggero. Forte aliquis veniens in domo tua perdidit solidos. Terra*, etc.

Ibid. *Posuit ille, oblitus est ille, cecidit ab illo; tu invenisti alibi. Quis invenisti? Christianus. Quis invenisti? qui legem audisti, Christianus qui legem audisti. Quis invenisti? Qui cum audires multa laudasti, tu invenisti? Si ergo veraciter laudasti, redde quod invenisti. Si autem non reddidisti quod invenisti, quando laudasti testimonium contra te dixisti. Estote*, etc. Iid. *Posuit ille, oblitus est, vel cecidit ab illo; invenisti, qui in lege audisti inventionem esse reddendam. Qui invenisti, qui cum audires verbum Dei laudasti, redde quod invenisti. Si autem non reddideris quod invenisti, quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote*, etc. Sic ambo codd., excepto quod cod. Fesul. habet, *quis invenisti* pro *qui invenisti*, et cod. Mugell., *non reddes* pro *non reddideris*.

Ibid. *Nam quod invenisti et non reddidisti, rapuisti.* Iid. *Nam si invenisti et non reddidisti, rapuisti.*

Ibid. *Quantum potuisti, fecisti; quia plus non potuisti, ideo non plus fecisti.* Iid. *Quantum potuisti, fecisti; quia plus non invenisti, ideo plus non rapuisti.*

Ibid. *Qui alienum ne-* Iid. *Qui alienum negat*

gat, si possit, et tollit.

Ibid. *Timor prohibet.*

Ibid. et n. 10. *Sed malum metuis. Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere bonum, Nam et latro*, etc.

N. 11. *Sed desidera videre Deum.*

Ibid. *Quia dictum est, dilectissimi.*

Ibid. *Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis*, etc.

si posset, et tolleret. Vide var. Maur.

Cod. Mugell. *Timor te cohibet.*

Iid. *Sed malum metuis. Et latro*, etc.

malum: magnum est, amare

Iid. *Sed desideres videre Deum.*

Iid *Quid dictum est? dilectissimi.*

Iid. *Si amas videre Deum tuum, in hac peregrinatione illum toto amore suspira, illum desidera. Ecce* (addunt codd. male, *fac quo*) *te probare vult Deus tuus, ut appareat pro quibus rebus diligas eum, utrum pro seipso, an pro rebus terrenis, quas tibi præstitit, et dicat tibi, Fac quod vis*, etc.

Ibid. *Gratias amasti. Si ergo sermo meus.*

Ibid. Hic multa habent quæ non leguntur in edit. sic: *Gratis amasti. Hoc ideo diximus, fratres, quia sunt homines ita negligentes et tepidi, et, quod pejus est, etiam infideles, qui dicunt: Utinam hic mihi Deus in hoc sæculo omnia bona tribuat! Non ad me pertinet quid in futuro de me fieri velit. O infelix anima! Etiamsi te Deus mittat in pœnam, et tantummodo faciem suam te videre non permittat, numquid non melius fuerat te non fuisse natum? Cum vero fieri non possit, ut qui faciem ejus non meruerit videre, ignem æternum evadere possit, quare sic amas præsentis sæculi voluptatem, ut non expavescas æterni ignis ardorem.*

Ibid. *Advocate prece, humilitate, dolore pœnitentiæ.*

Iid. *Advocate prece humilitatis, dolore pœnitentiæ.* Sic Lovan., et quidem bene. Vide var. Maur.

Ibid. *Hanc scintillam boni amoris flate in vobis.*

Iid. *Hanc scintillam boni amoris, de qua Dominus dixit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat, flate in vobis.*

Ibid. *Fena consumit.*

Iid. *Ligna consumet.*

SERMO CLXXXVI.

Legitur in cod. Cass. CVI, fol. 150, ubi, n. 1, pro his verbis, *Exsultent gentes. Istum diem nobis non sol iste visibilis, sed Creator ipsius invisibilis consecravit*, habetur, *Exsultent gentes, quia Maria istum diem, non sol iste visibilis consecravit.*

SERMO CXC.

Legitur in cod. Cass. CXVI, fol. 102, ubi hæc varians lectio habetur n. 1. Post hæc verba, *Ut propter nos posset esse sub sole*, additur hæc sententia, quæ deest in edit.: *Nec ita sub sole, ut non et super solem.*

SERMO CXCI.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 5, cum exordio quod Benedictini omiserunt in textu, sed addiderunt in variantibus, quas, hic ad utilitatem lectoris eo magis referendas duximus, quod in pluribus codex differat, *Unigenitus Christus Dei Filius, verus sol justitiæ, ita terris illuxit, ut non desereret cœlos, et ibi æterne manens, et hic temporaliter transiens; ibi sempiternum constituens diem, hic humanum patiens diem; ibi sine horarum cursu perenniter vivens, hic sine peccati incursu temporaliter moriens; ibi permanens vita sine occasu, hic vitam nostram a mortis liberans casu; ibi majestatis suæ calore Angelorum mentes accendit, hic vita hominum mortem discernit*[1]. *Ibi lux carpitur*[2] *quam peccator*[3] *nullus extinguit, hic homo nascitur, qui peccato*[4] *cuncta distinguit, Ibi Deus cum Deo, hic Deus et homo. Ibi lumen de lumine. hic quod* illuminat omnem hominem (Joan. I, 13.). *Ibi verbo cœlos extendit, hic viam perveniendi ad cœlos ostendit*[5]. *Ibi mysterium nativitatis suæ cum Patre firmavit, hic membra carnis suæ in matre formavit. Ibi ad dexteram Patris sedens, hic in præsepio jacens; ibi angelos pascens, hic in terra parvulus esuriens; ibi perfectis potestatibus manens indeficiens panis, hic cum natis infantibus alimento indigens lactis; ibi bona faciens, hic mala patiens; nunquam moriens, hic post mortem resurgens, et mortalibus æternam vitam condonans. Deus factus est homo, ut homo Deus fieret. Formam servi accepit Dominus, ut homo verteretur in Dominum*[6]. *Cœlorum habitator et conditor habitavit in terris, ut homo de terris migraret ad cœlos.*

Edit. N. 1. *Qui per eum tanta accepimus dona. Propter hoc*, etc.

Cod. *Qui per eum tanta accepimus dona. Sed humilitas ejus nostra sublimitas est, et crux ejus nostra victoria est, illius patibulum noster triumphus est, illius mors nostra vita est. Propter hoc*, etc.

N. 3. *Exhibere Christo. Ecclesia ergo.* etc.

Id. *Exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate quæ est in Christo. Ecclesia ergo*, etc.

N. 4. *Si utrumque habere velitis.*

Id. *Si alterum habere velitis.*

Ibid. *Et virginitas perseveret.*

Id. *Et virginitas perseveret in Christo Jesu Domino nostro.*

SERMO CCII.

Legitur in cod. Cass. CVI, fol, 248, ubi, n. 2, pro his, *Sursum angelos non deserens, et deorsum ad se homines per angelos colligens, et cœlestibus*, etc., habentur sequentia: *Sursum non deserebat angelos, et deorsum ad se homines vocabat, per angelos, et cum hominibus secundum hominem in terris degebat et cœlestibus*, etc.

SERMO CCVIII.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 88, ubi hæc initio habentur, quæ desunt in editis: *Plura nobis simul recitata sunt, et de omnibus his dicere nec temporis brevitas, nec miseriarum magnitudo permittit. Licebit tamen ex ingentibus* [Cod. *exigentibus*] *campis paucos flosculos legere, et non quantum ager exuberat, sed quantum odoratui sufficiat capere; sicut et cum quis accedit ad fontem, non ei tantum haurire necesse est,*

[1] Edit., *hic vitam hominum moresque discernit.*
[2] Iid., *capitur.*
[3] Iid., *peccato.*
[4] Iid., *peccata.*
[5] Cod., male, *ascendit.*
[6] Cod., male, *in Domino.*

quantum vena dives effuderit, sed quantum arescentes siti mitiget fauces, ne forte plus juste sumpta fiat potantis salutis unda pernicies. Et quoniam solemne tempus, etc.

Deinde hæc insuper variant.

Edit. N 1 *Dimicaturus accipiat.* Cod. *Dimicaturus accendat.*

N. 2. *Ubi nihil de apothecis, nihil de sacculo.* Id. *Ubi nihil de apothecis, nihil de horreo, nihil de cellario, nihil de sacculo*, etc.

SERMO CCXVII.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 93.

Edit. N. 1. *Genuit quidem fontem fons, sed et generans fons, et genitus fons: quemadmodum*, etc. Cod. *Genuit quidem fontem fons, sed et generans fons, et genitus fons, unus est fons: quemadmodum*, etc.

N. 2. *Audistis quid pro nobis oraret, imo quid vellet. Dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, ibi sint ipsi. Volo, inquit, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* Id. *Audistis quid nobis oravit, imo quid se velle dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, ibi sint et ipsi. Volo, Pater; quod vis facio, fac quod volo. Quid? ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*

N. 3. *Post resurrectionem laudatio.* Id. *Post resurrectionem laudatio. Nonnulli Christianorum, fratres, æstimantes Divinitatis præcepta religiosius observare, prætermissa devotione quadragesimæ, cujus nunc tempus persolvere curant, quinquagesimam se facere mentiuntur: cum id neque divinis jubeatur, neque traditum sit auctoritate majorum. Sola igitur animi faciunt præsumptione. Et dum putant se devotius agere, superstitiosius conversantur. Dicit se observare Quinquagesimam, qui forte Quadragesimam implere vix possit. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius Quadragesimam jejunare cum Christo. Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quod dixi jejunio, non jejuniis. Unum enim* [Cod. *est*] *jejunium Domini fuit, qui continuatis quadraginta diebus et noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecrandam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur, quod legem divinitus pro salute sua datam, prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Domini non custodis. Qualis autem Christianus es, qui Domino jejunante, prandis? Qualis Christianus es, qui, Christo esuriente te* [Cod. *tu*] *reficis? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas. Abstineamus a vitiis carnis, ut repleamur de divitiis æternis. In illa enim vita ipsum erit negotium nostrum in regno Dei videre, amare, laudare. Quid enim ibi acturi sumus? In isto sæculo opera alia sunt necessitatis, alia sunt iniquitatis. Necessitatis opera quæ sunt? seminare, arare, novellare, navigare, molere, coquere, texere, et si qua similia necessitatis, et illa opera nostra bona necessitatis sunt* [Cod. *est*]. *Frangere panem esurienti non habes tu necessitatem, sed habet ille, cui frangis panem; recipere peregrinum, vestire nudum, redimere captivum, visitare ægrum, dare consilium deliberanti, liberare oppressum, omnia ista ad eleemosynam pertinent; opera sunt necessitatis. Iniquitatis quæ sunt? furari, latrocinari, inebriari, alea ludere, fœnus exigere. Et quis enumerat omnia facta iniquitatis? In illo regno non erunt opera necessitatis, quia nulla ibi erit miseria, non erunt opera iniquitatis, quia nulla ibi erit molestia. Ubi nulla erit miseria, non sunt opera necessitatis; ubi nulla malitia, non sunt opera iniquitatis. Quid enim facturus ut manduces, quando nemo esurit? Illa ipsa eleemosynarum opera quomodo facturus? Cui frangis panem, ubi nemo eget? Quem visitas ægrum, ubi perpetua sanitas perseverat? Quem sepelis mortuum, ubi immortalitas nunquam moritur? Pereunt opera necessitatis; opera autem iniquitatis si hic feceris, illic non pervenis. Quid ibi facturi sumus, dicite mihi? dormituri? Hic enim homines non habentes quod agant, dormiunt; ibi sommus non est, quia nulla defectio. Non ergo opera necessitatis acturi, non dormituri, quid facturi sumus? Nemo expavescat tædium; nemo putet et ibi futurum tædium. Numquid modo tædias sanus esse. Omnia in sæculo habent fastidium: sanitas non habet fastidium. Si sanitas non habet fastidium, immortalitas habebit fastidium? Quæ erit ergo actio nostra? Amen, et alleluia. Hic enim agimus aliud, ibi aliud, non dico die et nocte, sed die sine fine. Quæ modo potestates cœlorum? Seraphim sine tædio dicunt*: Sanctus, sanctus, sanctus Deus Sabaoth (*Apoc.* IV, 8). *Hoc dicunt sine tædio Numquid modo fatigatur pulsus venæ tuæ? Quamdiu vivis pulsus habet vena tua. Aliquid facis, et fatigando fatigaris, et requiescis, et redis ad opus, et vena tua non fatigatur. Quomodo vena tua non fatigatur in salute tua, sic lingua tua, et cor tuum non fatigatur in laudibus Dei, in immortalitate tua. Audite testimonium negotii vestri. Quid est negotii nostri? hoc negotium, otium est*[1]. *Otiosum negotium quid? laudare Deum. Audite inde sententiam*: Beati qui habitant in domo tua (*Psal.* LXXXIII, 5); *psalmus hoc dicit*: Beati qui habitant in domo tua. *Et quasi quæreremus unde beati? Multum auri habebunt? Qui multum aurum habent, multum sunt miseri*: Beati sunt isti, qui habitant in domo tua. *Unde beati? Hæc est beatitudo illorum*: In sæcula sæculorum laudabunt te (*Ibid.*). *O pax sine fastidio! o indefessa dulcedo, Domine Deus noster: Forma nos ad te, reformans ad videndum te, quoniam cum viderimus te, non avertemur a te. Amabimus te, et fruemur te, et sine lassitudine amabimus te; regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

SERMO CCXXV.

Legtur in cod. Cass. XCIX, fol. 27 a tergo, ubi, post hæc verba, *A quo tanto opere?* adduntur hæc necessaria, quæ desunt in edit., *A carne Christi.*

SERMO CCXXVIII.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 218.

Edit. N. 1. *In illis est novata*; et in var. edit. sensum claudicare asserunt. Benedictini proponunt correctionem, *Fides est novata.* Cod. *In illis nova vita.* Vera et perfecta lectio.

Ibid. *Noli facere, baptizatus es.* Id. *Noli peccare, baptizatus es.*

N. 3. *Tractavimus de sacramento orationis dominicæ, quomodo petant; et de sacramento fontis et baptismi.* Id. *Tractavimus de sacramento orationis dominicæ, quem, et quomodo, et quales debeant invocare, tractavimus de sacramento fontis et baptismi.*

SERMO CCXXX.

Legitur in cod. Florent., Bibl. Fesul., cod. XX, fol. 122 *b*.

Edit. N. unic. *Ita illo adjuvante faciamus.* Cod. *Ita illo juvante facimus.*

Ibid. *Non tamen sine causa de aliquo præcipue.* Id. *Non tanem sine causa de aliquo die præcipue.*

Ibid. *Ne feceritis in concupiscentiis.* Id. *Ne feceritis in desideriis.*

Ibid. *Hoc si facitis, toto corde cantatis.* Id. *Iloc si facitis, toto corde cantate.*

[1] Vid. S. August. *Enarr. in psal.* CX, n. 1, et *in psal.* CXLVII, n. 3.

Ibid. *Si vultis esse dies quem fecit Dominus.*
Ibid. *Et habebitis lucem veritatis, quæ nunquam occasum faciet.*

Id. *Si vultis esse dies quam feci.*
Id. *Et habete lucem veritatis, quæ nunquam occasum faciat* Vid. var. Maur.

SERMO CCXXXV.

Legitur in cod. Cass. CCCV, fol. 23 a tergo, ubi, n. 4, post hæc verba, *Væ qui non crediderunt*, desunt hæc sequentia, *Erit enim magnus timor*, quæ videntur esse glossa.

SERMO CCLXVIII.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 246.

Edit. N. 3. *Capiuntur ergo pisces magni centum*, etc.
N. 5. *Fit numerus decem et septem. Si computes*, etc.

Cod. *Capiuntur ergo pisces magni. Quot? centum*, etc.
Id. *Fit numerus decem et septem. Jam iste numerus quid est decem et septem? Si computes*, etc.

SERMO CCLXV.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 254

Edit. N. 2. *Alii non credentes irriserunt. Non enim omnium est fides.*

N. 9. *Et ab hac maxime charitate quæ in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum.*

N. 11. *Ipsa charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata.*
Ibid. *Colligere, non dividere. Quia habeo*, etc.

Cod. *Alii videntes irriserunt. Non enim de tali facto quod ascendit in cœlum omnium est fides.*
Id. *Ut ab hac charitate proximi proficiamus ad ejus charitatem qui in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum.*
Id. *Congregat nos ipsa charitate plena gallina illa propter pullos infirmata.*
Id. *Colligere, non dividere. Qui enim extra colligit, dividit, et qui mecum, inquit, non colligit, spargit. Colligere, non dividere; quia habeo.* etc.

SERMO CCLXVI.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 254.

Edit. N. 4. *Crediderunt multi in Samaria, credentes baptizati sunt. Ut autem audierunt apostoli, miserunt ad eos Petrum et Joannem, ut baptizatis manus imponerent, et eis manus imponendo, impetrarent Spiritum sanctum invocantes. Simon admiratus*, etc.

Cod. *Crediderunt multi in Samaria, credentes baptizati sunt. Ut autem manus imponeret Philippus, et eis manus imponendo, impetraret Spiritum Sanctum, plus erat ad diaconi ministerium. Proinde consequens erat ut fides Samariæ ab apostolis nuntiaretur. Nuntiatu est; venerunt, et baptizatis manus imposuerunt; benedictione sua super illos Spiritum sanctum invitaverunt. Venit ad manus impositionem apostolorum super illos Spiritus sanctus, sed voluntarius, non coactus. Tunc Simon admiratus*, etc.

Ibid. *Ille qui in Samaria baptizaverat, et nemini*, etc.

N. 3. *Quia et inter apostolos Philippus nominatur, et qui proprie*, etc.

N. 6. *Eumque accersendum. Tunc autem*, etc.

Ibid. *Sed mihi Deus ostendit neminem communem*, etc.

Id. *Ille qui in Samaria prædicaverat, qui in Samaria baptizaverat, et nemini*, etc.
Id. *Legant textum lectionis, et videant eumdem Philippum nominari, qui proprie*, etc.
Id. *Eumque accersendum, et quod præciperet faciendum. Tunc autem*, etc.
Id. *Sed mihi Deus ostendit; quando ostendit? ubi ostendit? Neminem communem*, etc.

N. 7. *Posset enim a calumniantibus vel non intelligentibus dici Petro: Male fecisti dare Spiritum sanctum*, etc.

Id. *Posset enim a calumniantibus vel non intelligentibus dici Petro: Male fecisti incircumcisis dare baptismum. Numquid posset dici Deo: Male fecisti dare Spiritum sanctum?*

SERMONES CCLXXX, CCXXXXI, CCLXXII.

Legitur sermo CCLXXXI magna ex parte in duobus codd., uno Cass., nempe XII, fol. 1282, altero Florentin., Bibl. Fesulan., cod. XX, fol. 262. In utroque titulus habet *De sancta Victoria*, aut *In Natali sanctæ Victoriæ*. Plura assumuntur ex sermone CCLXXX, plura etiam ex serm. CCLXXII, plura in Edit. non leguntur. Hic differentias annotare curavimus, nec impossibile est sanctum Augustinum, notas quas de SS. Perpetua et Felicitate scripserat, sanctæ Victoriæ laudandæ accommodasse, cum præcipue in cod. Theodoricensi citetur quidam sermo de sancta Victoria his verbis: *Item sermo B. Aur. Augustini episcopi de Natali sanctæ Victoriæ virginis*, ut videre est in notis Operum sancti Augustini, edit. Bened. tom. V.

SERMO CCLXXX.

Editi. N. 1. *Et victore vestigio*; deinde quædam addunt duo codd. beatæ Perpetuæ propria.

Ibid. *Feminæ cadenti... ascendenti.*
N. 2. *Tunc cum bestiis.*

Ibid. *Quorum voces in carnem martyrum.*
Ibid. *Nunc plane jam nulla.*

Codd. *Et victoriæ vestigio.* Quæ adduntur beatæ Perpetuæ propria desunt usque ad hæc verba: *Ita caput.*
Iid. *Feminæ cadentis... ascendentis.*
Cod. XII. *Tunc certe cum bestiis.*
Codd. *Quorum voces in carne martyrum.*
Iid. post hæc verba, non habent plura, quæ desunt usque ad has voces n. 4: *Martyres Christi pro nomine ac justitia Christi*, et deinde, prætermissis duobus verbis, *utrumque vicerunt*, pergunt dicendo, *nec mori*, etc.

N. 4. *Sed exercitationi sufficeret.*

N. 5. *Quamvis jam nullis possit sæculi hujus felicitatibus vel suavitatibus comparari, parva particula promissionis agitur, imo*, etc.
Ibid. *Ubi corporibus redditis.*
N. 6. *Quod ejus corporis membra sumus, cujus et illi.* etc.
Ibid. *Eamdemque amplectimur unitatem.* Sic terminatur.

Iid. Post hæc verba prætermittunt multa usque ad has voces, *Quid, cum resolutæ*, etc.
Iid *Quamvis jam nullis possit sæculi hujus festivitatibus vel suavitatibus comparari, parva est particula promissionis, imo*, etc.
Sic et cod. XX; cod. XII, *ubi in corpore.*
Cod. XII. *Quod ejus corporis membra sumus, cujus sunt et illi*, etc.
Codd. *Eamdem amplectimur unitatem* (Cod. XII, male, *humanitatem*). Deinde sic pergunt: *In hoc ergo tanto agone sancta Victoria non sexu invalido retardata, non feminea cogitatione enervata, non mundo blandiente mollita, non minante perterrita, non sæviente devicta, certavit fortiter, spiritu carnem, spe timorem, diabolum fide, mundum charitate vincens. His armis exercitus nostri regis invictus est; his armis accincti milites Christi, non conservatis, sed trucidatis corporis membris, nec occidendo, sed moriendo triumpharunt, et victoriam de diabolo meruerunt.*

SERMO CCLXXXI

Edit. N. 1. *Nomen Perpetuæ et Felicitatis, sanctarum Dei famularum.*

Codd. *Nomen sanctæ Victoriæ. Domini famulæ*: et sic deinceps mutato nomine, singularique modo adhibito.

Ibid. *In feminas.* Legendum esset *in feminis.*

Iid. *In femina.*

Ibid. *Fragilitas feminea non defecit.*

Iid. *Femina non defecit.*

N. 2. *Delectat autem piam mentem tale spectaculum contueri, quale sibi beata Perpetua de se ipsa revelatum esse narravit, virum se factam certasse cum diabolo. Illo quippe certamine in virum perfectum*

Iid. *Delectat autem piam mentem tale spectaculum contueri, beatam Victoriam in virum perfectum adversus diabolum in illo certamine currere*, etc.

ctiam ipsa currebat, etc.

Ibid. *Merito ille vetus.*

Iid. *Merito et ille vetus.* B

Ibid. *Per feminam deceperat virum.*

Iid. *Per feminam vicerat virum.*

Ibid. *Per virum eam superare tentavit.*

Cod. XII post hæc verba addit: *Per judicem scilicet sævum, cui beata Victoria nec ad tempus cessit; opitulabatur enim ei quem virgo pepererat. Et ideo illa inferioris hominis cautissimo et firmissimo robore omnes ejus obtudit insidias, impetusque confregit.* Cod. XX, prima prætermissa sententia, ultimam phrasim habet, excepto quod horum verborum loco, *Et ideo illa*, scribit, *Sed illa* Deinde duo codd. fragmentum assuunt sermonis CCLXXX, n. 1, *Et victore vestigio*, ut videre est supra.

SERMO CCXC.

Legitur in cod. Cass. XI, fol. 87, ubi hoc uno differt, quod, n. 4, pro his Editorum verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et angelus: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce quomodo*, etc.; pro his inquam, verbis melius in cod. habetur: *Quomodo fiet istud, dum virum non cognosco? Et angelus professus est virgini: Ecce quomodo*, etc.

SERMO CCXCI.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 231.

Edit. N. 1. *Quem diem celebramus hodiernum vobis dici non opus est, quia omnes, cum legeretur Evangelium, audistis. Hodie accepimus sanctum Joannem.*

Cod. *Quem diem celebremus hodiernum a nobis dici non opus est, quia omnes, cum legeretur Evangelium, audivimus. Hodie accepimus natum sanctum Joannem.*

Ibid. *Impletur Spiritu sancto.*

Id. *Implebitur, inquit, Spiritu sancto.*

Ibid. *Nascitur, dat patri vocem.*

Id. *Nascitur filius, natus reddit patri vocem.* D

Ibid. *Quid enim aliud quam gratia?*

Id. *Quid enim aliud quam gratiam?*

N. 2. *Nam manus Domini cum illo.*

Id. *Nam manus Domini est cum illo.*

Ibid. *Jacob erant. Ante Joannem certe cœlum et terra erant. Quid erit qui in principio erat?*

Id. *Jacob erant. Ante Joannem Adam erat. Ante Joannem certe cœlum et terra erant. Quid erit qui in principio erat Verbum?*

Ibid. *Et Verbum erat, non qualecumque, sed Deus erat Verbum.*

Id. *Et Verbum erat, non ubicumque, sed apud Deum; et Verbum erat non qualecumque, sed Deus erat Verbum.*

Ibid. *Quid ipsa manus Domini?*

Id. *Quid est ipsa manus Domini?*

N. 3. *Venit angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth uxorem ejus, matrem Joannis; venit, inquam, angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Quare?* A

Id. *Venit angelus* (desunt male in cod.) *Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Zacharias erat pater Joannis; Elisabeth uxor ejus, mater Joannis. Venit Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Quare?*

SERMO CCXCII.

Legitur in cod. Cass. XI, fol. 193, et cod. CXI, fol. 74.

Edit. N. 3. *Iniquitatem. Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus Dei Filius unigenitus, quare est baptizatus? Inveni quare est natus, et ibi invenies quare est baptizatus. Ibi quippe*, etc.

Cod. CXI. *Iniquitatem. Dices mihi: Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus natus ex virgine venit, quare? Et ibi invenis quare baptizatus. Ibi quippe*, etc.

N. 4. *Quia Domini est salus. Nam vana*, etc.

Cod. XI. *Quia a Domino est salus, id est, a Domino datur salus. Nam vana*, etc.

Ibid. *Neque enim Joannis non erat Salvator Christus. Non hoc dicit ipse*, etc. B

Id. *Neque enim Joannes non erat salvandus. Salvator ergo Christus. Nam hoc dicit ipse*, etc.

N. 5. *Ecce qui baptizat inferior est; qui baptizatur, dicturus sum, melior? Hoc forte*, etc.

Cod. CXI. *Ecce qui baptizat inferior est; qui baptizatur, dicturus sum, melior? Si nec qui baptizat inferior est, nec qui baptizatur melior, dicturus sum quia Creator quam creatura (non) sit melior. Hoc forte*, etc.

N, 8. *Sed non in hoc se discipulum demonstravit. Qui de cœlo, inquit*, etc.

Id. *Sed non in hoc se discipulum demonstravit. Et ubi se discipulum demonstravit? Qui de cœlo, inquit*, etc.

III. *Dicit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus*: *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat* (*Joan.*, XII, 4-6). Sub prætextu avaritiæ, mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides sensibus decem per corpus et animam et spiritum triplicatis, quasi trecentis emitur denariis. Hoc enim designatur in decem triplicatis, quod in trecentis. Nos ergo sicut Gedeon tanquam trecentorum virorum numerum assumentes, Allophylorum castra, pauperes spiritu, fractis lagunculis nostris, cum tubis et lucernis destruamus, et sicut Abraham cum trecentis viris spolia ad vesperum dividamus. Ubi dicitur Judas fur fuisse, admonemus fures et sacrilegos tolerare. Quare habuit Dominus loculos, nisi quia Ecclesia loculos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut Ecclesia fures toleraret? Peculatus dicitur furtum de republica. Qui aliquid de Ecclesia furatur Judæ proditori comparatur, de quo solo per synecdochem, sub plurali numero, dictum credunt, quod Marcus ait: *Fremebant in eam. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos et dicentes*: *Ut quid perditio hæc unguenti facta est* (*Marc.* XIV, 4, 5)? Alii propter pauperes indignati sunt, quod forsitan verbis Judæ persuasum est eis; Judas vero propter lucrum. *Sciens autem Jesus, ait illis*: *Quid molesti estis mulieri? Opus bonum operata est in me*; *nam semper pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere*; *me autem non semper habebitis* (*Math.* XXVI, 10, 11, *et Marc.* XIV, 6, 7.). Bonis et malis loquitur de præsentia corporis sui. Sedet enim ad dexteram Patri postquam ascendit in cœlum, et secundum corpus non est hic (*hæc non recte dicta videntur*), qui præsentia majestatis semper est hic. Si tamen ad bonos pertines, semper habes Christum in præsenti per fidem, per signum, per baptismatis sacramentum, per altaris cibum et potum. Unde alibi dicit eis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). *Mittens enim hæc mulier unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Id.* XXVI, 12). Non est perditio unguenti, sed officium sepulturæ. Patientia Domini non arguit Judam avaritiæ et non pauperum causa dixisse quod dixit, sed obsequium Mariæ commendat. Quod Joannes ait: *Sine illam ut in die sepulturæ meæ servet illud* (*Joan.* XII, 7), tale est ac si dicat: Sine illam facere quod facit, ut custodiat illud factum in corde suo usque in diem sepulturæ meæ, et tunc sciet, quia istud obsequium est præventio corporis mei sepeliendi. Unde secundum Marcum dicitur: *Quod habuit*, id est potuit; *hoc fecit. Prævenit enim ungere corpus meum in sepultura* (*Marc.* XIV, 8), subaudi (Cod. male *subaudis*, et sic infra) ponendum; ac sic dicat: Sine illam modo ad sepulturam præparare me, more Judæorum, dum potest; quod tunc volet facere, et non poterit: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Id.* 9); subaudi et quod Judas contra locutus est, dicetur in contumeliam ejus. Hæc enim laudabiliter expendit, quod sibi pro odore suæ carnis turpiter adhibuerat (Cod. male *turpitur adhibuerit*), illicitis actibus intenta, priusquam Domino familiaris fieret. *In toto mundo*, non tam mulier ista, quam Ecclesia prædicatur. Attende notitiam futurorum, quod passurus Dominus post paucos dies, sciat Evangelium suum toto orbe celebrandum. Notandum quia quantam famam Maria adepta est, tantam infamiam Judas est adeptus: sed Dominus bonam laude dignam remunerans, futuras impii contumelias tacendo præteriit.

IV. *Et cum esset Bethaniæ Jesus in domo Simonis leprosi* (*Marc.* XIV, 3), *cognovit turba multa ex Judæis quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis* (*Joan.* XII, 9). Curiositas eos adduxit, non charitas. Simon quondam fuerat leprosus, sed tunc erat mundus, quia a Domino sanatus, manente adhuc ei pristino nomine, sicut Matthæus etiam nunc appellatur Publicanus, licet desierit esse publicanus. Quidam per Simonem intelligunt fideles a Domino mundatos a peccatis. Interpretatur enim obediens vel mundus. Per peccatum autem primi hominis facta fuit terra domus Simonis leprosi. *Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* XII, 10,11). O stulta cogitatio, et cæca sævitia! Qui (mortuum) suscitare potuit Lazarum, non posset suscitare occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Sed aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus.

Ecce utrumque Dominus fecit, et Lazarum mortuum, et se suscitavit occisum.

V. *In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna ! benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel* (*Joan.* XII, 12, 13). Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est Hosanna; sicut nonnulli dicunt qui hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans quam rem aliquam significans; sicut sunt in lingua latina quas interjectiones vocant, velut cum dolentes dicimus, heu ! vel cum delectamur, dicimus vah ! vel cum miramur dicimus, O rem magnam ! Tunc enim O nihil significat, nisi mirantis affectum ; quod ideo credendum est ita esse, quia neque græcus, neque latinus, hoc interpretari potuit, sicut illud, *qui dixerit fratri suo Raca* (*Matth.* v, 12). Nam et hæc interjectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens. *Benedictus autem qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Sic potius accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur, quamvis possit etiam in nomine suo, quia ipse Dominus est. Unde alibi scriptum est : *Pluit Dominus a Domino*; sed verba ejus melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait : *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (*Joan.* v, 43). Humilitatis enim magister est Christus qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 8). Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa Patri est æqualis, in hac nobis similis. Per quod Patri est æqualis, nos ut essemus creavit ; per quod nobis est similis, ne periremus redemit. Has ei laudes dicebat turba : *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat ! Sed quid fuit Domino regem Israel esse ? quid magnum fuit regi sæculorum, regem fieri hominum ? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos ; sed rex Israel quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex voluit dici [Deet *dici* in cod.] Israel, dignatio est non promotio : miserationis judicium est, non potestatis augmentum ; qui enim appellatus est in terra rex Judæorum, in cœlis est Dominus angelorum.

VI. *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum* (*Joan.* XII, 14). Hic breviter dictum est. Nam quemadmodum sit factum apud alios evangelistas plenissime legitur. Adhibetur vero huic facto propheticum testimonium, ut appareret quod maligni principes Judæorum eum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. *Invenit ergo Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est : Noli timere, filia Sion ; ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ* (*Ibid.* 15). In illo ergo populo erat filia Sion : (ipsa est Jerusalem, quæ Sion) ; in illo, inquam, populo reprobo et cæco erat tamen filia Sion, cui diceretur : *Noli timere. Ecce rex tuus venit super pullum asinæ.* Hæc filia Sion cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus quæ vocem pastoris audiebant ; in illa erat multitudine quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat ; ei dictum est : *Noli timere, illum agnosce qui a te laudatur ; et noli trepidare cum patitur, quia ille sanguis funditur per quem tuum delictum deleatur, et vita redditur.* Sed pullum asinæ in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenerunt), intelligimus populum gentium, qui legem Domini non acceperat ; asinam vero, quia utrumque jumentum Domino adductum est, plebem ejus quæ veniebat ex populo Israel non indomitam plane, sed quæ præsepe Domini agnovit. *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est Jesus*, id est quando virtutem suæ resurrectionis ostendit, *tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo* (*Joan.* XII, 16) ; recolentes quippe secundum scripturarum (eloquia) quæ ante passionem vel in Domini passione completa sunt, ibi et hoc invenerunt quod secundum eloquia prophetarum in pullo asinæ sederit.

VII. *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit* (*Ibid.* 17, 18). Prophetabant, sed nescientes. Quid mirum si post eum vadit mundus, per quem factus est mundus ? *Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo : hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes : Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus et dicit Andrææ..... Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 20, 23). Ideo ita respondit Dominus, ut insinuaret plenitudinem crediturum post passionem suam, eo in cœlis glorificato. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Ibid.* 25). Se dicebat granum mortificandum infidelitate Judæorum, sed multiplicandum fide populorum. Et quia grano frumenti specialiter se comparat, mos cœpit Ecclesiæ de hoc solo grano confici corpus Domini. *Qui amat animam suam perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Id., ibid.*). Hortatur nos ad sectanda vestigia suæ passionis, quasi dicat : *Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo : noli amare animam in hac vita, ne perdas in*

æterna vita. Mira sententia, quemadmodum sit hominis amor in animam suam, ut pereat; odium, ne pereat! Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne te ipsum velis interimere, ut quidam perversi male hunc versum intelligentes. Cum autem causæ articulus venerit, ut proponatur tibi, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut moriendum, tunc potius elige te mori, quam vivere, ut in hoc mundo habeas odio animam tuam, et in vitam æternam eam custodias. *Si quis mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII, 26); hinc Petrus ait : *Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus* (*Petr.* II, 21). *Et ubi ego sum illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Præmium ministrandi illi est esse cum ipso, sine quo nunquam est bene, et cum quo nunquam est male. Unde apertius subdit : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* (*Id. ibid.*). Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus non æqualis divinitati sed consociatus æternitati ? Cum auditis, fratres, illic *et minister meus erit*, nolite tantum modo bonos episcopos et clericos cogitare, sed vos etiam pro modo vestro ministrate Christo eleemosynas faciendo, et ejus doctrinam quibus potueritis prædicando. Unusquisque enim paterfamilias debet in suos exercere disciplinam monendo, docendo, corripiendo, benevoleutiam impendendo.

VIII. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam ? Pater, salvifica me ex hac hora* (*Joan.* XII, 57). Prædicta passione et ad eam supposita exhortatione, quasi data voce fortitudinis suæ, subaudit affectum infirmitatis nostræ, quam vere suscepit, sed ex voluntate pro nobis, ne de hac infirmitate desperemus. In qua etiam docet quid dicere debemus, et quo confugere si [Cod. male, *quasi*] conturbetur anima. Quid dicam ? quem invocem ? quo fugiam ? in quem sperem ? In Patrem qui salvat, cujus voluntatem meæ præpono [Id. *propono*], quia propterea ut hæc patiar veni in horam hanc. Unde clarificatio sequitur et mihi et membris meis. Et hoc est quod dicit : *Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica tuum nomen* [*Id.*, 27, 28]. Salvum me fac ex hora passionis, peto, sed passionem non recuso. Ergo clarifica me suscitando, quod est gloria nominis tui. *Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Id., ibid.*). Clarificavi antequam facerem mundum, id est clarum genui, et in creaturis rationalibus clarificare proposui. Vel ita : Clarificavi cum de virgine natus est, a Magis adoratus est, a sanctis agnitus est, a specie columbæ declaratus est, in monte transfiguratus est. Clarificavi [Cod. male, *clarificavit*], cum multos sanavit, cum de paucis panibus multos pavit, fluctibus imperavit, mortuos suscitavit. *Et iterum clarificabo*, cum resurget a mortuis, cum cœlos ascendet, cum judex ab universis cognoscetur, ut ei omne genu flectatur. *Turba ergo quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum factum esse. Alii dicebant, angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit : Non propter me vox hæc venit, sed propter vos* [*Id.*, 30]. Ostendit hanc vocem non sibi indicasse quod sciebat, sed eis quibus indicari oportebat.

IX. *Nunc* (Cod. hic homiliam dividit, sed manifesta est cum præcedente conjunctio) *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31 *et seqq.*) et reliqua. Judicium hic dicit discretionem redemptorum, non damnationem quando in die judicii damnabit impios. Per principem mundi exponit de quo judicio dixit. De justis veteribus ejectus quidem diabolus fuerat, sed quod tunc in paucissimis factum fuit, nunc in multitudine, prædicantibus apostolis factum est.

Merito illuminatio Christi principem tenebrarum de homine expulit, quia nullum jus in eo habuit. Neque enim quia cum fraude maligna decipiendo a Domini sui subjectione alienavit, aliquam potestatem super eum debuit accipere ; potius, si quam prius haberet, debuit amittere. Qui enim concessa sibi potestate abutitur, ejus privilegium perdere meretur. Item nec Deus mancipavit illi hominem, nec homo se ei mancipare potuit. Quanquam enim aliquis servus a Domino fugiat suo non tamen alteri se jure tradere potest. Quod ergo diabolus, velut mundi princeps, ab Adam usque ad crucem Christi regnasse dicitur, id est quia filii Adam, gravi jugo peccati pressi, diabolicis tentationibus facile consentiebant, hostia autem crucis grata Deo Patri ex dilectione quam infudit humano generi, servitutem peccati removit, ut vere liberi simus, quia Filius nos liberavit. Unde diabolus plus homini invidens, et ideo magis puniendus, tentare tamen non cessat, sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Nam aliud est civitatem captam intus possidere, aliud telis eminus jactatis oppugnare. Cum dicitur diabolus princeps hujus mundi, non creditur esse dominus cœli et terræ ; sed mundus intelliguntur mali homines toto orbe diffusi. Sic enim solemus vocare malam domum, ubi sunt mali homines : bonam, ubi sunt boni. Nam et mundus dicitur de [Cod. *in*] bonis in mundo diffusis. Unde Apostolus : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* v, 19). De quibus ejicitur diabolus.

X. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus* (*Joan.* XII, 32, 33). Quæ omnia, nisi ex quibus diabolus ejicitur ? Non dixit omnes, sed omnia, quia non hoc retulit ad universitatem hominum, sed ad creaturæ integritates, id est ad spiritum, et animam, et corpus quo intelligimus, quo vivimus, quo visibiles sumus. Qui enim dixit, *Capillus de capite vestro non peribit*, omnia trahit post se. Aut si omnia homines intelliguntur, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere. Aut certe omnia genera hominum trahit ad se ut caput, sive in linguis, sive in ætatibus, sive in gradibus honorum, sive in diversitatibus ingeniorum, siue in professionibus licitarum artium. *Si exaltatus fuero*, id est, cum exaltatus fuero : non enim dubitando loquitur. Exalta

tionem dixit passionem in cruce, et respicit ad hoc quod dictum est superius, granum mortuum multum fructum afferre. Respondit ei turba : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis ? Quis est iste Filius hominis* (*Joan.* XII, 34) ? Memoriter tenuerunt quod dixerat Dominus : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Nam hic non ait : Si exaltatus fuerit Filius hominis, sed ait : *Ego si exaltatus fuero.* Putant ergo contraria esse Christum manere in æternum, et exaltari in cruce.

XI. Dixit ergo eis Jesus : *Adhuc modicum lumen in vobis est ; ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ* mortis *vos comprehendant* (*Joan.* XII, 35) ; tenebræ sunt, si sic crediderit Christi æternitatem, ut negetis mortis ejus humilitatem. Ambulate ergo ex fide in fidem, totum intelligendo, et moriturum Christum, ut redimat, et victurum in æternum in cœlo, quo perducat, *Ambulate, inquit, dum lucem habetis*, id est, proficite credentes quæ dico, dum lucem verborum meorum ministro vobis. Tenebræ enim ignorantiæ et mortis perpetuæ erunt, non credere mihi. *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* [Cod. *vadit*]. *Dum lucem habetis credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus et abiit et abscondit se ab eis* (*Id., ibid. et* 36). Non ab eis se abscondit qui credere incœperant, sed ab eis qui eum occidere cupiebant, consulendo nostræ infirmitati, non derogando suæ potestati.

TRACTATUS LI.

Legitur pars quædam ejusdem in Bibl. Laurent., plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 277, et ibid. plut. XXX sinist., cod. II, fol. 145 *b*, a n. 8 versus medium usque ad finem.

Edit. N. 9. *Se autem dicebat. Ipsum erat granum.*	Cod. II. *Se autem dicebat ipsum esse granum.*
N. 10. *Redi retro, Satana.*	Id. *Revertere retro, Satana.*
N. 11. *Relinquens nobis exemplum, ut sequamur.*	Id. *Relinquens vobis exemplum, ut sequamini.*
Ibid. *Ut operis quo ministratur illi.*	Codd. II et XXXVI. *Et operis quo ministratur illi.* Vid. var. Maur.
N. 2. *Hinc est illud quod*, etc.	Cod. XXXVI. *Hinc est enim illud quod*, etc.

TRACTATUS LII.

Legitur in Bibl. Mugell., cod. XV, fol. 162 *b*, a n. 6 ad 11 exclusive.

Edit. N. 7. *Quod sciebat, post passionem et glorificationem suam.*	Cod. *Quod sciebat, post passionem, et resurrectionem, et glorificationem suam.*
N. 8. *Sic et illud quod dictum est.*	Id. *Sicut illud quod dictum est.*
N. 9. *Admonet Apostolus, unde non lædant, commemorat*, etc.	Id. *Admonet Apostolus, unde non lædant, commemorans.*
Ibid. *Ne nos inferas in tentationem.*	Id. *Ne nos inducas in tentationem.*
Ibid. *Ejectum diabolum intro iterum revocare.*	Id. *Ejectum diabolum intromittere, iterumque revocare.*
N. 10. *Sed quando mo-*	Id. *Sed quando detesta-*
res vel bonorum hominum vel malorum.	*mur, vel probamus mores bonorum hominum vel malorum.* Deest in. cod vox *probamus*, quam requirit sensus.

TRACTATUS LIII.

Legitur in Bibl. Laurent. cod. XLII, fol. 277 *b*.

Edit N. 1. *Quo Christum æternum esse didicissent.*	Cod. *Quo Christum in æternum didicissent manere.*
N. 2. *Brachium ejus Verbum ejus esset. Sed Dominus*, etc.	Id. *Brachium ejus Verbum ejus esset ; quia Verbum ejus non est cogitabile vel sonabile. Sed Dominus*, etc. Vid. var. Maur.
Ibid. *Dei Verbum erat.*	Id. *Deus erat Verbum.*
N. 3. *Quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur.*	Id. *Quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur.*
N. 4. *Accipite quod potuerimus.*	Id. *Accipite quod dicere potuerimus.*
N. 10. *Fides autem Christi est.*	Id. *Fides autem Christi, ut sacramenta, est.*
Ibid. *Quia ergo ignorans Dei justitiam.*	Id. *Qui ergo ignorans Dei justitiam.*

TRACTATUS LXXVIII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 163, et in Bibl. Laurent., plut. XXII, cod. XXXVI, fol. 322, ubi hoc unum deprehendi, quod n. 3 pro his verbis, *humanam qua major est Pater*, in duobus codd. uno consensu habetur, *humanam qua minor est Patre.*

TRACTATUS CXX.

Legitur in Bibl. Laurent., plut, XIV, cod. II, fol. 195, ubi multo diversus est ab editis.

Edit. N. 1. *Ut frangerentur eorum crura, et tollerentur, non crura tollerentur. Sed hi*, etc.	Cod. *Ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Sicut enim dies illa sabbati in lege magna erat, sicut et hic evangelista Joannes commemorat, ita et dies redemptionis Domini magnus fuit universo humano generi. Quod vero dicit rogaverunt Pilatum ut frangerentur crura et tollerentur, non ut crura tollerentur petierunt, sed hi*, etc.
Ibid. *Diem festum sui diurni cruciatus*, etc.	Id. *Diem festum sui diuturni crucintus*, etc. Vid. var. Maur.
N. 2. *Ut non diceret, Latus ejus percussit.*	Id. *Ut non diceret, Latus ejus unus militum percussit.*
Ibid. *Et appellata est vita materque vivorum.*	Id. *Et appellata est Eva materque vivorum.*
Ibid. *Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus*, etc.	Id. *Magnum quippe significavit Adam bonum ante magnum prævaricationis malum in habitu jacentis ac dormientis. Et hic secundus.* etc.
N. 4. *Perens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. Non ita distinguendum est*, etc.	Id. *Sicut mos est Judæis sepelire. Joseph iste occultus discipulus Domini Jesu Christi, qui ab Arimathea castro erat, figuram castimonialium gerebat ; quia sicut ille corpus Domini meruit bajulare et in sepulcrum suum ponere, ita et illi qui castitatem corporis atque animæ habent, ipsi merentur corpus Christi et sanguinem accipere juxta Paulum apostolum : Probet ergo se homo, et sic de pane Domini edat, et de calice bibat* (I Cor. XI, 28). *Quia qui unum ex his indigne acceperit, reus erit judicii. Et quia dicit : Venit Nicodemus qui venerat ad Jesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum, non ita distinguendum est*, etc.
Ibid. *Ventitasse autem postea.*	Id. *Venisse autem postea.*

Ibid. *Fere omnibus gentibus declaratur. Acceperunt ergo* et sequentia usque ad hæc verba n. 5, *Erat autem in loco*, etc.

Id. *Fere omnibus gentibus declaratur. Hoc loco Nicodemus figuram sanctorum gessit prædestinatorum, qui ante baptismum in ignorantia fuerunt, sed veniunt ad Dominum cum mixtura myrrhæ et aloes, id est cum se recognoscunt, mortificant se a vitiis et concupiscentiis, atque præsente sæculo, et abnegant semetipsos, et sequuntur Christum. Et quia hic libras centum, et mixturam myrrhæ et aloes secum Nicodemum detulisse Evangelista dicit, (hic enim* [Cod., *quia enim*] *centenarius numerus perfectus est, et integritas numeri in eodem comprehenditur), perfectum numerum angelorum et hominum designavit. Erat autem in loco*, etc.

N. 5. *Quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi latine usitatus apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat. Una autem*, etc.

Id. *Quoniam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi, Latini usitatius apud nos præparationem vocant, facere tale aliquid non licebat. Quid enim aliud per hortum nisi Ecclesia Christi intelligitur? Hortus quippe clausus et fons signatus* (Cant. IV, 11) *ipsa est Ecclesia Catholica. Quid vero per sepulturam, nisi conscientia uniuscujusque hominis habitantis in Ecclesia Dei designatur, ubi reponitur corpus Christi? Et quia, sicut diximus monumentum novum ideo dictum est* [cod. *esse*], *quia nullus alius mortuus in eo fuerat, ita et anima in qua Christus inhabitat, a peccato mortifero, velut a vitiis, esse aliena debet.* Cætera desunt.

TRACTATUS CXXIII.

Legitur in quatuor codd. Florent. nempe Bibl. Laurent. plut. XVII, cod. XXXV, fol. 54; plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 144; ibid. cod. XXIV, fol. 162 *b* et plut. XXX sinist. cod. I, fol. 147 *b*, quos habemus transcriptos a n. 4 ad finem. Reperiuntur iterum plut. XVII, cod. XLIII, fol. 138 *b*, et Bibl. Ædil. cod. CXLI, fol. 125 *b*, et fol. 133. Sed horum ultimorum tenorem nobis non transmiserunt Italiani scriptores.

Edit. N. 4. *Animam suam positurus pro suis omnibus.*

Cod. I. *Animam suam positurus pro suis ovibus.* Vid. var. Maur.

Ibid. *Quia vivit quem mortuum dolebas.*

Cod. XXXV. *Quia vivit quem moriturum dolebas.*

N. 5. *Si me diligis, non te pascere cogita.*

Cod. XXIV. *Si me diligis, non tuas pascere te cogita.*

Ibid. *Erunt enim homines seipsos amantes.*

Codd. XXIII et XXXV. *Erunt homines seipsos amantes.*

Ibid. *Quo mori nolumus, et quando cum Christo vivere volumus.*

Cod. XXII. *Quo mori nolumus, et quo cum Christo vivere volumus.*

Ibid. *Nam crucifixus non quo nolebat abiit.*

Id. *Nam vinctis manibus crucifixus non quo nolebat abiit.*

LIBER DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Legitur pars quædam lib. I, nempe a n. 9 ad 15 exclusive, in Bibl. Laurent., plut. XII, cod. XIV, fol. 220 *b*.

Edit. N. 9. *Omnibus ad contemplandum*, etc.

Cod. ita incipit verbis aliunde assumptis. *Hæc dicimus et hæc docemus, charissimi, quod Deus lux est mentium, non corporum. Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbant; omnibusque ad contemplandum*, etc.

N. 11. *Quo infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Id. *Quod infirmum est Dei, fortius est quam homines.*

N. 13. *Humilitatem adhibuit ad sanandum.*

Id. *Humilitatem exhibuit ad sanandum.*

LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS OCTOGINTA TRIBUS.

QUÆLTIO LIX.

Legitur quæstio LIX in Bibl. Mugell., cod. XI, fol. 98 *b*.

Edit. Quæst. LIX. N. 2. *Quid autem significat oleum, mirum videtur. Item quod sapientes petentibus non communicant.*

Cod. *Quid autem significat oleum? Mirum videtur quod sapientes petentibus non communicant.*

N. 4. *Propter autem se homo, inquit.* Sic edit. Gaume. Benedictini ut nos.

Id. *Probet autem se homo, inquit.*

Ibid. *Et eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando.*

Id. *Et eis vanam gloriam tanquam fatuis conciliando.*

QUÆSTIO LXII.

Legitur in eadem Bibl. Mugell., cod. XI, fol. 100.

Edit. Quæst. LXII *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.*

Cod. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Ibid. *Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei atque justitia deputatum est*, etc.

Id. *Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei ad justitiam deputatum est*, etc.

Ibid. *Qua omnes divinæ actione locorum temporumque ordine ac distinctione pulcherrima peraguntur.*

Id. *Quia omnes divinæ actiones, locorum temporumque ordines, distinctione pulcherrima peraguntur.*

SERMO

De urbis excidio.

Legitur in Bibl. Fesul., cod. XX, fol. 45 *b*.

Edit. N. 1. *Per quos tria hominum genera significat Deus.*

Cod. *Per quos tria hominum genera signat Deus.*

Ibid. *Quomodo ergo poterant de imminente tribulatione liberari.*

Id. *Quomodo ergo potuerint de imminente tribulatione liberari.*

Ibid. *Sed in Noe significantur boni præpositi.*

Id. *Sed in Noe signati sunt boni præpositi.*

N. 2. *Utrum si decem justos in civitate compererit.*

Id. *Utrum si decem justos in civitate repererit.*

Ibid. *Nec viginti, nec decem? Si autem incredibile est, quare non Deus*, etc.

Id. *Nec viginti, nec decem saltem? Hoc incredibile est. Quare non Deus*, etc.

Ibid. *Hoc ipse Dominus prophetarum et apostolorum.*

Id. *Hoc ipse Dominus prophetarum et apostolorum Jesus.*

N. 5. *Multa in hac urbe esse commissa.*

Id. *Multa sub hac dissolutione in illa urbe esse commissa.*

Ibid. *Putrescens ulcere, sanie fluens.*

Id. *Putrescens ulcere, sanie effluens.*

Ibid. *Quod erat gravius? hocne an illud bellum?*

Id *Quid erat gravius? hoc an illud bellum?*

Ibid. *Sed ideo minor pœna, quod absens anima.*

Id. *Sed ideo minor pœna, imo ideo nulla pœna, quod absens anima.*

Ibid. *Sed quæ moneret blasphemiam.*

Id. *Sed quæ moveret blasphemiam.*

Ibid. *Aperte malum suadet inimici.*

Id. *Aperte malum suadet amica.*

Ibid. *Mala non sustinebimus?*

Id. *Mala quare non sustinebimus?*

N. 4. *Sed nescio utrum minor gloria fuit sancti Job.*

Id. *Sed nescio utrum minor gloria fuerit sancti Job.*

N. 5. *Quicumque Romæ*

Id. *Quicumque Romæ*

qui se audeat justum dicere, a me non audit, etc.

Ibid. *Ut tibi adhiberet curandi diligentiam.*

Ibid. *Mortui sunt enim in bona vita, et vera justitia.*

N. 6. *Qualis civitas est humilium quæ ista dicit ?*

Id. *Et perniciem illius ignis evaserat.*

N. 7. *Quod dico audiunt nonnulli forsitan qui noverunt, et sunt in hoc populo.*

Ibid. *Missis qui renuntiarent, sollicita quæ prædicta fuerat*, etc.

N. 8. *Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuit.*

N. 9. *Et caducæ omnes sæculi vanitates.*

qui si audeat justum dicere, a me audiet, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Ut tibi adhiberet carationis diligentiam.*

Id. *Mortui sunt enim in bona vita et vera, et justa.*

Id. *Qualis civitas est humilium, civiumque sanctorum ?*

Id. *Et periculum illius ignis evaserat.*

Id. *Quod dico audierunt nonnulli, et forsitan noverunt, et sunt in hoc populo.*

Id. *Missis qui renuntiarent sollicite, quæ prædicta fuerat*, etc.

Id. *Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuerit.*

Id. *Et caducæ omnes sæculi voluptates.*

LIBER

DE NATURA BONI.

Legitur in Bibl. Laurent., plut. XVII dext., cod. III, fol. 127 *b*.

Edit. Cap. III. *Hæc ergo tria, modus, species, ordo.*

Cap. V. *Natura quæ cum præsto est.*

Cap. VII. *Peccantes igitur in suppliciis ordinantur.*

Cap. X. *Quocumque ordine sunt, quia Deus est*, etc.

Cap. XII. *Et in Deo tanta mala.*

Cap. XV. *Et apertissime veritati repugnantes.*

Cap. XIX. *Sic ab illo est omne quod naturaliter est, quoniam omne quod naturaliter est, bonum est.*

Cap. XXI *Quia modus in eis aliquis restilit.*

Cap. XXIII. *Quia sunt aliena et incongrua.*

Cap. XXV. *Quod enim revera est aliquid, quid interest.*

Cap. XXX. *Et maximorum et minimorum.*

Cap. XXXIX. *Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus, quod etsi sine fine sit, non est tamen sine initio ; Deus autem etiam sine initio est. Deinde quia licet perpetuus*, etc.

Ibid. *Cum possit mutari.*

Cap. XLI. *Ac fecunditates habuisse.*

Ibid. *Et dimensis membris atque habitationibus.*

Ibid. *Aut quodlibet aliud sine aliqua societate.*

Cap. XLII. *Nihil omnino,*

Cod. *Hæc tria, modus, species, ordo.*

Id. *Natura quæ cum præsto sit.*

Id. *Peccatores igitur in suppliciis ordinantur.*

Id. *Quocumque ordine sunt, sunt quia Deus est*, etc.

Id. *Et in summo bono tanta mala.*

Id. *Et apertissime veritati resistentes.*

Id. *Sic ab illo est omne quod naturale est, quoniam omne quod naturale est, bonum est.* Vid. var. Maur.

Id. *Quia modus in eis aliquis resistit.* Vid. var. Maur.

Id. *Quod sint aliena et incongrua.*

Id. *Quod enim est, revera est, nec aliquid interest.*

Id. *Et maximorum et minutorum.*

Id. *Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus, dicitur, primo quia, etsi propterea dicitur æternus, quia sine fine fit, non est tamen sine initio ; Deus autem sine initio est. Deinde quia licet perpetuus*, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Cum tamen possit mutari.*

Id. *Ac fecunditatis habuisse.*

Id. *Et diversis membris atque habitationibus.*

Id. *Aut quodlibet aliud sine aliqua satietate.* Vid. var. Maur.

Id. *Nihil omnino, si*

sed si aliarum, etc.

Cap. XLIII. *Et inimicæ existerent sanctæ luci.*

Ibid. *Hoc quam nefas sit dicere qui videt, anathemet.*

Cap. XLIV. *Hoc genus nefandissimi erroris.*

Ibid. *Suæ vitalis substantiæ.*

Ibid. *Virginum intemeratam similitudinem.*

Ibid. *Hac occasione laxata evadit.*

Ibid. *Et coloribus diversis inficitur.*

Cap. XLV. *Vitalem illam substantiam, partem Dei.*

Cap. XLVI. *Id quod postulabantur præbere.*

Ibid. *Idem lumen jugiter retenturos.*

Ibip. *Ex fera genitorum gente.*

Ibid. *Nihil etiam ipse adjiciens.*

Ibid. *In eadem enim construebantur.*

Ibid. *Æternamque præponant.*

aliarum, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Et inimica existerent sanctæ luci.*

Id. *Hoc quod nefas sit dicere naturæ Dei a natura Dei sic subveniri, qui audit anathematizet.* Vid. var. Maur. Cod. habet semper *anathematizare* pro *anathemare*, quod legitur ubique in edit.

Id. *Hoc genus nefandissimum erroris.*

Id. *Sua vitalis substantia.* Vid. var. Maur.

Id. *Virginum intemperatam similitudinem.* Vid. var. Maur.

Id. *Hac occasione laxata evanescit.*

Id. *Et coloribus diversis infigitur.* Vid. var. Maur.

Id. *Vitalem illam substantiam, quam partem Dei.*

Id. *Id. quod postulabatur præbere.*

Id. *Idem lumen jugiter recepturos.*

Id. *Ex fera genitorum mente.* Vid. var. Maur.

Id. *Nihil etiam ipse adducens.*

Id. *In eadem enim constituebantur.*

Id. *Æternamque præponant, te præstante qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

LIBER

DE HÆRESIBUS AD QUODVULTDEUM.

Legitur in cod. Cassin. CCCCLVI, fol. 64 a tergo.

Edit. Cap. XI *Esse profundum et silentium quod profundum*, etc.

Cap. XXIII. *Tam falsa de Christo sensisse, ut diceret eum.*

Cap. XLII. *Isti sunt nefanda facientes.*

Cap LVII. *Nescio quam phantatiscam et ridiculam fabulam narrare.*

Cap. LXV *Qui dicebat Deum non facere mala.*

Cap. LXXXVIII. *Nec unde possit accipi, scimus. Quod si tu scieris*, etc.

Cod. *Esset profundum et silentium matrem, quod profundum*, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Tam fabulosa de Christo sensisse, ut diceret Christum.*

Id. *Sunt isti inenarrabilia facientes.* Vid. var. Maur.

Id. *Nescio quæ phantastica et ridicule fabulosa narrare.* Vid ibid.

Id. *Qui dicebat Deum non creusse mala.*

Id. *Nec unde accipi* (cod. *decipi*) *scimus. Certissimus homo studiosus*, etc. *Sicut* legitur in var. Maur. quas videas.

Sequuntur autem in codice duæ aliæ hæreses, Nestorianorum scilicet et Eutychianorum, sicuti in cod. Benedictinorum sancti Mauri. Vid. var.

LIBRI

CONTRA SECUNDAM JULIANI RESPONSIONEM.

Leguntur in cod. Cassin. CLXIV, fol. 1, ubi multa menda occurrunt, sed inter illa quædam occurrunt variantes lectiones quæ non videntur respuendæ.

Edit. Lib. II, cap. XV. *Prævaricatione primi hominis naturam verterit.*

Lib. III, cap. LXXXII. *Unde ergo non exsufflatam, non exorcizatum imaginem suam.*

Cod. *Per prævaricationem primi hominis in naturam verterit.*

Id. *Unde ergo non exsufflatam, non exorcizatam, non baptizatam imaginem suam.*

Ibid. cap. CXI. *Catholica sanitate fulgentes.* Id. *Catholica sanctitate fulgentes.*

LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS.

Reperitur inter chartas D. Frangipane una quæstio quæ supplenda dicitur fol. 4, tom. VI, Benedict., sed locus aliter non indicatur, nec recta videtur vaga illa indicatio. Hanc autem quæstionem apud sanctum Augustinum invenire non potui. Sic autem se habet in cod. Cassin. CLXII, fol. 20 a tergo.

DE MAGIS PHARAONIS.

Non oportet moveri cum magicis artibus miracula fiant plerumque similia miraculis, quæ fiunt per sanctos Dei servos, sicut scriptum est in Exodo, quod magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter, sicut fecit Moyses. Non ergo hæc oportet mirari, quia omnia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris hujus non absurde fieri posse creduntur. Sed hoc interest, quod cum sancti talia faciunt, in nomine Dei Domini omnium rerum de sublimioribus partibus jubetur inferiori creaturæ. Cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur, cum exaudiuntur a dæmonibus. Digni sunt enim, qui tali exauditione decipiantur, ut pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cum eis exhibent quasi privatim inferiores potestates quædam miracula, ut eos habeant subjugatos, permissu tamen divinæ providentiæ, ut pro meritis animarum sua cuique tribuantur.

EX LIBRO DE SUSANNA.

Hæc excerpta sunt ex libro de Susanna in Com. Bedæ sancti Augustini; attamen pervoluto D. Augustini opere hujusmodi librum haud reperi; duxi ideo hic exemplari.

Quid Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi? Debemus diligenter inquirere nomina schini et prini, quæ latine ilex et lentiscus interpretantur, si sint apud Hebræos, et quam habeant etymologiam, ut a schino scissio, et a prino, sectio, sive serratio dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur et nos acquiescere eorum sententiis, qui græci tantum sermonis hanc volunt esse pericopen, quæ græcam tantum habeat etymologiam, et hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis et divisionis, et in hæbrea, etymologiam, tunc poterimus etiam hanc scripturam recipere.

QUÆSTIO DE PROVIDENTIA DEI.

Legitur cum nomine sancti Augustini in cod. CLXVIII, fol. 112 a tergo, nec illo indigna est, licet merum esse videatur fragmentum.

Hinc maxime credendum est, quod pietas prædicat, manifestum futurum esse judicium, quia nunc videmus humanas felicitates et clades indiscrete bonis et malis, velut sine ullo judicio, esse communes, cum Dei justitia, cujus sic eminet in rebus exiguis providentia, nullo modo relinquat sine ullo judicio passim fluitare majora. Quid autem majus est non solum in ista humana, verum etiam in angelica creatura, quam ut mali juste miseria puniantur, boni vero beatitudine perfruantur? Quod ergo nunc malo homini quasi bene est, occulta pœna est, felicitas falsa. Quod autem homini bono male [cod. *malo.*] est, non præmium pietati negatur, sed ad majora præmia patientia pietatis augetur. Item quod aliquando, et in hac vita malo homini male est, aut emendatio est, aut afflictio peccatorum; quando autem bono homini bene est, non est illius supernæ patriæ certissimum gaudium, sed hujus periculosæ peregrinationis qualecumque solatium. Hæc atque hujusmodi si cogitaret infidelis impietas, in gubernandis et ordinandis rebus humanis divinam providentiam non negaret. Nec in suis tenebrosis et mortiferis viribus, contra lumen et vitam sapientiæ perduraret. Illud ergo attendat homo infidelis, quod dicere non potest ab hominibus institutum, ne Deum neget rebus humanis ordinem dare, qui docuit apiculam cellas favorum tam mirabiliter ordinare. Ipsi quippe homini quis dedit inordinatis rebus offendi, et rerum ordine delectari. Nonne hoc in suæ animæ natura invenit, quæ sibi ipse non fecit? Nam quare ordine non invento in rebus humanis, Deum res humanas gubernare non credit, nisi quia rebus inordinatis ordinata [cod. *inordinatas*, nec deinde *ordinatas* habet] præponere naturaliter novit. Ergone homo judicat ordinationem potius quam perturbationem operibus convenire divinis, et Deus ordinatum judicium non habet de hominibus universis, qui ordini sensum creavit in singulis? Stabit plane, habet; non dubitat pietas, etsi non comprehendit infirmitas. Opera fabrorum ea nempe laudamus, quæ inspicere possumus, mechanicorum autem stupemus, et nisi aperta atque monstrata fuerint, eos impossibilia potuisse miramur. Cur ergo de judiciis Dei temere judicamus, et divini operis ordinem, ubi non potuerimus videre, festinamus negare, laudantes providentiam Creatoris in arborum foliis, et eam non putantes esse in rebus humanis; nec potius investigabiliter et latenter ordinem rerum humanarum currere credimus, quem vel immensum comprehendere, vel occultum inspicere non valemus? Sed rerum divinitus institutarum ordines manifesti, ex quibus conjiciuntur occulti, feriunt etiam oculos impiorum.

QUÆSTIO DE REBUS QUALITER UTATUR SAPIENS.

Legitur in cod. CLXVIII, fol. 113, cum nomine sancti Augustini, apud quem similia quædam videas Quæst. Evang. lib. II, n. 11.

Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est; in omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. Quid igitur locis, et temporibus, et personis convenit diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus.

Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat. Et satius [Cod. *sanus*, et deinde *vesci*] quisque more Domini pisce vescitur, quam lenticula more Esaiæ nepotis Abraham, aut herbis [in cod. habetur vox quæ legi non potest; divinando posuimus *herbis*] more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus non ex earum natura, quibus utimur, sed e causa utendi [Cod. male *attendi*], et modo appetendi, vel probandum est vel improbandum, quod facimus.

APPENDIX.

SERMO LVI.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 92, ubi n. 4, habetur ut in prioribus editis post hæc verba *fortiter vicerit*, quæ sequuntur : *Erubescit siquidem despici, nisi superet hostem forti victoria.* Vid. var. Maur.

SERMO LXXII.

Legitur tum in cod. Cassin. XI, fol. 58, tum in cod. Florent., Bibl. Sanctæ Crucis, plut. XXX sinist., cod. II, fol. 138.

Edit. N. 1. *Audivimus, et quodam modo.*

Cod. II. *Audivimus Evangelium, et quodam modo.*

Ibid. *Navicellam periclitantem.*

Id. *Naviculam periclitantem.*

Ibid *Periclitantibus subvenientem.*

Id. *Periclitantibus succurrentem.*

Ibid. *Miraculum exspectavimus.*

Id. *Miraculum spectavimus.*

Ibid. *Mysticæ significationis exsculpere.*

Id. *Mysticæ significationis scrutari.*

Idid. *Abstrusis favorum cellis.*

Id. *Obstrusis favorum cellis.*

Ibid. *Ascendit ergo Dominus noster Jesus Christus, ut lectum est, in montem solus.*

Id. *Ascendit ergo, sicut audistis, Dominus Christus solus in montem.*

Ibid. *Quid enim in hoc mundo*, etc.?

Id. *Quid autem in hoc mundo*, etc?

Ibid. *Quis vero in cœlum ascendit.*

Id. *Quis vero in cœlum ascenderit.*

Ibid *Cur, autem solus ascendit? Quia*, etc.

Codd. ambo. *Cur autem solus ascenderit, si requiras* (cod. XI male *re-* etc.

curras, cito respondeo quia,

Ibid. *Nunc autem solum caput.*

Cod. II: *Nunc tamen solum caput.*

N. 2. *Quia insurgunt fluctus, potest ipsa navicula.*

Id. *Quia insistunt fluctus, potest navicula.*

Ibid. *Navicellam quippe istam.*

Id. *Naviculam quippe illam.*

Ibid. *Turbulentum mare.*

Id. *Turbatum mare.*

Ibid. *Quando aliquis impiæ voluntatis.*

Id *Quando rex aliquis impiæ voluntatis.*

Ibid. *Ut suspensa arbori.*

Id. *Et suspensa arbori.*

Ibid. *Et non deficiat, quia*, etc.

Id. *Et non deficiet quoniam*, etc.

Ibid. *Dicit etiam beatus Joannes.*

Id. *Dicit et alius testis ejus.*

Ibid. *Et pura confessio.*

Id. *Et pura conversio.*

Ibid. *Vestisque tendatur.*

Id. *Ventisque tendatur.*

A Ibid. *Dum eam huc atque illuc circumferunt.*

Id. *Dum jactando eam per diversa circumferunt.*

Ibid. *Et tamen oportebat Christum.*

Id. *Et tamen oportebat Christum, ait ipse Dominus Christus, oportebat Christum.*

Ibid. *Incipientibus ab Jerusalem.*

Id. Quæ sequuntur, et fuerunt a Benedictinis restituta concordant cum nostro codice. Vid. var. Maur.

N. 3. *Deo donante sollicita.*

Id. *Christo docente sollicita.*

Ibid. *Sed etiam ipse dicit.*

Id. *Sed etiam ipse nobis præcepit dicens.*

Ibid. *Gubernanti, inite navigium.*

Id. *Gubernate navigium.*

Ibid. *Si tribulationis procella consurgit.*

Id. *Sed si tribulationis procella consurgat.*

B Ibid. *Obtrectatores omnino contemnendi sunt.*

Id. *Obtrectatores omnino vitandi et contemnendi sunt*

Ibid. *Quid est, quamdiu in navi sedes? Quamdiu crucem Christi*, etc.

Codd ambo. *Quid est quamdiu in navi sedes? Quamdiu in ligno hæres, quamdiu crucem Christi*, etc.

Ibid. *Ab ejus navicula non recedis*

Id. *Ab ejus navicula non recedens.*

Ibid *Diabolus aspirans bacchatur.*

Id. *Diabolus archipirata bacchatur.*

Ibid. *Resistite firmi in fide, exerceantur*, etc.

Id. *Resistite fortes in fide, exerceantur*, etc.

Ibid. *Campi doctor.*

Leg. *Campi ductor.*

N 4. *Venit ergo Christus in navem suam quarta vigilia noctis.*

Cod. II addit *et visitavit eam.*

C Ibid. *Vigilia una tres horas habet.*

Codd. ambo. *Sicut enim una nobiscum soletis audire, vigilia una*, etc.

Ibid. *Per singulas vigilias distributis.*

Cod II, *Per singulas distributis.*

Ibid. *Hoc est, pene jam nocte, finita. Sic veniet*, etc.

Id. *Hoc est peracta jam nocte, jam consumpto tempore tenebrarum, venit Christus ad discipulos, qui turbabantur in mari; sic veniet*, etc.

Ibid. *Venit enim nunc, sicut audistis, valde mirabiliter ambulans super aquas.*

Id. *Venit enim modo valde mirabiliter, sicut audistis, id est ambulans super aquas.*

Ibid. *Cum vero appropinquaret naviculæ.*

Id. *Cum ergo Dominus naviculæ suæ appropinquare cœpisset.*

Ibid *Et exclamaverunt, putantes phantasma. Quibus Dominus ait: Habete fiduciam.*

D Id. *Et putaverunt phantasma. Continuo Dominus: Habete, inquit, fiduciam.*

Ibid. *Agnoscite quem videtis. Ad hanc vocem exsiliit Petrus et ait: Domine*, etc.

Id. *Agnoscite quem videtis. Audiant Manichæi, audiant ut erubescant, confundantur ut corrigantur, mutentur ne damnentur. Habete, inquit, fiduciam, ego sum, nolite timere. Ad hanc vocem continuo audax ille Petrus exsiliit, et ait: Domine*, etc Sic et cod XI.

Ibid. *Super aquas. Si tu es, non miror quod solidam carnem super liquentis elementi terga suspendis. Quid enim mirum, si*, etc.

Cod. II. *Super aquas. Non miror quia ambulas super aquas; non miror quia suspendis solidam carnem super liquentis terga elementi. Quid enim si*, etc.

Ibid. et N. 5. *Fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac quod mirer, jube me*

Id. *Fac quod mirer, ambulet Petrus. Jube me venire ad te super aquas*

venire ad te super aquas Scio enim, etc.

Phrasis integra usque ad textus evangelici iterationem deest hic in cod., et deinde ponitur post hæc verba *ut unda me portet. Si tu es, jube me venire ad te super aquas.*

N. 5. *Quomodo enim mihi in mari non erit via, si tu jusseris, qui propter nos factus es via?*

Id. *Commodat enim mare mihi vitam, si hoc jusserit via.*

Ibid. *Quasi mors fidei fuit: sed ubi exclamavit*, etc.

Id. *Quasi mors fidei fuit. Sed cum cœpisset mergi, exclamavit ad Christum. Ubi exclamavit*, etc.

Ibid. *Non titubaret, nisi crederet, sed nec clamaret, nisi crederet.*

Id. *Non titubaret, si plene crederet, sed nec clamaret, si non crederet.*

Ibid. *Posset te ventus elidere.*

Id. *Posset te flatus elidere.*

Ibid. *Fluctus operire. Plus erat*, etc.

Id. *Fluctus operire. Quare ergo? Plus erat*, etc.

Ibid. *Ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum.*

Id. *Ut si nos in aliquo, dum in his fluctibus ambulamus, navigamus, vel conatur unda subvertere, vel ventus impingere, clamemus ad Christum.*

Ibid. *Porriget ille manum.*

Id. *Porriget enim manum.*

Ibid. *Et continebit nos dextera ejus.*

Id. *Et tenebit dextera ejus.*

SERMO CI.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 9, ubi loco horum verborum n. 5, *quatuor lineæ quibus vas illud dependebat*, habetur: *quatuor ergo lineæ quibus vas connectebatur.*

SERMO CXVII.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 202.

Edit. N. 1. *Qui contra se pugnant. Aperiant*, etc.

Cod. *Qui contra se pugnant. Itaque pugnent ut se expugnant, et sic expurgant. Gaudemus, lætamur, aperiant*, etc.

Id. *monemus, hortamur, ut*

N. 7. *Delectationem infert, non potestatem.*

Id. *Delectationem inferre potest, non violentiam.*

SERMO CXIX.

Legitur in cod. Cassin. XII, fol. 31, ubi hæc ad finem superadduntur.

Alacres celebremus hunc diem, ut cujus nativitatem colimus in mundo, ejus consortium desideremus in cœlo. Scio enim hoc omnes homines desiderare, ut Dominum et Salvatorem nostrum in æterna gloria cum gaudio mereantur aspicere, sed si opera non dissentiant, ubi vota concordant. Ipse enim cum secura conscientia præsentiam ejus videre potest, qui ejus præcepta compleverit. sicut ipse dixit: « Si quis diligit me, mandatum meum custodit. » Et ideo, fratres carissimi, justitiam faciendo, castitatem servando, eleemosynas largius erogando, præcepta ejus fideliter impleamus, ut ad gloriam illius feliciter pervenire possimus, quod ipse præstabit, cum Patre, etc

SERMO CXXI.

Legitur in Bibl. Laurent. plut. XXXIII, cod. IV. Deest principium usque ad hæc verba *Prædicamus*, etc. Vide notam a Benedictinis principio affixam.

Edit. N. 1. *Præbeamus, et Simeoni*, etc.

Cod. *Præbeamus.* Reliqua, nec male, desunt usque ad verba: *hodie ergo*, etc.

N. 2. *Qui Deo filios faceret.*

Id. *Quæ Deo filium faceret.*

Ibid. *Et hunc fudit forma servi in terris.*

Id. *Et hunc fudit fœmina virum in terris.*

Ibid. *Mortali alvo.*

Id. *Mortalis alvo.*

Ibid. *Imperatorem suscepit.*

Id. Melius propter rythmum, *suscepit imperatorem.*

N. 3. *Christus vobis hodie.*

Id. *Christus nobis hodie.*

N. 4. *Nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculum matris Dominici corporis. Virgo concipit, virgo gravida, virgo cum parturit, virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, et gloriosa fecunditas.*

Id. *Nullo libatus amplexu. Spiritum sanctum castus venter excepit. innocens corpus egessit. Gloriosa virginitas, et præclara fecunditas.*

Ibid. *Fas enim erat.* etc.

Id. Quæ sequuntur ita differunt, ut satius visum fuerit integre exscribere:

